LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

xq321.7
So47e

~~Rare Book & Special~~
Collections Library

D. IOANNIS

DE SOLORZANO PEREIRA

I. V. D.

EX EQVESTRI MILITIA DIVI IACOBI, ET IN REGIIS SVPREMIS CASTELLAE, ET INDIARVM CONSILIIS ANTIQVISSIMI, ET IAM EMERITI SENATORIS.

EMBLEMATA

CENTVM, REGIO POLITICA.

ÆNEIS LAMINIS AFFABRE CAELATA, VIVIDISQVE, ET LIMATIS carminibus explicita, & ſingularibus commentarijs affatim illuſtrata.

QVIBVS, QVICQVID AD REGVM INSTITVTIONEM, ET RECTAM Reip. Adminiſtrationem conducere, & pertinere videtur, ſummo ſtudio diſſeritur.

OPVS VEL IPSA VARIETATE, ET VTILITATE Rerum, & Materiarum, quas continet, expetendum, & omnium Facultatum Profeſſoribus ſummopere neceſſarium.

Cùm quadruplici Indice Abſolutiſsimo. Primo, uniuſcuiuſque Emblematis mentem complectente. Altero loca Sacræ Scripturæ. Tertiò, Leges, & Canones, quæ citantur, & illuſtrantur, deſignante. Et quartò, copioſiſsimam rerum omnium, & ſententiarum farraginem, quæ in toto opere continentur, ubertim Lectoribus effundente.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/dioannisdesolorz01sol

x9 321.7
Sc47e

CENSVRA REVERENDI ADMODVM PATRIS *Andreæ Mendo, è Societate Ieſu, in Regio Salmanticenſi Collegio Theologiæ Scholaſticæ, & Sacræ Scripturæ Profeſſoris, ac Sanctæ, & Supremæ Inquiſitionis Generalis Cenſoris Digniſsimi.*

CEnturiam hanc Emblematum Regio Politicorum, quam in lucem publicam parat eruditiſsimus, & præſtantiſsimus Dominus D. Ioannes de Solorzano Pereira, Supremorum Caſtellæ, & Indiarum Senatuum meritus, & emeritus Conſiliarius, meæ cenſuræ, ſeu potius commendationi commiſit Dominus D. Rodericus de Mandiaa & Parga, huius Madritenſis Curiæ Generalis Vicarius. Opus quidem ſuo Auctore dignum; ex diſciplinarum omnium penitiſsimis fontibus hauſtum, ad egregias virtutes, quas in Regibus optat, excitat cunctos, penumque locupletem miniſtrat, ex qua ſingularum Facultatum Profeſſores, inſtar Apum, ſuauiſsimos queant decerpere ſuccos, ex quibus.

Liquentia mella,

Stipent, & dulci diſtendant nectare cellas.

Nullus, quod amplius deſideraret habuit; Quippe dixerim cum Panegyriſte Plinio: *Eſt hoc opus pulchrum, validum, acre, ſublime, varium, elegans, purum, figuratum, ſpatioſum etiam, & cum magna ſui Auctoris laude diffuſum.* Aut cum Sidonio rectius: *At, quod, Deus magne? Quantumque opus illud eſt, materia clauſum, declaratione conſpicuum, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum, vernantis eloquij flore mollitum. In cuius paginis vigilax lector inueniat veriora nomina Camænarum, quæ propriam de ſe ſibi pariunt nuncupationem. Illic enim, & Grammatica diuidit, & Oratio declamat, & Ariſmethica numerat, & Geometria metitur, & Muſica ponderat, & Dialectica diſputat, & Aſtrologia prænoſcit, & Architectura ſtruit, & Metrica modulatur.* Vera hæc, ſed non, quid ſentiam, omninò depromunt. Meritò Petrus Rauennas addiderit: *Totius prudentiæ compendium in his litteris continetur. Si Reſpublica regenda eſt, ſi prælia committenda ſunt, ſi caſtra mutanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renouandi aggeres, ſi propugnacula facienda, ſi militiæ cultus, ſi reuerentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt ſeruandæ, liber hic omnia tradit ad perfectum. In hoc prudens inuenit, vnde ſapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quomodo populos ſub æqualitate componat; nec aliqua in mundo poteſt eſſe fortuna, quam huius libri non augeat glorioſa notitia.* Maius adhuc dicam; Author eſt huius libri Solorzanus. Hæc ſumma laudis: compendium commendationis. Et quis tantum virum, bono Reipublicæ natum, ignoret? Plenæ ſunt Curiæ Regiæ, Supremi Senatus, Eccleſiaſticæ infulæ, Purpuræ Sacræ, Virorum, qui olim illum in celeberrimo Salmanticenſi Lycæo Magiſtrum, & Doctorem amarunt, eam ebibentes diſciplinam, qua nunc populos regant, Hiſpaniam ornent, Orbem ſtupefaciant. Sed quia vnus non capiebat Orbis doctrinam Solorzani, vt in-

ſtar Solis, vtrique Orbi irradiaret, Peruano Regno ius dixit Senator Limenſis, vbi ita Indorum naturam Regionum mores, Politicamque gubernandi rationem percalluit, vt ea cuncta in tria ſatis ampla volumina redegerit, quæ ſapientium omnium plauſus probauit, pretioſioraque cenſet theſauris ipſis, qui indè, huc aduehuntur. Poſtmodùm in Hiſpaniam noſtram, veluti poſtliminio reuerſus, omnibus Regiæ Curiæ Senatibus nouum ſua prudentia, eruditione, ac integritate diſpenſauit fulgorem, Potentiſsimo, Pio, Iuſto Regi noſtro Philippo Quarto gratus, cæteris eximijs Senatoribus ſpectabilis, cunctiſque ſupra inuidiam chariſsimus. Hæc eius litteris, ac virtutibus debebantur, quibus gentilicam Nobilitatē, & Maiorum ſtemmata reddidit illuſtriora; nec adeò illa fulgurant in trium Militarium Ordinum Equeſtribus Inſignibus, queis ipſe, & Quatuor Liberi, à tanto Parente non degeneres, ornātur, ac in egregijs eius animi dotibus. Indè ſanè Clarior, indè Nobilior. Sed quia vereor, eius modeſtiam lacerari præconijs (ignorat namque patientiam animus, qui magnitudinis non ambit elogium) & quia res ipſæ ſua granditate loquuntur, vocaliſque operum taciturnitas fidem extorquebit, quæ forſitan vocis periclitaretur officio, cum ſapientiam Authoris ſola liceat æſtimatione taxari. Ideò magna, breui vlna, metitus, hoc opus aureo prælo, & ingenti præmio ſentio dignum. Madridij in hoc Imperiali Collegio Societatis Ieſu, quinto Kalendas Septembris Anno Chriſtiano 1651.

Andreas Mendo.

LICENTIA ORDINARII.

NOS El Doctor Don Rodrigo de Mandiaa i Parga, Conſultor del Santo Oficio de la Inquiſicion, Prior, i Señor en lo temporal del Priorato Real de Canonigos Reglares de la Orden de San Aguſtin de San Iuan de Caabeyro, Chantre, y Canonigo de la Santa Igleſia Metropolitana Apoſtolica de Santiago, i Vicario deſta Villa de Madrid, i ſu Partido, &c. Por la preſente, por lo que a Nos toca, damos licencia para que ſe pueda imprimir, i vender vn libro intitulado, *Emblemata Regio Politica*, compueſto por el ſeñor Doctor Don Iuan de Solorzano Pereira, Cauallero del Abito de Santiago, de los Conſejos Supremos de Caſtilla, i Indias, atento de la cenſura del Padre Andres Mendo, de la Cōpañia de Ieſus, Nos conſta no cōtiene coſa contra nueſtra Santa Fè Catolica, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid a 31. de Agoſto, año de 1651.

Don Rodrigo de Mandiaa y Parga.

Por ſu mandado, *Iuan Bautiſta Saenz Brauo.*

ALIA

ALIA CENSVRA EX COMISSIONE SVPREMI SENATVS, Reverendiſsimi Patris Auguſtini de Caſtro, è Societate Ieſu, Sanctæ ac Supremæ Inquiſitionis Qualificatoris, & Regij Concionatoris meritiſsimi, ac facundiſsimi.

EMblemata hæc Regio Politica, ab Illuſtriſsimo D.D. Ioanne de Solorçano in centuriam vnam redacta, & laborioſis, atque vtilibus commentarijs illuſtrata, diligens legi, attentuſque obſervavi. Authoris nomen, operis commendatio eſt, nec vt credatur omnibus numeris abſolutum, aliud præter Authoris nomen deſideratur. Ex fœcundo, & præcellenti ingenio, quam, niſi generoſam prolem natam putemus: & licèt alij partus tantum virum parentem probent; nullus tamen exprimit magis. Refert parentis, non vultum, ſed animum, vt qui hunc perlegerit librum, facilè in Authore dignoſcat, iudicij grauitatem, celſitudinem genii, ingenij acumen, temporum, & euentuum amœniſsimam eruditionem, & reliqua litterarum ornamenta, quæ tanto viro, non ſolùm ex noſtris; ſed ex exteris, ſimul plauſus extorquent. Felix otium; quod Hiſpaniæ decus, Authoris gloria, aliarum nationum æmulatio eſt. Non minùs eminet Solorçano Hiſpania, quàm ſuo Tacito Roma; nec leviori cultu noſtrum futura venerabuntur tempora, quàm Romanum ſuſpexere præterita. Diverſa ſcriptionis ſpecies, ſed mens eadem, niſi inferior illa. Non pro ingenii arbitrio liberè ſuos exprimit ſenſus, ſed antiquitate magiſtra, eventibus præcepta illuſtrat, iuxta illud Enodij: *Exponit cenſuræ ſententiam ſuam quiſqui, quod eligit antiquitatis fulcris non tuetur.* Nec ob id rationum mitiores vires ſunt, imò validiores; adeò vt dicta antiquorum, & facta, authoritatem potius accipiant, quàm conferant: Iure ergo ijs eruditis elucubrationibus publica editionis debetur lux, vt in Hiſpania, imo in toto Orbe, Regio Politica diſciplina fulgeat. Hoc eſt meum iudicium.

Auguſtinus de Caſtro.

ALIA CENSVRA CLARISSIMI, ET ERVDITISSIMI DOMINI D. Laurentij Ramirez de Prado in Supremo Hiſpaniæ Senatu, & Sanctæ Cruciatæ, Digniſsimi Conſiliari, & Inclytæ Militiæ Divi Iacobi, Equitis Purpurati.

MAgni, & Doctiſsimi VIRI, glorioſiſsimos, & aſsiduos Labores attollere, ac laudare, ſinceri Affectus, & recti Iudicij Munus eſt. Vtrumq; ſubire videar, dum OPVS hoc, auro contra æſtimandum, verè EMBLEMA, ſeu pretioſum, & admirabile INSERTVM (Tiberio *a* admonente Cæſare) quo lucem videat, propter Publicam VTILITATEM, conſultò dixerim.

Nullus Auctori, *per otium Dies exit. Seceſſit* (ſic ait *b* Philoſophus Hiſpanus) *non tantùm ab Hominibus, ſed etiam à Rebus; & primùm à ſuis. Poſterorum Negotium agit: illis* ea, quibus *poſſent* iuvari *conſcribit. Qui enim nihil agere videntur, maiora agunt; HVMANA, DIVINAQVE ſimul tractant.* Ex quorum *c* Notitia, & IVSTI, atq; INIVSTI Scientia IVRISPRVDENTIA conſtat. O quanta, & qualia de his Teſtimonia edidit! MVSAS colit *d* Severiores, & Liberales Artes in Arcem *e* aſcendentes, & Vocantes, didicit, & docet, Amœniorum, Graviorumque mixtura tali, ut Facilitatem, in dicendo; Claritatem, in explicando; in pangendo ſuavitatem, Ipſe Solus, *f* Suppoſititius Sibi Ipſi, manifeſtè oſtendat. *Non g enim ſolus, Solus militat, qui in arce ſtat; VIRTVTE inſtruit Animos*; INGENIO, SCRIPTO, CONSILIO.

Proderit Omnibus; THEOLOGIS, IVRECONSVLTIS, PHILOSOPHIS, ORATORIBVS, POLITICIS; denique Maximis PRINCIPIBVS. Sic *Voveo*, ſic *Cenſeo*, ſic Regij Supremi SENATVS Iuſſa adimpleo. In Muſæo Noſtro Madridienſi, Pridie Idus Octob. Anno M. DC. LI.

Licenc. D. Laurentius
Ramirez de Prado.

A In Suet. c. LXXI.

B Epiſt. VIII.

C Imperata Iuſtinianus in §. 1. Inſt. de iuſt. & iur. Ego in Epiſto. ad Fratrem in meo Pentecontarcho.

D Mart. lib. IX. Epig. XII.

E Proverb. cap. IX. Meum Schedeſmanum XXXV. cap. XIX.

F Mart. lib. V. Epig XXV.

G Senec. de Tranquilitate Animi, cap III.

SVMMA PRIVILEGII.

Viſis ſuperioribus cenſuris, cautum eſt Regis Noſtri diplomate, nequis, intra decenij metas, librum hunc, abſque Auctoris permiſſu, Typis mandare, vel renundare poſsit, ſub pœnis Hiſpaniæ legibus adverſus contra facientes indictis, & in eodem diplomate latius contentis. Quod expeditum fuit apud Divum Laurentium die trigeſima menſi Octobris Anni M.DC.LI. Regis manu ſubſcriptum, & à Martino de Villela, Regiæ Cameræ, ac Iuſtitiæ Secretario, ſignatum.

SVMA DE LA TASSA.

Taſſaron los Señores del Conſejo Real eſte libro, intitulado, EMBLEMATA CENTVM REGIO POLITICA, a ocho marauedis cada pliego, como conſta de ſu original, deſpachado en el oficio de Miguel Fernandez de Noriega, Eſcriuano de Camara del Rey nueſtro Señor, ſu fecha en Madrid a ocho de Março de 1653. años. Tiene 211. pliegos ſin principios, y tablas, que ſegun la dicha Taſſa, montan 1688 maravedis.

FIDES CORRECTORIS.

Vidi hunc librum, qui EMBLEMATVM REGIO POLITICORVM titulum præfert, & cum ſuo Archetypo contuli, & nihil peculiari nota dignum inveni, quod ei fideliter non reſpondeat, demtis his, quæ ſequuntur mendis, quæ & ipſa minutiora ſunt, quàm ut noſtra indigeant animadverſione.

Pag. 1. lin. 9 libitum, fuerit. lege libitum fuerit. pag. 8. lin. 1. geſtabam. lege geſtabat. pag. 18. lib. 4 eradere, lege evadere. pag. 20. lib. 9. quod ea l hominibus, lege quæ ea ab hominibus pag 23. in margine, gnem, lege gnomis. pag. 32. in verſu, ſive caves lege ſive cares. pag. 41. lin 3. teſtaturr, lege teſtatur. pag 44 lin. 12 ævomere, lege evomere. pag. 45. lin. vlt. dele, ludere, quia eſt repetitum. pag. 63 li. 11. accipiendam eſſe, lege accipiendum eſſe pag. 64. lin. 7. tormnla, lege formula. pag 66. lin. 38. optimus, lege optimum. pag 72 lin. 42. Ioannis, lege Ioannes. pag 8. li. 40. hac in rem, lege hanc in rem. pag. 89. in marg. l. cum ſit ars, lege cap. cum ſit ars pag. 97. lin. vlt Medulla, lege Medella pag. 106 lin. 3. uiilitatem, lege utilitatem. pag. 131. in marg. Iuſtin. in Præf lege Iuſtinianus Imp. ibid. Silv. Ital. in Tuc 6. lege Sil Ital. in Theb. 6. pag. 134 lin. antepenult. Petronius, lege Petronium pag. 149 in marg. l. damus, lege l. cam num. pag. 150. lin. 33. pareret, lege parent. Et pag. 159 lin. 26. diſtillitorum, lege diſtillatorum, pag. 161. lin. 25. neceſſarius lege neceſſarios, ibid. lin. ſeq. ſeu, lege ceu. pag. 163. lin. 31 ſeptem parti, lege ſeptem partiti. pagin. 170. lin. 19. relatatu, lege relatu. ibid. lin. 21 preeantur, lege precantur. Ibid. lin. 33. haud auter, lege haud aliter. ibid. nulli lege nulla. pag. 174. lin. 19. valdi, lege valdè ibid lin. 23. Caſsiodorum, lege Caſsiodorus, pag. 207. lin. 13. temportis, lege temporis. ibid. lin. 56 facte. lege faze pag 210. lin. 30 complectantur, lege complectentem. pagin 224. lin. 31. ſobrium, lege ſobriam. pag. 234. lin. 11. Anacharijs, lege Anacharſis. pag. 247 lin. 32. parvæ, lege parve. pag. 261. lin. 10. Divum, lege Don. ibid. lin. 27 qui, lege quis. pag. 283. in marg. vomitum, lege vomitu. pag. 288. lin 30. coacinit, lege concinit pag. 343. lin. 23. perſ tur, lege perſ citur. ibid. li 32. Adveræ celare ſolet, nudare ſecundæ, lege Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ pag. 344. lin. 21. ſolent, lege ſolet pag. 351. li. 21. poſſent, lege poſſe. pag. 365. lin. 13. mutuare, lege mutare. pag. 367. li. 45. Herodoto, lege Herodoti. pag. 404 in verſ. improbos, lege improbus. pag. 415. li. 26. getulas, lege getulis: ibid. cæpit, lege cepit. pag. 438. lin. 23. diſcuſsione, lege diſcuſsio. pag. 446. lin. 29. par, lege per. pagin. 478. lin. 24 tranſigit, lege tranſegit. pag. 480. li. 42. amicitiæs, lege amicitias pag. 497. li. 11. Miltriadem, lege Miltiadem. pag. 503. in marg. militar. lege multarum. pag. 529 lin. 46. cōpelliunt, lege compellunt. pag. 447. lin. 20. quod iam, lege quod idem, pag. 576. lin. 36. Index, lege Iudex. pag 578. lin. 44. Mardatas, lege Mandatas. pag. 586. in marg. & in text. Vernuleius, lege Venuleius. pag. 647 li 30. quadratas, lege quadrata. pag 710. in marg. iure maritum, lege iure manium. pag. 717. lin. 32. Coſsiodorus, lege Caſsiodorus pag 719. in verſ. Ægenus, lege Egenus pag. 747. lin. 23. pediſequias, lege pediſequas. pag. 761. lin. 21. Moneſtico, lege Monoſtico.

Doctor D. Franciſcus Murcia de la Llana.

D. PHILIPPO IV.

HISPANIARVM ET INDIARVM REGI OPT. MAX.

DOCTOR. D. IOANNES DE SOLORZANO Pereira, ſuæ Maieſtatis, in Supremis Iuſtitiæ, & Indiarum Conſilijs, Senator.

S. P. D.

INTER plura quidem Edicta ſive Mandata, Rex Omnium Maxime, & Potentiſsime, quæ Auguſta Maieſtas Tua, varijs tẽporibus, ſuis Omnium ordinum Senatoribus, ac Magiſtratibus, non minori Pietate, quàm Prudentia direxit, quò eoſdem acrius ad Dei Cultum ſummo ſtudio curandum, & Iuſtitiam ęquo libramine appendendam, attentiores efficeret. Illud caput extulit, quod initio anni M. DC. XLIII. ingruentium bellorum occaſione, & ob iuſtas alias, & graves cauſas, imminenteſque calamitates, quæ prę́ſentiſsimum Divini Numinis auxilium deſiderabant, in Supremo Status Conſilio viva voce propoſuit, & alijs inſcriptis tranſmitti mandavit. Eiſdem ardentem Regij ſui Pectoris zelum in Dei obſequium, & commune totius Hiſpanæ Monarchiæ bonum aperiens, ac tali ac tanto exemplo, vt ipſum ipſi, ſua quiſque pro parte, curarent, his verbis adhortans.

Los aprietos en que Nos hallamos, piden toda mi Perſona, atencion, i cuidado para ſu remedio. I con eſte fin, he ſuplicado a Nueſtro Señor, que me alumbre, i ayude con ſus Au-

xilios, para ſatisfacer a tan grande obligacion, i cumplir enteramente con ſu ſanta voluntad, i ſervicio, pues ſabe, que eſſe es Mi deſeo unico. I juntamente ordeno, i mando expreſſamente à eſſe Conſejo, que lo que es de ſu parte me ayude à llevar eſta carga, como lo eſpero de ſu zelo, i atencion.

§. I. *I le encargo en Primer lugar el cuidado, i vigilancia en evitar ofenſas de Dios, i en que ſe guarde firmemente ſu Santa Ley, ſin que por ningun caſo de la tierra ſe diſpenſe en la mas minima parte. Pues mas quiero perder mis Reinos juntos guardandola, que recobrar quanto ſe ha perdido, ſi ha de ſer con rieſgo de piſar la raya de los Divinos Preceptos.*

§. II. *En ſegundo lugar os ordeno, que pongais grande atencion en la adminiſtracion de la Iuſticia, ſin mirar à reſpeto humano ninguno, ni dexar de executarla por fines particulares. Pues ſi en eſto huvieſſe algun deſcuido, ademas de la quenta tán eſtrecha, que aveis de dar a Dios, os la tomarè Yo tambien, i caſtigare con gran rigor à qualquiera que entendiere que no cumple con lo que debe à Dios, i à ſu Rey.*

§. III. *En tercero lugar os mando con toda preciſsion, que ſiempre me trateis Verdad liſamente, aunque os parezca que ſea en coſa contra mi guſto; que aunque eſtoy cierto, que ſi Dios no me dexa de ſu mano, Yo no le tendrè en nada, que ſea contra lo que os digo, como Hombre puede ſer que falte en algo. I para en eſte caſo es, quando mas he meneſter, que mis Miniſtros me hablen claro, i no me dexen errar. I mirad, q̃ os pedirè eſtrecha quenta à todos, ſi aviendo declarado Yo en eſta forma mi voluntad, Voſotros no cumplis con ella.*

§. IIII. *Tambien os mando, que ſe tenga gran cuidado en el Secreto. Porque ſin èl no ſe puede governar como ſe debe. I creo que ha avido poco cuidado en eſto, i que ſe habla fuera de los Tribunales en los negocios, mas de lo que fuera razon.*

§. V. *Fio de eſſe Conſejo, que atenderà con cuidado a executar lo que inviolablemente le ordeno. I que con el Amor que me tiene, i Zelo de Mi Servicio, obrarà de modo en Mi*

ayu-

ayuda, que Yo, i Voſotros deſcarguemos nueſtras conſciencias, i ſe abra puerta al bien, i quietud de eſta Monarchia. I eſpero en Nueſtro Señor, que ha de uſar de Miſericordia con Noſotros, i que à Mi me ha de dar lugar para acertar a executar mis deſeos, i a Voſotros para aconſejarme lo mejor, i para cumplir enteramente con vueſtras Obligaciones.

Quæ quidem Iuſsio, ſive Exhortatio, ita Mihi Pia, Gravis, & Prudens viſa fuit, Omniumque ferè Documentorum locupleti penu referta, quæ ad rectam, & Chriſtianam cuiuslibet Regni adminiſtrationem conducere poſsint, ut ſtatim calamum ſumſerim, ad eam extollendam, iuſtiſque Encomijs, & Commentarijs ornandam; ſimulque omnibus oſtendendum, quàm ſit certum, vt Cor, ita & Labia Regum in manu Domini eſſe, atque adeò ab illis, ut benè Themiſtius ſcriptum reliquit, quamvis Platonis dogma minimè ore pronũtient, neque Ariſtotelis ſcripta pervolvant, nihilominus, quæ illi, atque alij Philoſophi, poſt magnum ſtudium ſenſerunt, vel litteris tradiderunt, re ipſa atque factis enuntiari, & comprobari, quin, & ſæpe ſæpius exuperari. Veram ſimul reddentes Priſcorum Philoſophorum ſentẽtiam (quæ nulli iuſtius meliuſve quam Tibi, aptari, Rex Maximè, poteſt.) Certis nimirum tẽporum Vicibus, Heroicas, ac Diuinas quaſdam Animas, ad Regnorum Prouinciarumque ſalutem, è cœlo in terras labi. Nec rem nouam in hoc laborè ſumendo facere mihi videbar, cum apud priſcos Iuriſconſultos in more poſitum comperiamus, eiuſmodi Orationes Imperatorum, qui ſuo tempore florebant, congruis commentationibus illuſtrare. Themiſt. orat. 9. Briſſon. lib. 1. ſel. antiq. cap. 16. Contius, pag. 567. Kalin. & alij verb. Oratio.

Quæ etiam ipſæ, vbi hoc honore dignæ videbantur, æreis, imo, & aureis interdum laminis, inſculpi ſolebant, & in Curia figi, & ſingulis annis in Senatu publicè recitari. Iure quidem ac meritò, nam, vt cum Caſ- Lipſ. in not ad Tacit. 13. ann. pagin. 213.

Caſsiod.lib.8. Ep. 13.& lib.6.Epi.5.

ſiodoro loquar: *Omnia bona cumulat lingua diſerta. Famaque temporum de legitima, atque eloquenti iuſsione generatur, ut penè feriata ſit diſtrictio, ubi prævalet Eloquentiæ fortitudo.* Dexterè quippè Imperia poſita, quaſi præmia ſuſcipiuntur, & vetus fuit Populi Romani vox ad Imperatorem Alexandrum Severum: *Omnes rectè faciunt omnia, quia tu rectè imperas.* Quod tunc maximè locum habet, cum ab ipſo iubente, prout in Te accidit, diſciplina incohatur, qui ſemper optimus, & efficaciſſimus modus iubendi, & ſuadendi habitus fuit, ut plenius alio loco probabo. Cæterum, cum per ipſum tempus, quo Ego hanc ſcriptionem parabā, in manus meas perveniſſet elegans, & verè ad aſciam dedolatus Liber Documentorum, ſeu Idearum Politicarum, quem ſub diverſis Symbolis Don Didacus Saavedra Fajardus in lucem emiſit, illumque meritò ab omnibus probari, & laudari conſpicerem, conſultius mihi, Tuæque Maieſtati, & reliquis Lectoribus gratius, futurum exiſtimavi, quæ ad illam congeſſeram in Emblemata quædam digerere, quæ Regij Tui Decreti monita, & alia ad inſtituendum Bonum Principem neceſſaria, diſtinctis ſimilitudinibus, exemplis, & figuris oſtenderent, congruiſque Epigrammatis, & copioſis Commentarijs illuſtrata, quid facere is, qui talis eſſe deſiderat? quid contrà fugere debeat, non ſolùm per aures demitterent, ſed quodammodo etiam ob oculos ponerent, atque adeò potentius, & efficacius in eiuſdem Animum penetrarent, ut in commune bonum ſe illis inſtruere, iuvareque poſſet. Quem eſſe Emblematum finem, omnes qui de eorum regulis ſcripſerunt, uno ore teſtantur, & exemplo ſuo Auguſtus Cęſar edocuit, qui, Suetonio referente, in evolvēdis vtriuſque linguæ Authoribus, nihil æquè ſectabatur, quàm præcepta, & exempla, publicè, vel privatim ſalubria, eaque ad verbū excerpta, aut ad domeſticos, aut ad exercituum Provinciarumque

Xiphil. in Alexan. Sever.

Ego infr. Emb. 29.

Sueto. in Auguſt. cap. 89.

Re-

Rectores,aut ad urbis Magiſtratus plerumq; mittebat. Hoc porrò opus,nulli alij, quã Excelſæ Maieſtati Tuæ dicari potuit,vel debuit,non tam quòd his Documẽtis Indigeat,qui illorum Magiſter eſſe conſpicitur,& Me, ad ea proferenda,ſuis dictis,& factis inſtruxit,quàm,vt eò vnde exierunt,remearent,& fluminum inſtar, quas ab Oceano capiunt aquas,Oceano redderent. Maximè cum ab eo Homine proficiſcãtur,qui ſe tot titulis Tibi obæratum agnoſcit,& nihil vel ſtudio, vel fortuna acquirere poſsit,quod humilis ſervus Tali, ac Tanto Domino iure non quærat, & re ipſa, & animo, alia longè maiora offerre non optet. Accedit his,quòd cum hic liber de Regibus,& cum Regibus agat, & quibus virtutibus ornari debeant, commonefaciat; nullum aptius Emblema ad eas oſtendendas,&ſuadendas eiſdem proponere potui; quàm Auguſtæ Maieſtatis Tuæ Sereniſſimum vultum,quem in eiuſdẽ libri fronte hac de cauſa locare curavi,cum in Te vno,omnes quas in alijs optamus,veluti in proprio domicilio conquieſcant, iunctiſque manibus,Gratiarum inſtar, in commune totius Orbis bonum ſemper incedant. A quibus ſigillatim referendis,& efferendis,abſtineo,cũ ita per totum ipſum ſplendeant, & ſupervacuis impendijs laborare videar, ſi ſolem certẽ facibus illuſtrare,vel intra Epiſtolæ Cancellos arctare,quod latiſsimum dicendi Campum expoſcit,& Me in id vel ſponte currentẽ,cui,extantis dotibus,&virtutibus,primas meę orationis partes adſcribam, ancipitem reddat,non aliter, atque

------------Rubræ dubitat rimatur arenæ,
Quàm prius è varijs gemmam legat: Ardet Hyaſpis,
Lucet Onyx, viridi radiat fulgore ſmaragdus,
In partes dubium varias,& ſingula circum
Illum agit hærentem; ſpectandi immenſa voluptas.

Nullum etiam pariter Tutelare Numen potentius, vel præſentius eidem libro,quàm eandem imaginem com

pa-

parare, quæ, vt ipſa præſefert, totum ferè terreſtrē globum ſibi ſupponit, & ita longè latèque dominatur, ut omnes, huc uſque cognitas Monarchias, multis partibus ſuperet, verum certumque reddēs, quod hyperbolicè de Romana cecinit Horatius dum dixit,

Horat. 4. Carm. Od. 15.

Per quas Latinum nomen, & Italæ
Crevere vires: famaque, & Imperi
Porrecta Maieſtas, ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili.

Claud. in 4. Conſ.

Claudianus,

Subdidit Oceanum Sceptris, & Margine Cœli
Clauſit opes.

Rutil. in Itiner.

Et Rutilius Numatianus,

Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia Phœbus;
Eque tuis ortus, in tua condit equos.

Hugo Grothius. in Poem. lib. 2. Syivar.

Et nuperus quidam Scriptor, qui longum, & elegans carmen, quò hoc ipſum oſtendit, ſic clauſit.

Heſperijs Nemo Regnorum finibus exit, longius, &c.

Ego 1. tom de Indiar. iur. lib. 1. cap. 16. ex num. 42. ad 94.

Cæterum, quoniā de hoc argumēto alibi pluribus egi, cohibere quoq; nunc in eodē calamum expedit, præſertim cum quò Celſiorem, & Auguſtiorē Maieſtatis Tuæ gloriā, & potentiā oſtenderim, eò maiorē audaciæ notā incurrere poſsim, qui Tantum Regē adeò tenui, & levidēſi (quod aiunt) munere, audeā interpellare. Sed quē Tua terret Maieſtas, eximia, & omnibus nota Clementia, & Benignitas excitat, quæ ſola Te ipſum ex Magno Maiorem reddere potuit. Et quòd in eiuſmodi oblationibus, offerentis potius Animus, quàm oblatæ rei pretium attendi debet. Vnde cum Lucano concludam.

Lucan. in Corm. ad Piſon.

Quòd, ſi digna Tua minùs eſt mea pagina laude,
At voluiſſe ſat eſt: Animum non carmina iacto.

Et Deum Opt. Max. enixis, & ſupplicibus votis precari non deſinam, ut Maieſtatem Tuam, in commune Chriſtiani Orbis bonum, per plures annos in columem ſervet, & felicibus Auſpicijs, tàm bello, quàm Pace, ſecundet, & optata Virili Prole fæcundet.

LE-

LECTORI.

NEſcio an Te, Lector, vt ſolent alij, Candidum vocem, cum iam, vel de ſuo tempore, dicat Ovidius, Ovid.2.de Ponto, Eleg.1.

Candor in hoc æuo, res intermortua penè.

Et in Noſtro, ſic ſe hodie mores hominum habeant, ut non ſolùm omnes ſapere, omnes cenſere velint; ſed, quod magis dolendum eſt, vix aliquis librum aliquem, laboris ſui fructum, & teſtem, in lucem mittere paret, quin iam alij, ad illum carpendum, & mordendum, Ariſtarchi obeliſcos intendant, & Theonis dentes exacuant. Sed qualiſcunq; ſis, ſi Scriptionis huius cauſam noſcere cupis, eam ex Epiſtola ad Potentiſsimum Regem Noſtrum Dedicatoria diſcere poteris: Si laborem, & utilitatem, hoc etiam Tibi ipſius libri lectio moſtrabit, quem fortè magis fructu, quàm fronte aut fronde beatum reperies. Cum ultra Emblematum inventionem, Metricamque eorum expoſitionem, quam Tibi æſtimandam, & cum alijs huius generis conferendam, relinquo, peculiaribus Commentarijs ſingula illuſtrare curaverim, in quibus quicquid ad vnius cuiuſque thema, vel lemma ornandum, & comprobandum in Sacris litteris Sanctum, in Sanctis Patribus pium, in Philoſophis ſerium, in Iureconſultis maturum, apud Oratores grave, in Annalibus fidele, in Panegyriſtis plauſibile, in Poëtis lepidum, in Symbolicis, & Emblematarijs figuratum inveni, eo ſtudio congeſsi, vt argumenti veritatem, & utilitatem Eloquentia commendet, & ipſa dicendi facundia ſimul ab ipſo argumento commendationem recipiat. Eloquentia, inquam, non vana, nec aſſectata, vel ab ipſa ſermonis obſcuritate petita, ſive, ut proprius dixerim, Mimica, qualem hodie (heu dolor) multi ſectantur;

ſed

ſed qualem materiæ gravitas, & dignitas exigit, quæ non tàm diſerta, quàm fortia deſiderat; cum ad profectum, & bonam mentem in omnibus tendat, nec plauſum quærat, vel reconditos verborum fœtores, vt alibi Suetonius ſcripſit, aut inania ſæculorum ornamenta, ſed ſalubria rerum emolumenta, & remedia magis quàm lenocinia, quæ ſcilicèt, vt in ſimili inquit Salvianus: *Non tam otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint.* Quam etiam Doctrinam Tullius, licèt Eloquentiæ parens, Philoſophis tradit, inquiens, ſe in eis, ſi eloquentiam adferant, non aſpernaturum; ſi careant, non admodùm efflagitaturum, & imprudentiam magnam, aut ſtultitiam ſingularem eſſe, in ſolo verborum amore verſari, rem verò, & cauſam, & communem utilitatem relinquere. Et Seneca, qui non contentus vno in loco docuiſſe, melius eſſe res ipſas intueri, & harum cauſa loqui, ceterùm rebus verba permittere, ut quà duxerint, hàc inelaborata ſequatur oratio. In alio, ad Lucilium ſcribens, generalius effatur, nō oportere viros magnos, anxios eſſe, circa verba, & eorum compoſitionem, neque eſſe argumentum virile concinnitatem, in qua aliqui iuvenes, barba, & coma nitidi, & de capſula toti, totum opus ponere ſolent. Quod tamen ita accipiendum exiſtimo, ut ſimul ab altero aliorum errore caveamus, qui putāt, ex eiuſmodi ſententijs licentiam dari, inquinatè, barbarè, incultè, horridève loquendi, Modus enim in rebus omnibus eſt ſervandus, ne in illud Horatij impingamus,

Sueton. in præfat.
Salvian. de gub. Dei, in præf.
Tull. in orat. pro Cecin. &
Sen. de tranq. vitæ lib. 1. cap. 1.
Idem ad Lucill. Epiſt. 115.
Horat. lib. 1. Saty. 2.

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

Et hoc eſt, quod Ego obſervare, & vitare curavi, modicè, & quod in rem præſentem ſufficiat, orationi deſerviens, & cætera, quæ pompam magis habeāt, quàm fructum, ex profeſſo relinquens. Quod ſi fortè Zoilus aliquis adhuc oblatret, Me rem ab alijs multis actam, nunc agere, eandemque alienis potius, quàm meis ſen-

tentijs,& documẽtis ornare, ſileat precor, & ſciat, tàm vetus, quàm certum illud Comici eſſe, *Nil dictum, quod non dictum prius*, ſed adhuc, vt benè Baldus, poſt Senecam, inquit, ſcientiam non eſſe occupatam; nec inventa inventuris obſtare, vel illos inglorios manere, qui ab alijs ſemiperfecta, ad finem perducunt, vel ex alienis velleribus ſuam telam contexunt, veſtemve, ut polimitarij ſolent, ſericis, aureiſve phrygionibus ornant. Sic enim Græcos Philoſophos Poëtaſque feciſſe, latè Clemens Alexandrinus oſtendit. Et Divus Hieronymus, poſtquàm eodem modo Divum Cyprianum, Lactantium, & Hilarium excuſat, qui poſt Tertullianum auſi ſunt, fermè per eandem lineam, ſerram reciprocare, ſive eandem incudem tundere, ita, valdè noſtræ intentioni coherenter, ſubiungit, *Stamina, & fila nonnunquam ponunt priores, ut poſteriores veſtẽ inde conficiant*. D. etiam Auguſtinus, idem ipſum edocẽs: *Vtile eſſe*, inquit, *plures libros à pluribus, diverſo ſtilo, etiam de eiſdem quæſtionibus fieri, vt ad plurimos res ipſa perveniat; ad alios quidem ſic, ad alios verò ſic.* Et planè; licèt quæ alienis ſententijs, & auctoritatibus adſtruo, Ego eiſdem nec viſis, nec lectis, congruenter fortè; pro meo tenui captu, dicere poſſem, ſententiæ tamẽ Senecæ hærens, quidquid ab alijs benè dictum eſt, meum facere potui; & quas Regibus, ac Principibus doctrinas ſuadere cupio; maius apud ipſos pondus habituras putare debui, ſi his veluti robuſtioribus pedamentis aut tibicinibus fulcirentur, Macrobij conſilium ſequens, qui ſimilem obiectionem, quàm ſibi fieri poſſe prævidit, quòd aliorum auctoritates ſuis libris insereret, his verbis excuſat: *At cum à veteribus dicta referimus, ipſorum Authorum dignitate defendimur.* Seneca etiam, licèt in quadam Epiſtola notare videatur eos, qui ſub alijs moventur, & hoc Zeno dixit, hoc Cleantes, ingeminant, nihil de ſuo proferentes, dignum quod memoriæ mandetur, in ea-

Terent. in prolog. Eunuch. Eraſm. in hoc Adag. pagin. 537.
Senec. Epiſtol. 79.
Bald. in proœm. Decretal.
Clemens Alex. lib. 6. Strom. cap. 1.
D. Hier. in præfat. Epiſt. ad Hebr.
D. Auguſt. in q. de Trin. cap. 3.
Sen. Epiſt. 16.
Macrob. 2. ſaturn. cap. 1.
Senec. Epiſt. 33.
Idem ibid. & Ep. 45. & 80. & 84.

dem tamen,& in alijs, ita priores ſequi,& allegare permittit,ut non Dominos,ſed Duces noſtros eſſe arbitremur,& Apum imitatione,quidquid lectione collectum eſt,ſtilus redigat in corpus, ut etiamſi apparuerit unde ſumtum ſit,aliud tamen eſſe, quàm unde ſumtum eſt appareat. In eandemq; Doctrinam, & Apum ſimilitudinē,plures alíj conſentiunt,quos alibi adduxi,& nunc quia trivialis eſt,miſſos facere volo. Solinum addidiſſe contentus,qui ſuum ſe Polyhiſtorem ex Antiquiorum libris conſarcinaſſe,his verbis excuſat: *Quid enim proprium noſtrum eſſe poſsit,cum nihil omiſerit Antiquitatis diligentia, quod intactum ad hoc, vſque æui permaneret.* Et aptiùs adhuc Iuſtū Lipſiū, qui ita de Cētonibus hinc atque illinc accerſitis,ex quibus ſuam conſtruxit Politicam,loquitur: *Quid vtilius potui,quàm tot ſententias in unum conducere,pulchras,acres,& ita me ſalus amet, ad ſalutem natas generis humani? Nam quod Ego eadem dicarem; Eo quandò mihi eadem vis,aut fides: Vt in uno aliquo telo,aut gladio,multum intereſt à qua manu veniat: ſic in ſententia,ut penetret,valdè facit robuſta alicuius,& receptæ auctoritatis pondus,at qui ea veteribus adeſt, &c.* Quod urgentius, & præſtantius, adhuc, in ſententijs carminibus comprehenſis cōtingit,quibus, ſecundùm Senecam: *Magis animi feriuntur.* Idque in cauſa fuit,ut Ego eis plurimum hoc inopere indulſerim. Licere ergo Mihi debuit, uſurpaſſe communia, non aliena occupaſſe,& novè ſæpè dixiſſe non nova, eademque venuſtaſſe,& fideliter coaptaſſe, præſertim cum nullum Authorem ſua laude fraudaverim, ſemper eos,per quos profecerim, faſſus, & Symachi expromiſsione, ſive pollicitatione contentus, dum docuit, quodam pacto ſocietatem laudis affectare eum, qui aliena benedicta congruenter enuntiat. Quare,& Luna, quamvis mutuato à Sole ſplendore præfulgeat, quia tamen illo aptè,& debitè utitur,æquè Magni Luminaris appellatio-

Ego in tractat. de parricid. lib. 1. c. 13. & d. 1. tom. lib. 2. cap. 1. ex nu. 2. ad 18. Noviſ. Pat. Gabr de Henao, in ſua doctiſſ. Empireologia, præloq. 8. ex num. 24.

Solin. in Epiſt. ad Autium.

Lipſ. in præfat. ad ſuam Politicam.

Senec. Epiſt. 108.

Symmach. in Epiſtolis.

ne,

ne,ac Sol ipſe in Sacra Pagina indigitatur. Quod autem mea hæc Emblemata, meis ipſe commentationibus illuſtraverim, vitio quoque verti non poterit, nam idem omnes illorum Scriptores, tàm Noſtrates, quàm Alienigenas, uno Alciato excepto, feciſſe comperies, ut quæ carmine, vel lemmate breviter inſinuarunt, latiùs aperirent, eorumque mentem, & originem, ſuique animi ſenſa, diſtinctius exponerent. Quod nemo meliùs, quàm ipſe Auctor præſtare poteſt, ut in ſuis Paradoxis Cicero fecit, brevem, & occultum uniuſcuiuſque titulum, longa interpretatione patefaciens, & Ioannes Picus Mirandulæ Princeps, alia exẽpla recenſens, & eandem rationem adducens, cur ſuos ipſe Sacros, & Heroicos Hymnos, omni quidẽ laude dignos, proprijs gloſſematis explanaverit. At, ſi rurſus obijcias, nec mea ætate, conditione, vel profeſsione hoc opus dignum videri, a quo fortè maiora tibi pollicebaris, & in quo ſera hæc, & minùs ſeria induſtria, turpis ambitio videri poteſt, vt alibi in ſimili Plinius Iunior ſcripſit; Animadvertas precor; Me ſucciſsivis horis iſta curaſſe, & in graviorum ſtudiorum veluti levamentum, quorum ſatietatẽ, aliorum interpoſitio depellere ſolet. Et vel hac excuſatione ceſſante, hoc ipſum, quod minùs ſerium prima tibi fronte videtur, penitiùs inſpectũ (quod præſiſcinè dixerim) Alcibiadis Silenum exhibiturum, cum plura introrſum, quàm putas, myſteria, & documenta contineat, quæ ad Dei Cultum, ad Principum Inſtitutionem, & cuiuslibet benè moratæ Reipublicæ gubernationem conducant, omniumque fere diſciplinarum concentum, quem Græci *Encyclopædiam*, Quintilianus, & alij *Orbem Doctrinæ* vocare ſolẽt. Ita ut ſi velis ſingula Emblemata, locis Sacræ Scripturæ, Iuriſconſultorum reſponſis, Philoſophorum platicis, Politicorumvè Aphoriſmis aptare, id facili negotio conſequi poſsis, & pariter, ut cum Sidonio loquar, ad alia nomina Camæ-

Plinius Iun. lib. 3. Epiſt. 1.

Quintil. lib. 1. inſt. orat.

Sidon lib. 5. Epiſt. 2. ad Mamer.

narum, quæ propriã de ſe tibi pariunt nuncupationẽ. Bona ergo mente, quæ bono animo dicta ſunt cape; quæ Tibi placuerint, cum minùs placitis pẽſa, quæ vulgaria cenſueris; aditum ad ſelectiora; & reconditiora parare conſidera, & iuxta Divi Leonis Papæ ſententiam, meliùs eſſe doctos onerare iam notis, quàm rudes fraudare diſcendis. Et denique, ſi in aliquo fortè erraſſe, vel minùs rectè ſenſiſſe compereris, fas eſſe longo in opere ſomnum obrepere, & ubi plura nitent in eo, non debere Lectorem paucis offendi maculis;

D. Leon. ſerm. 5. de Nativ. Domin.

Horat. in Art. Poet.

-------Quas aut in curia fecit,
Aut humana parum cavit natura.

Quod ſi adhuc livori tuo, magis quàm labori meo deferens, in mordendo, in carpendo perſiſtas, hoc mihi nunc magis placebit, quod Tibi non placeam, modò Doctis, & probis non omninò diſpliceam, à Symmacho doctus, fructum laboris eſſe, placere melioribus; & à Menandro,

Symmach. lib. 9. Epiſt. 39.

Vbi agere honeſti inſiſtis, aut quicquam boni,
Propone ſpem menti bonam: certus Deum
Conatibus iuſtis tuis fore adiuvam.

Mens quippè boni ſtudij, & pij voti, ut Salvianus dixit, etiamſi effectum non invenerit cæpti operis, habet tamen pretium voluntatis. Vale.

Salvian. in Præf. ad lib. de Gub. Dei.

DE DON GREGORIO DE TAPIA I SALCEDO,
Caballero, i Fiſcal del Orden de ſeñor Sant-Iago,
à la Obra, i Retrato del Autor.

SONETO.

NO En lienzo de colores elocuente,
Ni en lamina de lineas animada,
Puede eſtar dignamente colocada,
De tu efigie lo iluſtre, i lo eminente.

Sol eres (Gran Solorzano) luciente,
I aſi en la ſuperficie mas dorada,
Rayos del Sol la moſtraràn copiada,
A Oriente aora, ſi antes à Ocidente.

Bartulo nuevo, Baldo mejorado,
Diſte à otro Polo luz con gran decencia,
En que fuiſte Maeſtro celebrado;

I aora del Egipto en la elocuencia
Sinbolica erudito, as oſtentado,
Que eres Sinbolo i Tinbre de la Ciencia.

Doctoris D. Franciſci de Solorzano Pereira & Paniagua, Auctoris filij, & in Alma Seguntina Eccleſia Canonici, & Scholaſtici. Ad Patrem Chariſsimum.

QVERVLVM EPIGRAMMA.

ESſe licèt ſoleat votum commune Parentum,
Annare in Natis Nomen, & Ora ſua.
At Tu, Chare Parens, quamvis Tibi plurima Proles:
Æternus Libris vis magis eſſe Tuis.
Dumque cupis famam doctis protendere Chartis,
In Natis tantùm linquitur invidia,
Aut lachrymę, quales fudit cum parvulus olim
Vidit Alexander clara Trophæa Patris.

AD EVNDEM AMPLISSIMVM VIRVM, quòd etiam nunc ſenex, chartis impalleſcat.

DISTICHVM CHRONOLOGICVM.

SICCIne nVLLA qVIes? Carpent nVLLa otIa MVſæ?
VItæ fILa tVæ teXVIt an ne Labor?

Anno M.DC.LII.

LICENC. D. DIDACI BOLERO ET CAXAL, in Regijs huius Curiæ Tribunalibus cauſarum Patroni, & ſimul in Supremo Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Conſilio, pauperum, & Carceratorum Aduocati.

IN LAVDEM OPERIS, ET AVTHORIS, ſibi multis titulis venerandi.

EPIGRAMMA.

AVthor in exhauſtas magno cum Numine Divum,
Alterius poſtquam protulit Orbis opes.
Dum præclara parat patrio gloſſemata Iuri,
Doctus vtroque foro, magnus vtroque Polo.
Alciato ſimilis, non vlli laude ſecundus,
Hoc Suadæ, & Phœbi nectare ſparſit opus.
Principis exemplar reddunt Emblemata veri,
Quo poſsint mores, Regnaque iure Regi.
Imperio maius, legi eſt ſubmitere culmen,
Ergo operi meritò cedere Sceptra queunt.
Si tulit is punctum qui miſcuit vtile dulci,
Hic liber eſt, Vltra Plus nihil eſſe poteſt.

Ad

Ad eiuſdem operis, & Auctoris laudem, Reuerendi Admodum Patris, Sanctæ Theologiæ Magiſtri, Fr. Nicephori Sebaſti Meliſſeni, Ord. Erem. Sancti Patris Auguſtini.

EPIGRAMMA.

DVM Solorzane tradis Centum Emblemata Regum,
Atque hos regnandi munera certa doces:
Par Tibi munus erit, paria hi Tibi dona rependent,
Per Te illi vivant, Tu per eos vigeas:
Et Te, Lucifero exorto, iam Regibus ultrà
Heſperus Heſperijs non metuendus erit.

D. IOANNIS DE HENAO, IN LAVDEM D. D. Ioannis de Solorzano Pereira.

EPIGRAMMA.

PRincipis advigilas doctrinæ, & moribus Argus,
Qualiter, & Cuſtos Iſidis ille vigil.
Centena ceu luce, micas Emblemate Centum,
Queis vigor illius Luminis impar erat.
Sidera Ariſtoridæ proles Cyllenia clauſit,
At tua nec tempus clauſa videbit iners.
Tu te ipſum ſuper aſtra levas, & vt Aſtrifer Argus
Indefectibili lumine Stella nites.

Aliud eiuſdem in eundem.

NVllus ab Occiduis redijt te opulentior Indis,
Et nec congeſsit largius ullus opes:
Aureus Hiſpani relegis tua littora mundi,
Sed non vel Creſi, divitijſve Midæ.
Scilicèt, & Phrygij, & Lydi dona aurea Regum
Pectora Magnanimi non tetigere viri.
Aureus aſt noſtras relegit Chryſoſtomus oras,
Cui mirat auriloquis aurea lingua modis;
Hiſce autem Regum ſic ſacra Palatia ditas,
Vt tibi iure Orbis plauſerit illud ovans;
Per te Saturni redeunt, Solorzane, regna,
Noſtraque Politicis aurea ſecla facis.

D. IOANNIS DE SOLORZANO ARANDA, Equitis Iacabæi, in laudem D. D. Ioannis de Solorzano Pereira avvunculi ſui.

QVI Indiacas olim ditavit legibus oras,
Dixit,& auriferis aurea iura plagis;
Non minùs,ac Indum, noſtrum fortunet ut Orbem,
Dogmata dat genio gemmea digna ſuo:
Ardua Politicus ſubit ecce Palatia Regum,
Atque animos loquitur,quos ſacra Sceptra decent.
Moribus his gaudet Regalis purpura tingi,
Maior,& hinc oſtro ſurgit honoris apex.
Ædipodionidæ Centeno Emblemmate ſignat;
Queis magno Alciato ſe tulit uſque parem.
Immortale tibi,Solorzane,præcino nomen;
Dum Regum ſteterint Sceptra, ſuperſtes eris.
Æternis animis hominum tua ſcripta perennant
Sculpta,velut firmis ære, adamante, cedro.

D. Ioannes de Solorzano Paniagua, Calatravenſis Eques, in Collegio maiori Salmantino, quod Archiepiſcopi vocant, purpuratus, optimi Parentis optimo operi.

NVnc mihi Caſtalio latices è fronte propina
Phæbe:iubet Patrius condere carmen amor.
Condere cogit amor;ſed non fidente paratu,
Te,Pater,ut celebret,noſtra Thalia venit.
Te frontis commendat honos, te gratia linguæ,
Atque capax gemini Mens generoſa Poli.
Tu Muſis,primis etiam dilectus ab annis,
Noſti quas Elicon condat avarus opes.
Abdita mòx legum pandis arcana,diſerto
Mòx calamo exornas iura verenda fori.
Inde ſuas dives tibi credidit India leges,
Credidit & leges tellus Ibera ſuas.
Nec tibi civiles ſatis eſt componere mores,
Vnus quem nequijt continuiſſe Polus.
Inſtituis Reges,populis qui iura dediſti,
Ingenio maior Regibus inde tuo.
Nam tibi,cui deſunt Sceptra, immortale parabit
Nomen,quo Reges inſtruis,iſtud opus.
Parcet livor edax illi,& per ſæcula vives
Minos Iudicibus, Seneca Principibus.

INDEX

INDEX, ET SVMMARIVM

EMBLEMATVM, ET LEMMATVM
Regio Politicorum, quæ in eis continentur, & illuſtrantur.

EMBLEMA *Primum. Ex Dei mundum incubantis figura, cum Lemmate* Totum condens Totum complens *quo, ex Dei incondendo Mundo Potentia, & divina in omnibus inter eſſentia, ipſum ſolum, ſummum eiuſdem Mundi Imperium tenere, probatur. Pag. 1.*

EMB. II. Ex hiſtoria Sybillæ Tiburtinæ, Auguſtum Cæſarem admonentis, Chriſtum recens natum, ſolum & verum Mundi Dominum eſſe, & vocari poſſe, cum lemmate Deus ſolus Dominus, *& copioſa relatione, & damnatione eorum, qui hoc nomen, & alios divinos Titulos affectarunt. Pag. 6.*

EMB. III. Ex hiſtoria Salmonei, Iovis ſibi fulmina vindicantis, cum lemmate Superborum Principum Typus, *& varijs locis, & exemplis divinæ punitionis, in eos, qui Dei potentiam ſuperare, vel æmulari auſi ſunt. Pag. 16.*

EMB. IV. Ex loco Plauti, Deum homines quaſi pilas habere, dicentis, cum lemmate Reges Deus habet quaſi pilas, *& longa eius explicatione, aliorumque, quibus homo Ludibrium Dei appellatur, & varijs exemplis, quibus idem oſtenditur, inter quæ noviſsimum de Rege Angliæ Carolo Stuarto, à ſuis capite plexo. Pag. 22.*

EMB. V. Ex vitrea, & alata Fortunæ pictura, cum lemmate Fortuna vitrea eſt, *& utili, & copioſa Regum admonitione, quàm parum ei fidere debeant, & ne, illius aura proſperè flante, ſuperbiant, ſed Deo, qui verus Fortunæ eſt arbitor, ſe totos, ſuaque omnia tàm bello, quàm pacem committant. Pag. 32.*

EMB. VI. Ex Hiſtoria victi, vinctique Regis, Seſoſtris currum trahentis, cum lemmate Adverſorum levamen, *& lata eiuſdem Hiſtoriæ, & aliorum ſimilium relatione, & variorum locorum expenſione, quibus Reges moventur, in adverſa Fortuna, ex ipſius verſatilis rotæ variatione, bono animo eſſe, & ſpem melioris habere. Pag. 45.*

EMB. VII. Ex paxilli non benè parieti hærentis, apud D. Cyprianum ſimilitudine, cum lemmate Habitur, quod Deo benè non hæret; *& luculenta eius illuſtratione, & Re-*

gum

gum admonitione, quòd tunc fortunam conſtantem, & manentem ſperare poſsint, cum Deo & virtutibus benè adhæſerint, Pag. 51.

EMB. VIII. *Ex Iovis pictura, cum titulo* Optimus Maximus, *quo ab Ethnicis donari ſolebat, & lemmate* Optimus, vt Maximus, *à Cicerone, Seneca, Plinio, & alijs mutuato, qui hinc vanos, & ſuperbos aliquorum Regum, & Imperatorum Titulos carpũt, & prius Optimos ſe ſuis geſtis, & virtutibus oſtendere debere docent, quam Maximi, aut Magni, appellationem admittere. Pluribus locis, & exemplis in huius Doctrinæ comprobationem adductis.* Pag. 63.

EMB. IX. *Ex hiſtoria Rudolphi Imp. piè, & religiosè Sacram Euchariſtiam comitantis, cum lemmate* Religionis Præmium, *& Regum ad hoc exemplum ſequendum, & Religionis curam habendam, exhortatione, & quantum in hoc Hiſpani, & Auſtriaci ſemper excelluerint oſtenſione.* Pag. 70.

EMB. X. *Ex alia hiſtoria eiuſdem Rudolphi, Crucem pro Sceptro in ſua inauguratione ſumentis, cum lemmate* Sceptrum Præſtabile. *Quod luculenter Ornatur, & in vera Crucis, & Chriſti Imitatione, & Pietatis, ac veræ Religionis ſtricta obſervatione, verum, & ſecurum Regum, & Regnorum Sceptrum Fulcrumque conſiſtere, pluribus demonſtratur. Multis etiam, in Crucis laudem, & glo riam, adductis, & expenſis.* Pagin. 78.

EMB. XI. *Ex Mercurij caduceati, homines tanquàm oves paſcentis, & regentis figura, cum lemmate* Hominũ Regimen Deos poſcit, *& lata huius ſententiæ illuſtratione; & quòd Ars Regnandi, eſt Ars Artium, & Divinum hominem poſcit, & qualiter Reges ſuorum Populorum Paſtores, Patres, & Medici eſſe debeant, vocarique ſoleant.* Pag. 88.

EMB. XII. *Ex lucernæ ardentis ſimilitudine, à Sacris, & Prophanis litteris ſumta, cum lemmate* Symbolum Regum, *quo eorum officium ſignificatur, & qualiter ſuis lucere debeant, & pro illis tuendis, & illuminandis ardere, & vitam impendere. Pluribus ad hoc probandum, & ornandum adductis, & cur olim ante Imperatores lucernam præferre, moris fuiſſet?* Pag. 95.

EMB. XIII. *Ex humani Capitis repreſentatione, ad cuius ſimilitudinem ſe habere in omnibus Principes debent, cum lemmate* Officium Regis, officium Capitis, *& copioſa, & laborioſa eius comprobatione, & illuſtratione.* Pag. 101.

EMB. XIV. *Ex Apophthegmate Henrici IV. Galliarum Regis, Regum vitam officio Textoris aſsimilantis, cum lemmate* Regum vita, quaſi Texentis. *Et curarum utriuſque peculiari expenſione, & comparatione, pluribus graviſsi-*

mo-

*morum Authorum teſtimonijs locupletata.Pag.*110.

EMB. XV. Ex Pictura aculeatæ Regum Coronæ, cum lemmate, Munus Inverſa docebit. *Quo ſignificatur, quantis curis, & anxietatibus, Regum capita, & pectora ſub ſint, ut pluribus locis, & exemplis oſtenditur. Aliquibus etiam de Coronarum origine, & differentijs breviter peroratis.Pag.*114.

EMB. XVI. Ex Luciani, & aliorum ſimilitudine, qui Coloſſos exterius auratos, & mira arte fabrefactos, interius autem ſpinis, clavis, & ſpartis plenos, Principibus comparant.Cum lemmate Splendor Regum Mendax, *& multorum teſtimoniorum, & exemplorum relatione, quibus anxiæ, & aſsiduæ curæ, quæ Regum ſemper præcordijs hærent, manifeſtantur.Pag.*120.

EMB. XVII. Ex Regum Perſarum more, qui Cubicularium præfecerant, ut eos ſummo mane ad vigilandum, & negocia Regni curanda excitaret. Cum lemmate Regum Vigilia, *& alijs multis quæ ad hanc indeſinentem Regum curam, & in rebus omnibus vigilantiam, ſuadendam conducunt. Pag.* 128.

EMB.XVIII. Ex ſimili Plutarchi, & aliorum, qui Reges ſegnes, & deſides, Tragædiarum Regibus comparant.Cum lemmate, In Reges deſides, *& lata huius vitij execratione.Pag.*135.

EMB.XIX. Ex Moſſænicorum more, Reges, quos eligebant, compedibus detinentium, maléque mulctantium, ſi munus ſuum minùs rectè peragerent. Cum lemmate Diſcite Iuſtitiam Moniti, *& ſimilium exemplorum relatione, & illius quæſtionis reſolutione, An, & quandò Reges ob ignaviam, vel Tyrannidem, deponi poſsint? Et aliqua de excelentijs, & laudibus vitæ privatæ.Pag.* 140.

EMB.XX. Ex ſimili damnoſarum locuſtarum, quia Regem non habent. Et ex contrario, de utilitate, & bona gubernatione. Apum, quia illum habent, & maximè colunt. Cũ lemmate Ex-lex Grex, vbi non eſt Rex. *Et lata diſſertatione, de preciſſa Rectoris in qualibet benè conſtituta Rep. neceſsitate. Pag* 147.

EMB.XXI.Ex Pictura Apollinis, ſecundùm Callimachum Panaceam deſuper ex crinibus in homines cõpluentis. Cum lemmate Sapientia Principis, ſalus Populis. *Et accurata eiuſdem illuſtratione, & Boni Principis deſcriptione, & quod Reges Boni, veluti Medici ſuorum exiſtunt. Pag.* 153.

EMB.XXII.Ex Nuceæ Arboris ſimilitudine, quæ omnia ſub ſe ſata lædere dicitur, cũ lemmate Vmbra mali Principis, *& commemoratione damnorum, quæ à Tyrannis, & iniuſtis cauſantur, eorumque ex varijs Auctoribus deſcriptione. Pag.* 160.

EMB.XXIII. Ex Solis Eclypſim patientis figura, & ſimilitudine. Cum

lemmate, Regis error Populis Exitialis, *& eius comprobatione, collatis noxijs effectibus, quos Eclypſis, & Rex malus producere ſolent, & examine rationis, cur Deus, Regum peccata in eorũ ſubditis plectere ſoleat? Pag.*166.

EMB. XXIV. Ex Homeri Doctrina, tradentis, Iovem ipſum, Reges ad benè gubernandum dirigere, & erudire. Cum lemmate, Deus, quos erigit, dirigit, *& copioſa huius doctrinæ ex Sacris, & profanis litteris, & exemplis, comprobatione. Et quòd non ſolùm mentes, & corda Regum, verùm, & ſalus, & corpora, in peculiari Dei tutela ſint, & à pluribus Angelis cuſtodiantur. Pag.*171.

EMB. XXV. Ex Lycurgi ad Lacedæmonios exemplo, in duobus Canibus, ex eiſdem parentibus natis; ſed propter Educationis differentiam, diverſos mores habentibus. Cum lemmate Educationis vis, *& latiſsima huius documenti exhortatione, & illuſtratione; & quantum in omnibus hominibus, & maximè in Regibus, & Principibus, Bonam à teneris annis inſtitutionem, & educationem curare oporteat. Pag.*177.

EMB. XXVI. Ex Palladis Icone, quã ſimul Armorum, & litterarum Deam Veteres faciebant, & effigiabant. Cum lemmate Armis, & litteris, *& latiſsima diſſertatione ad probandum, hæc in Regibus, & Principibus amicè coniurare debere, & quibus præcipuè artibus, & quatenus à teneris imbui debeant. Reiecta barbara aliquorum ſententia, qui eos illiteratos eſſe maluerunt, Et aliorum, qui per Magiam Divinatricem, & alias illicitas artes, futura perquire poße, docere videntur. Pag.*186.

EMB. XXVII. Ex Mercurij figura, quæ truncis caduceatis manibus, & alatis pedibus, ſola lingua potente, & intrivijs locari ſolebat. Cum lemmate Eloquentia Principes ornat. *Pluribus in huius Figuræ explicationem, & Eloquentiæ vim, & præſtantiam, expenſis, & quatenus Reges, & Principes deceat, in Audientijs, quas præbent, aliquando ab ſtricto, & formulari verborum tenore diſcedere. Pagin.*200.

EMB. XXVIII. Ex Speculi ad Bonum Principem; iuxta Plutarchum, & alios, ſimilitudine, quæ latè illuſtratur. Cum lemmate Vndique illæſus, *& enixa Principum admonitione, ut ſibi, & ſubditis, ſe ita ſpeculum præbeant, ut nec Muſca calumniæ eis inſiſtere queat. Et quòd vel à levibus maculis, & mendacijs, abſtinere debent, & fidem, etiam hoſtibus datam, inviolatè ſeruare, Pag.*211.

EMB. XXIX. Ex Virgis, quas Iacob circa canales aquarum poſuiße in Geneſi legitur, quarũ colores Oves indidem conceptæ ſumebant. Cum lemmate Sceptrorum imitatio, Potentiſsima, *& varia omnium*

litte-

litterarũ, ad eius veritatem comprobandam recollectione. Vitamque, & mores Regum, velati legem, & cenſuram populis eſſe, eoque Sanctius, Iuſtius, & Modeſtius in omnibus ſe habere debere. Adiectis etiam aliquibus de Re veſtiaria, & prolixitate, & criſpatione Comarum, quæ hodie (heu) in noſtram Hiſpaniã irrepſit. Pag. 219.

EMB. XXX. *Ex Iovis apud Lucianum ſubſanatione, quòd in Papilionum alis pingendis, & variegandis, diſtineretur. Cum lemmate* Magnus in Magnis; *Quo, ex impudici huius Atheiſtæ ſtercore, aureum Dogma ad Reges admonendos colligitur, ut in curis, & occupationibus, tanto munere dignis, tempus conſumant, eiuſque iacturam omnibus graviorem eſſe, cognoſcant Pag.* 227.

EMB. XXXI. *Ex Achillis hiſtoria, & pictura, Armis intenti, & ornati. Muſicæ tamen aliquando, ſub Chironis diſciplina, ſtudioſè operam dantis. Cum lemmate,* Sic miſce gaudia curis, *& ſeria diſſertatione de ludis, & oblectamentis; quæ Reges ad graviorum curarum levamen ſumere poſsint? Et quæ etiam interdum ſuis populis concedere debeant? Vbi aliqua de Comædijs. Pag.* 233.

EMB. XXXII. *Ex Alexandri Magni inter oblatas ſibi Achillis, & Paridis Cytharas electione, illam tanquàm viri fortis avidè arripientis, hanc tanquàm effæminati, reſpuentis, & aedignantis. Cum lemmate* Virtutis Sonus, Principum Honos, *& exacta commentatione, & commonitione, quòd ea ſolùm exempla, quæ virtutem ſonant, & accendunt, ſequi debent & in Bivio virtutum, & vitiorum poſitis, ut Hercules Prodicus, illarum callem, & collem, licèt arduum, arripere. Pag.* 240.

EMB. XXXIII. *Ex Fabula Actæonis in cervum verſi, & à ſuis canibus inter venandum miſerè dilaniati. Cum varijs eiuſdem fabulæ Mytologijs, & lemmate,* In nimis venationi deditos, *& exacta diſquiſitione vulgatæ quæſtionis; An, & quomodo venationis ſtudium licitum ſit, & ci poſsint Reges, & Principes in ſervire? Et cur viris Eccleſiaſticis prohibeatur? Pag.* 246.

EMB. XXXIV. *Ex Herculis Clava, quam ut propriam, & à ſe confectam, pluris ſemper armis cæteris fecit, quibus à varijs dijs donatus in fabullis traditur. Cum lemmate* Propria virtus in Regibus commendatior, *& accurata Nobilitatis diſputatione, & quos effectus in poſteris debeat ingenerare, & quãtum peccent, qui eam ſuis moribus fœdant, & cur ſæpe Heroum Filij noxæ eſſe dicantur? Pag.* 252.

EMB. XXXV. *Ex Sybaritarum hiſtoria, nimio ſuo luxu, & delicijs, ſub ipſis equis, quos ad tibias ſaltare docuerant, miſerè pereuntium. Cum lemmate* Deliciæ nimiæ,

Rem-

Rempublicam perdunt. *Et multorum locorum, & exemplorum ponderatione, quibus immoderatum omnis luxuriæ genus, non ſolùm in Venere, ſed in cibo, potu, ſtragulis, veſtibus, & ſimilibus, exitioſum ſemper Regibus, & Regnis fuiſſe detegitur.* Pag. 162.

EMB. XXXVI. *Ex Aſelli marini pictura, & natura, qui ſolus ex omnibus animantibus cor in ventre habere dicitur. Cum lemmate* In gluvies Regibus vituperabilis, *& invectiua in omnes, qui in ventre, menſiſque dapalibus, ſuum ſtudium, & fælicitatem, Maieſtatemvè conſtituunt.* Pag. 271.

EMB. XXXVII. *Ex Bachi Pictura, curru à Lyncibus, timidiſsimis animalibus, acti, & accurata eius explicatione. Cum lemmate* Vinolentia Principibus fugienda. *Lataque huius vitij in Regibus, & quibuſvis alijs deteſtatione, & qualiter accipiendi ſint, qui vinum, & ebrietatem nimis extollunt, curas ſolvere, & ingenium acuere, dicunt.* Pag. 280.

EMB. XXXVIII. *Ex Maris, ventis agitatis, lutum, & algam in littora vomentis, ſimilitudine, qua Plutarchus, & alij, cohibendam Animi iram inſinuant, quæ ſimiles effectus in omnibus, & magis in Regibus, & Principibus operatur. Cum lemmate*, Ira Animi lutum vomit, *& exacta huius vitij examinatione, & deteſtatione, & quòd Temulentiæ ſimilis ſit, & qualiter temperari poſsit, & debeat?* Pagin. 291.

EMB. XXXIX. *Ex Caligulæ Imperatoris effigie, cupido, & avaro animo, & corpore ſuper malè congeſtos aureorum, & theſaurorum acervos bilariter recubantis. Cum lemmate* In Avaros Principes, *& exacta Avaritiæ deteſtatione, & quàm ſit in Regibus execranda, & quo pacto theſauros congerere, & congeſtis uti, licitè poſsint?* Pag. 298.

EMB. XL. *Ex effigie, & hiſtoria Vrracæ Caſtellæ Reginæ, quæ ob expilata Templi Divi Iſidori Legionenſis ſacra vaſa, & donaria, exanimis ad eiuſdem Templi valvas occubuit. Cum lemmate* In Principes, qui ſacra convaſant. *Eorundemque ex varijs exemplis, & doctrinis admonitione, ut in Templa, & pia opera liberales, ab Eccleſiæ, & Eccleſiaſticorum bonis, & reditibus, quantum fieri poſsit abſtineant; & quas conditiones ſervare debeant, ubi urgens Regni calamitas contrarium extorqueat?* Pag. 305.

EMB. XLI. *Ex hiſtoria Tiberij II. Imperatoris Conſtantinopolitani, à Deo ingenti theſauro ob Pietatem, & Eleemoſinas, quas pauperibus largielatur, miraculosè donati. Cũ lemmate* Largus in Pauperes, *& Regum ad hanc virtutem exhortatione, et quòd nullos ſecuriores uberioreſque theſauros congerere poſſunt; Et quis modus in Eleemo-*

ſinis

ſynis faciendis, & veris Pauperibus à fictis diſtinguendis, ſervari debeat? Pag. 314.

EMB. XLII. Ex Solis, cum Plutarcho, ſimilitudine, qui ſuum ſic per Zodiacum curſum agit, vt contrarium cœlorum motum, quem in totum mutare non valet, aliquantulum tamen retardat. Cum lemmate, Sic regat Rex ſolum, ut Sol regit Polum. Et hinc ſumta, & latè illuſtrata Regum Admonitione, ut minùs probos etiam Populorum mores, quos vno ictu ad meliora flectere nequeunt, ſaltim aliquantulum temperent, & paulatim efficiant, ut lupatis parere condiſcant. Pag. 320.

EMB. XLIII. Ex Symbolo Domini Ferdinandi Quinti, Regis Catholici, Incudis ſub malleo patientis, eiuſque ictus pro tempore tolerantis. Cum lemmate, Tempori cede, & eius exacta defenſione, explicatione, & illuſtratione, ſimulque Patientiæ, & Tolerantiæ commendatione, & veteris illius quæſtionis reſolutione: An quando, & quomodo, in Regibus licita, & prudens videri poſſit, diſſimulatio, & ſui animi conſilia, & motus in opportunum Tempus differre? Pag. 328.

EMB. XLIV. Ex Terentij, Platonis, Plutarchi, & aliorum ſimilitudine, vitam Hominum ludo Teſſerarum comparantium. Cum lemmate, Siniſtri caſus ferendi, & corrigendi. Adductis pluribus locis, & exemplis, quæ in Regibus hanc Animi Fortitudinem, & Conſtantiam ſuadent, & eadem mediante, ſæpè ſæpiùs adverſæ Fortunæ Victores, & Dominos reddunt. Pag. 336.

EMB. XLV. Ex Pictura Iovis, alios Deos ad mittenda pernicioſa fulmina, ſecundùm Senecam, in Conſilium vocantis. Cum lemmate, Conſulendum in Arduis. Et omnigena litteratura, ad Conſilij petendi vtilitatem, & neceſſitatem Regibus, & Principibus ſuadendam. Et quòd hoc nihil eorundem Maieſtatem imminuat, & qualiter à Glorioſis Hiſpaniæ Regibus, præceteris, obſervetur. Pagin. 346.

EMB. XLVI. Ex Iactu Anchoræ navis, prius Bolide maris fundo, ac firmo tentato. Cum lemmate, Firmis hærendum, & latiſſima Regum Admonitione, in bonis Conſiliarijs, & Conſilijs eligendis, & cognoſcendis, & ſecuris, & firmis amplectendis. Et quibus ex cauſis hæc ſæpè perverti ſoleant, & de damnis Præcipitationis, & evocationis negotiorum à proprijs Senatibus, per quos cognoſci, expediri, & conſuli ſolent. Et quòd bona conſilia ex eventu, æſtimari non debent, nec per ſchedulas ſecretas inquiri, cum plurimis alijs, quæ ad hanc Conſiliorum tractationem ſpectant. Pag. 358.

EMB. XLVII. Ex Templi Conſi, Con-

ſiliorum Dei, occulta, & opaca apud Romanos Ethnicos ſtructura. Cum lemmate, Conſilia Occultanda, *& plurimis alijs, quæ ad ſummam huius Moniti utilitatem, & Secreti in omnibus, quæ gerunt, neceſsitatem, Regibus, & eorum Conſiliarijs ſuadendam, & commendandam, conducunt, & præcipuè Secretarijs, de quorum munere aliqua perſtringuntur. Pag.* 371.

EMB. XLVIII. Ex Fornicis Pictura, & iuxta Senecam ſimilitudine, & lemmate, Caſura niſi invicem obſtarent. *Ad illius quæſtionis reſolutionem aptata; An, & quatenus Regibus, & Regnis expediat, Conſiliarios, inter ſe oppoſitos, & adverſantes, habere? Et qualiter hi in ſuffragijs ferendis ſe habere debeant, & in executione eorum, quæ iam, etiam contra animi ſui ſententiam, à maiori parte decreta fuerint? Et de iuvenibus ad conſilia non temerè introducendis. Pag.* 379.

EMB. XLIX. Ex Hiſtoria Cambyſis, Præjaſpis filium ſagittantis, quòd Pater ei verum conſilium liberè dedit. Cum lemmate, In Principes Veri Oſſores, *& accurata, omnimodaque litteratura illuſtrata, Regum exhortatione, ad veritatem amandam, quærendam, & gratis auribus ſuſcipiendam, quæ maximè ſolet ab eorum Aulis exulare. Et qualiter Conſiliarij, & Concionatores, liberè, ſed ſalva ſemper Regiæ Maieſtatis reverentia, illam ſequi, proferre, & præponere debeant. Pag.* 390.

EMB. L. Ex Cervorum, & Turturum ſimilitudine, qui inſtrumentis muſicis deliniti, à Venatoribus facilè capiuntur; & Adulatoribus aures eſſe obturandas, ſuo damno ſuadent. Cum lemmate, Adulatores fugiendi, & fugandi; *& latiſsima, & litteratiſsima huius vitij deſcriptione, & deteſtatione, & quàm frequens, & nocivum in aulis, & auribus Regum, ac Principum eſſe ſoleat, atque adeò ab eiſdem ſumma cura puniri fugique, ac fugari, & eliminari conveniat. Pagin.* 404.

EMB. LI. Ex Locrenſium inſtituto, neminem ad res novas populo proponendas, admittentium, niſi implicito ad collum laqueò; quo, ſi propoſitæ non placerent; ſuffocabatur. Cum lemmate, Novum omne cave; *& lata, & accurata eiuſdem illuſtratione, Regumque admonitione, de damnis, quæ ex novis inſtitutis in Republica oriri ſolent; & quòd non niſi ex magna cauſa ea permittere debeant, nec Deceßorum ſuorum actiones, ut plures ſæpè faciunt, parvi pendere, aut revocare. Pag.* 416.

EMB. LII. Ex Hiſtoria, & pictura Aſini, qui Piſtoiæ, Tribunal ſellamque Magiſtratus propè meridiem inſedit, & venturum ineptiſsimum

eiuſ-

eiuſdem urbis gubernatorem præſagivit. Cum lemmate In Principes; ineptos Iudices eligentes, & latiſsima diſſertatione, Regumque Admonitione, de ſumma cura, quæ in Bonis, & Aptis Conſiliarijs, & Magiſtratibus eligendis, haberi debet, & de earundem electionum requiſitis, turpiſq; & maximè venalis Ambitus; in eiuſmodi officijs execratione, & quòd indigenæ exteris ſint præferendi. Pag. 425.

EMB. LIII. Ex Anaxagoræ Philoſophi, iam iam morientis, ad Periclem Regem, ſerò eum conſolantis, & honorantis, reſponſo, Lucernam alat, qui luce opus habet. Quod pro lemmate ſumitur, & latè illuſtratur, ad Reges monendos; quàm ſit iuſtum, vt Conſiliarios, & Magiſtratus, qui ſibi prudenter, & fideliter inſervierunt, & eorum filios, honoribus, & muneribus proſequantur. Pagin. 439.

EMB. LIV. Ex Pictura Regiæ Veſtis, pluribus Oculis, Auribus, Manibuſque polymita, iuxta mentem Themiſtij, qui latè explicatur. Cum lemmate, Adminiſtri Principum, & copioſa accurataque Oſtenſione, quàm ſint, & fuerint hi, omnibus Principibus neceſſarij, dummodò intra ſui ſe muneris metas cohibeant. Pag. 445.

EMB. LV. Ex Templi ſtructura, quod per plures Portas, ad Numen interius cultum, aditum præſtat. Et Fontis, per canales plures, lymphas ſuas delicioſè fundentis. Cum lemmate, Portæ ad Principes plures. Et illius quæſtionis diſſertatione, An Regibus plures Adminiſtros interiores, vel vnum dumtaxat, habere conveniat? Et quòd hic, ſemper, ac fieri poſſit, ex indigenis eſſe debeat. Pag. 455.

EMB. LVI. Ex Vallo eſfloreſcente, & vitem, in cuius pedamentum poſitus fuerat, ſuis frondibus ſuffocante. Cum lemmate, In Tumidos Adminiſtros, & exacta horum deſcriptione, & deteſtatione, & quàm ſit frequens, ut ſub divitijs, & fortunis feſtinatè congeſtis, obruantur, & in ſpolium, ubi ceciderint, cedant, qui elati, aliorum ſpolijs intumuerunt. Pag. 461.

EMB. LVII. Ex Fabula Ephialtes, nimis, properèque creſcentis, & ideò ruinam, & Iovis fulmen perpeſsi. Cū lemmate, Qui eminent, cadent. Et lata illius fabulæ, & huius veritatis illuſtratione, & comprobatione, & quàm ſit certum, Summorum apud Reges Adminiſtrorum (quos Validos, vel Privados vocant) ſortem, lubricam, & varijs periculis ſuppoſitam, eſſe. Pag. 461.

EMB. LVIII. Ex Antiſthenis Apophthegmate, ad Reges tanquàm ad caminum ignis accedendum eſſe monentis. Cum lemmate, Regum calor, quomodo ſuſcipiendus? Et copioſa eius tractatione, & au-

rcæ Mediocritatis, tàm in hoc, quàm in cæteris rebus, commendatione, & Adagij Proximus Iovi, proximus fulmini, *& ſimilium.* Pag. 479.

EMB. LIX. Ex Elephantis, vnà cum arbore inquam reclinat, cadentis, ſimilitudine. Cum lemmate Nolite confidere in Principibus. *Eiuſque ex Diuinis, & humanis litteris adſtructione, & quàm ſit fallax, & fragilis Regum, & Potentiorum adhæſio, comprobatione.* Pag. 487.

EMB. LX. Ex Ceruorum pictura, & natura, qui ſi aures demittunt, ſurdiſsimi, ſi arrigunt, audientiſsimi ſunt. Cum lemmate Auris Boni, & Mali Principis, *& accurata diſſertatione illius quæſtionis, qualiter Reges, & Principes, faciles, & gratas Aures ſuis ſubditis, ſine Maieſtatis contemtu, præſtare debeãt?* Pag. 492.

EMB. LXI. Ex Stateræ, & humani Capitis ſimilitudine, à Petro Mattheo, & alijs prudẽter excogitata. Cũ lemmate, Statera Regum, *& exacta illius quæſtionis examinatione, An Reges, per ſe ipſos, ſubditorum cauſas audire, & iudicare conueniat, & qualiter utramque Aurem præbere, & utramque partem audire conueniat, & non faciles, nec credulos eſſe, vel ſuſſurronibus, ſycophantis, & delatoribus indulgere. Et quòd iudicijs Regum Deus veluti peculiariter adſit, & inde ſæpè propè diuina eſſe ſoleant, ut aliquibus Exemplis oſtenditur.* Pag. 499.

EMB. LXII. Ex Mercurij alati, & petaſati, Icone, & ſimilitudine, quem, ut Deorum Nuntium, in continuo motu, & curſu eſſe debere, Antiquitas docuit. Cum lemmate Regis præſentia velox, *& accurata illius quæſtionis diſſertatione, An oporteat, quòd Reges aliquando ſui Regni prouincias perſonaliter luſtrent? Et quo modo hoc facere expediat, & quantum gaudij, hilaritatis, & utilitatis ex his viſitationibus opportunè factis, Populi recipere ſoleant.* Pag. 508.

EMB. LXIII. Ex Pithæi Regis Tribunali, cui Muſarum Templum, ſiue Chorus, hærebat, ut iuris, & æquitatis ſingulare commercium oſtenderet. Cum lemmate Regum Tribunal, *& peculiari eorundem admonitione, qualiter, & quando poſsint, & debeant ſtrictum iuris rigorem, æquitate mediante, lenire, & iuſtum ab iniquo ſecernere.* Pagin. 516.

EMB. LXIV. Ex Virginali Iuſtitiæ Icone, velatis oculis, gladio, & bilance conſpicuæ, leonemque frenatum regentis, & inſedentis. Cum lemmate Omnibus æqua, *& copioſa de eius picturis, & utilitatibus diſſertatione, & Regum in ea æqualiter pauperibus, ac Potentioribus miniſtranda, obligatione, & admonitione,* Pag. 523.

EMB. LXV. Ex Ranæ Ægyptiæ pictura, & ſumta ab Æliano ſimilitu-

litu-

litudine, dum, tranſverſa in ore virga, ſe à crocodilis, & alijs validioribus piſcibus liberat Cum lemmate Iuſtitiæ Tutamen, *& ex ſacris, & humanis litteris oſtenſione, Virgæ, ſive Sceptri Regij, hoc præcipuum munus eſſe debere, ut infirmos à Potentiorum iniurijs defendat, & pauperes, viduas, pupillos, miſerabileſque perſonas, ſub ſua protectione, & tuitione recipiat. Pag.* 533.

EMB. LXVI. *Ex Pittaci Philoſophi, & Leonis Imperatoris Apophthegmatis, leges, mœnia, & oculos Civitatum eſſe, dicentium. Cum lemmate* Legum Muria, Vrbium mœnia, *& lata, & exacta Bonorum legum laudatione; & Regum de ſumma earum utilitate; & neceſſitate commonitione; & qualiter ſe in eis ferendis; & obſervari faciendis, habere debeant. Pag.* 541.

EMB. LXVII. Ex Magnetis natura, ferreos ad ſe annulos attrahente, ita tamen, ut qui longius diſtant, ſegnius; & languidius adſtringantur. Cum lemmate; Languor legum, *& ſeria, ac vera Regum animadverſione, quantum leges, & ſi ſanctè, & ſtrictè pro latæ, ipſis abſentibus, vel illarum implementum non curantibus; langueant. Proindeque oportere ad Indicas, & remotas quaſvis Provincias, Selectiſsimos Magiſtratus mandare. Pag.* 552.

EMB. LXVIII. Ex Aucupij, & fori Iudicialis, iuxta nobile Apophtegma Pij Secundi, comparatione, quæ latæ illuſtratur. Cum lemmate Legum, litiumque multitudo exitialis, *& huius Axiomatis copioſa comprobatione, Regumque ad ſecandas breviandaſque leges, & lites, exhortatione, & peculiari obſervatione, de origine, & progreſſu legum Hiſpaniæ, quæ iam ſua etiam mole laborant. Pagin.* 559.

EMB. LXIX. *Ex Trajani Imperatoris, Præfecto ſui Prætorij gladium tradentis, celebri voce,* Cape, ſi rectè imperavero, pro Me, ſinaliter contra Me. *Cum lemmate* Pareto legi, quiſquis legem tuleris, *& accurata eius illuſtratione, ad Reges, & Principes admonendos, nihil æquè ad legum obſervantiam, & vigorem conducere, quàm ſi ipſi eiſdem pareant, qui ſoluti eſſe dicuntur; & qualiter hoc vulgare proverbium accipi debeat. Pag.* 572.

EMB. LXX. Ex Cervi Pictura; & natura, ſuo anhelitu ſerpentes à ſuis latebris extrahentis, & occidentis. Cum lemmate Nulla fraus tuta latebris, *& varijs teſtimonijs, & exemplis referta Regum, & Principum Admonitione, ut delicta, & delinquentes inquiri, & puniri ſtudeant, & facinoroſis hominibus, ubicumque latentibus, Rempublicam purgent. Pag.* 579.

EMB. LXXI. Ex Fidicinis, Lyræ cordam prius ſtudioſè temperantis, & ad concentum cum cæteris redu-

centis, quàm rumpentis, & abijcientis, ſimilitudine, à gravißimis Auctoribus ſumta, cum lemmate, Temperandum prius, quàm puniendum, *& gravi Regum exhortatione, ut hoc, ſemper ac fieri poſsit, ſequantur, & pro primis delictis in eos non ſæviant, quos ſperare poſsint, ad meliorem frugem in poſterum redituros. Pag.* 590.

EMB. LXXII. Ex Apum ſimilitudine, quæ Fucos, ignavum pecus, iteratò nocentes, acrius quàm pro primis exceſsibus puniunt. Cum lemmate Iterata culpa, gravius punienda. *Et ſeria Regum ad hoc imitandum commonitione, & qualiter ſe in Reos Maieſtatis habere debeant? Pag.* 597.

EMB. LXXIII. Ex Vedij Pollionis hiſtoria, ab Auguſto iuſtè reprehenſi, quòd ſervum, obvas, fractum murænis mandendum mandavit. Cum lemmate Noxæ ſit æqua punitio, *& lata eiuſdem illuſtratione, & quòd pœnæ, nō ſolùm debent reſpondere delictis, ſed ſuos etiam auctores, & ſolitam formam inacerbitate non egredi. Et cur, & quomodo in crimine Maieſtatis divinæ, vel humanæ, hoc limitari ſoleat? Pag.* 601.

EMB. LXXIV. Ex Faſcibus, quas Romani Conſules ante ſe geſtabāt, ſecuribus alligatas, & quid in hoc iuxta Plutarchum, & alios intenderent? Cum lemmate, Cunctandum in pœnis. *Quod latè, & accuratè illuſtratur, ut Reges, & alij, qui ius gladij habent, commoneantur, in ſupplicijs, maximè Capitalibus, irrogandis, maturè procedi debere. Additis aliquibus limitationibus, & declarationibus huius Regulæ. Pag.* 611.

EMB. LXXV. Ex Iouis Fulminantis Pictura, & ſecundùm Senecam doctrina, de ratione, & intentione, quæ in ſontibus puniendis haberi debet, Cum lemmate Plus terrendum, quàm torrendum. *Quod pluribus doctrinis, & exemplis ornatur, præſertim illo Decimationis, apud Romanos valde uſitato. Et qualiter Reges hæc imitari debeāt, & ubi Multido, vel communitas aliqua peccat, animadvertere? Pag.* 622.

EMB. LXXVI. Ex Apum ſimilitudine, quæ ungunt, & pungunt, & Regem aculeo carentem habere dicuntur. Cum lemmate Pungat, & ungat, *& copioſa Clementiæ laude, & commendatione, & quantum in ea Reges eminere debeant, miſericordiæ plus quàm rigori tribuentes, & aliquando ob interceſſiones, & alias iuſtas cauſas, delicta condonantes, pœnaſve moderantes, aut commutantes, & omni ſemper ſuppliciorum inferendorum occaſione carere cupientes. Pag.* 627.

EMB. LXXVII. Ex Herculis Pictura, æſtrum, ignavum pecus, totavi ſuæ clavæ ferientis. Cum lemmate, Ignavia fugienda, & fugan-

gan-

ganda, *& accurata huius Picturæ commentatione, & otij, & ignaviæ deteſtatione, & quantum debeant Reges, & Principes hoc vitium à ſuis Regnis fugare, & ſubditos in laborioſis, & Reip. vtilibus operibus exercere, & fictorum mendicantium pauperum, ac Cingarorum, quos Gitanos dicimus, vagantia, & redundantia examina coercere. Pag.* 639.

EMB. LXXVIII. Ex Fontis, ſuis Lymphis omnia circum ſe poſita vernantis, florereque facientis, Pictura, & ſimilitudine, ex quadam lege Alfonſina deſumpta. Cum lemmate Sic præmijs omnia florent; *& exacta demonſtratione, & Regum Admonitione, quòd præmia, & honores Rempublicam fæcundant, & ſecundant, & qualiter ſe in illis diſtribuendis gerere debeant? Pagin.* 651.

EMB. LXXIX. Ex Pyramidis coronatæ Pictura, cui hærens humilis ex ſe vitis, in altum conſcendit, & botros opimiores emittit. Cum lemmate, Docti homines Potentiorum adminiculis ſublimandi, *& exactiſsima huius doctrinæ comprobatione, & Regum Admonitione, ut bonis Artibus faveant, nec ſui temporis ingenia, quia patria, vel quia viva, & recentia, deſpiciant. Pag.* 665.

EMB. LXXX. Ex Tentyritarũ Pictura, & ſimilitudine, qui puſiones ipſi, Magnos Nili Crocodilos domant, & frenant, & quò volunt deducunt. Cum lemmate Litterati Principibus ſuſpiciendi, *quo Reges, & Principes admonentur, ut ſi famæ gloriæque ſuæ in poſterum conſulere velint, Hiſtoricos, Poetas, & alios Litteratos homines ſuſcipiant, & ſuſpiciant, eorumque pennis, per ora virorum volitare procurent. Pag.* 677.

EMB. LXXXI. *Ex cuiuſdam Numiſmatis Conſtantini Imperatoris Icone, quo, quanta Monetæ veneratio in eſſe debeat, oſtendebatur, Cum lemmate* Monetæ probitas, & veneratio, *& enixa, & Litterata Regum admonitione, ut hoc ſemper maximè curent, & quaslibet fraudes, & mutationes Monetarum præcaveant, & ſimul, ne aurum, & argentum à ſuis Regnis ab exteris extrahatur, & de damnis, quæ Hiſpania noſtra ob incuriam, quam in his habuit, & habet, quottidie præſentit Pag.* 683.

EMB. LXXXII. *Ex Apum Pictura, & imitatione, quæ ita ſuccum ad mellificandum ex floribus ſumunt, ut eis nihil prorſus ſuæ veriditatis, & utilitatis exugant. Cum lemmate* Tributa qualiter indicenda. *Et vtili, ex varijs locis, & exemplis, Regum Admonitione, quantum oporteat, hac in parte Apes imitari, & ſubditos tondere, ubi res poſtulat, non deglubere, & neceſsitate ceſſante, gravia tributa, quæ ipſa extorſerit, allevare. Pag.* 694.

EMB. LXXXIII. Ex Principis Pictu-

ra à ſuis pro umbra, pro aere, pro fumo Tributum exigentis. Cum lemmate, In Principes inſueta Tributa Imperantes, *& exemplis, damnis, & execrationibus eorum, qui in hoc exceſſerunt, & illius quæſtionis reſolutione. An Reges, ſine ſui Regni Conſilio, & aſſenſu nova, & gravia Tributa Populis indicere poſsint? Et an expediens videri poſsit; legẽ Iuliam de viceſsima hæreditatum, aut aliàs ſimiles, in uſum reducere? Pag.* 702.

EMB. LXXXIV. *Ex ſerpentis ſimilitudine, qui infantem, cuius ſanguinem exugit, cauda in os demiſſa demulcet. Cum lemmate* In crudeles Exactores, *& Regum Admonitione, de damnis, & oppreſionibus, quas ſubditi ob hoc genere hominum pati ſolent, quæ ipſis Tributis duriores exiſtunt, & qualiter de illis reformandis, & puniendis ſatagere debeant? Pagin.* 711.

EMB. LXXXV. *Ex Pictura Hiſtoriæ Conſtantij Imperatoris, legatis ſuas divitias in vaſſallis divitibus oſtendentis. Cum lemmate* Regum verus Theſaurus, *& vera, & ſeria eorundem admonitione, vt intelligant, quòd, & ſi in Principibus damnari non poſsit Theſaurorum ad bonum finem congeſtio, veri tamẽ Theſauri in vaſſallis divitibus, & benè ſe habentibus, & in ipſorum Principum Parſimonia, & redituum, & ſumtuum œconomia, & menſuratione conſiſtere. Pag.* 719.

EMB. LXXXVI. *Ex Oceani, iuxta mentem Pacati, pictura, & ſimilitudine, in quem, quæ ab eo fluunt aquæ, cum fœnore refluunt. Cum lemmate* Fluunt, & refluunt. *Ad Reges admonendos, & exhortandos, ut in ſuos munifici, & liberales exiſtant, cum in ipſorum tandem utilitatem redundet, quicquid in illos benignè contulerint. Pag.* 726.

EMB. LXXXVII. *Ex duorum Regum pro terræ, adeò exiguo Sphæræ puncto, digladiantium, Pictura, & ſumta à Plinio, Seneca, & alijs ſubſannatione. Cũ lemmate* In Reges pro terræ puncto certantes, *& exactiſsima huius vanitatis, vel verius inſanitatis; demonſtratione, & Regum exhortatione, ut eiuſmodi bella, prorſus iniuſta; & pernicioſa, refugiant, & ſuis Regnis, terminiſque contenti; in illorum recta adminiſtratione, conſervatione, atque unione laborent. Pag.* 732.

EMB. LXXXVIII. *Ex Gallorum Gallinaceorum, pro ſola gloria invidiave inter ſe acriter contendentium, Pictura, & natura, quæ latè illuſtratur. Cum lemmate* In gloriam pro ſola gloria certamen. *Et Regum omnium (ſed præcipuè Gallorum) Admonitione, ut ab huiuſmodi bellis, ad quæ ſuapte natura feruntur, abſtineant, & falſas, atque affectatas cauſas illo-*

rum

rum in glorioſos Hiſpaniæ noſtræ Reges movendorum, prætexere deſinant. Agnoſcantque ſimul, nihil magis Reges dedecere, quàm aliorum rebellibus opitulari, cum potiùs veluti fratres eſſe debeant, & fraterna ſeſe, & reciproca charitate iuvare. Pag. 742.

EMB. LXXXIX. Ex Munere Ranæ, Sagittæ, Muris, & Avis, à Scythi Dario per legatos delato, & eiu explicatione, & ad dāna, miſerias & calamitates, quæ bella generar ſolent, applicatione. Cum lemmat Belli damna, *& copioſa eorum oſtenſione, & execratione, Regumque adhortatione, ut à bellis, quantum fieri poſſit, abſtineant, & ubi excuſare non valeant, in hoſtium provincijs, potius quàm in proprijs exerceant. Pag. 753.*

EMB. XC. Ex Maris, contrarijs ventis concuſſi, ſimilitudine, à Divo Chryſoſtomo ſumta, & ad damna, & concuſſiones, quas Populi ob Regum diſcordias, & bella patiuntur, aptatá. Cum lemmate Regum bella Populos quaſſant, *& dilucida eius comprobatione, peſtis, & belli comparatione, & repetita Regum Admonitione, ut non niſi ex magna, & inexcuſabili cauſa, ſuos ſubditos his damnis afficiant, & an, & quādo poſſint, eoſdem, etiam invitos, ad bellandum compellere? Pag. 762.*

EMB. XCI. Ex Aquilæ, & Cybindis colluctatione, quæ utrumque alijs in facilem prædam exponit. Cum lemmate, Belli inter Finitimos Reges periculum, *& enixa Catholici, & Chriſtianiſſimi ſuaſione, ut internecina, quæ in ſegerunt bella, in Turcas, & Fidei hoſtes tandem convertant, ne aliter (quòd Deus avertat) eiſdem in prædam cedant. Et quàm ſit turpe, & periculoſum, cum eiuſmodi hoſtibus, adverſus Chriſtianos, fœdus inire, vel ſe eis in protectionem, & clientelam committere. Pagin. 769.*

EMB. XCII. Ex Apum Pictura, & natura, quæ talis eſſe fertur, ut niſi ſuo præeunte Rege, ad bella non exeant. Cum lemmate Rex bellis interſit, *& exacta huius quæſtionis diſſertatione, An, & quo modo expediens ſit, ut Reges Perſonaliter bellis interſint? Adductis pluribus locis, & exemplis, de bonis effectibus, quos in hoc, & in alijs, præſentia Principum operatur. Pag. 778.*

EMB. XCIII. Ex Hiſpaniæ Regum Aurei velleris, ſive Agni, ſtemmate, quod ſub Leone torques ſcintillans circundat, de cuius origine, & ſignificatione plura traduntur. Cum lemmate Parcere ſubiectis, *& egregia Regum Admonitione; qualiter ſe cum devictis, & ſupplicibus hoſtibus habere debeant? Pag. 786.*

EMB. XCIV. Ex Pacis nova Pictura, quæ eius ubertatem felicitatemque pleniſſimè repræſentat. Cum lemmate Pacis commoda, & In

commo.

comia. *Quod latè ex Diuinis, & humanis litteris illuſtratur, ut Reges, & Principes ad eam optandam, & amplexandam, accedantur, ita tamen, ut non ideò imparati ſint, & Armorum curam prorſus omittant. Pag.795.*

EMB. XCV. *Ex Vrbis, mœnium vice, armatis, & ſibi ſociatis, atque hærentibus viris, circundata, ex Iſſæi Apophthegmate ſumta ſimilitudine. Cum lemmate,* Concordia, quos unit, munit. *Et lata huius virtutis ad Reges, & populos omnes commendatione, & obiter illius quæſtionis reſolutione, An urbes muris cingi, & vallari conveniat. Pag.802.*

EMB. XCVI. *Ex Templi Iani aperti Pictura, & Romanis ante illud vota fundentibus, Conſule tamen interim militaria curante. Cum lemmate* Orandum, & operandum. *Et huius Moniti elaborata comprobatione. Vt Reges intelligant, Gratiſsimũ eſſe Deo, ſi ei ſuas omnes actiones commendent. Ita tamen, ut ipſi, ſua ex parte ſe iuvent, & humanis medijs, & auxilijs, Divinorum dignos efficiãt. Pag.808.*

EMB. XCVII. *Ex Equi, curſum ob latrantes canes non remorantis, ſimilitudine, aut mulieris, ova, ne quicquam gallinis glocidantibus, extrahentis. Cum lemmate* Vulgi latratus ſpernendi. *Quo Reges admonemus, ne ab exequendis benè penſatis actionibus, ob vanas vulgi voces deſiſtant, de cuius procaci, & mutabili natura plura traduntur. Pag.816.*

EMB. XCVIII. *Ex Similitudine Vmbræ, quæ ſemper eos comitatur, quos radij Solis illuſtrant. Cum lemmate,* Virtus invidiam gignit, & ſuperat. *Quod latè exornatur, ad Reges, & Principes admonendos, ut invidentium, & calumniantium Sycophantias, & iniurias, & libellos famoſos contemnant, & ſola ſua virtute ſuperari poſſe confidant. Pag.821.*

EMB. XCIX. *Ex Creſsi ad Cyrum Apophthegmate, quo, à Solone doctus, neminem ante obitum Beatum iudicari poſſe, commonuit. Cũ lemmate,* Beatus ante obitum nemo. *Et lata huius hiſtoriæ, & ſententiæ enarratione, & illius quæſtionis diſſertatione, An, & quomodo poſsit quis, de Magnatibus, & Potentatibus, qui adhuc vivunt, Hiſtorias, vel Panegyricos evulgare? Pag. 830.*

EMB. C. *Ex Pictura Pantheonis, in Divi Laurentij Templo, apud Eſcoriale, in Sepulchrum Hiſpaniæ Regum noviſsimè, & pulcherrimè fabrefacti. Cum lemmate,* Munimentum ex Monumento. *Et ultima ad Reges, & Principes Monitione, ex ſuæ fragilitatis, & Mortalitatis conditione deſumta, ad eoſdem, dum vivunt, præmuniendos, & in recto virtutis tramite continendos.*

FINIS.

PRÆTERMISSA.

POST hunc Librum typis excuſſum, ad manus meas pervenit Alter Iulij Guilielmi Zincgrefij, Centuriam pariter unam Emblematum Ethico Politicorum continens, quæ inter, tria, vel quatuor inveni, quæ prorſus cum à Nobis excogitatis conveniunt. Et in eorum, & aliorum notis, plura quidem loca, quæ per totum hoc noſtrum opus ſpargi poſſent, & valdè in eo tradita confirmare. Nos, cum iam manum (quod aiunt) de tabula levaverimus, & nimij potius, quàm parci, in eiuſmodi allegationibus cenſeri vereamur, ſatis habemus hoc indicaſſe, & cum Poeta fateri, *Non omnia poſſumus omnes.* Doctorumque hominum eſſe, plura relinquere, quædam etiam ignorare; maximè in hoc argumento, in quo, qui omnia, quæ dici poſſent, congerere, & expendere veliet.

Ille pulveris Eritij, Syderumque micantium
Subducat numerum prius.

Vt alibi Catullus ſcripſit. Sed adhuc, ſi lubet, ad ea quæ Emblemate XII. & ſequentibus de officio Regum, & Capitis, dixi, & quòd ſuis, omnes ſenſus, omnem curam, impendere debeant. Adde Eraſmum in ſimilibus, rectè docentem: *Quod Sol in cælo, id Princeps in populo. Sol, oculus Mundi, Princeps, oculus multitudinis. Quod animus in homine, id Princeps in civitate, Animus ſapit, Corpus obtemperat.*

Ad id, quod Emblemate XV. de Damoclis hiſtoria recenſui, vide omninò Sidonium Apollinarem, lib. 2. Epiſt. 13. Eandem elegantiſsimè referentem, & Ammianum Marcell. Boethium, Policratum, & alios, ibidem à Savarone relatos.

Ad Embl. XVI. ubi pluribus probo, Imperium nihil aliud eſſe debere, niſi curam ſalutis alienæ, populique cuſtodiam. Adde Dionem Caſsium, lib 55. & tradita ab Stob. ſerm. 44. & 52. & Plutarch. in lib de doctrina Princip. ſic inquientem: *Atque hic eſt Principis metu., & humanus, nec ingeneroſus, ut his, quibus imperat, metuat, nequid ſe inſcio lædantur, non aliter atque canes nocturni, ac laborioſam agentes in ſeptis ovium cuſtodiam: ſimul atque trucem audiunt feram, timent, non ſibi, ſed his quæ cuſtodiunt.*

Ad Embl. XVII. vbi de Regum Vigilia. Adde inſigne Hannibalis exemplum, & carmen de eo apud Sil. Italicum, lib 12.

——— ——— ———Vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credenſque abſcedere vitæ,
Quod ſopor eripiat tempus,

Et Agapetum Diaconum in parænet, ad Iuſtin Imp. *Ceu gubernator, ita vigilet Imperatoris oculatiſsimus intellectus, continens tutò æquitatis clavos, atque expellens fortiter impetuoſos iniquitatis fluctus, ut ne Cymba mundanæ Reip. illidatur eis.*

Ad Embl. XIX. ubi de Moſſynæcorum more, in ignavis Regibus puniendis Adde Ammian. Marcel. lib. 28. ſimilem morem in Burgundijs, & Ægyptijs recenſens, etiam ſi quid fortuito minùs proſperum contigiſſet, his verbis. *Apud hos generali nomine Rex appellatur Hendinos, & ritu veteri, poteſtate depoſita, removetur, ſi ſub eo fortuna titubaverit belli, vel ſegetum copiam negaverit terra. Quemadmodum ſolent Ægyptij caſus eiuſmodi adſignare Rectoribus.*

Ad Embl. XX. num. 5. ubi cum Ariſtotele dixi, Homines multa ex brutis diſcere poſſe, vide quæ in eandem ſententiam, ad ipſos verecundandos, tradit Seneca lib. 1. declam. cap. 19. Caſsiod lib. 5. Epiſtol. 33. Iuſtin. Imp. in Novell. 90. in princ. & omninò carmina Menandri apud Stob. ſerm. 56.

Ad Embl. XXVI. ubi eos notavi. qui Reges, prorſus illiteratos, exoptant, vide Muretum oratione 23. quæ adeò eſt elegans, & nervoſa, ut vix putem, quemquam illam legere poſſe, quin ſingulari eruditionis amore accendatur.

Ad Emb. XXXIII. ubi nimium Venationis ſtudiũ, & ſumtum, in Regibus carpo. Adde nobile exemplum, & Fidorum Conſiliariorum circa hunc exceſſum animadverſionem, apud Vaſconcel. in anaceph. Reg. Portug. pag. 113. & ſeqq.

Ad illud Embl. XLVI. num. 38. Quòd bona ratio Status, à bona, & ſecura conſcientia dependet, vide omninò Giurbam conſ 1. per totum.

Ad Emb. XLIX. ubi de veritate ab Aulis, & Auribus Principum exulante, conqueror, Adde Am. Marcel. lib. 27. ita ſignanter loquentem: *Hæc autem, & ſimilia, altiore faſtu quidam Principes agunt, quòd amicis emendandi ſecus cogitata, vel geſta, copiam negant: Inimicos loqui terrent amplitudine poteſtatis: nulla vacat quæſtio pravitatum apud eos, qui, quod volunt, maximas putant eſſe virtutes.*

Ad illud Emblem. LXIX. num. 8. ubi cum D. Hieronym. & alijs tetigi, Reges ſoli Deo peccare, cum humanis legibus quo ad coercitionem ſoluti ſint, vidè bona loca Otthonis Friſingenſis, Greg. Turonenſ. & aliorum, quæ in idem expendit Iuſt. Lipſ. 2. pol. cap. 1. & Hugo Grotius in ſparſione florum ad Pandect. ad l. Princeps, D. de legibus.

Ad Emb. LXXVI. In quo *R*eges, Clementes, & legum pœnas interdum ex æquitate moderantes, deſidero, vide inſignem locum Demoſthenis, apud Caſſan. in Catalog part. 5. conſider. 6. Senec. lib. 2 de conſolat. cap. 7. ibi: *Clementia liberum arbitrium habet, nec ſub formula iudicat.* Eraſm. in Adagio, *Sub formula.* Et Am. Marcel. lib. 16. ibi: *Hactenus incuſent iura Clementiam, ſed Imperatorem mitiſsimi animi legibus præſtare cæteris decet.*

Ad Emb. LXXIIX. qua parte probo, Cordatos Reges, præmiorum, & gratiarum largitionem per ſe, non per ſuos Adminiſtros facere debere, ne aliter ſuam Maieſtatem horum ſervam efficiant, vidè omninò Am Marcel. lib. 18. ubi de Conſtantio Imp. loquens, qui ſe Euſebio, ſuo Cubiculario, nimis hac in parte ſubmiſerat, ſic ſarcaſticè loquitur, *Mercari complures nitebantur Euſebij favorem, cubiculi tunc præpoſiti, apud quem (ſi vera dici debent) multa Conſtantius potuit.*

Ad Emb. LXXIX. quo probo, Doctos à Potentioribus ſublimari debere, Adde nobile apophthegma Sigiſmundi Regis Bohemię, quem, Nobilibus de hoc querentibus, reſpondiſſe ferunt: *At, Cur non Ego eos quoque provebam, quos natura provexit, & mirabilibus donis exornatos, ſupra alios collocavit.*

Ad Emb. XCIX. ubi ex Creſsi exemplo probo, neminem ante obitum, felicem dici poſſe, vide Velleium Patero, lib 2. de Sylla poſt Plutarch. dicentem: *Felicem ſe appellare iuſsit. Quod quidem uſurpaſſet iuſtiſsimè, ſi eundem, & vincendi, & vivendi finem habuiſſet.* Et Boeth. de Conſol. lib. 1.

Quid me felicem toties iactaſtis amici?
Qui cecidit ſtabili non erat ille loco.

Et à pluribus adijciendis propter libri molem abſtineo: *QVÆCVMQVE IN EO DICTA SVNT SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, ET CVIVSLIBET MELIVS SENTIENTIS CORRECTIONI SVBMITTENS.* Et cum Boethio lib. 3. de conſol. metro 9. Deum precando, concludens.


O qui perpetua Mundum ratione gubernas,
Da Pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta
In te conſpicuos animi defigere viſus.
Diſijce terrenas nebulas, & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica, Tu namque ſerenum,
Tu requies tranquilla pijs, Te cernere finis,
Principium, Vector, Dux, Semita, Terminus idem.

GLORIA TOTA DEO, QVI NOBIS HÆC OTIA FECIT.

Totum

Totum condens. Totum complens.

EMBLEMA I.



Ex nihilo feci, totum impleo, cuncta guberno.
Meq́; volente ſtetit; Meq́; volente ruet.
Cedite mortales, Dominans Ego ſolus in Orbe,
Condere qui haud poterit, nec Dominator erit.

COMMENTARIVS.

1 A SVMMO ſumo Principe principium, & hoc Emblemate eos, qui terræ præſunt, monitos velim, excelſis excelſiorem eſſe alium, ut Salomon dixit, & tunc demum ſtabilem ſibi Dominationem figere, vel fingere poſſe, cum Maieſtatem ſuam, iuxta Divi Auguſtini conſilium, Maieſtati Dei famulam fecerint, humilique & ſubmiſſo corde cognoverint, ſe illius comparatione nihili pendi, qui ex nihilo eoſdem ipſos, & totum hunc mundum, qui omnia continet, fecerit, & in nihilum, ubi ſibi libitum, fuerit, reducere poſſit.

Eccleſiaſtes 5.7.

D. Aug. de Civit. Dei lib. 5. cap. 24.

2 ET cuius unius (ut veterum Philoſophorum ſententia eſt) omnia

ſunt,& omnia unum, atque unius vt omnium cauſæ, utpotè omnium
Patris,omniũ Conditoris,Conſervatoris, Cuſtodis,Principij & finis,
indefenibilis, interminabilis,immenſi, incomprehenſibilis. Quem ſola
iam Fides amplectitur,quando ratio,& natura, etiam Angelica,plenè
non capit: cum ipſa omnia,quæ formavit, excedat, & totus ubique in
eiſdem rebus,quas formavit, favendis, fovendis, incubandiſque con-
ſiſtat,cœlum & terram ſolus implens, ut apud Ieremiam habetur, lu-

Ierem.cap.23.
D.Paul.1. Tim.6.

cemque, ut D.Paulus ait, habitans inacceſsibilem,& tenebras ponens
latibulum ſui. Quo fit,ut & ipſum ſolum,tanquam verum,ac ſolum to-
tius Mundi Regem, omnes Mundi Reges venerari, ac revereri de-
beant,cum ipſius ſolius ſit totum Mundum implere, cuius & condere
æqualis voluntas,ac poteſtas fuit.

Et hoc eſt, quod præſens (ut vides) Emblema deſignat, ſub Dei 3
Patris figura, ſuper utrumque globum cœleſtem, & terreſtrem recu-
bantis,& ſibi utriuſque ueram dominationem ex prefatis titulis aſſe-

Æſchil.in Prometheo ligato.
Horat.3. Carmin. Od.1.

renti s. Quos cum terreni Reges prætexere nequeant,par eſt,ut cœle-
ſti colla ſubmittant, Æſchilis illud in memoriam revocantes; *Omnia*
ſunt definitè conſtituta, præterquam Dijs imperare; nullus enim liber eſt
niſi Iupiter. Horatij.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos Imperium eſt Iovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.

Daniel.cap.3.

Et Nabuchodonoſoris exemplum veriti, qui, ut ſacra recenſet Hi 4
ſtoria,rebus ſecundis elatus, ſtatuam ſibi auream immenſæ magnitu-
dinis poſuit,adorarique eam, ut divinam effigiem, præcepit,& lata in
tres pueros Hebræos,Sidrach, Miſach, & Abdenago, id facere aver-
ſantes, capitalia ſententia, in has voces blaſphemas, & impias proru-

S Paulin. epiſt.4. ad Sever.Sulp.

pit: *Quis eſt Deus,qui eripiat vos de manu mea?* Propter quod eidem, in
ſolitudinem feritatemque damnato, ut D.Paulinus ait: *Luctuoſa con*
cretio capitis intonſi, in iubam leonis horruit, ut etiam corporis ſpecie
tranſiret in belluam; qui non ſolum à Regnis ſuis, ſed etiam à ſenſibus exu-
lares humanis, coma triſti leonem; uncis unguibus, vulturem, ſenſu, & pa-
bulo, bovem referens, ne unius tantùm belluæ ſimilitudem ferret in pœnis,
qui multarum ſimilis fuiſſet in moribus.

Et ad hanc Dei Optimi Maximi potentiam, & in rebus omnibus 5
præſentiam,ſive,ut ita loquar,intereſſentiam,vel,ut Theologi dicunt,

Geneſ.1.ubi latè Perer.Mariana, Delrius, Merſenius,& alij.

Vbiqueitatem, illud Geneſis pertinet, *Spiritus Dei ferebatur ſuper a-*
quas,ubi plures ex ſanctis Patribus legunt,vel explicant,*Fovebat*, ſiue
Incubabat,in gallinæ ſimilitudinem,ova ſuo calore confoventis,& ani-
mantis. Cũ & ipſe Spiritus Sanctus Deus ſit,qui non loco continetur,
nec diſtenditur, nec temporum mutationibus ſubiacet, ſed eſt ubique
præſens,ac totus,& ex ipſo,& per ipſum, & in ipſo ſint omnia, ut à D.

D.Paul. ad Rom. 13.36.
David Pſal. 138.

Paulo docemur, & multò ante à Regio Pſalte dũ canit, *Quò ibo à Spi-*
ritu tuo, & quò, à facie tua fugiã? Si aſcendero in cœlũ, tu illic es; ſi deſcẽde-
ro ad infernũ, ades, ſi ſumſero pẽnas meas diluculo, & habitavero in extre-
mis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Divus

6 Divus etiam Auguſtinus, à quo & habuit S. Bonaventura, idem ipſum his verbis expreſsit: *Solus Deus totus oculus eſt, totus manus, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt: totus eſt manus, quia omnia operatur: totus pes, quia ubique eſt: cum illum nullus circumſcribat locus, & ſolus ſit præſens, etiam ijs, qui longè ſiunt a ſe.* Et iterum, non minùs ad rem noſtram, initio ſuarum confeſsionum, ſic habet: *Capiunt ne ergo te cœlum & terra, quoniam tu imples ea? An imples, & reſtat, quoniam non te capiunt? Et quò refundis quicquid impleto cœlo & terra reſtat ex te? An non opus habes, ut à quoquam contin earis, qui contines omnia, quoniã quæ imples, continendo imples? Non enim vaſa, quæ te plena ſunt, ſtabilẽ te faciunt, quia etſi frangantur non effunderis.*

D. Aug. ſup. Pſal. 120. S. Bonav. in Pharet. lib. 1. c. 1.

7 Et rurſus, & adhuc melius ita inquiens: *Subſtantialiter Deus ubique diffuſus. Sed ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, ut non ſit qualitas mundi, ſed ſubſtantia creatrix mundi, ſine labore regens, & ſine onere continens mũdum. Non tamen per ſpatia locorum quaſi mole diffuſa, ita ut in dimidio mundi corpore ſit dividuus, & in alio dimidio dividuus, atque ita per totũ totus. Sed in ſolo cœlo totus, & in ſola terra totus, & nullo contentus loco; ſed in ſe ipſo ubiq; totus.* Et poſtea: *Ideò enim ubique eſſe dicitur, quia nulli parti rerũ abſens eſt. Ideò totus, quia non parti rerum partem ſuam præſentem præbet, & alteri parti alteram partem; æquales æqualibus, minori verò minorem, maiorique maiorem: ſed non ſolùm univerſitati creaturæ, verùmetiam cuilibet parti eius totus pariter adeſt, &c.*

Idem Aug. epiſt. 57. ad Dardan.

8 Eadem propemodum idem Auguſtinus, Gregorius, Iſidorus, Iuſtinus Martyr, Ambroſius, Clemens Alex. Arnobius, Tertullianus, Bernardus, & alij ſancti Patres paſsim expendunt, dum omnem illam cõtinendi rationem, qua Deus cuncta cõplectitur, videt ac fovet, exponunt. Quorum ſcrinia compilare opus non eſt, præſertim cum id iã diligenter præſtiterint doctiſsimus Pet. Faber in ſingulari illo libro, cui *Dodecamenon*, ſive de Dei nomine, atque attributis titulũ fecit, & Ioãnes Fileſacus in alio, in quo Deum eſſe centrum, & locum rerũ omniũ oſtẽdit. Quibus addere licet Theodoretũ Epiſcopũ Cyri, huic cauſæ, Mundi per tot annorum curricula indefectibilem permanentiam, ſic tribuens: *Deus gubernat hanc rerum univerſitatem conditor. Nec ut Faber diſcedit à navi extructa, relinquens eam nautis gubernandam. Sed idẽ eſt & fabricator navis, & materiæ plantator, & gubernator clavum tenens; cuius rei teſtis eſt tot annorum converſio, & temporis diuturnitas, nihil omnino detrimenti huic navi afferens; ſed eam ſalvam, atque integram, non modo primis hominibus, ſed etiam univerſæ poſteritati oſtendens.* Et eſt etiam lectu dignus Iuſtus Lipſius, hæc eadem omnia eleganti ſsimis verbis ediſſerens, quæ quoniam ego alibi retuli, hic non tranſcribo.

Pet. Fab. in d. dec. cap. 4. Fileſac. lib. 1. ſelect. cap. 1.

Lipſ. de Conſtant. lib. 1. c. 13. & Ego 1. tom. de Indiar. gubern. lib. 2. c. 2. n. 1. qui eius verba refero.

9 Neque mirum eſt Sanctos hos Patres, quibus lux Evangelicæ veritatis affulſit, hæc agnoviſſe, cum Ethnici etiam Scriptores, naturali tantùm ratione ducti, idem ipſum fuerint aſſequuti. Inter quos nihil magis repetitum, aut decantatum invenies, quàm illud,

A Iove principium, Iovis ſunt omnia plena.
Iuppiter eſt quacumque vides, quacumque moveris.

Aratus in Phœnomenis, Virgil. in Palem.

 Vnde

Apul. in lib. de mũdo, ad finem.

Vnde Orpheus apud Apuleium ſic cecinit:

Iuppiter omnipotens, eſt primus & ultimus idem:
Iuppiter eſt caput, & medium, Iovis omnia munus.
Iuppiter eſt fundamen humi, ac ſtellantis Olympi,
Iuppiter & mas eſt, & fœmina neſcia mortis;
Et pelagi radix, Sol, Luna, eſt Iuppiter ipſe;
Omnipotens Rex eſt, Rei omnis Iuppiter ortus.

Virg. 4. Georg.

Virgilius quoque Pythagoræ doctrinam ſequutus, aſſerentis Deũ eſſe immiſtum elementis omnibus, & rebus viſibilibus, etiã in apibus, alijſque animalibus, divinam hanc adſiſtentiam agnoſcit, ſic inquiens, 10

Eſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terraſque tractuſque maris, cœlumque profundum;
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.

Idem Æneid. 6.

Et rurſus habet,

Principio cœlum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Eugub. de Peren. Philoſoph. lib. 1. cap. 3.

Mantuan. in carm. de Deo.

Ob quæ loca Virgilium cum Davide comparat Eugubinus, & ad eadem reſpiciens Baptiſta Mantuanus, ita ait, 11

Cuncta Deus replet: Deus eſt ſupra, Deus infra.
Æthérios Orbes habitat ſub Sole, ſub Aura,
Sub tellure latens, ſub Dite, ſub æquoris undis:
Omnia plena Deo.

Eademque carmina eſſe puto, quæ citãtur à Catone, ſive illo, quiſquis fuerit, qui Diſticha, quæ Moralia vocantur, certè Catone digna, compoſuit. Dum in primo ſic habet, 12

Si Deus eſt Animus, nobis ut Carmina dicunt,
Hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus.

Eraſm. & Scalig. in notis ad hæc Diſtich. Pontan. in bellarijs Atticis, 2. par. pag. 518.

In quo exponendo, licèt non parùm Eraſmus, Scaliger, & alij vexentur, facilis tamen mihi ſenſus eſſe videtur, ſi ad hanc Dei in rebus omnibus, & in nobis metipſis animationem, incubationemque reſpexiſſe dicamus, & coma illud, quod vulgò poſt verbum *Animus* ponitur, ad ſequens *Nobis* transferatur, & ita legamus,

Si Deus eſt animus nobis, ut Carmina dicunt.

Seneca paſsim, ſed præſertim 2. nat. quæſt. cap. 45.

Idem epiſt. 41. ad Lucil. vide Lipſ. in Manud. diſſ. 19. & in Phiſiolog. 3.

Seneca quoque, (ut innumeros alios prætercam) multus paſsim eſt ſuis in libris in hoc argumento, & nihil aliud eſſe Naturã docet, *Quàm Deus, & divina ratio, toti mundo partibuſque eius indita, atque inſerta, & ſe vi ſua ſuſtinens.* Et ad Lucilium ſcribens, in nulla re magis, quàm intra ipſum hominem, Deum exiſtere, his verbis, perpetuò mente tenendis, obſervat; *Prope Deus eſt, mecum eſt, intus eſt. Ita dico Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, bonorum malorumque noſtrorũ obſervator & cuſtos. Hic prout à nobis tractatur, ita & nos tractat ipſe: Bonus verò vir ſine Deo nemo eſt, &c.* 13

Ad quem locum neſcio an reſpexerit Prudentius dum poſtquam 14

nos

nos monuit, quo pacto ſingulis diebus mores noſtros componere debeamus, ita ſubdit:

Speculator adſtat deſuper
Qui nos diebus omnibus
Actuſque noſtros proſpicit
A luce prima in veſperum.
Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt,
Humana quod mens concipit;
Hunc nemo fallit iudicem.

Prud. in Hymn. natur.

15 Illud certè ſcio, debere Nos Chriſtianos homines pudore ſuffundi, cum apud Senecā, & alios Gentiles Authores, adeò pia, ac Chriſtiana documenta comperimus. Ideòque mihi ſuccenſendum nō eſſe, ſi in ijs commētarijs, multus fortè in illis referēdis delicatis aliquibus videar; nam ut præclarè D. Auguſt. ſcripſit, *Ex eorū benè dictis, aut benè factis, acriores ſtimuli ad virtutem ſumi poſſunt: cum ſubeat animo, quàm turpe ſit, non ea perſpicere pectus Evangelica luce illuſtratum, quod perſpectum eſt ijs, quibus ſola naturæ ſcintilla prælucebat.* D. Aug. lib. 2. de Doctr. Chriſt.

16 Ex quibus apparet, non minùs verè, quam aptè, Empedoclem, & alios, Deum ſphæram incomprehenſibilem appellaſſe, cuius centrum ubique, circumferentia nuſquam, niſi in ſe ipſa. Et Theophilum rectè dicere potuiſſe, verbum Græcum, THEOS, unde & Latinū DEVS, inde deductum, quòd apud ipſum res omnes ſuam ſecuritatem, & cuſtodiam aſſervent; non aliter, atque in ſuo centro, tanquā in loco magis ſecuro, magiſque ſalutari, naturales, gravitate præditæ, continentur, atque ſervantur. Vel *à currendo*, quia Deus omnia movet, in operationē producit, nutrit, ſua providentia diſponit, gubernat, vegetat, & vivificat: ſinguliſque rebus eſſentiam ſuā cōmunicat, atque, ut noſtrorum verbis utar, eſſendi modum & gradum largitur, ſimulque eaſdem conſervat, & unamquamque illarum ad finem ſuum, ſibique cōgruum dirigit. Theoph. lib. 1. ad Autolycum.

17 Quæ omnia ſatis (ni fallor) noſtri Emblematis Thema, ac lema explicant, & illuſtrant. A quo non multum diſtat aliud Achillis Bochij, in quo Deum in orbem inſuflantē depingit, & hūc (pariter ac nos facimus) omnia complere, animare, & movere longo carmine explicat. Achil. Boch. ſymb. 140. lib. 5.

18 Et poſt hæc ſcripta, idem ipſum piè, ac doctè inſinuaſſe comperio Guillermum Heſsium è Societate Ieſu, ſub pictura cuiuſdam circuli, in quo minor alius includitur, & ſimul tetragonus, hexagonus, & octagonus, quaſi qui numeros omnes abſolutè comprehendat, cū hac Epigraphe, *Omnia in uno, & in omnibus unus*; & his carminibus quæ ſequūtur: Guiller. Heſs. lib. 1. emb. 1.

Qui cuncta claudit, ambituque comprehendit,
Cunctis tenetur clauſus, atque comprehenſus.
Par ſemper, idem ſemper, unus eſt ſemper.
Summo tenentur cuncta, ſummus in cunctis:
Sed ille, vel ſic comprobatur immenſus.
Summo teneri, qui recuſat, inſcriptus,
Summum nec ille continebit inſcriptum.

19 Diſcant nunc ergo Reges mortales, quanta inter ipſos, & immor-

David Pſalm. 2.

…atem, ut differentia, & iuxta Davidicum monitum: *Erudimini qui iudicatis terram, ſervite Domino in timore; & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, ne quandò iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Cum exarſerit in brevi ira eius, Beati omnes, qui confidant in eo.* Nec ſe ei nimio faſtu prætumidi, vel ſecundis rebus elati, aut adulatorum (quod frequenter accidit) lenocinijs decepti, pares

David d. Pſalm. 2. verſ. 9.
Apocal. 19. 16.

eſſe contendant, qui eoſdem tanquam vas figuli confringere poteſt, & habet in veſtimento, & in fœmore ſuo ſcriptum, *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Et ad cuius vel ſolum nomen, omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum flecti debere Apoſtolus docet.

D. Paul. 2. ad Philip. 10.
Iſai. 19. 16.

Quo enim ore, ut Iſaias ait: *Lutum contra figulum ſuperbiet, vel cogitabit? Et dicat opus factori ſuo, non feciſti me, & figmentum dicat fictori ſuo, non intelligis?* Vel qui ne muſcam quidem creare poteſt, cum illo contendet, qui mundialem hanc machinam, tanta rerum diverſitate conſtantem, ex nihilo condidit, & tanquam ſi nihil faciat, per tot ſæculorum ſeriem, illæſam, ſartam tectamque, divina ſua adſiſtentia, ac providentia conſervat? Et de quo non minùs verè, quàm piè, canere potuit D. Proſper. Aquitanicus: 20

D. Proſp. in lib. de provid. Dei.

Hic Auctore carens & tempore, permanet idem
Semper, & immenſum, nec ſæcula, nec loca claudunt.
Hic nullis mundi cauſis extantibus in ſe
Quicquid vellet habens, cum viſum eſt, omnia ſolus
Condidit ut voluit, formas numeroſque modoſque.
Et genera, & vitas ſtatuens, & ſemina rebus,
Quicquid ineſt cœlo, quicquid terra marique,
Quicquid quocunque eſt in corpore, ſiue animatum,
Siue expers animæ, calida, humida, frigida, ſicca,
Vno extant Auctore Deo: qui divite Verbo,
(Quod Deus eſt) rerum naturas, atque elementa
Protulit & ſummis Opifex intentus & imis, &c.

Octav. Minut. fœlic.

Sed audi precor Octavium Minutij fœlicis, eleganter hæc omnia referentem, & perpendentem, & ex mirabili cœli, & ſyderum motu, terræ per anni tempora mutatione, maris reciprocis æſtibus, hominum, & animalium natura & varietate, hãc inenarrabilem Dei potentiam, providentiam, & in rebus omnibus inter eſſentiam colligentem, ſuamque orationem his verbis claudentem: *Quòd ſi ingreſſus aliquam domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes; utique præeſſe ei crederes Dominum, & illis bonis rebus multo eſſe meliorẽ. Ita in hac mũdi domo, cum cœlum terramque perſpicias, providentiam, ordinem, legem: crede eſſe univerſitatis Dominum, Parentemque, ipſis ſyderibus, & totius mundi partibus pulchriorem.* 21

Auſon. in Paneg. ad Gratian.

Eant igitur, aut pereant etiam, impudentiſsimi adulatores, qui luteis, ac terrenis Principibus aſſentantes, parum ſe illos extollere cenſuerunt, niſi divinis quoque titulis, honoribus, & attributis donarent, ac demulcerent. Inter quos Auſonius, vel hanc, *Vbi quietatem,* quam ſolius Dei propriam eſſe oſtendimus, ſuo Imperatori Gratiano his verbis tribuere veritus non fuit: *Ades enim locis omnibus, nec* 22

nec iam miramur licentiam Poëtarum, qui omnia Deo plena dixerunt.

23 Et, ut expreſsius, ita & abſurdius, Mamertinus, qui in genethliaco ad Maximianum, & Diocletianum Imperatores, qui ſe Herculeos paſſi fuerunt nuncupari, ſic dixit: *Itaque illud, quod de Ioue cecinit Poëta Romanus, plena Iouis omnia eſſe, id ſcilicet animo contemplatus, quamquam ipſe Iupiter ſummum cœli verticem teneat, ſupra nubila, ſupra vẽtos ſedens in luce perpetua, numen tamen eius ac mentem toto infuſam eſſe mundo: id nunc Ego de utroque veſtrum, ubicunque ſitis, in unum licèt Palatium conceſſeritis, divinitatem veſtram ubique verſari, omneſque terras, omniaque maria plena eſſe veſtri. Quid enim mirum, ſi cum poſsit hic mundus Iovis eſſe plenus, poſsit & Herculis.*

Mamertin. in Panegyr.

24 Quanto modeſtiùs Ageſilaus, cui cum Thaſi templa, ac divinos honores decreviſſent, utpotè Principi de ipſis optimè merito, ſciſcitatus eſt ab eorum legatis, qui hoc poſtulatum venerant, num ipſi poteſtatem haberent ex hominibus creandi Deos? Reſpondentibus ſe habere, dixit: *Vos ipſos primùm Deos facite, tunc vobis credam, quòd me Deum facere poteritis.*

Ageſilaus in eius Apophtheg. apud Eraſm.

25 Alexander etiam Magnus, etſi aliquando Deus haberi, ac ſalutari voluerit, habitumque Deorum aſſumſerit, modeſtè tamen ob hanc divinitatis affectationem ab Olympiade matre taxatus fuit, ea eleganti epiſtola, quæ apud Agellium habetur. Ac præterea ipſe, cum graviter in expugnatione cuiuſdam urbis vulneratus, miſsionem ſanguinis, & creſcentem vulneris dolorẽ, inter Chirurgi manus præſentiret, quàm falſam opinionem imbibiſſet, quàmque dementer ſe ab adulatoribus decipi paſſus fuiſſet, his verbis expreſsit: *Omnes me prædicant Iovis eſſe filium; ſed vulnus hoc hominem eſſe me clamat.* Sive ut Plutarchus in eiuſdem Alexandri apophthegmatis tradit:

His ſanguis eſt non diis, ut ſolitus manare beatis.

Agel. lib. 13. noct. Attic. cap. 4.

Plutarc. in vita Alex. Curtius lib. 8. cap. 20.

26 Recentior eſt, ſed ſcitu non minùs digna Canuti Anglorum Regis apud Polidorum Virgiliũ hiſtoria. Hic enim dum animi laxandi cauſa, haud procul à littore maris ambularet, & militum acclamationibus exceptus fuiſſet, quòd ad tantam Maieſtatem fœlici ſucceſſu adſpiraſſet. Cum ab illis appellaretur Rex Regum omnium potentiſsimus, qui hominibus, qui terræ, qui mari latè imperitaret. Tum ille tacitus, animo ad Dei potentiam contemplandam erecto, ut ſuorum vanas oſtentationes aliquo argumento coargueret, veſtem exuit, atque ex ea globum fecit, ſuper quo ſedit quàm proximè aquam, æſtu tunc fortè ex alto ſe incitante, ac inquit: *Vnda tibi iubeo, ut ne pedes meos tãgas*: quæ ubi eſt fatus, cunctis admirantibus quatenus iſta faceret, unda inſurgens totum madefecit. Tunc ille retrò progreſſus: *En* (inquit) *Principes, me Regem, & quidem omnium potentiſsimum vocatis, qui hanc parvulam undam meo imperio cobibere, vel remorari nequeo, nullus nempè mortalium eſt tali nomine dignus. Eſt Rex unus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cũ quo ille regnat, cuius nutu cuncta reguntur; hunc veneremur, hunc Regẽ appellemus, hunc Regum, hunc populorum omniũ Dominum, hunc cœli, terræ, maris Rectorẽ, non ſolùm confiteamur, ſed etiam profiteamur, prætereà neminem.* Poſt hæc Vintoniam profectus, coro-

Polid. Virg. Hiſt. Angl. lib. 8.

nam, quam geſtabam, capiti ſimulachri Crucifixi, quod in Templo Apoſtolorum Petri & Pauli pendebat, ſuis manibus impoſuit, nunquam poſthac eiuſmodi ornamento capitis uſus inſigni.

Pontan. in bellarijs Atticis, 2. par. cap. 34. pag. 59.

CVI hiſtoriæ, aliam non minus lepidam addere poſſumus, quam ex incerto quodam Germano Authore apud Iacobum Pontanū reperio; de quodam Principe, qui cum ad opes, potentiam, & magnificentiam ſuam toti mundo prodendam & oſtentandam, ſumtuoſa quædam ædificia moliretur, quorum pars camerata, pars laqueata, pars in excelſum, pars in longum longius producta; conſpiciebatur, omnia ſummo artificio à ſummis Architectis, Pictoribus, & Magiſtris perfecta, & illuſtriſsimè exornata. Et forte morionem, ſeu fatuum multorum leporum ſibi ſervientem interrogaret, ecquid placerent ſtructuræ tam nobiles, ac fornices præſertim tam ampli, & columnæ tam inſignes? Ab eo ad feneſtram perductus fuit, & digito in cœlum tenſo: ***Tu te*** (inquit) *Architectum incomparabilem exiſtimas, & exiſtimari, ac prædicari cupis. Agedum, aſpice, hic te longè ſuperat. Verus ne ſum? In ambitu domus huius ad firmandam, & conſtabiliendam ædificationem, tu columnas tot ſupponere debuiſti. Hic autem, in tanti operis immenſitate, nullis columnarum fulcimentis indiguit. Hunc, Domine frater, hunc, inquam, Magiſtrum, & Architectum dici, & in eo gloriari patiare, tuæ molitiones, cum tua gloria, ad illius machinas, & gloriam, meriſsimæ ſunt nugæ.* 27

Sapient. 1.

Reſponſum quidem fatui, non fatuum; nam ut Sapiens docet: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis*; & vel quæ in operibus Dei minima ſunt, omnem Regum potentiam, & ſapientiam excedunt; & ut Tertullianus inquit, ſi vel minutiora animalia nemo imitari poteſt, qualia erunt maiora, quæ Deus, ac Dominus noſter ornavit, & de quibus Regius Vates dicere potuit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius, annūtiat firmamentum.* Et Sapiens: *Puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.* 28

Tertull. adverſus Marcion.

David Pſalm. 18.
Sapient. 6. 8.

D. Aug. in lib. de vera innocent. & lib. 1. quæſt. q. 1.
Euclid. apud Max. Tyrium, ſerm. 21.
Salvian. lib. 1. de provid.

Sed cum iuxta Divi Auguſtini doctrinam, ſuper eminentia Deitatis, non ſolùm uſitati eloquij noſtri, ſed etiam intelligentiæ facultatem excedat, hìc finio, quia de Deo, ut olim dixit Euclides, etiam verum dicere periculoſum eſt: *Tantaque, & tam tremenda* (Salviano docente) *eſt Maieſtatis ſacræ reverentia, ut non ſolùm quæ contra Religionem dicuntur, horrere, ſed etiam ipſa quæ pro Religione nos ipſi dicimus, cum grandi metu, ac diſciplina dicere debeamus.* 29

(∴)

Deus ſolus Dominus.

EMBLEMA II.



Aſpice ſplendentem Puerum, radijſq; coruſcum,
Qui Phœbi nitidas lumine vincit opes.
Quem Dominũ mõſtrat Tyburis manus alma Sybillæ,
Nam ſoli, & ſolus Rex tonat ille Poli.
Principis æterni reverentes cernite numen,
Qui geritis multis ſceptra caduca modis.

COMMENTARIVS.

1 REVERENTIAM differentiamque, quam inter immortalem, & mortales Reges, ex incomparabili divinorum operum magnitudine ſuperiori Emblemate comprobavimus, cœleſte quoque illud, & miraculoſum Oraculum manifeſtat, quod in præſenti Graphicè deſignamus, graviſsimorum Auctorum traditionẽ ſequuti, qui proximè poſt Chriſti Domini, ac Servatoris noſtri Nativitatem, Sybillam Tyburtinam ad Auguſtum Cæſarem acceſsiſſe, eique ipſum eundem Chriſtum Iride, vel Solis radijs incluſum, cum ſanctiſsima eius Genitrice oſtendiſſe teſtantur, ſub illo cœli tractu, quo poſteà Romæ, in perpetuam huius rei memoriam, Franciſcanorum ædes hodie conſtructa reperitur, vulgòque, eandem ob cauſam, Sancta Maria de Ara-Cœli vocatur. Seriòque illũ admonuiſſe, quis,

Tertul. in Apolog. cap. 34. Oroſ. Antonin. Vergomẽſ. Polid. Virgil. & alij apud Me 1. to. de Indiar. iur. lib. 2. c. 21. n. 58.

qua-

qualis, quantuſque recens natus puer eſſet, ipſique dumtaxat iuſtè, ac vere nominationem pariter, ac dominationem totius Orbis deberi, nullumque alium Cæſarem, Principemve, *Domini* vocem vicemque præſumere poſſe. ¶ Quam etiam hiſtoriam adeò eleganti carmi- 2
ne memorat Baptiſta Mantuanus, ut rem gratam Lectori me facturũ arbitrer, ſi eius verba hiſce meis Commentarijs adtexam, quæ ſic habent;

Mantuan. lib. 3. Parth. 1. poſt princip.

Hæc, cum divinos cultus, & ſacra pararent
Auguſto cum plebe Patres, cita Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæſaris aulas,
Fulgentem nitido monſtravit in æthere circum,
Iriaeque incluſam parva cum prole Parentem.
Atque manum tendens, vultuque ad ſydera verſo,
Ille puer Deus eſt, inquit; Tu deſine Cæſar
Velle coli, Pueroque aras, ac templa relinque.
Ille regit cœlos, atque immortalis Olympi
Poſsidet Imperium, & fatalia temperat aſtra, &c.
Tu ſceptrum mortale geris. Te Serica nondum
Regna, nec Eoæ noverunt littora terræ, &c.
Pone precor Cæſar faſtus Auguſte ſuperbos,
Teque (licèt tractes vaſtæ telluris habenas)
Eſſe ſub immenſo poſitum reminiſcere ſummi
Principis Imperio: cui rerum æterna poteſtas.
Hæc ait, & patrios petijt ſic fata Penates.

Baron. in appar. ad ann. n. 26.

Et licèt Eminentiſsimus Cardinalis Cæſar Baronius, bono Chriſtianæ Reip. natus, huic hiſtoriæ non multum deferat, quatenus Sybillam Tyburtinam hoc ſignum Auguſto oſtendiſſe commemorat, cum hæc, & aliæ Sybillæ, multis ante illum ſæculis deceſsiſſent, putat tamen ex ipſius libris Auguſtum hoc diſcere potuiſſe, in quibus cognoſcendis, ſcrutandis, expugandiſque, multus fuit, prout & in conſulendo Apollinis oraculo, cui & templum in Palatio erexerat, & à quo, præmiſſo Hecatombes ſacrificio, & de Oraculorum defectu interrogato; tale reſponſum (Suida, Nicephoro, & alijs multis referẽtibus) accepit:

Refert, poſt alios, Thom. Bozius de ſig. Eccl. noviſsim. Camer. 1. ſubceſſ. cap. 59. pag. 266.

Me puer Hebræus divos Deus ipſe gubernans,
Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub orcum.
Aris ergo debinc tacitus abſcedito noſtris.

Idemque indicavit cœleſtis ille arcus Romæ tunc etiam repentè 3
Cœlo ſereno viſus, Solem in modum circuli ambiens. Idemque Sol, intra tres circulos effulgens, quorum unus, corona ſpicarum ignita circumdabatur. Oleum trans Tiberim in taberna meritoria per integrum diem, ſine intermiſsione, è terra, in modum fontis, erumpens, ac fluens, & plura alia prodigia, quæ ex Plinio, Suetonio, Seneca, Dione, Euſebio, Oroſio, & alijs, idem Baronius enarrat.

D. Tho. 3. p. q. 36. Flav. Dext. art. 1. Valdes de dign. Reg. Hiſp. c. 6. n. 4. Tamai. in ſuis novantiquis lection. pag. 14.

Cui (in noſtræ Hiſpaniæ laudem) addere poſſumus aliud, de tribus 4
Solis in ea per ipſum tempus conſpectis, qui poſteà paulatim in unũ coaluerunt, quaſi individuæ Trinitatis myſterium adumbrantes; ut D. Thomas, & Flavius Dexter teſtãtur, & ab impugnationibus Patris Maldonati, benè Valdeſius noſter, & Tamaius defendunt.

5 Et quòd de novo lucidiſsimoque Aſtro, ſeu Phœnomeno, in eadẽ Hiſpania ſub idem ipſum tempus apparente, in generali Chronico Alphonſi Regis, & Ioannis Vaſæi hiſtoria narratur. Quod occaſionem Authori cuidam Neotherico præſtitit, opinandi, hanc ſtellam, illam eandem eſſe, quæ Magos Reges ad Chriſtum Dominũ, adhuc in præſæpe vagientem, adorandum direxit, quos & Hiſpanos fuiſſe, probare contendit.

6 Sed utcumque hoc de Tyburtina ſe habeat, illud planè apud omnes compertum eſt, eundem Auguſtum ſub id temporis edicto vetuiſſe, ne quis ipſum DOMINVM appellaret, ita ut ne à liberis quidem, vel nepotibus ſuis, hoc vel ſerio, vel ioco paſſus fuerit, ut Suetonius, Tertullianus, & alij teſtantur.

7 Quod & Tiberius continuavit, qui, ut ex eodem Suetonio, Dione, & Tacito, tradit Baronius, in primis ſui Imperij annis adeò optimi Principis, & ab omni faſtu alieniſsimi, ſpecimen dedit, ut non tantùm ſe Dominum dici vetuerit, id ſibi contumeliæ loco eſſe denuntians, ſed neque ullum templum ſibi proprium extrui (licèt hoc Hiſpani, præter alios, ſummis ab eo precibus efflagitaverint) neque ſe in ullo alio loco coli paſſus fuerit edicto etiam palam, ne quis privatus, neque urbs, ſtatuam poneret in iuſſu ſuo. Addideritque, nunquam id cõceſſurum, *Seque mortalem eſſe, & hominum officia fungi, ſatiſque habere, ſi locum Principem implere poſſet.* Quod, qua mente ab eo dictum fuerit, exponit Tacitus; & alij modeſtiam, multi quia diffideret, quidam ut degeneris animi, interpretabantur.

8 Cæterum hæc moderatio, vel in his ipſis Imperatoribus parum duraſſe videtur, cum poſtea Auguſtus, Imperio magis conſtabilito, ſibi atque urbi Romæ templum, apud Pergamum ſiſti non prohibuerit, ut Tacitus memorat, & Aras conſtitui, ad quas per ipſius genium, nomẽvè iurarentur: de quibus agit Horatius dum inquit,

Præſenti tibi maturos largimur honores,

Iurandaſque tuum per nomen ponimus Aras.

Magiſque eos puniiſſe legatur, qui per ſuum, quàm qui per divinum nomen peierarent. Inquiens nimirùm, ut ille apud Tacitũ dixit: *Deorum iniurias dijs curæ eſſe: Principes verò Maieſtatis ſuæ, periurio violatæ, vindices eſſe debere.*

9 ¶ Neque ſolùm Domini, verùm & Dei appellationem gratanter admiſſerit, tam à Virgilio, dum de eo canit,

O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit:

Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius Aram

Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Quam ab Ovidio, ipſi divinitatem ſæpiſsimè concedente, non tã, ut arbitror, quòd ſe exilij calamitate oppreſſum videret, quàm quòd id iam in more Romano receptum, ac poſitum eſſet, ſic enim ait:

Thuraque Cæſaribus cum coniuge Cæſare digna,

Dijs veris memori debita ferre manu.

Et alibi, *Sed prius impoſito ſanctis Altaribus igne,*

Thura fer ad magnos vinaque pura Deos,

Quibus ante omnes Auguſti nomen adora.

Chronic. Alphonſ. par. 1. c. 107. Vaſæus par. 1. hiſtor. Hiſp.

Ioan. Caramuel in tract. de inſignijs Hiſp. pag. 36. Et Salazar Tom. I. Martyrol. Hiſp. die VI. Ianuar. fol. 74.

Matth. 2.

Suet. in Aug. c. 53.

Tertul. in Apolog. c. 34. ubi Pamelius & Cerda, plures alios adducunt.

Baron. ann. Chriſt. 16. in fin. latè Ioan. Fileſac. de idololatria politic. cap. 3. pag. 31.

Tacit. 15. annal.

Tacit. 4. annal.

Tacit. 4. annal.

Horat. epiſt. 1. lib. 2.

Tacit. ap. Briſſ. lib. 8. de form. pagina 809. vide l. 13. §. ſi quis, D. de iur. iur.

Virgil. Eclog. 1.

Ovid. 1. de Ponto, Eleg. 1.

Idem 3. de Ponto, Eleg. 1.

Et

Idem 1. de Ponto, Eleg. 1.

Et iterum,

Neſcit enim Cæſar, quamvis Deus omnia novit,
Vltimus hic, qua ſit conditione locus.
Magna tenent illud numen molimina rerum
Hæc eſt cæleſti pectore cura minor.

Idem 1. Triſt. Eleg. 3.

Quinimò & Iovem alibi facit eundem Auguſtum, ſic inquiens:

Si fas eſt homini cum Iove poſſe loqui.

Lucan. lib. 1.

Neronem quoque, vivum adhuc, Deum vocavit Lucanus,

Quòd ſi non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna Deo.

Dion Caſs. lib. 57. Briſſ. ſup. Tacit. 3. Annal.

Et quamvis de Tiberio referat Dion Caſsius, paſſum non fuiſſe per Genium ſuum iurari, aut in diſcrimen iudiciumvè quemquam vocari, hoc nomine, quòd per Genium ſuum peieraſſet, tandem tamen, ut Tacitus narrat, Domini nomen admiſsit, & ſuas occupationes divinas à pedarijs, & trementibus, aut lenocinantibus Senatoribus appellari, licèt de eiſdem exclamare ſoleret, *O homines ad ſervitutem paratos.* 10

Suet. in Caio, c. 27.

Caius quoque Caligula, pleroſque honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, ad metallum, & beſtias condemnavit, quòd nunquam per Genium ſuum deieraſſent, ut in eius vita Sueton. ſcribit. Et poſteà Domitianus eò impudentiæ ſuperbiæque proceſsit, ut ſe, non ſolùm Dominum Deumque vocari permiſſerit, prout & iam ante ipſum vecors Caligula fecerat, verùm (Suetonio teſtante) ipſe, cum epiſtolam dictaret, ſic incepit, *Dominus Deuſque noſter ita iubet.* Vnde inſtitutũ, ut ita à populo vocaretur, ut oſtendit illud Martialis, 11

Sueton. in Domit. cap. 13.

Mart. lib. 8. Epigr. 8. de Phaſide.

Edictum Domini Deique noſtri.

Idem Martial. lib. 10. Epigr. 72.

Quod cum deinceps Trajanus, magis pius, meliuſvè doctus, horruiſſet, idem Martialis, tempori ſerviens, ipſius in hoc modeſtiam ita collaudat. 12

Fruſtra blanditiæ venitis ad me
Attritis miſerabiles labellis:
Dicturus Dominum Deumque, non ſum.
Iam non eſt locus hac in urbe vobis, &c.
Non eſt hìc Dominus, ſed Imperator,
Sed iuſtiſsimus omnium Senator.
Hoc ſub Principe, ſi ſapis, caveto
Verbis, Roma, prioribus loquaris.

Plin. Iun. in Panegyr.

Plinius quoque Iunior eundem Trajanum ob hoc in ſuo eleganti Panegyrico multum extollit, quòd *Sedem Principis obtinuerit, ne eſſet Domino locus, diverſaque natura eſſe ſciverit Dominationem, & Principatum; nec alijs eſſe Principem gratiorem, quàm qui maximè Dominum graventur.*

Et

13 Et hunc morem ſequuti priſci omnes notæ melioris Imperatores, ut Bulengerus, & alij docti Scriptores obſervant, ſolos Deos Dominos appellandos eſſe reputaverunt; ſibi Principum, vel Imperatorum nomen reſervantes, quod mitius, ac temperantius, quàm Regum, ac Dominorum exiſtimabant, ut inſinuat B. Gregorius Magnus ad Phocam Imp. ſcribens, dum inquit, hoc intereſſe inter Reges Gentium, & Reipublicæ Imperatores, *Quòd illi ſervorum Domini ſint; Cæſares, liberorum*. Et Eraſmus dum tradit: *Conditionis nomen Dominus eſt, non honoris, tyrannicum, non magnificum, barbaricum, non Romanum.*

Buleng. de Imper. Roman. lib. 1. cap. 36. Forſter. in tract. de domin. c. 1. Ritershus ad epiſt. Plin. pag. 41. Lipſ. in notis ad eund. Rader. & alij ad Mart. ſup.

14 Et ad hæc reſpicit Tertullianus, dum in ſuo Apologetico pluribus probat, Imperatorem hominem eſſe, non Deum, & tandem ſic finit, *Si non de mendacio erubeſcit adulatio, eiuſmodi hominem Deum appellans, timeat ſaltem de infauſto. Maleadictum eſt ante apotheoſim Deum Cæſarem nuncupare* Id eſt, ante obitum, & ſolemnem illam pompam, & rogi molem, ac conſecrationem, qua defuncti olim apud Romanos, Imperatores cremari, & inter Divos referri ſolebant: de qua cæteris luculentius Herodianus ſcripſit.

D. Greg. in epiſt. ad Phoc. Imp.

Eraſm. in floribus.

Tertull. in Apol. lib. 2. c. 33. & ſeqq.

Herod. in Severo ex verſione Ang. Polit. pag. mihi 351.

15 Quod tamen nullus, vel ex ipſis illis, qui magis pij, ac cordati habiti fuerunt, tandem re ipſa complevit, nec oblatas à ſuis, ſibi (etiam invitis) blandientibus, divinas, vel dominicas appellationes effugit. Ecce enim Plinius, qui tantopere ſui Trajani hac in parte modeſtiam laudavit, eundem paſsim Dominum in epiſtolis vocat, & in ipſo Panegyrico Deum, dum ait: *Sed licet Altaria pulvinaribus, & flamine colas, non alia magis Deum facis, & probas, quàm quod ipſe talis es.*

Plin. Iun. in lib. 10. epiſt. & in Paneg.

16 Idem quoque in Veſpaſiano, Antonino, Severo, & alijs modeſtiſſimis Imperatoribus in Digeſtorum, & Codicis libris ſingulis propè paginis denotatur. Et eò hæc ſtultitia proceſsit, ut non mortuis tantùm, verùm etiam vivis, Deorum, ac Divorum nomina largirentur, & etiam in illis, qui poſteà ad meliorem frugem converſi, Chriſtianam Religionem profeſsi ſunt, ſerenitatis, tranquillitatis, ſanctitatis, devotionis, adorationiſque vocabula, ſacri affatus, æternales vultus, divina Oracula, cœleſtes ſanctiones, & alia ſimilia deliramenta, uſitatiſsima fuerint, in quibus recenſendis, & ob ſtoliditatem, quam ſecũ præferunt, ſuccenſendis, multus eſt Lactãtius Firmianus, Cœlius Rhodiginus, Guido Pancirolus, Ioannes Fileſacus, & alij, & non omittendus Eraſmus, qui cum in ſuis Apophthegmatis libro ſexto, illud Tiberij, quod ſuprà diximus, retuliſſet, qui ne à ſuis ſe Dominum vocari ſinebat, hæc addidit, *Quanta modeſtia in tanto Principe. Nunc quidem nihil audire poſſunt, niſi ſacras Maieſtates, gratioſas Celſitudines, & Reverendiſsimas Dominationes.*

L. deprecatio, D. ad l. Rhodiã, l. oratio, D. de ſpon. cũ alijs ap. Kalin. in lex iur. ver. *Divus*

Lact. Rhod. & alij apud Me[illegible] 1. tom. defend. iur. lib. 2. c. 21. ex n. 53. Pancirol. lib. 1. var. lect. c. 2. & [illegible] eũdẽ in tit. de E[illegible] ſtio, pag. 12. Filel. c. 1. ſelect. c. 4. & de idololat. polit. c. 1 & 2. Dẽpſter ad Roſin. lib. 1. pag. 33. [illegible] erda in advers. ſacr. c. 141. n. 473. Pontan. in bellar. Attic. 2. p. pag. 284

17 Et licèt non ignorem, *Domini* vocem hodie tolerabilem eſſe, cum à dominatione & regimine privatæ cuiuſque domus derivata, nõ improprie, aut iniuſtè ad eos quoque per imitationem traducatur, qui imperandi ius in civitate habent, & quibus populi ſubſunt, ut Paulus Buſius, & noſter Connanus animadvertunt. Idemque in voce *Divus* noviſsimus Ioannes Feraudus adverſus Fileſacum contendat, dũmmodo hæc Deitas, ſive divinitas, non tam ad Principum ipſorum per-

Buſ. 2. de Rep. c. 5. Conan. lib. 1. com. iur. cap. 5. n. 7.

Ferãd. de reliquijs in notis, pag. 538. & ſeq.

ſonas,

ſonas, quam ad locum, ſeu gradum dignitatis, quem occupant, dirigatur, qui, eo rectè utentibus, omni vitæ ſanctimonia, & Dei imitatione deber eſſe conſpicuus. Quo in ſenſu Regius Pſaltes iudices Deorum nomine donat, dum dixit: *Deus ſtetit in Synagoga Deôrum, in medio autem Deos iudicat*. Et paulò poſt: *Ego dixi Dij eſtis, & ſi ij excelſi omnes*. Et Dionyſius Areopagita dictas appellationes excuſans, ſic inquiẽs: *Sanctos verò & Reges, Dominoſque ac Deos ſcriptà divina appellãt, gradus & ordines, qui in ſingulis primas obtinent, &c.*

David. Pſal. 81. v. 1. & 6. ubi Lorin. & latè Ego in tractar. de munerib. honor. n. 361. & ſeqq.

Areopag. apud Feran. ſup.

20 Satius tamen tutiuſque eſt, ut Pij, & Chriſtiani Principes, vel exẽplo, & documento noſtri Emblematis moniti, ab eiuſmodi verbis abſtineant, & quæ Dei ſunt, Deo relinquentes, illum tantùm verũ proprium rerũ omnium Dominum, & moderatorẽ agnoſcant, & Animũ, ut Dominum & Imperatorem, obedienti corpori à Deo præfectum, ut vel Ethnicus Cicero ſcriptum reliquit. Ipſos verò vicariã, ſeu precariam dumtaxat Dominationem habere, ut in Sapientiæ, & Proverbiorum libris, alijſque ſacræ Paginæ locis paſsim admonẽtur, quæ dicunt, *A Domino Imperiũ, A ſupremo poteſtas eſt data. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt. Deus mutat tempora & ætates, transfert Regna, atque conſtituit. Dominatur excelſus in Regno hominũ, & cuicumque voluerit dabit illud.* Neque uſquam mortalibus cum immortali Deo æquari, ne dũ contẽdere licuiſſe. Cui, ut Sophocles dixit:

Cicer. lib. 2. de legib. & in lib. de univerſ.

Sap. 6. Proverb. 8. 16. Dan. 2. 12. & 4. latè Ego d. 1. tom. lib. 2. c. 2. ex n. 3.

Nunquam ſenectus atraque mors imminet;
Sed alia miſcet Domitor ætas omnia.

Senec. lib. 2. nat. quæſt. cap. 42.

Quemque, Seneca perhibente, ſupra omnium hominum, etiã Principum, capita, radijs armatum veteres confingebãt, ut ſupra nos aliquid timeremus, *Scirentque ij, quibus innocentia niſi metu non placet, in tanta audacia ſcelerum aliquid eſſe, adverſum quod nemo ſibi ſatis potens videretur.* Eoſque, qui hodie in rerum culmine, ſive cumulo eſſent, cras in tumulo eſſe poſſe, atque adeò omnem animi tumorem deponere debere, ut idem Seneca in Tragedijs iterum monet, ſic inquiens:

Senec. in Thyeſ.

Vos quibus Rector maris, atque terræ
Ius dedit magnum necis, atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſque vultus,
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur:
Omne ſub Regno graviore Regnum eſt.

Ovid. 4. Faſt.

Et Ovid. *Nil ita ſublime eſt, ſupraque pericula tendit,*
Non ſit ut inferius ſuppoſitumque Deo.

21 Quæ ſanè terrena, ac temporalia hominum Regna, tantum abeſt, ut quicquam de ſua dignitate, vel duratione ob hãc, quàm ſuademus, in divinum, ſubmiſsione diminuant, ut potiùs hinc ſuam authoritatem, conſiſtentiam, atque incrementum petere debeant, ut de Romanis loquens dixit Horatius, ſic canens de Roma:

Horat. 3. carm. Ode 6.

Dijs te minorem quòd geris, imperas;

Hinc omne principium: huc refert exitum.

Et graviter monuit Valer. Max. inquiens: *Sacris Imperia ſervire debere ita ſe humanarũ rerũ futura regimẽ exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ benè, atque conſtanter fuerint famulata.* Quem locum expendens, & extendẽ,
21 D. Auguſt. magis adhuc ad rem de qua agimus, inquit, *Reges tum demũ fœlices dici poſſe, ſi iuſtè imperant: ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantiũ, non extollũtur, ſed ſe homines eſſe meminerunt: ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum Maieſtati eius famulam faciunt: ſi Deũ timent, diligunt, colunt. Si plus amant illud Regnũ, ubi non timent habere conſortes: ſi tardius vindicant, facilè ignoſcunt. Si eandẽ vindictã pro neceſsitate regendæ tuendæq; Reip. non pro ſaturandis inimicitiarũ odijs exerunt: ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent. Si quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorũ largitate compenſent: ſi luxuria tantò eſt eis caſtigatior, quantò poſſit eſſet liberior: ſi malunt cupiditatibus pravis, quàm quibuslibet gẽtibus imperare. Et ſi hæc omnia faciunt, non propter ardorẽ inanis gloriæ, ſed propter charitatẽ fœlicitatis æternæ. Si pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis*
23 *& orationis ſacrificium Deo ſuo vero immolare non negligunt.* Hactenus Auguſtinus, cuius verba omnibus Regibus memoriæ mandanda meritò Sapiens ille Rex Alphonſus apud Panormitanũ dicere ſolitus erat. Neque eorum oblitus videtur D. noſter Rex Philippus II. qui Prudentis cognomẽ promeruit; cum vivẽs has virtutes, quas in vero & Chriſtiano Principe Auguſtinus requirit, ad unguẽ expleverit; & moriens, illa verba protuliſſe feratur: *Tu ſolus Dominus. Tu ſolus Altiſsimus:* quibus prolatis, piam animã exhalavit, quam iam Purgatorij ignibus obrizatam, cœloque receptam, ſunt qui ex aliquibus non contemnendis rationibus, ac revelationibus tradant.

Diſpari à Iuliani Apoſtatæ exitu, qui cum vivens, in Chriſtum Do-
24 minum, Chriſtianoſque omnes tumidè, ac temerè rebellaſſet, moriens, ex vulnere, quod in bello, quod contra Perſas gerebat accepit, cava manu ſanguinem hauſit, atque eum in cœlum, veluti Chriſtum cõſpiciens, coniecit, perinde, ac ſuę cædis cauſam in eum referre; & ita blaſphemo ore vociferatus, *Viciſti Galilæe, viciſti, ſaturare Nazarene,* perfidum ſpiritum miſsit, ut Sozomenus; & alij commemorant.

25 Ex quibus concluditur, ſolum Chriſtum verum, & abſolutum rerũ omnium Dominum eſſe, & appellari mereri. Qui tamen pro maxima in glorioſam, atque immaculatam Virginem Matrem ſuam dilectione, idem ei nomen communicare voluiſſe videtur. Nam *Maria,* iuxta ſententiam D. Hieronymi, Sermone Syro *Domina* nuncupatur. Et ad hoc reſpiciens Arnoldus Carnotenſis, ſic ait: *Maria lingua Syriaca Domina dicitur. Chriſtus Dominus, Maria Domina. Et licèt ipſa ſe Chriſti profiteatur Ancillam; hoc ſervitutis genus, omni Regno ſublimius eſſe intelligit: conſtituta quippè eſt ſuper omnem creaturam, & quicũque Ieſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat, & filij gloriam cum Matre, non tam communem iudico, quàm eandem.*

Valer. Max. lib. 1. cap. 1. §. 9.

D. Aug. lib. 1. de Civit. Dei, c. 24.

Panorm. in lib. de dict. & fact. Reg. Alph. Neap.

Moura de incant. pag. 162. Euſeb. Nieremb. in tract. de cauſ. malorum publ.

Sozom. Eutrop. & alij apud Baron. ann. 363. n. 56. camer. 1. ſubc. c. 59.

D. Hier. in Matth. cap. 1.

Arnold. de laud. Virgin.

Superborum Principum Typus.

EMBLEMA III.



Vibrantem radios Salmonea, Numina Divum
Mentitum, & Superi tela triſcula Iovis:
Non tulit Altitonans furtiva ſorte tumentem,
In cineremq́ adigit, Tartara in ima ruit.
Et dubitabis adhuc turgentia ſubdere magno
Colla Deo, quiſquis Sceptra ſuperba quatis?

COMMENTARIVS.

AD magis compeſcendam vanam terrenorum Principũ gloriam, ſive ſuperbiam, opportunum duxi hanc ipſis Salmonei Regis Elidæ, ſive fabulam, ſive hiſtoriam, quam præſens Emblema præfigurat, ob oculos ponere. Qui, ut plures Auctores, & præſertim Higinus, ſcribunt, Æoli filius fuit, Siſyphi frater, & in id ſtultitiæ proceſsit, ut tonitrua, & fulmina Iovis imitari auſus, curruum rotas æreis canthis obmunitas, ſuper pontem æneum, quêm conſtruxerat agitaverit, & ſedens in quadriga, immiſsiſque in populum facibus, plures ex ſuis civibus neci dederit. Quouſque, ob id à Iove fulmine ictus, temeritatis, tumiditatiſvè ſuæ iuſtam pœnam perſolvit. Et ut Hadrianus Iunius ex Symmacho, & alijs oſtendit, cauſam fecit Adagio *Salmoneus alter*, quod paræmiæ ſpecie uſurpatur, de ſupra modum ſuperbo, & elato. Nec deſunt qui autument, quiddam

Higin. cap. 61. Iunius Adag. 1. cent. 2. Car. Steph. in dict. Poet. & alij paſsim.

Iunius inter Adag. Eraſm. pag. 310. Hieron. Magus lib. 1. Miſc. cap. 1.

pyrij pulveris ſimile, quo hodie in Bombardis utimur, adinveniſſe, quo Iovis fulmen imitaretur.

2 Et hoc eſt, quod tangit Valer. Flacc. dũ in ſua Argonautica, inquit: Valer. Flacc. lib. 1. Argon.

Salmoneus nondum ille furens, cum fingeret alti
Quadrifida trabe tela Iovis.

Et latiùs proſequitur Virgilius, de eodem in inferno pœnas huius ſuperbiæ luente, ſic canens: Virgil. Æneid. 6.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flamas Iovis, & ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quatiens,
Per Graium populos, mediæque per Elidis urbem
Ibat ovans, Divumque ſibi poſcebat honorem.
Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen,
Ære, & cornipedum curſu ſimularet equorum.
At Pater Omnipotens, denſa inter nubila telum
Contorſit (non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.

3 Quæ verba putat Petr. Crinitus mutuatum fuiſſe Virgilium ex alijs Salluſtij, de Metelli Pij immodico luxu, atque libidine loquentis, & ſimili tonitruũ imitatione. Quam & in Alladio, eodẽ ſupplicio, quo Salmoneus, affecto, refert, & ſugillat Dionyſius. Et in Choſroe Perſarum Rege, poſt alios, Cedrenus, latè memorans, qualiter in eiuſdem Iovis æmulationem, machinã finxerit, in qua cœli effigies, Aſtrorũque converſiones, cum ſceptrigeris Angelis adſtantibus, admirabili ſpectaculo cernebantur: Tum imbres fluere, præmicare fulgura tronitrua mugire, ipſe eminens in medio, quaſi Deus humanus ſpectabat omnia. Anthemius quoque apud Agathiam, pariter fulgura, & tonitrua effingebat, excogitatis quibuſdam colliſionibus, comploſionibuſque rerum, quæ valde eſſent ſonoræ, atque ita immanes quoſdã fragores edebat, percellendo ſenſui aptiſsimos.

Petr. Crin. de hon. diſcip. lib. 2. c. 10.
Dionyſ. 1. antiq.
Sabell. lib. 6. c. 9.
Cedren. pag. 338.
De hac machina Regum Perſarum Chryſolog. ſerm. 120. Cardan. de ſubtil. in lib. de artibus.
Agath. lib. 5. Hiſt.

4 Solent enim Reges (ut ait Plutarchus) eſſe Deorũ æmulatores, cũ tamẽ vel Adagio doceri poſſent, cũ illis pugnandũ non eſſe, & etiã olim Theognides Græcè eandem ſententiam hũc in ſenſum protulerit: Plut. in lib. de trã-quil.

Nulli cum ſuperis homini contendere fas eſt.
Pro iure hanc litem, nemo probare volet. Eraſm. in Adag. *Cũ Dijs non pugnãdũ*, pag. mihi 324.

Solamque eam æmulationem laudabilem, ut idẽ ipſe Plutarchus prudentiſsime docuit, quæ ad Dei imitationem: *Pro Sceptro Principi porrigit ius, & æquã ac rectã rationẽ tenendã, non Fulmen, non Tridentẽ, quo modo nonnulli ſe pingi, ac fingi iubentes, ſtultitiã ſuã invidiæ expoſuerũt, dum affectant ea, quæ conſequi nequeunt. Qui verò virtutem ipſius æmulantur, & honeſtate humanitateque ipſum referre conantur; hoc ſtudio eorum delectatus, auget, ſuaque eos æquitate, iuſtitia, veritate, ac manſuetudine impertit, quibus nihil eſt divinius: nõ ipſa perpetuitas, atque æternitas: non ob tempus vitæ beatus eſt Deus, ſed virtutis Principatu.* Plut. in lib. ad Princip. in doc.

Plutarc. in vita Pomp.

Hactenus Plutarchus,qui vel ſolus pro noſtri Emblematis Cōmen- 5
tario ſufficere poſſet,maximè ſi aliam eiuſdē doctrinam addiderimus,
qua,non minùs prudenter,nos admonet,tunc demū Principes in Deos
eradere poſſe,cū ſe Dijs humili,ut oportet,corde ſubdiderint. Exem-
plū in Magno illo Imperatore Gneo Pōpeio proponens,cuius virtutē,
ſimul cū æquali modeſtia iunctā,poſt Pyratici belli lauream admirati
olim Athenienſes, iſtam in porta triumphi Epigraphem eius honori
inſcripſerunt, *Quatenus te hominem eſſe noſti, eatenus es Deus.*

Chriſtodor. lib.5. Epigr.Græc.

Diſpari ſanè à Iulij Cæſaris ſui Antagoniſtæ ratione,cuius ſtatuā in 6
Zeuſippi porticu,ita poſitā ſcribūt,ut dextra fulmē tenēs,aſpectu tor-
vo exultaret,quòd quaſi Iovē aliū in Italia haberi ſe audiret. Quod for-
tè in cauſa fuit,ut qui fulmine gloriabatur,gladios poſteà vitare nequi-

Sup.Embl.præc.

ret. Prout,Titanibus illis omiſsis,qui impetere cœlū tentarūt, in im- 7
pio Domitiano contigit,qui,(ut iā diximus) ſibi Dei appellationē aſ-

Sueton.in Calig. cap.22.

ſumſit. In Diocletiano,compari morte confecto, qui primus adorari ſe
iuſsit. In Caligula,quòd Maieſtatē divinam ſibi aſſerere cœpit,& Iovis

Herod.& Spart. in Commodo.

nomē,& caput adrogavit; in Commodo,qui ſimiliter ſtatuæ,ſive Co-
loſſo Herculis,proprio capite demto,ſuū impoſuit. In Iuliano Apoſta-

Sup.Embl.2.

ta,impiè,ut ſuprà dixi,in Chriſtum Dom. debacchante. In Cleopatra,

De Cleop. Savaro ad Carm. Sidonij, pag. 68.

quæ ſe Iſim fingebat,ſiſtrumque geſtabat. In Cappaneo ab Euripide,
& Statio Papinio æquè decantato,ac deplorato, dū ſe, vel invito Io-
ve, Thebana mœnia in primis ſcanſurū, urbemque pervaſurū iactaret.

Herod.lib.6.

In Xerxe,qui Neptuno maris Deo cōpedes, ac flagella, & Soli tene-

Herod.lib.1.& ex eo Fulgoſ.li.9.c.5

bras minabatur. In Cyro,qui pari ſuperbia uſus, Gyndē amnē immēſæ
magnitudinis, rapidūque, in trecentos ac ſexaginta parvos alveos di-
viſit,quòd in eo,cū ad Babylonicā expeditionē proficiſceretur,eques
Perſa,unà cum equo,abſorptus eſſet. Addens, ſe ita caſtigaturū dimi-
nuturumque eſſe amnem, qui Equiti ſuo ſe pervium facere noluerat,
ut etiam prægnans fœmina,ſine labore eum traiectura eſſet.

Hier.Cigler.in Hexametris,& pluribus exēplis relatis Fulg. ſup.Theatr. vit.hum.pag.258. Petilius de Princ. lib.2.cap.2.

Quibus & alijs relictis, ſive ad Auctores reiectis, qui latiùs eorum 8
deliria pariter,ac ſuſpiria,ob divinas punitiones ſcribunt:

Nam ſi ſacrilegos repetens ab origine prima,
Omnia pœnarum percurre nomina poßem,
Ante diem clauſo componet veſper Olympo.

Non poſſum nō Heliogabali peculiarē ſermonem habere, qui currum
conſcendens,quem leones traherent, Cybelē ſe nominari iubebat; &
Bacchū vocari,cū currui tygres iniungeret,cui,ut inquit Baptiſta Ful-

Fulgoſ.d.cap.5.

goſus,potādi ſtudio ſimilior videri poterat. Et tandē in id audaciæ, ſi-
ve vecordiæ, proceſsit, ut omnes in toto terrarū orbe Religiones ex-
tinguere,ſeu abolere voluerit,ut Heliogabalus Deus unus ubique co-
leretur. Ob quæ ſcelera,Deos hominesq; ita irritavit, ut ab Equitibus
ſuis,impetu in eū facto,occideretur,& quāto eos,qui ante Principatū
geſſerāt,violata Religione ſuperavit: tāto ipſe alijs deſpectior fuit, &
in latrinis interēptus,ac per urbē primò,inde ad lupanar pedibus tractus,
in Tiberim deiectus eſt,ut ex Lāpridio & Herodiano in eius vita colligi
tur. Cui exēplo illud aliud Herodis Agrippæ,ex Ioſepho & Euſebio,ut 9

ſig-

ſignandum adiicio,qui cum in publicum magno ſtatu, & apparatu ad ludos celebrandos proceſsiſſet,à ſuis ſe tanquam Deum acclamari, & conſalutari paſſus eſt.Et quia impiā hanc adulationem non repreſsit, paulò poſt ſuſpiciens, vidit ſupra caput ſuū bubonem funi extento inſidentem,moxque ut ſenſit hūc eſſe calamitatis nuntiū, ex intimis præcordijs indoluit,converſiſque in amicos oculis, *En ego* (inquit) *veſtra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor,fatali neceſsitate coarguente veſtrum mendacium, & quem immortalē ſalutaſtis,mox efferetis.* Et hæc loquutus,paulò poſt creſcente dolore diſcrutiatus,interijt. Ioſeph.de bell.Iudaic. cap. 7. Euſeb.lib.2. Hiſt.Eccleſ. cap.10. Act. Apoſtol.c.15. latè Samer. 3. ſubc. c. 18.

10 Huicque ſimile eſt,quod de Antiocho in Machabæorum hiſtoria refertur,cui cum præ tumore mundus anguſtus videretur,& undis maris pararet leges imponere,in graves incidit plagas, ita ut de impij corpore vermes ſcaturirent,tetrumque ſui fœtorē ferre non poſſet;& cū hinc cœpiſſet in ſui agnitionem venire, hæc in verba,licèt ſerò, prorupit, *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo,& mortalem non paria Deo ſentire.* Machab. 2. cap.9.

11 Quod ſi obijcias,Auguſtum Cæſarem, (ut Suetonius narrat) Apollini nimis deditum,eius aliquando,& nomen,& habitū præſumſiſſe,& ita ornatum, inter convivas diſcubuiſſe, & inter ſex puellas,totidemque catamitos; alios Deos repreſentantes, cœnate ſolitum eſſe. Qui tamen fœlicem facilemque exitum, & qualem ſemper optaverat,ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno ſortitus fuit.Audi eundem Suetonium recenſentem,hunc exceſſum ſumma tunc in civitate penuria, ac fame punitum. Acclamatumque eſſe poſtridie,frumentum omne Deos comediſſe; & Cæſarem eſſe planè Apollinem, ſed TORTOREM, quo cognomine is Deus quadā in parte urbis colebatur,& ſine Auctore hos notiſsimos verſus, hoc ſcelus & dedecus exprobrantes, in publicum prodijſſe: Suet.in Aug.c.70. Suet.ſup.Eraſm. in Adag. *Apollo Tortor*,pag.mihi 161.

Cum primum iſtorum conduxit menſa choragum
Sexque Deos vidit Mallia,ſexque Deas:
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria:
Omnia ſe à terris tunc Numina declinarunt;
Fugit & auratus Iuppiter ipſe thronos.

12 Quamobrem magis hac in parte invidendus imitanduſq; eſſe debebit Philippus Macedonū Rex, qui, Cœlio Rhodigino, poſt Ælianū, narrante,cum aliquādo ob partas victorias,& res fœliciter geſtas,elatus,ſe ſupra fortunā, Deorum inſtar eſſe cogitaret.Intelligens poſteà, quid mali ex tanta ſuperbia ſibi immineret, uni ex aulicis pueris id muneris iniunxit,ut ad Solis exortum in ſuum cubiculum ingreſſus,inclamaret; *Rex memineris te non Deum, ſed hominem eſſe, multis fragilitatibus, ærumnis, ac malis obnoxium, & expoſitum.* Rhod.lib.19. cap. 33. Ælian. de var. hiſt. lib.8. cap.15.

13 Nec minori continentia,ſed magis facetè idē inſinuavit Antigonus ille ſenex,de quo Plutarchus ſcribit,quòd cum Hermodorus quidā in Poëmatibus ſuis Solis filiū,Deūque ipſum prædicaret: *Nihil* (inquit) *in me eiuſmodi agnoſcit,qui laſanum meum portat*. Eſt autem laſanū,vas, exonerando evacuandoque ventri,vel veſicæ accommodatum. Plutarc.in Apophtegm.

Ælian. lib.9.c.37.

Et in idem tendit ſimilis facetia Anaxarchi, cognoměto Eudemo- 14
nis,qui,ut Ælianus refert, Alexandrum Magnum ridebat,quòd ſeip-
ſum Deum faceret: cùm autem aliquando in morbum incidiſſet Ale-
xander, & ei Medicus ſorbitionem pararet, ridens Anaxarchus, di-
xit: *At noſtro Deo ſpes omnis in ſorbillatione poſita eſt.* Nec minùs fa-
cetè eundem irriſerunt Lacedæmonij, dum à Græcis per litteras pe-
tentem, ut decreto ſuo ipſum Deum facerent, ſic ſtatuerunt: *Quo-
niam Alexander Deus eſſe vult, eſto.* Hac voce ſtultam eius ambitionē
notantes, quòd ea hominibus petierit,quæ Natura ei largita non fue-
rat, & putaverit ab ijs poſſe creari Deos, qui ipſimet nihil aliud eſ-
ſent,quàm miſeri mortales.

Ælian.lib.12.c.51 Athæn.7.Dymnoſoph. Iunius in Adag. *Nihil ad Medicorum arrogātiā*

Et de Menecrate Medico ſe Iovem mentiente aliorumque Deo- 15
rum comitatum ſibi aſciſcēti,& qualiter ob hoc à Philippo Macedo-
ne de riſus,ſanniſque traductus fuerit, lepidam hiſtoriam idem Ælia-
nus,& Athenæus recenſent.

Olaus in Attila, Bonfinius c.15.

Neque abeſt illud Regis Hunnorū Attilæ,ab Olao Magno,& alijs 16
relatū, qui licèt trux eſſet,barbarus,& efferus,dū urbes Italiæ expug-
nat,diripit,ac vaſtat, Patavij,Marulli Calabri Poëtæ carmē de laudi-
bus ſuis conſcriptum,in ignem coniici iuſsit,quia licentia Poëtica ori-
ginem Attilæ ad Deos retulerat:arbitratus impudentem eſſe impudē-
tiam,quòd mortales homines ſe à Dijs immortalibus origině traxiſſe
confingerent.

Qui ergo noſtrum Salmoneū,& Salmonei ſimiles imitantur,pœnas 17
ſimiles pertimeſcant. Tuque,verus,ac melior Iupiter,noſter Omnipo-
tens Deus,

Fulmine qui terras terres,& culmina torres,
Fulmine fac ſubitò talia monſtra peti.

Tertul.in Apolog. lib.2.cap.30.

Maneatque Regum omnium,ac Principum mentibus inſitum,tyrā- 18
nos,ſacrilegos,piorū hominum perſecutores,& cœleſtis Numinis cō-
temtores,vel æmulatores,etiam in hac vita ſcelerum ſuorū pœnas de-
diſſe,neque impunè ſuperbiam proterviáque eorum fuiſſe, Et Tertul-
liani illud,ut elegantiſsimū,ita & certiſsimum eſſe:*Cœlum debellet Im-
perator,cœlum captivū triumpho ſuo invehat, cœlo mittat excubias,cœlo
vectigalia imponat,non poteſt. Ideò magnus eſt,quia cœlo minor eſt. &c.*

Nathan Chytræus in Viatico itineris extremis,ap. Phil. Camer.3. to. ſubceſ.cap.3.in fin.

Quod etiam elegantiſsimis his,quæ ſequuntur,carminibus Nathan 19
Chytræus,à Philippo Camerario laudatus,comprehendit,

Nemo minas Domini, Maieſtatemque tremendam
Contemſit fruſtra,quamvis vel maximus eſſet
Viribus,ingenio,eloquio; ſceptriſque ſuperbus
Cunctorum ſub Sole hominum. Deus inclytus ipſe
Eſt verè iuſtus iudex, vindexque malorum,
Iratus,bucciſvè cavis feſtuque tumentum:
Cui nemo nimis eſt magnus, ſapienſque, potenſque;
Nemo nimis ſanctus fictæ pietatis in umbra, &c.

Quemadmodum,è contrario, nullus fuit uſquam,qui ſuæ in Deum 20

pie-

pietatis, humilitatis, & ſubmiſsionis, tam in hac, quam in alia vita cumulatiſsima præmia non fuerit conſequutus. Vnde rectè Ambroſius Marlianus caput ſui Theatri Politici, in quo hac de retractat, hoc Diſticho claudit,

Marlian. in Theat. Polit. cap. 28.

Regi Cœlicolûm vos flectite colla potentes:
Tunc dabit omnipotens Regia Sceptra diu.

Propter quod & Scriptura dicit, *Quanto magnus, humiliate in omnibus, & invenies coram Deo gratiam. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Et D. Bernardus: *Bonus fundus Humilitas, in quo omne ædificium ſpirituale conſtructum, creſcit in templum Dei. Vis eius maior in maioribus, clarior in clarioribus. Quo enim celſior es cæteris, eò humilitate appare illuſtrior te ipſo, &c.* Et eleganter in rem noſtram Baptiſta Mantuanus:

Eccle. 3. 20. 21. D. Hier. epiſt. ad Celantiam.

D. Bern. lib. 2. de conſid. ad Eugen.

Mantuan. in carmin. cõtra ſuperb.

Scilicet omne Deum contra nitente ſuperbum
Evaneſcit opus: ſicut cum ſurgit in auras
Eructantis aquæ fluctus, mox vertice preſſo,
Decidit, & ſpumas alto demergit in amne,
Atque humiles inter ſine nomine præterit undas.

Et arridet illud Prudentij, qui in triumpho humilitatis contra ſuperbiam, illam introducit, exprobrantem victæ inſolentiam ſuam, his verbis,

Prudẽt. in triũph. humilit.

Deſine grande loqui, frangit Deus omne ſuperbum:
Magna cadunt: inflata crepant: tumefacta premuntur.

Reges Deus habet quaſi Pilas.

EMBLEMA IV.



Vis divina pilam ludens iaculatur ab alto,
Et ſalit, & reſilit: tollitur, atque cadit.
Tolleris in Cœlum, Princeps, cave culmina præceps.
Divinis manibus ſi es pila, ludus eris.

COMMENTARIVS.

TVMIDIS adhuc, & elatis Imperantium animis corri- 1
gendis, præſens huius Emblematis pharmacum exhibemus, quo, ut apparet, Divina manus oſtẽditur, luſoriam illam ſphærulam, quam *Pilam* dicimus, ex alto pro libito iaculantis. Quæ ſuis met ictibus cadere, aut ſurgere ſolet. Quod ex Menandri pyxide ſumſimus, à quo habuit Plautus, ſic inquiens,

Plaut. in capt. in Prologo.

Enim verò Di nos quaſi pilas homines habent.

Victor. lib. 23. var. lect. cap. 18. Muretus 16. cap. 15.

Idẽ Muret. lib. 1. de Rep. Platonis.

Ariſt. apud Stob. ſer. 96.

Herod. lib. 1.

Quod perinde eſt ac ſi diceret, *Verſant nos, & ubi ipſis commodum eſt, male habent*: ut Victorius, & Muretus obſervant. Quorum hic ultimus alibi, copioſè diſputans de miſera rerũ humanarum conditione, Plautum hic reſpectũ habuiſſe putat ad illud Platonis, quo homines quaſi oblectamentum quoddam Deorum cenſuit, non aliter atque eius diſcipulus Ariſtoteles, dum ita hominem diffinivit, *Homo eſt fortunæ ludus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, & mortis ſpoliũ.* Et Herodotus, quatenus inquit, *Omnino calamitoſa res eſt Homo.*

Æſo-

2 Æſopus quoque Phryx, ut Laërtius ait, interrogatus quid agere Iupiter? Reſpondit, *Excelſa deprimit, depreſſa extollit*. Indicans, arbitrio, imò & ludibrio ſuperni Numinis, res hominum ſurſum volvi revolvique. Et ſimiliter Iuvenalis, humilium exaltationem, fortunæ iocum appellat, ſic inquiens: — Laërt. de vitis Phi. — Iuven. ſatyr. 3.

Quales ex humili magna ad faſtigia rerum
Extollit, quotiens voluit fortuna iocari.

3 Et omnes fortunæ actus ludi nomine donans Horatius, his verbis: — Horat. li. 3. Od. 29

Fortuna nunquam perpetuò eſt bona.
Fortuna ſæva læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax;
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

4 Et adhuc magis ad noſtram pilam alludens, Pallas, quatenus dixit, — Pallas apud Natal. Com. in Mytol. pag. 340.

Vita hominum ludus fortunæ eſt, & miſer error,
Inter pauperiem navigat, inter opes.
Atque pilæ in morem nunc hos ad ſidera tollit,
Elatos, & nunc Tartara ad ima iacit.

Et Boëtius, qui ita fortunam loquentem, & ſui ludum confitentem inducit: *Hæc noſtra vis eſt, hunc continuum ludum ludimus, rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Aſcẽde ſi placet, ſed ea lege ne uti cum ludicri mei ratio poſcet, deſcendere iniuriam putes. An tu mores ignorabas meos?* — Boet. de conſol. lib. 2. proſa 2.

5 Vnde etiam à Salomone, *Deus in orbe terrarũ ludere dicitur.* Quod his quoque verbis Ovidius expreſsit, — Proverb. 8. 31.

Ludit in humanis divina potentia rebus
Et certam præſens vix habet hora fidem. — Ovid. lib. 4. de Põto.

Et Adagio occaſionem præſtitiſſe videtur, quo *Homo Dei ludibrium*, vocatur; & ut in eius explicatione inquit Hadrianus Iunius, *Fortunæ iactatio ſignificatur, quæ pilæ in modum, nunc evehit in altum, nunc ſolo allidit mortales*, prout & apoſitiſsimè dixit Ammianus Marcellinus, inquiens: *Verſabiles Fortunæ motus ludunt mortalitatem: nunc evehunt quoſdam in ſydera; nunc ad Cocyti profunda mergentes.* Et Portius Latro apud Senecam Patrem: *Aurum & argentum ludibria fortunæ, quæ inter iocum ipſis dominis veniunt.* — Iunius inter Adagia Eraſm. pag. 265 — Marcell. lib. 14. — Port. Latro apud Senec. cõtr. 1. lib. 2.

6 Quam ſententiam, neſcio quo iure, vel ratione Henricus Stephanus, deteſtabilem planè; atque execrandam appellet, cum prædictis divinis, & humanis authoritatibus fulciatur, & in eandem incidat illud D. Gregorij Nazianzeni, — Henric. Steph. in præfat. ad Gnem. Comic. Græc.

Ludus Homo (poſita verum formidine dicam)
Numinis eſt, qualis luditur orbe frequens. — Nazianz. in carm. de hominis vilitate.

Vbi poſteà, cum larvis homines comparat, quibus in Comœdijs ludẽtes, varias figuras repræſentamus; & tamen poſt mortem detractis,

omnes æquales eſſe comperimur. Quod colonat cum Diſticho illo ex Græco incerti Auctoris traducto:

Scena eſt hæc vita, & mimus, vel ludere diſce
Seria poſtponens, vel cruciare nimis.

Sineſ. in orat. de provid.

7 Sineſius quoque, id ipſum, & quidem rectè dictum, abſque aliqua hæſitatione his verbis affirmat: *Rectèque dictum mihi videtur, quòd homo ludibrium ſit Dei, ludentis ſemper in rebus mortalium; & quaſi aleã iacientis.*

Philoſt. in viris Sophiſt.

8 Philoſtratus item in Scopeliano Sophiſta, loquens de eius patre, qui exhæredato filio, coquum hæredem ſcripſerat, ſubiicit: *Vt vel ex hoc facto intelligere poſsimus, homines, non Dei ſolùm, ſed alterum quoque alterius eſſe ludibrium.*

Seneca lib. 5. de benef. cap. 8.

9 Et Seneca, his conveniens, & eadem Pilæ ſimilitudine utens, quæ in hoc noſtro Emblemate pingitur, ſic habet: *Vt in orbe, ac pila nihil eſt imum, nihil ſummum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur, & quæ ſequebantur præcedunt, & quæ occidebant oriuntur, omnia quomodocumque ierint in idem revertuntur. Itá in homine exiſtima fieri, cum illum in multa mutaveris, unus eſt.*

Ian. Douza lib. 1. rer. Oland.

10 Ianus etiam Douza ad idem alludens, hoc carmen ſcripſit:

Non ſecus, atque pilas homines (Francus ne ſit an Sax
Nil refert) raptor Noruegianus habet.

Plin. lib. 7. cap. 56. Martial. & eius expoſitores, lib. 14. epigr. 45. & ſeqq. Souterius de ludis vet. lib. 3. c. 4. Pãtoja de aleator. ex pag. 71. Feſt. de verb. ſign. verb. *Pila.* Rhodig. lib. 16. cap. 11. Mart. lib. 10. epig. 36.

11 Et adhuc, magis in noſtri Emblematis terminis, in doctis ſuis ad Plautum præcidaneis, verba eius, quæ modò retulimus, non tam ad luſorias has pilas (de quarum ludo, differentijs, origine, & etymologia plura poſt Plinium, & Martialem, aliqui Recentiores ſcribunt) referenda eſſe putat, quàm ad viriles illas muliebresvè effigies (*Pilas* etiam vocatas) quæ ex lana, vel fæno fieri ſolebant, & ut Feſtus ait: *Compitalibus ſuſpendebantur in Compitis, quòd hunc diem feſtum eſſe Deorum inferorum, (quos vocant Lares) putarent. Quibus tot pilæ, quot capita ſervorum, tot effigies, quot eſſent liberi circa Compita habitantes, ponebantur, ut vivis parcerent, & eſſent his pilis, vel ſimulacris contenti.* Hiſce enim imaginibus nullius omnino pretij veſtes circumponebantur, ac proinde ſcitè Plautus dicere potuit, Dijs, inſtar earũ, homines eſſe. Quo ſenſu pannoſos homines, & parvæ æſtimationis *Pilas* vocare ſolebant, ut Rhodiginus advertit, & ex illo Martialis in Laurum Epigrammate conſtat; ubi hunc, qui in florenti ætate magnus pilæ luſor fuerat, poſtquàm ea in graveſcente, poſſe ludere deſijt, *Primam Pilam* factum eſſe inquit, id eſt, ad nimiam paupertatem, & laceratã, ac pruinoſam veſtem redactum. Et iterum ex alio in Candidum, ubi de ſuæ togæ lacerie loquens, ſic ait:

Idem lib. 2. epigr. 43.

At me, quæ paſſa eſt furias, & cornua tauri,
Noluerit dici quam prima pila ſuam.

12 Quo loci Pater Raderus advertit, has pilas, quæ in compitalibus, (ut ex Feſto retuli) ponebantur; primas dictas fuiſſe; ſecundas verò,

quæ

quæ feris objiciebantur; quæ primitùm è ſtramine fiebant, & apud Nos *Dominguejos* vocantur:(ex eo ut arbitror, quòd in Feſtis, ut cum Feſto dixi, ſuſpendi ſolebant: quamvis noſter D. Sebaſtianus Covarruvias, hoc non animadvertens, aliam rationem minùs aptam comminiſcatur.) Ad quas alluſit idem Poëta, in primo ex carminibus ſuprà relatis, & expreſsius in libro de ſpectaculis, ubi ita loquitur de Rhinocerote, qui urſum cornu extulit,

Covar. in Theſaur. ling. Hiſpan. verb. *Dominguejo.*

Idem Martial. in lib. de ſpect. epigr. 22.

Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum,
Iactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

13 In cuius Epigrammatis Commentario, Noſter ſemper laudandus Dom. D. Laurentius Ramirez de Prado, Regij ſupremi Senatus meritiſsimus Conſul, Mihique ab ineunte ætate unicè charus, adhuc Radero melius, has primæ, vel ſecundæ pilæ appellationes, ſeu diſtinctiones, inde ſumi arbitratur, quòd tauri, pilis per ordinem in arena diſpoſitis, irritabantur: & numerabantur effigies illæ laneæ ſecundùm locũ, *Prima, Secunda*, & *Tertia*; & Prima, quæ ad primum impetum, & ardorem illum cornutum exponebatur, ut & aliæ ſequentes, vilioribus pãnis erant confictæ, & frequentius rubris, quo colore tauros excitari Seneca indicat, & noſter Imperator Iuſtinianus in ſuis Imperialibus inſtitutionibus, de eo loquens, qui panno rubro fugavit armentum.

Dom. D. Laurent. Ramir. de Prado in not. ad Martial.

Senec. lib. 3. de ira cap. 30.

Iuſtin. in §. interdũ, de oblig. quæ ex delict. ubi Cuiac. in notis alios allegat, & Rhod. d. c. 11. & Pãcorv. 1. obſ. c. 58. verſ. *Addamus*, & Covarr. quem vide d. verb. *Dominguejo.*

14 Iuxta quæ, ſi de his pilis verba Plauti accipiamus, eorum ſenſus eſſe poterit, Deos habere homines ſicut pilas, quæ tauris objiciuntur. Nam ut ſibi benè viſum eſt, eos ex divitibus pauperes reddunt, ex ſanis infirmos, & varijs alijs laboribus, ærumnis, & calamitatibus impetunt, ac feriunt, quæ iucunda ſunt triſtibus (ut D. Baſilius inquit) frequentiſsimè permiſcentes.

D. Baſil. in Hexamer. hom. 2.

15 Et tandem in eundem finem iſthæc acceptio tendit ac noſtra, de Pila luſoria, quam adhuc ad Plauti mentem magis arridere cenſemus, luſum enim humanarum rerum ſignificare voluit, & cadentis, ac reſurgentis fœlicitatis earum ſaltus, & mutationes. Quod, nullo alio ſimili propriùs exprimere potuit. Nec à nobis elegantioribus alijs verbis illuſtrari valebit, quàm illis Plinij Iunioris, ita diſſertè loquentis: *Habet has viciſsitudines conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, ex adverſis ſecunda naſcantur; occultat utrorumque ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumque cauſæ, ſub diverſa ſpecie latent.*

Plin. Iun. in Paneg. ad Trajan.

16 Quem imitatus Apuleius: *Nihil quicquam* (inquit) *homini tam proſperè divinitus datum, quin ei tamen ad mixtum ſit aliquid diffiicultatis: ut etiam in ampliſsima quoque lætitia; ſubſit quæpiam, vel parva querimonia, coniugatione quadã mellis & fellis.* Quod præſtit occaſionẽ Adagio, *Vbi uber, ibi tuber*, & vulgatum illud Ovidij certiſsimum reddit,

Apul. 4. florid.

Inter Adag. Eraſm. pag. 67. & 506.

Vſque adeò nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Ovid. 7. Metam.

Et Plauti:

Ita Dijs placitum, voluptati ut mæror comes conſequatur;
Quin incommodi plus, malique illicò adſit, boni ſi quid obtigit.

Plaut. in Amph.

Nec-

Senec. in Thyeſ. act. 3.

Necnon Senecæ in Tragedia Thyeſtis, dum inquit:

Nulla ſors longa eſt: dolor, ac voluptas
Invicem cedunt, brevior voluptas.
Ima permutat brevis hora ſummis.

Idem Epiſt. 91.

Et iterum in Epiſtolis docens: *Nullum tempus exceptū eſſe, in ipſis voluptatibus cauſas doloris oriri.*

Quidquid enim hic brevis ævi degimus, infinitis calamitatibus propoſitum eſt; & quantumcumque ad terminum mortalitatis attingendum ſupereſt, non niſi inter peritura, aut pereuntia tranſigimus, omnis dies, omnis hora, quàm nihil ſimus, oſtendit, & aliquo argumento recenti admonet, humanitatis oblitos; cum perpetuitatem incertorum præſumentes, reſpicere cogit ad certiſsimas viciſsitudines. Vt alio elegant Symbolo docuit Achilles Bocchius, duas illas urnas, dolorū unam, & bonorum alteram depingens, quas in Iovis limine ſtare, & in mundum effundi, Vetuſtas commentabatur; & ſolùm Deū huius mixturæ expertem eſſe, ſic inquiens, cum leniate *Comes voluptatis dolor:* Et *Medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid.* 17

Achil. Bocc. ſym. 8. & de his urnis, Eraſm. in Adag. *Omnium rerū viciſsitud.* pag. mihi 262.

Ipſa dies pia nunc mater, nunc ſæva noverca eſt;
Namque aliquid ſemper miſcet Saturnus amari.
Hinc geminas prudens urnas in limine primo
Stare Iovis, quondam pulchrè eſt commenta vetuſtas.
Ex quibus una malis ſcatet: altera plena bonorum eſt,
Vnde agitant ſuperi mortalia pectora, lætis
Triſtia miſcentes. Ipſi lætantur, & omni
Æternum mærore carent, nulloque ſeneſcunt
Tempore, ſed ſtabili curſus circum æthera lege
Deproperare ſuos, nulloque fatiſcere ſæclo
Hos iubet omnipotens ſummi regnator Olympi.

Et cum lex hæc omni hominum generi, abſque ulla exceptione, vel diſtinctione, præſcripta reperiatur, ut ex ſuperioribus patet, non eſt cur Reges, aut Principes ſe ab ea liberos, aut exemtos ſuperbè, & ambitioſè præſumant; cum non ſolùm homines ſint, ſed & aliorum hominum capita, & quo plus pollent, eò magis fortunæ caſibus: & mutationibus ſubſint. De qua ſcitè Tragicus dixit, 18

Seneca in Tragæd.

Quicquid in altum fortuna tulit,
Ruitura levat.

Lucan. 1. Pharſ.

Lucanus, *Invida fatorum ſeries, ſummiſque negatum.*
Stare diu, nimioque Graves ſub pondere lapſus.

Tacit. 1. Annal. Tacit. ſup. Suet. in Tib. c. 26. & 27.

Et Tacitus, *Nihil ei magis ſubiectum, quàm onus cuncta regendi.* Qui idē (ſimul cum Suetonio) eodem ludibrij verbo, de quo agimus, Tiberiū hoc agnoviſſe commemorat, cum dicere ſolitus eſſet, *cuncta mortalium incerta; quantòque magis aliquis adeptus foret, tantò magis expo-*

ſitum

ſitum eſſe ludibrio; & adridet Seneca, eadem culmina *Lubrica* vocans, dum dixit, Senec. in Thieſ.

> *Stet quicumque volet potens*
> *Aulæ culmine lubrico.*

Et Sidonius Apollinaris, præcipitij quoque adiectivum adiiciens, his verbis: *Sententiæ tali nunquam ego aſſentior, ut fortunatos putē, qui Reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus inſiſtunt.* Et adhuc etiam appoſitiſsimè, & ſub nomine etiam ludi, Æneas Sylvius, ſic inquiens: *Regna & opes, non magis poſsidentium ſunt, quàm cuiuſcumque: ſed ut in ſeculari ludo, nunc huc tranſeunt, nunc referuntur illuc. Sola virtus viventi, & mortuo, ſtabilis, & firma poſſeſsio.* Sidon. lib. 2. epiſt. 13. Æneas Sylv. ep. 414.

19 Idem quoque, ſuo exemplo, ſuiſque verbis admonuit Zenon Imperator Conſtantinopolitanus apud Zonaram. Nam cum audita ſuorum ſtrage, in caſtellum aufugeret, quod erat in edito tumulo ſitum, ingemiſcens ob præſentium rerum calamitoſum ſtatum, in hæc verba prorupit: *Nimirum Dei ludibrium eſt homo, quandoquidem & mihi ita illudere amat fortuna.* Zonar. in Zenon. Iſaurico.

20 Eſſetque infiniti laboris longè miſerabiliores aliorum Regum, & Imperatorum caſus referre, atque etiam otioſi, cum de hoc integri libri ſcripti reperiantur, copioſamque telam noviſsimè Philippus Camerarius, & alij contexuerint, & vel extraneis relictis, æque nota, ac lachrymabilis ſit apud noſtros, Regis Ruderici Hiſtoria, a Mauris ſuperati, Regno privati, & incerta adhuc morte peremti; Favillæ ab urſo interveniendū occiſi; Sanctij in obſidione Zamorēſi iaculo a proditore Vellido transfoſsi; Ioannis Primi ob lapſum equi deſiderati; Henrici I. apud Palentiam tegula ſaucij; Petri ab Henrico fratre poſt varios belli eventus, in colluctatione necati; Sebaſtiani in Africana expeditione deperditi, duplicis in Francia Henrici noſtris temporibus a ſuis, & inter ſuos, pugione petiti, & alterius in haſtiludio lanceæ fruſtulo per oculum terebrati. Ioan. Bocac. integ. lib. de caſib. illuſt. viror. Camer. 2. tom. ſubceſſ. cap. 57. ubi alios recēſet, & Theat. vitæ human. verb. *Fortuna*, & verb. *Caſus*. Fileſac. 2. ſect. in Euripo huius ſecali.

21 Calamum quoque in tragica & lamentabili hiſtoria Andronici Orientis Imperatoris extēdere poſſem, niſi iam illam, poſt Nicetam, latè Patres Drexelius, & Euſebius exaraſſent, & exornaſſent, eleganti ſtylo referentes, qualiter tertio ſui Imperij anno, ab Iſaacio Angelo victus, mille colaphis, flagris, & tormētis diſcerptus fuit, & tot talibuſque iniurijs, & ignominijs affectus, ut vix referri, nedum pati potuiſſe videantur. Donec tandem ludicra ex allio corona, uno oculo excæcatus, unaque manu deformis, curta inſuper brevique tunicella malè amictus, camelo averſus impoſitus fuit, eius cauda pro ſceptro lævæ inſerta, & ſic per forum, triumphi forma, lentaque pompa, ſummo populi ludibrio ad furcam perductus, ex qua pedibus ſuſpenſus fuit: eo tātum felix, quòd inter ſexcenta mala, quæ perpeſſus fuerat, ſe adeò patiēter, & conſtanter geſsit, ut lamentari, eiulare, aut fortunā accuſare, auditus non ſit. Illud tantùm ingeminans, & ingemiſcens, *Domine, miſerere, Domine, miſerere. Miſer Andronice, quòd tanta ferre cogeris; Felix quòd patienter feras, & agnoſcas peccata ſic eſſe expianda.* Nicet. lib. 2. Drexel. tract. de ætern. conſid. 5. Euſeb. in Theopolitico, pag. 302. & ſequentib.

Sed quorſum in antiquis exemplis referendis immoror, cum ſub ipſum tempus, quo hæc litteris mando, recens illud, & nullo ſæculo viſum, venturiſque non minori admirationi, quàm dolori futurum, contigerit, in Carolo Stuarto Rege Angliæ, huius nominis Primo, qui, quòd Regiam dignitatem, eiuſque iura vindicare curabat, a ſuis vaſſallis ſub Parlamẽti nomine coadunatis, primo aliquibus bellis, civilibus fuſus, deinde ultimo captus, & in Londinum deductus, ibique, tanquam reus, arcta cuſtodia tentus, & iudicialiter inquiſitus, ſeu ſyndicatus, tãdem, proceſſu formato, exitiali ſententia damnatus, & indigna carnificis manu capite plexus fuit, vel ipſis parricidis ad tantum facinus ſtupentibus, & eum ipſum, cuius caput truncabant, nudato (ut ferunt) capite reverentibus. Rarum ſanè ludibrioſæ in Reges Fortunæ, de qua agimus, & abſque exemplo portentoſum exemplum. Niſi quis fortè illud Agidis Lacedæmoniorum Regis in memoriam revocet, Ephororum iudicio, ut Plutarchus refert, ſtrangulati, & quæ de eorumdem Anglorũ ſimili conſuetudine in proprijs Regibus occidendis, ex Regni eiuſdem hiſtorijs Gaguinus, Petrus Gregor. & noviſſimus Beierchinchius enarrant. 22

Plutarc. in Agide.

Gaguinus Hiſtor. Frãc. pag. mihi 58. Petr. Greg. de Repub. lib. 26. cap. 6. num. 17. Theatr. vitæ hum. litt. A. pag. 433.

Cæterum de hoc forſitan alio loco commodius, & copioſius agemus, nunc ad Thema nobis propoſitum redeuntes, ſatis habemus, vel ſolo hoc recenti, & infauſto exemplo manifeſtaſſe, quàm varijs & inopinatis fortunæ ictibus Reges ſubiaceant, & quam verum illud Senecæ eſſe, hic caſus oſtendat, quod antea veluti hyperbolicè, aut declamatoriè dictum, putare poſſemus: *Quod Regnum eſt, cui non parata ſit ruina, & proculcatio, & Dominus, & carnifex. Nec magnis iſta inter vallis diviſa, ſeu horæ momentum intereſt inter Solium, & aliena genua.* Quò & in ſuis Tragœdijs multis locis alludit, & præſertim in Octavia (ſi hæc eius eſſe mereatur) dum canit, vel verius plorat: 23

Senec. de trãquil. cap. 11.

Idem in Octavia.

Regitur fatis mortale genus,
Nec ſibi quis quam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile; perque caſus
Volvitur varios, ſemper nobis
Metuenda dies.

Drexel. d. tract. de æternit. ubi ſuprà.

Sed quid miremur hæc fortunæ ludibria, & varios Pilæ noſtræ motus, ac ſaltus in Regibus exerceri, cum idem in lapideis marmoreiſque ædificijs, quantumvis fornicatis, contingat. Atque ita, ut eleganter Drexelius ait, ſeptem orbis Miracula, aureum Neronis Palatiũ, Diocletiani thermæ, Antoniniana balnea, Severi Septizoniũ, Coloſſæum Iulij, Amphitheatrum Pompei, vix ſui veſtigium, & nomen in libris reliquerint. In urbibus quoque, inclytis licèt olim, ac ferè cum cœlo certantibus, eandem viciſſitudinem, ac mutationem agnoſcimus. Babylonem, Troiam, Carthaginem, Romam, fuiſſe credimus, & vix hodie pars cadaveris ſupereſt, quæ noſtris oculis fidẽ facere poſſit. Plures alias opulentiſſimas Pauſanias in Arcadicis memorat, quas longum eſſet recenſere, quarumque ortus & occaſus noſtris Iuriſconſultis anſam præſtiterunt, ut de earum morte, ſive interitu ſermo- 24

l. ſi uſusfructus, D. quib. mod. uſus amitt. Rhod. lib. 14 c. 5. Pet. Fab. 1. ſemeſ. c. 8. & 9. Ræward. 2. coniect. c. 6. vide Senec. de conſ. ad Polyb. c. 20. & epiſt. 91. ubi elegantiſsimè agit de ſubito incẽdio celebris Lugdunẽſis Coloniæ.

nem

nem haberent. Quos prævivit Ovidius dum dixit,

Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere robora gentes,
Concidere has: ſic magna fuit cenſu viriſque
Perque decem potuit tantum dare ſanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro divitijs, tumulos oſtendit avorum
Clara fuit Sparta: Magnæ viguere Mycenæ,
Necnon & Cecropis, necnon Amphionis arces.
Vile ſolum Sparta eſt, altæ cecidere Mycenæ;
Oedipodioniæ quid ſunt niſi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant niſi nomen Athenæ? &c.
Si quæras Helicem & Burim Acheidos urbes,
Invenies ſub aquis, & adhuc oſtendere nautæ
Inclinata ſolent cum mœnibus oppida merſis.

Ovid. 15. Metam.

25 Idem quod in Regibus, in ædificijs, in urbibuſque contingit, pari modo in ipſis Regnis, & Imperijs, atque in famigeratis illis quatuor mundi Monarchijs contigiſſe, & quotidie contingere videmus, cum eiſdem caſibus, ictibus, ſaltibuſque ſubiaceant, ſuoſque periodos, & viciſsitudines habeant, non tam ob circuitus, qui intra Lunam ſunt, vel aliarum ſtellarum decreta, vanoſvè, ac ſuperfluos diſcurſus, quos, poſt Ariſtotelem, & Ptolomeum, Peucerus, Munſterus, & alij Recentiores Politici facere ſolent, quàm quòd mortalia ſint omnia opera mortalium, ut rectè Lactantius Firmianus animadvertit, & Deus illa pro libito, ſivè ludibrio ſuæ voluntatis, aut voluptatis, æquè, ac cætera, mutare ſoleat, & propter peccata, ac diverſos dolos, aliaſvè nobis occultas rationes, de gente in gentem transferre, ut pluribus ſacræ Scripturæ locis docemur.

Ariſt. Ptolom. Peucer. Munſt. Verulanus, & alij apud Vvaremũ de fœder. lib. 1. ex pag. 1. Beſold. de Period. Imper. Fileſac. & noviſs. Buxhorneum orat. 2.

Eccleſ. 10. 8. Sap. 10. Proverb. 13. Matth. 12. latè Ego de Ind. iur. 1. to. li. 2. cap. 13. ex n. 52. & cap. 2. ex n. 1.

26 Inter quas, illa ſatis ſufficiens eſt, quòd cum ſit omnium rerum auctor, & actor, æterna & provida mens, quæ cœlorum perennes orbes, quæ ſyderum inæquales curſus, quæ elementorum alternas vices, quæ denique omnes res ſuperas inferas creat, temperat, moderatur, atque gubernat, vel ad hanc potentiam oſtendendam, tanquam omnium Dominus, Regna ab alijs auferre, & alijs dare pro libito poteſt, neque eſt qui ei poſsit imputare, ſi perierint Nationes, quas ipſe fecit, ut Salomon docet, & latiùs Abulenſis, Lorinus, & Iuſtus Lipſius animaduertunt.

Sap. n. 12. ubi Lorin. Abulenſ. ſup. n. c. 21. & ſup. Ioſue c. 11. Lipſ. lib. 1. de Conſtãt. c. 13.

27 Qui idem alio in loco, hoc ipſi naturæ rerum etiam attribuit, quibus veluti inſitum eſt, ut vel ex eo ipſo quòd creverint, retrocedant, ſic inquiens: *Magna Imperia limites ſuos habent, quò cum venerunt, ſiſtunt, retroeunt, ruunt, atque ut ferro conſumens quædam rubigo per naturam adgnata eſt; ligno exedens caries, aut teredo; ſic animalibus, oppidis, Regnis, internæ, & ſuæ cauſæ pereundi.* Quod ſumere potuit ex Seneca, qui non minùs aptè ad rem, de qua agimus, ita habet: *Nihil privatim,*

Lipſ. epiſt. 31. ad Belgas, & d. lib. 1. de Conſtant. c. 15. & 16.

Senec. epiſt. 91.

nihil publicè ſtabile eſt: tam hominum, quàm urbium fata volvuntur. Omnes quæ uſquàm rerum potiuntur urbes, quæque aliorum Imperiorum magna ſunt decora, ubi fuerint aliquando quæretur. Enumerare omnes fatorum vias longum eſt: hoc unum ſcio, omnia mortalium opera mortalitate damnata ſunt, inter peritura vivimus. Sæpè maiori fortunæ locum fecit iniuria: multa ceciderunt, ut altius ſurgant.

Manil. 1. Aſtron.

Neque abeſt Manilius, qui omnia ſupradicta complexus, cuncta, 28 quæ nobis magna, & duratura videntur, umbram ſomniumque eſſe, & excidij pœna iam ab ipſo ſuo ortu damnata, ſic eleganter admonuit.

Quot poſt excidium Troiæ ſint eruta Regna?
Quot capti populi? Quoties fortuna per orbem
Servitium Imperiumque tulit, variéque revertit?
Troianos Cineres in quantum oblita refovit
Imperium? Fatis Aſiæ iam Græcia preſſa eſt.
Sæcula dinumerare piget, quotieſque recurrens
Luſtraret mundum vario Sol igneus Orbe.
Omnia mortali mutantur lege creata,
Nec ſe cognoſcunt terræ vertentibus annis,
Exutas variam faciem per ſæcula gentes.

Lucret. lib. 2.

Plato lib. 6. de legib.

Pauſan. in Atticis, Statius 4. Sylvar. Perſ. ſatyr. 5. Pantoja de ludis, c. 22. n. 22. Saaved. idea 19. pag. 123.

Lucretius quoque, eandem hanc Regnorum, & Monarchiarum mu- 29 tationem, etſi nō pilæ ludo, de quo nos loquimur, ſimilem faciat, Platonem tamen ſequutus, ad alium alludit, apud Athenienſes in Dianæ, ſeu Proſerpinæ, atque etiam in Cereris ſacris uſitatiſsimum, qui faces accendebant ex ara, eaſque manibus geſtantes, currebant, quàm poterant longiſsimè, & incitatiſsimè, & alijs ſtatim tradebant. Et quorū faces extinctæ erant, quivè ſerius ad deſtinatum locum pervenerant, pro victis habebantur. Cuius ludi Pauſanias, & alij plures mentionem fecerunt, & eius in his ſacris inſtituendi cauſas aperiens Muretus, Lucretij autem verba ſic habet,

Muret. lib. 1. de Repub. Platon.

------------- Sic rerum ſumma novatur
Semper, & inter ſe mortales mutua vivunt.
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,
Inque brevi ſpacio mutantur ſecla animantum,
Et quaſi Curſores vitai lampada tradunt.

Iuſt. Lipſ. lib. 1. de Conſt. c. 16. Ego, poſt eum. & alios, 1. tom. de Ind. iur. lib. 2. c. 2. ex n. 8.

De quo etiam graviter & philoſophicè diſſerit Iuſtus Lipſius, & 30 veluti reſpiciens ad hos ſaltus & occaſus huius, de qua agimus, pilæ, ſic concludit: *O mira, & nunquam compreheṅſa neceſsitatis lex: abeunt omnia in hunc naſcendi pereundique fatalem girum, & longævum aliquid in hac machina eſt, nihil æternum. Attolle, & circumfer mecum oculos, & vide rerum humanarum alternas vices, & ut in Oceano æſtus. Tu ſurge; Tu cade; Tu impera; Tu ſervi; Tu occultare; Tu emerge: & eat hic rerum in ſe remeantium orbis, quamdiu erit ipſe Orbis. Germani feri olim fuiſtis? Nunc miteſcite ante pleroſque populos Europæ. Brittani inculti, & inopes? Delicijs, ac divitijs Ægyptios provocate, & Sybaritas. Græcia olim*

floruit? Nunc taceat; Italia Sceptrum tenuit? nunc ſerviat. Vos Gothi, vos Vandali, vos Fex barbarorum, prodite è latebris, & gentibus imperate per vices. Adeſte etiam pelliti vos Scythæ, & potenti manu pauliſper temperate habenas Aſiæ atque Europæ. Sed iſti ipſi mox diſcedite, & ſceptrũ relinquite illi ad Oceanũ genti. Fallor enim? an Solem neſcio quẽ novi Imperij, ſurgentem video ab Occidente.

31 Hactenus Iuſtus Lipſius; cuius vaticiniũ de Dominatione gentis ad Occidentem ſitæ, de Hiſpanis intelligendum videtur, prout ipſe expreſsius alibi indicat, inquiens: *Neſcio quo providentiæ decreto, res, & vigor ab Oriente in Occaſum eunt.* Et idem, multis ante Lipſium annis, vaticinatus videtur Michael Aitſingerus Auſtriacus, multa de Hiſpaniæ fœlicitate præſagiens, & eouſque progreſſuram, *Vt Antipodum fines concludat, Galliæ cervices ſubmittat, Brittania ſupplex claſsibus advolet, & Italia dextram ad ardua ſceptra porrigat.*

Lipſius de Magn. R. Imper. lib. 1. c. 3

Aitſing. in leone Belgico in epiſtol. dedicat. pag. 2.

32 Quod, licèt hoc quo iſta ſcribimus tempore, ſiniſtris aliquibus ſucceſsibus, quæ peccata noſtra promeruerunt, retardari videatur, non eſt cur vel à concepta ſpe cadere debeamus, aut Hiſpanæ nationis, & Monarchiæ æmuli ſuperbire, eamque, ut faciunt, deſpicere poſsint. Alternæ enim (ut vidimus) ſunt vices rerum, atque ut canit Virgilius:

Virgil. Æneid. 11

Multa dies variuſque labor mutabilis ævi
Retulit in melius multos: alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus Fortuna locavit.

33 Quod, vel exemplo Franciſci Gallorum Regis huius nominis Primi, tumidi nunc Galli, & immaturè canentes, diſcere poſſent, qui, ut graves Auctores enarrant, cum Matriti captus ab Auguſtiſsimo Imperatore, ac Rege noſtro Carolo V. Max. detineretur, & in pariete ſymbolum, quo hic Cæſar utebatur, *Plus ultra*, ſcriptum legiſſet, ſubſcriſcripſit, *Hodie Mihi, cras Tibi.* Fortunæ viciſsitudinem oſtẽdere volens, quæ glorioſa illa trophæa mutare, & ab alijs in alios (ut iam oſtẽdimus) transferre ſolet. Quod cum poſteà Imperator Pijſsimus perlegiſſet, ut ſe mentem ſui Antagoniſtæ percepiſſe indicaret, hæc adiecit, *Fateor me hominem.* Sic noſcens ſe bullam eſſe, quamvis Regia & Imperatoria Maieſtate præfulgidum, & pilam, qua Deus ludit, ut in noſtro Emblemate habetur: *Eximiamque gloriã ſæpius fortunæ, quàm virtutis eſſe beneficium,* ut Quintus Curtius ſcriptum reliquit.

Mart. de trius in Adag. ſacris, 2. to. Adag. 459. pagin. 576. Camerar. 3. tom. ſubceſſ. pag. 155.

Curt. lib. 8.

34 Sed tempus eſt iam, ut manum ab hac tabula (ut eſt in Adagio) tollamus, infinitum quippè eſſet, omnia quæ in hoc argumentum tendunt, velle congerere, *Quæ* (ut verbis Ammiani Marcellini utar) *ſi ſcire quiſquam velit, quàm varia ſint, & aſsidua, arenarum numerum idem iam deſpiciens, & montium pondera ſcrutari poterit.* Pulchrè enim Seneca docet, ac monet, maxima quæque bona ſolicita eſſe, nec ulli fortunæ minùs benè, quàm optimæ credendum, aliaque fœlicitate, ad tuendã fœlicitatem opus eſſe. Vnde prudens quilibet, ut prudenter idẽ Philoſophus alibi ait: *Nihil improviſum habere debet; in omnia præmitendus eſt animus, cogitandumque, non quicquid ſolet, ſed quidquid poteſt fieri.*

Eraſm. in Adag. pag. 502.

Amm. Marcel. in fin. lib. 22.

Senec. de brev. vitæ cap. 17.

Idem epiſt. 41.

For-

Fortuna vitrea eſt.

EMBLEMA V.



Aſpicis ecce globos, queis proſperaq; volutat,
Queis Fortuna rotat triſtia, læta ſimul.
Sive tenes, metuas: pernicibus evolat alis.
Sive caves fugito: vitrea, fracta ruit,
Vitrea ſubiicitur quantis Fortuna periclis;
Frangitur heu brevius, dum micat illa magis.
O Fortunati, fragili ne credite vitro:
Fidite virtuti, frangier iſta nequit.

COMMENTARIVS.

PERGAM porrò, & quoniam de fortunæ luſibus agere cœpi, omnes rurſus Principes monitos velim, nunquam ſibi maius periculum imminere, quàm cum cæca hæc & lubrica ſeu ludicra Dea, ipſos in maius altiuſque faſtigium extulerit. Non ſolum quia, ut Ovidius inquit, 1

Ovid. lib. 5. de Triſtibus.

Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo firma tenaxque loco;
Sed modo læta manet, vultus modo ſumit acerbos,
Et tantùm conſtans in levitate ſua eſt.

Cum

Cum quo Horatius, Seneca, & alij, de Regnis, & Regibus agentes, paſſim conveniunt, inquientes: *Præcipites Regum caſus Fortunam rotare.*

Senec. in Agam.
Horat. lib. 1. Od. 35.

2 Verùm quòd ſuo favore, & ſplendore, eorum, quibus adridet, mẽtes, atque oculos excæcat: & ita frequenter ſuperbos, & inſolentes reddere ſolet, ut meritò dicere potuerit Salomon: *Proſperitas ſtultorum perdet illos.* Laberius in Mimis,

Salom. Prov. 1. 32.
Laber. in Mimis.

Fortuna quem nimium fovet, ſtultum facit.
Et Fortuna vix colit virtutem proſpera.

Plinius, quòd *ut hedera complexu arbores necat; ita Fortuna proſpera, dũ blanditur ſtrangulat, & perdit.*

Plin. lib. 16. c. 35.

3 Et vel in Adagium tranſierit, *Fortuna reddit inſolentes.* In cuius explicatione miror Eraſmum ſicco pede tranſijſſe, cum innumeris exẽplis, & bonorum Auctorum teſtimonijs hoc comprobare, & illuſtrare poſſet; quæ copiosè aliqui Recentiores adducunt. Inter quæ, dignum relatu eſt illud Virgilij,

Eraſm. in Adagijs, pag. mihi 584.
Mendoza 1. tom. Reg. pag. 148. & ſeqq. Camer. 1. to. ſuccesſiv. pag. 247
Savar. ad Sidon. pag. 273. & ſeq. Fileſ. 2. ſelect. cap. 7.

Neſcia mens hominum, fati ſortiſque futuræ:
Et ſervare modum, rebus ſublata ſecundis.

Epitecti, *Fœlicitate, non ſecus ac ebrietate quadam, plus ſatis plenus imprudens, imprudentior efficitur.* Halicarnaſæi: *Nimia fœlicitas homini eſt periculoſa, & detrimentoſa, hæc etenim multis inſanæ ſuperbiæ eſt cauſa.* Taciti: *Fœlicitas in malo ingenio avaritiam, ſuperbiam, cæteraque occulta mala patefacit.* Et rurſus ſub Galbæ perſona: *Secundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur, fœlicitate corrumpimur.* Latinus Pacatus: *Nam cum indiſcreta fœlicium pediſſequa ſit ſuperbia, vix cui quam contigit, & abundare Fortuna, & indigere arrogantia.* Quem locum æmulatus Salvianus, *Pediſſequa* (inquit) *novi honoris eſt ſuperbia*; & latiùs eandem ſententiã alibi exprimens: *Quotuſquiſque Sapientum eſt, quem ſecunda non mutent, cui non creſcat cum proſperitate vitioſitas: non una certè nec unius generis: & fœlix ille ambitionis ſucceſſus cæteros ſic aſpernatur, ut ſibi uni totum hoc Fortunæ beneficium deberi, & in omnium oculos incurrere oportere, reliquis omnibus abdicatis, exiſtimet.*

Helicarn. lib. 8.
Tacit. in Annal.
Idem 1. Hiſt.
Pacatus in Paneg. ad Theodoſ.
Salvian. in Epiſt. ad Eucher.
Idẽ lib. 7. de gub. Dei.

4 Quapropter D. Chryſoſtomus rectiſsimè docuit, ſæpè ſolere fœlices rerum ſucceſſus maiora mala facere, quàm res adverſas; & Guiciardinus cum vulgò dicere potuit: *Nimia fœlicitate homines maiorem hoſtem non habere: ea enim effrænatos, ſuique præſidentes, ad malum audaces, & proprij commodi novis rebus turbandi cupidos facit.* Quod & Phædrus præclara fabula oſtendit, cui titulus, *Quòd ſucceſſus ad perniciem multos devocat.*

D. Chryſoſ. in Pſ. 9.
Guiciard. lib. 14. Hiſt.
Phæd. in Fabul.

5 Quibus conveniens Hector Pintus, ait: *Quòd quemadmodum Luna nõ patitur eclypſim, niſi cum plena eſt; ſic homines tunc maximè ſolent obſcurari, cum ſe divitijs, & alijs Fortunæ bonis plenos conſpiciunt.* Et D. Hieronymus explicans illud Davidis, qui de eiſdem fœlicibus dixit, *Ideò tenuit eos ſuperbia, operati ſunt iniquitate*; addit, *Per arrogantiam fœlicitatis, multiplicata iniquitate premuntur.*

Pint. in Ezech. c. 17.
D. Hier. ſup. Pſal. 72. n. 6.
D. Ambr. lib. 2. de interp. in Iob c. 5.

D. Ambr. lib. 2. de interp. in Iob c. 5.
Mendoza 1. tom. in li. Reg. pag. 154
Iob 21. 14. & 15.

6 Quod Divus etiam Ambroſius, his verbis expreſsit: *Magna illecebra delinquendi eſt rerum affluentia ſecundarum: ſupinat, extollit, oblivionem Auctoris infundit.* Vbi *Supinat* verbum, (ut benè quidam Modernus advertit) ideò poſitum eſt, quia qui rebus proſperè fluentibus, per ſuperbiam eriguntur, ijdem, per quandam ad divinum obſequium ignaviam, atque deſidiam ſupinantur, præcipitanturque: vigeſcunt ad audenda mala; ad exequenda bona quodammodo flacceſcunt. Denique eam in dementiam erumpunt, ut terrenæ fœlicitatis participes eſſe malint, quàm divinæ; hanc enim præ illa aſpernantur, ac Deo dicunt, *Recede a nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus, quis eſt enim Omnipotens, ut ſerviamus ei?*

D. Aug. ſerm. 13. de verb. Dom.
D. Bernard. lib. 2. de Conſid. ad Eug.
Idem Serm. 3. in Domin. Palmar.

7 Atque hinc deſcendit, quod D. Auguſtinus tradit, *Magnæ ſcilicet virtutis eſſe, cum fœlicitate luctari; magnæ fœlicitatis à fœlicitate nō vinci.* Cum quo ſentiens D. Bernardus, loquens de Davide, & Salomone, qui in hoc periclitati leguntur, ſic habet, *Sapiens David, ſapiens Salomon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus, alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Magnus, cui præſens fœlicitas, ſi arriſit, non irriſit.* Eam alibi rationem addens, quòd *licèt multos frangat adverſitas, multo plures extollit proſperitas.*

Caſsiod. lib. 1. epiſtol. 4.
Sidon. lib. 2. ep. 3.
Idem in Epitaph. Aviti.

8 Hancque virtutem ſeu magnanimitatem in ſuo Caſsiodoro laudās Rex Theodoricus, ita de eo ſermocinatur, *Nullo quippè, ut pleriſque moris erat, elatus favore Fortunæ, in cothurnum ſe magnæ poteſtatis erexit.* Et Sidonius Apollinaris ad fœlicem ſcribens, ampliſsimæ dignitatis infulas conſequutum, hoc præcipuè in eo extollit, quòd illis non fuerit in ſuperbiam elatus, ſic inquiens: *Invenis tamen vir amicitiarum ſervantiſsimè, qualiter honorum tuorum creſcat communione faſtigiū, raroque genere exempli, altitudinem tuam humilitate ſublimas.* Et inidē ipſum reſpiciens in Epitaphio Aviti, ita habet,

Nec tamen ob ſummi culmen tumefactus honoris
Erigitur, ſeque ipſe alijs plus æſtimat, imò
Subiicitur Magnus, ſervat mediocria Summus.

Sym. lib. 8. epiſt. 1.
Claud. in Paneg. Theod.
Idem Paneg. 2. de laud. Stilic.

9 In quo imitari videtur Symmachū; quatenus alibi pariliter dixit, *Compertum habeo, quolibet honorum culmine animum tuū non ſolere mutari*; & Claudianum, ita de ſuo Theodoro canentem;

------------ Nec quæ comitatur honores
Auſa tuam leviter tentare ſuperbia mentem;
Frons privata manet.

Et iterum laudans Stiliconem,

------------- Nec proſpera flatus
Attollunt nimios: quin ipſa ſuperbia longè
Diſceſsit, vitium rebus ſolemne ſecundis.

D. Chryſol. ſerm. 136.

10 Divus quoque Petrus Chryſologus Adelphum Epiſcopum multis laudibus effert, & inter maximas eius virtutes, illam præcipuè numerandam inquit, *Quæ contemto obſequij ſui faſtu, deſpecta manificæ*

domus

domus reverentia, calcato etiam ſuæ faſtigio poteſtatis, & obiecta opum, ſuarum interna conſcientia, unde tumor maximus humanis dominatur in mentibus, ad viliſsimas inopis ſe inclinavit anguſtias, ut ſuo pauperem cō tubernio ſublimaret.

11 Omnes ſanè iuſtiſsimè, quia, ut diximus, quemadmodum Tacito docente, *Difficilè eſt ſervare ex ſapientia modum*, ita, ſecundùm Saliſberienſem, difficillimum, *Vt gradus honoris tumorem non pariat in animo imprudentis*; cum & prudentiſsimos interdum & ſapientiſsimos ſupinare ſoleat, ut ſuo exemplo nos admonent Saul, qui cum eſſet parvulus in oculis ſuis, caput in tribubus Iſraël factus eſt, ut ſacra Scriptura teſtatur. Cum verò magnus ſibi videri cœpit, & de proſperis rerum ſucceſsibus inaniter gloriari; debitam Deo obedientiam, & reverentiam denegavit. David, qui omnibus locis ac focis pulſus, Deum inquirebat: Sceptro & ſolio donatus, alienum thorum violavit. Salomon, qui dum ad ſupremum ſapientiæ, potentiæ, & opulentiæ faſtigium erigitur, in infimum quoddam cœcitatis, & infirmitatis, atque impietatis barathrum ſe ipſum præcipitavit. Ioas, qui proſperis rerum ſucceſsibus elatus, & adulatorijs ſuorum obſequijs delinitus, à prima illa divinæ legis obſervantia, quam ſub Ioiada tenuerat, defecit, & parem ſe Deo facere voluit. Ozias, de quo eadem ſacra Pagina inquit, *Quod cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum.* Ezechias, qui de hoſtibus victor, de morbo ſanatus, claris de cœlo prodigijs, magnam in ſpem erectus, ſic intumuit, ut ſuas omnes divitias Babylonijs Legatis inaniter oſtentaret; maiorem fortaſsè in ſuperbiam proditurus, niſi ab Iſaia graviſsimi comminatione ſupplicij refrænaretur.

Tacit. in vita Agric. cap. 4.
Salisber. in Policr.
Reg. 1. c. 1. n. 17. & ſeqq.
Lib. 1. Reg. c. 11. à num. 2.
Lib. 3. Reg. c. 11. à num. 1.
Paralyp. 24. 27.
Paralyp. 26. 16.
Lib. 4. Reg. c. 20. num. 16.

12 Longum quidem eſſet alios Iſraëlitici populi Reges recenſere, qui blandientibus ſecundis rebus elati, in ſimilem inſaniam, imò qualibet inſania deteriorem ſcelerum voraginem, corruerunt. Eademque fœlicitas, ut aliqua profana quoque exempla tangamus, in cauſa fuit Philippo Macedoni, Alexandro eius filio, Xerxi, & alijs quàm plurimis, ad Divinitatis honorem præſumendum. Caligulæ, in eam vecordiam deveniendi, ut Suetonio narrante, palam cum Iovis ſtatua Homericis verſibus loqueretur, ac plenam & fulgentem Lunam in amplexus invitaret. Neroni, ut iuxta eundem Suetonium, paulatim invaleſcentibus vitijs, ioculatoria, & latebras omiſerit, nullaque diſſimulandi cura, ad maiora palam eruperit, & ſe Deum faciens, vel reputans, amiſsis naufragio precioſiſsimis rebus, non dubitaverit inter ſuos dicere, piſces eas ſibi relaturos. Et Simonidi, ut Ælianus recenſet, ad conſulendum Pauſaniæ, nimia fœlicitate ſuperbienti, ut meminerit ſe hominem eſſe, ideſt multis miſerijs, & Fortunæ variationibus expoſitum. Quod cum Pauſanias tunc contemſiſſet, paulò poſt fame periens, veriſsimum eſſe agnovit, & magnis eiulatibus prædicavit.

Suet. in Caligul. cap. 22.
Idem in Nerone cap. 27. & 4.
Ælian. de var. hiſt. lib. 9. cap. 41.

13 Cum ergo (ut ex ſuprà dictis appareret) hoc toxicum Principibus viris, fœlicibus rerum eventibus, tanquam ſecundis à tergo auris promotis, Fortuna propinet, nullum aliud commodius, præſentiuſvè an-

Eraſm. in Adag. *Adraſtia Nemeſis*, pag.725. Giral. de Dijs Gent. Syntag. 17. pag.476. Nat. Comes in Mytol. pag.1022.

Periand. apud Auſon. in dict. ſept. Sapient.

Ariſt. lib.8. Ethic.

Curt. lib.5.

tidotum illis exhibere potui, quàm hoc, quod præſenti Emblemate delineavi, ex eiuſdem Fortunæ inſtabilitate ac fragilitate deſumto, ut quos ipſa ſuo morſu ſuperbos, efferos, & rabidos fecerit, illius pilis pinniſque conſpectis, (ut in canibus accidit) ſanitatem mentis recipiant, diſcantque, quàm ſtultè, ob huius proſperos flatus ſuperbiant, quæ eadem in Nemeſim ſive Rhamnuſiam Deam mutari ſolet, quam Ethnici inſolentiæ, & arrogantiæ vindicem effingebant, quòd ſpes immoderatas & vetet & puniat, ut Eraſmus, Giraldus, & alij litteris prodiderunt. Quæque occaſionem Periandro, uni ex ſeptem Graciæ Sapientibus, dedit, ut diceret, *Si Fortuna iuvat, caveto tolli; ſi Fortuna tonat, caveto mergi.* Ariſtoteli, ut doceret, *Quãto maior Fortuna eſt, tanto minùs ſecura.* Nec ſe ita cuiquam tradidit, ut licèt manus porrigat, pinnas, quibus avolare conſuevit, comprehendi ſinat, ut pulchrè Quintus Curtius ſcripſit.

Text. in Epithet. verbo *Fortuna*.

Hinc factum eſt, ut a veteribus Poëtis, & alijs Auctoribus, Mutabilis, Lubrica, Velox, Dubia, Fugax, Ineluctabilis, Cœca, Acerba, Improba, Dura, Truculenta, Verſuta, Inanis, Fallax, Æſtuaria, & mille alijs epithetis, inconſtantiam eius denotantibus, donata fuerit, quæ apud Raviſium Textorem videri poſſunt. 14

Plin. in Proœm. ad Veſpaſian. Pauſ. in Meſſenicis, Gyral. Synt. 16.

Iunius Embl.26.

Nec paucioribus ſimulachris, Ideis ac Hieroglyphicis, in ea fingenda, vel pingenda, uti ſolerent. Nam ut Plinius, Pauſanias, & alij recenſent, Bupalus Architectus & Plaſtes in ſignis, Smyrneis Fortunæ ſignum omnium vetuſtiſsimum finxit primus, capitique polum impoſuit; altera manu cornu Amaltheæ tenentem fecit, quaſi omnia ex ea pendere ſignificaret; licèt Hadrianus Iunius eiſdem Smyrneis (neſcio qua de cauſa) non illam, ſed hanc figuram attribuat, 15

Stare loco neſcia certo Sors lubrica, ſedes
Quærere docta novas.
Hinc pedibus mutilam, & ſubnixam remige penna,
Smyrna Deam poſuit.

Artem. de Som. interp. lib.2.

Lactant. lib.8. div. inſt. cap.8. vide Adag. *Fortunæ, ſive Herculis cornu*, inter Adagia Eraſm. pag.264.

Dion. Chryſoſt. Orat.63.

Artemidorus, cylindro tereti inſiſtentem, eandem Fortunam finxit. Apud Cebetem Thebanum in Myſtica ſua tabula, ſuper rotundũ lapidem ſedens, cœca & alata conſpicitur, & ſurda, atque inſana vocatur. Alij, cum quibus Lactantius, cum copiæ cornu, & navis gubernaculo eam deſignabant, ut qui opinarētur, & opes, & humana imperia largiri, ſive ut ait Livius, in rebus omnibus dominari. Dioni Chryſoſtomo, huic globo, & cornu, vel gubernaculo, novacula ſub pedibus additur, ad fœlicitatis præciſionem denotandam. 16

Pauſan. in Atticis.

Giral. d. Synt. 16.

Fuit & in Ægera urbe Fortunæ ſimulachrum, geſtantis ſimiliter Cornucopiæ, iuxta quod Cupido erat alatus. Qua re ſignificari putat Pauſanias, ea etiam, quæ ad amorem pertinent, Fortuna, magis quàm pulchritudine, mortalibus ſuccedere. Alij eam velo adornatam, rotæque volubili inſiſtentem effingebant, à tergo larvatam, vultúque torvo, fronte vero blandiente. Alij in equo velociſsimo conſtituerunt, quam currentem, Fatum intenſo arcu inſequebatur, ſic eius inſtabilitatem pernicitatemque ſignificantes, & quòd vi fati ſemper 17

per-

perageretur. Alij, ut inquit Giraldus, inter maris undam velificantem. Girald. de Dijs
Alij in ſaxi, aut montis cacumine ventis expoſitam. Plerique rotæ Cēt.d.Syntag.16.
inſiſtentem. Scythæ verò ſine pedibus, ut manus tantùm & pennas haberet, inſtar avium quas *Apodas* vocant, quòd pedibus careant, ut
Plinius ſcribit. Quinimo truncis quoque manibus aliquando confi- Plin.lib.20.c.39.
ctam: Achilles Bochius commemorat, & huius picturæ ſignificationem exponit. Romani, iuxta varias, quas ei indiderunt nomenclatu- Bochius Sym.121.
ras, varias etiam eiuſdem ideas commenti ſunt, quas longum eſſet recenſere.

18 Sed communius in illã conſenſerunt, quam Pacuvius apud Ciceronem in Rhetoricis, ſequentibus Carminibus refert, quæ multum me- Crinit. lib. 1. de
ritò laudant Petrus Crinitus, & Ioannes Fileſacus, ut potè in quibus hon.diſc.c.5.File-
venuſtè & eleganter, tota vis & poteſtas Fortunæ, eiuſque ludibrium, ſac.2.ſelect.cap.8.
de quo agimus, exprimatur: ad fin.

Fortunam inſanam eſſe & brutam perhibent Philoſophi,
Saxique adinſtar globoſi prædicant eſſe volubilem:
Quia quò ſaxum impulerit fors, eò cadere Fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem eſſe vocant, quia nihil cernat, quò ſe applicet.
Inſanam autem aiunt, quia atrox, incerta, inſtabiliſque ſit.
Brutam, quia dignum, aut indignum nequeat internoſcere, &c.

19 Apelles autem, contra omnium opinionem, illam ſedentem finxit. Stob. ſerm. 130.
Rogatus cur ita faceret? Quia (inquit) nunquam ſtetit, ut Stobæus, & Max.Tyrius ſerm.
alij recenſent, & latiùs cæteris Pierius Valerianus, alia ſimul circa ip- 37. Pierius in ſuis
ſius ideas, ac picturas adducens. Hieroglyph.lib.39

20 Nos verò in hac noſtra, (ut vides) hæc ferè omnia complexi, globos alatis pedibus ac brachijs ſubponimus, rotam manui inſerimus, & totam ipſam vitream eſſe repræſentamus, ut inſtabilitati fragilitatem præ alijs addamus; & Principes, qui eius ſplendore ſuperbiunt, & efferuntur, quàm is ſit fallax fugaxque, & facili colliſioni ſubie-
ctus, monitos faciamus. Præcipuam huius picturæ anſam ex illo Labe- Laber. in Mimis.
rij Mimographi Senariolo deſumentes:

Fortuna vitrea eſt, tum, cum ſplendet, frangitur.

Cui arridens Cicero: *O fallacem* (inquit) *hominum fragilemque Fortu-* Cicer.3.de Orat.
nam! Et Seneca: *Nunquam in ſolido ſtetit ſuperba fœlicitas: & ingen-* Sen. in Suaſ. c.37.
tium Imperiorum magna faſtigia, oblivione fragilitatis humanæ collapſa ſunt. Et iterum de ſplendore loquens: *Quid enim eſt, quod non Fortuna* Idem Epiſt.91.
cum voluit, & florentiſſimo detrahat? Quod non eò magis aggrediatur, &
quatiat, quò ſpecioſius fulget? Ac rurſus apud eiuſdem Senecæ Patrem Senec. Pater cōtr.
Portius Latro, *Omnis Fortunæ blandientis ſpecioſus cum periculo nitor,* 1.
& ſine cauſa ſemper fluit, & ſine ratione deſtituit.

21 Placidia quoque, Imperatorem Theodoſium coniugem ſuum, eiuſ- Euſeb. Zonar. &
dem fragilitatis his verbis commonefecit: *Cogita te privatum hominem* alij in Theod.Ho-
fuiſſe, atque nunc præ cæteris ad Romanæ Reip. gubernacula aſcitum, non mobon. de ſtat.
ut ſuperbires, ſed te hominem cogitares, varijs, perinde ac ſubditi, fragili- hom.pag.380.
tatibus obnoxium.

Lipſius in lib. 1. de Conſtāt. & in cēt. 3. ad Belg. epiſt. 21.

Et Iulius Lipſius, ad vitrum etiam alludens, ita habet, *Sic ſors incer-* 22
ta vagatur, fertque refertque vices ſortis humanæ. Vitrea Fortuna eſt,
mutantur Regna, pereunt opes licèt magnæ, occumbant amici, cogna-
ti liberi, debemur morti nos noſtraque, ſolumque ſepulchrum ſupereſt, in-
culpata vita, & vitio carent.

Florent. Sconoovius Embl. 60. pag. 178.

Neque abeſt Modernus Emblematarius, qui moris illius memi- 23
nens, quo Triumphantibus Romæ Imperatoribus, a tergo ſervus cum
flagello ponebatur, qui eos, ne in tanto Fortunæ ſplendore ſuperbi-
rent, homines eſſe admonebat, & ut utriuſque Fortunæ memores eſ-
ſent (de quo etiam præter innumeros alios, eleganter, & valdè ad rem
noſtram, agit Tertullianus) ſic concludit,

Tertull. Apol. lib. 1. cap. 33.

Fortunam reverenter habe; nam vitrea tota eſt,
Cumque nihil ſtatuis firmius eſſe, ruit.

Boiſſard. Embl. 46

Et Alter, qui neminem ei fidere debere, cum adeò ſit velox, ac fragi-
lis, hoc carmine docet,

Dum Nobis Fortuna favet, blanditur, & offert
Subſidium, nobis eſt metuenda magis.
Illiuſque bonis, dum arridet læta, fruamur:
Hanc reperire quidem, non retinere licet.

Plin. lib. 36. c. 25.

Quibus Ego addo, magis eſſe quam vitream; nam referente Pli- 24
nio didicimus, ſub Tiberio Principe excogitatum vitri temperamen-
tum, quo illud flexibile, & infractum redderetur, & totam offici-
nam cum artifice eius abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pre-
tia detraherentur. Fortunam verò nullus uſquam fuit, qui ſecuram, &
durabilem fabricare, vel ſibi polliceri auſus fuerit. Nam etſi Roma-
ni, Athenienſes, & alij, aliquando eam viſcatam, vel aureis catenu-
lis, vel compedibus alligatam, atque irretitam habuerint, ne ab eis
aufugere poſſet, ut ex Diodoro Siculo, & alijs Hadrianus Iunius ob-
ſervat, & Romani aliqui Imperatores illam AVGVSTAM, AV-
REAMQVE vocantes, quaſi propriam, & hæreditariam filijs ſuis re-
liquiſſe legantur, ut Spartianus, & Capitolinus commemorant, & in
hunc morem reſpiciens Achiles Bochius, dum ait,

Iun. Embl. 11.

Spart. in Severo, Capitol. in Anton.

Boch. Symb. 23. & omnino Cauſin. in Poliſt. Symbol. li. 2. c. 27. 28. 29.

Auguſtis olim in Talamis Fortuna ſolebat
Poni ab Romuleis Aurea Principibus.

Longè tamen verius eſt, hoc in adulationem eorundem Principum 25
fuiſſe confictum, nulloſque inter homines eſſe, in quos illa ſuam incon-
ſtantiam ac fragilitatem frequentius ac potentius oſtendat, ut iam ſu-
pra inſinuavi, & innumeris propè teſtimonijs, & exemplis proba-
re poſſem, niſi prolixus eſſe vererer, & de hoc argumento plurima paſ-
ſim apud plurimos reperiantur, quorum iam aliqua delibavi. Extet-
que elegans ac legi dignus Petri Damiani Tractatus, ubi luculenter
de Scenica rerum humanarum varietate, & inconſtantia, præſertim in
Regibus, agit.

Eraſm. in Adag. *Omnium rerum viciſſitudo eſt*, Camer. 1. to. ſubceſſ. pag. 247. Fileſac. 2. ſelect. c. 1. & ſeqq. Drexelius in Heliotrop. Pet. Dam. opuſc. 57. c. 7. & 8.

Quod etiam Seneca Tragicus non minùs benè oſtendit, ſic in-
quiens,

Senec. in Oedip.

Qui-

Quiſquam ne Regno gaudet? O fallax bonum,
Quantum malorum, quàm fronte blanda tegis?
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga,
Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta,
Quamvis quieti verberant fluctus maris:
Imperia ſic excelſa Fortunæ ſubiacent.

Et iterum elegantiſſimè: Idem in Troad. Act. 1.

Quicumque Regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit:
Me videat, & te Troia; non unquam tulit
Documenta ſors maiora, quàm fragili loco
Starent ſuperbi; Columen everſum occidit
Pollentis Aſiæ, cœlitum egregius labor, &c.
Ego eſſe quicquam Sceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen.

27 Et hoc eſt, quod Ælianus, & alij meritò in illo Dionyſij ſecundi reſponſo commendant, cum quo, cum aliquando cõveniſſet Philippus Amyntæ filius, & in diverſos ſermones incidiſſent: Philippus inter alia Dionyſium rogavit, quomodo cum tantum Regnum à parente accepiſſet, non id defendiſſet, & conſervaſſet? Iſque reſpondens, ait: *Non mirum eſt, quoniam cum reliqua mihi pater omnia reliquiſſet, fortunam ſolam, qua ea paraverat, & tutatus fuerat, mihi non tradidit.* Ælian. lib. 12. Bruſſon. lib. 2. cap. 37.

28 In idemque tendunt Scipionis Africani lachrymæ, incendium à ſe captæ & everſæ Carthaginis ſpectantis, ſimileque fatum in Romana urbe præſagientis, ac deplorantis, *Quia nulla Imperia perpetua ſint.* Qua etiam conſideratione, & exemplo Servius Sulpicius I. C. Marcum Tullium, in obitu filiæ Tulliæ mœſtum, eleganter & graviter in quadam Epiſtola conſolatur. Valent. Forſter. poſt alios, de hiſt. iur. civil. c. 1. n. 2. Serv. Sulpic. inter epiſt. fam. Cicer. lib. 4. epiſt. 5. omnino legenda.

29 Et Cœlius Rhodiginus, poſt Alexandrũ ab Alexandro, illud Plutarchi explicans, tradentis, apud Romanos, omnes qui nobilitate præſtarent, luneolas in calceis geſtare ſolitos, ſibi videri ait, in hoc inſtituto, ad idem documentum, de quo loquimur, reſpexiſſe, quaſi tacitis velut ambagibus commonerent; non inſoleſcendum, nec proſperis rerum ſucceſsibus efferendos animos, inconſtantiæ earũ ſemper memores, qua humana conflictantur: cui argumentũ præbeat Luna, quæ primò quidẽ ex obſcuro prodeat, mox ſplendido refulgẽs nitore, viſenda conſurgat facie. Sed cum iam clariſsimam præferat candoris ſpeciem, rurſum conſeneſcens, decreſcit, donec ratione quadam reciproca, in nihilum denuo redeat. Quam eandem explicationem apud Xiliandrũ, & alios reperio, licèt de Rhodigino mentionem non fecerint. Rhodig. lib. 20. c. 28. Alexand. lib. 5. cap. 18. Plutarch. in quæſt. Roman. q. 76. Minoes ad Alciat. Embl. 136. Guill. Xiliand. in anim. ad quæſt. Ro. Plut. pag. mihi 133. Bunhorn. ibidẽ. & Maiol. in colloq. de ſum. bono, pag. mihi 804. n. 3.

30 Maneat ergo piorum ac prudentium Regum mentibus inſitum, caducis hiſce ac fragilibus mundi bonis nequaquam inſoleſcendum. Senecæque illud memoriæ mandent:

Senec. Trag. 6.

------------ Quòque fortuna altius
Evexit, ac levavit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere fœlicem decet.

Claudian. lib. 2. in Ruffin.

Et Claudiani etiam, dum de miſerabili Ruffini lapſu ſermonē habens, hoc ſalutare monitum protulit,

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabileſque Deos, ac lubrica numina diſcat, &c.

31 Quod idē valet ac iſtud, quod Nos hoc noſtro Emblemate inſinuare conamur, nempè ſplendentis blandientiſque fortunæ tumiditati, ex ipſius inconſtantia, & vitrea fragilitate remedium eſſe petendū. Quo, qui ſe præmunire neſcit, magis in proſpera, quàm in adverſa periclitatur, ut ſatis ex ſuprà dictis apparet, & Demetrij quoque Phalerei, multum apud Senecam decantati, celebri Apophthegmate comprobatur, qui ob hanc rationem dicere ſolebat, *Sibi nihil eo videri infœlicius, cui nihil unquam in vita accidiſſet adverſi.* Severa namque res eſt ſolidum gaudium, proindeque Deus ſæpè, quos amat, probat, indurat, recognoſcit, exercet: molles, & fortunatos iſtos, quibus parcere putatur, & indulgere, venturis malis reſervat; nec unquam ſic lætis cōfidere vult, ut interim triſtia non præmeditentur.

Plut. in Demetr.

Plut. in Epaminōda.

32 Eſtque memorabile contra ſuperbiam, & geſtientem lætitiam, illud exemplum Epaminondæ, qui poſtridie eius diei, quo fœliciter in Leuctris pugnaverat, proceſsit ſqualidus, & ſummiſſus: mirantibus, & percontantibus quibuſdam, numquid mali contigiſſet? Nihil (inquit) ſed heri ſenſi me bona fortuna delinitum, plus æquo mihi placuiſſe, eius gaudij intemperantiam hodie caſtigo.

Plut. in vita Paul. Æmil.

33 Philippi quoque Regis, multis pariter bonis nuncijs allatis, nota vox eſt, aliquod ſibi infortunium non valdè magnum imprecantis. Nota etiam Pauli Æmilij oratio apud Plutarchum, filiorum ſuorum funeribus ſuper fœlicem Perſei victoriam mox conſequutis. Nota Zenonis, audito rerum ſuarum naufragio, ſententia: *Iubet me Fortuna expeditius philoſophari.*

Boët. lib. 1. de Cōſol. Proſ. 4. & 8.

34 Sed quid plura conquirimus? Infinita ſunt, & exempla, & argumenta, quæ huc congeri poſſunt, & vel ex ſolo Boëtio depromi, qui ſub ipſius Philoſophiæ perſona latè in hoc diſcurſu vagatur, & ſine exceptione aſſerere audet, omnem bonam prorſus eſſe fortunam, neceſſitateque alterius ſubeundæ impoſita, præoptare ſe difficilem, & adverſam; quòd in hac nulli unquam ſolatium defuerit, in altera multis ſanum deeſſe conſilium animadvertiſſet, & pronum præcepſque in ſuperbiam, & acerbos, ac calamitoſos caſus excidium: *Illa enim* (addens) *ſemper ſpecie fœlicitatis, cum videtur blanda, mentitur: hæc ſemper vera eſt, cum ſe inſtabilem mutatione demonſtrat; illa fallit, hæc inſtruit; illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hæc cognitione fragilis fœlicitatis abſolvit. Itaque illam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: hanc ſobriam, ſuccinctamque, & ipſius adverſitatis exercitatione prudentem.*

35 Quæ cum ita ſe habeant ſtolidus erit, qui volventis huius rotæ im-

pe-

petum ſe retinere poſſe præſumſerit: nam ſi manere incipit, ſors eſſe deſiſtet, & pariter cum effectu nomen amittet, quod ei à volubilitate inditum Divus Iſidorus teſtaturr,& Virgilius,Ovidius,Lactantius, & alij,qui in ea diffinienda, ſive deſcribenda latè verſantur. Necnon & Monoſticum illud: *Fortuna horæ unius centum annorum evertit glorias.*

D.Iſidor. lib.8. Eriſpurg. verb. *Fortuna*, Virgil.in carmin. de Fortuna, Ovid. in epiſt. ad Liviam, Lact. de falſ.ſap.lib.3.c.20.

36 Quod,cum in rebus omnibus certiſsimum eſſe, quotidianis exemplis admoneamur,in Bellicis tamen ita frequens eſt, ut vel in Proverbium tranſierit:

Fortuna ubique,at plurimum in bello valet.
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Quod poſt Livium,eleganter Eraſmus, Iovianus Pontanus, Guiciardinus, & alij plures illuſtrant, & Nos alibi proſequemur. Interim adnotaſſe contenti, ea propter ſemper laudatos eſſe, & providè ac ſapienter agere viſos,(ut Xenophon pluribus probat) qui egregio aliquo patrato opere, victorijſvè, ac triumphis pro voto potiti, ſæpius ancipitem hanc bellorum aleam tentare recuſant, ut in D. Imperatore noſtro Carolo V.Maximo,aliqui Scriptores conſiderant,dum ſe Mundo Fortunæque ſubducens,ad Sancti Iuſti Hieronymianum Cœnobium, veluti in portum ſecuriſsimum appulit, ibique Deo per annos aliquos vacans, tam in morte humilis, quàm in vita glorioſus,piã animam exhalavit; eiuſdem fortè fortunæ mutationem,vel ſentiens, vel cavens, ne tot ante partis victorijs officeret, quibus eam ita fœlicem expertus fuit,ut vel Famiano Strada teſtante, *A nullo ferè provocatus bello fuerit, quem non modo victum, ſed (quòd rarò legitur) vinctũ etiam, captivumque non viderit*, & hoc memorabili elogio donari meruerit,

Livius lib. 9. Iovian. Potan. lib.1. Hiſt. Eraſm. in Adag. *Omnium rerũ viciſsitudo*, pag. Guiciard. Ego inf. Embl.

Xenoph. lib. 6. de reb.Græc.

Lud.Dulcis in vita Carol.V.Sabel. in ſupplem.adſuas Eneades,lib.29. & alij.

Strada lib.1. de bello Belg.

Heſſus, ſaxo, tuis capti, Galluſque triumphis:
Biſque tuum fugiens Solymannus inhorruit enſem.

Gaſp. Gervat. in Pompa Ferd. pag. 29.

Nec minus iuſtè eo, quod de Palladio loquens extulit Claudianus his verbis:

Claud. in Epithalam.Pallad.&Celerinæ.

Deſpexit fremitus, & prætulit otia Regno,
Reſpuit inceſtum, quod vi, quod poſcere ferro,
Poſt habita pietate ſolent. Non purpura primùm
Inferior virtute fuit, meruitque repulſam
Obvia Maieſtas doluit Fortuna minorem
Se confeſſa viro. Magnum delata Poteſtas,
Maiorem contempta probat.

37 Etenim ut benè Seneca ſæpè a nobis laudatus, & ſemper laudandus admonuit,

Senec.in Hercul. Furente.

Iniqua rarò maximis virtutibus
Fortuna parcit: nemo ſe tuto diu
Periculis offerre tam crebris poteſt,
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit.

Anton. à Guevara in Epiſt. ad Gund. de Corduba.

Quod & ipſum eloquens ille Mondognienſis Epiſcopus præſtan- 38
tiſsimo Duci Gundiſalvo de Corduba, (qui ob tot egregia facinora,
partaſque victorias, Magni ſibi Cognomen promeruit, & Hiſpaniæ
noſtræ gloriam mirum in modum auxit) in quadam Epiſtola ob oculos
poſuit, cum rurſus Italiam repetere vellet, eadem Hiſpania relicta, in-
quam ſe iam, veluti rude donatus, & tot triumphis clarus receperat, ſic
ſcribens: *Pues ſiendo eſto verdad, como lo es, no ſeria cordura, ni aun coſa
ſegura, tornar otra vez de nuevo à tentar la Fortuna, la qual con ninguno
ſe mueſtra tan malicioſa, i doblada, como con los que andan mucho tiempo
en la guerra; còmo ſe vio en Hanibal, que por quererla forçar, i luchar con
ella, vino à ſer vencido de los Romanos, que èl avia muchas vezes vencido.
Los que han de tratar con la Fortuna, hanla de rogar, mas no forçar; hanla
de oìr, mas no creer; hanla de eſperar, mas no de ella confiar; hanla de ſervir,
mas no enojar; hanla de conſervar, mas no detentar: porque es de tan
mala condicion la Fortuna, que quando alaga, muerde, y quando ſe enoja,
hiere, &c.*

Corteſius in carmine de laudibus Matthiæ Corvini.

Et hæc hactenus de Fortuna dixiſſe, aut verius tetigiſſe ſufficiat; nã ſi 39
omnia, quæ circa eã dicta ſunt, vel dici poſſunt, comprehendere vellẽ,

Littoreas citius aliquis numerabit arenas,
Parvaque per denſum volitantia corpora mundum,
Et tenues per inane globos, quàm ſingula circum
Expediam.

Senec. de Conſ. ad Mart. cap. 16. & de Tranq. cap. 9.

Cuius planè volubilitati & fragilitati, crebriſque procellis, quibus hu- 40
mana omnia diſturbat, & impetit (ut Seneca ait) Sola ſacra Virtutis
ac Prudentiæ anchora obiici poteſt, ut in ultimo huius noſtri Emble-
matis verſu inſinuamus,

Fidite virtuti, frangier iſta nequit.

Boet. lib. 1. de Cõſol. Metro 4.
Boet. ſup. Proſ. 6.

Et optimè proſequuntur Boetius, & alij, de quibus in Emblemate ab
iſto ſecundo, latiorem ſermonem inibo. Nunc (pio ut oportet) & Chri-
ſtiano animo, cum eodem Boetio proteſtans, Me, dum Fati ac Fortu-
næ vocibus utor (ut & plures non ſolùm ex Ethnicis, verùm ex Sanctis
etiam Patribus facere ſolent) non ob id ullam eis vim aut Divinita-
tem ineſſe putare, vel Mundum hunc temerarijs fortuitiſque caſibus
agitari. Verum etenim Deum operi ſuo Conditorem præſidere ſcio,
& humana omnia Divina eius providentia gubernari: nec unquã fue-
rit dies, quæ me ab hac ſententiæ veritate depellat; aut in Epicureorũ
aliorumvè Gentilium errorem inducat, qui cœci ipſi, cœcam Fortu-
nam finxerunt ac crediderunt, varijs ipſam nominibus, templis, ariſ-
que colentes, & omnes ei noſtrarum rerum caſus, ſive adverſos, ſive
proſperos tribuentes, cum cauſas, quibus Deus moveri ſolet, percipe-
re non valerent, & carneis oculis, tantùm hæc terrena conſpicerent,
& penſarent. Quod benè D. Auguſtinus, Baſilius Magnus, & alij ſancti
Patres, Pijque Scriptores multis argumentis evincunt.

Auguſt. in lib. cõtra Academ. & de Civit. Dei, li. 18. & 19. & dicam infr. Embl. VII.

Et nec plures ex ipſis Ethnicis latuit, cum id palã Platonicorũ Scho- 41
la profiteretur, ut Epitectus, Seneca & alij paſsim ſuis ſcriptis oſten-
dunt, & ante eos Orpheus, dum de ſuo Iove loquens, ſic ait,

Ipſe

Ipſe malumque bonumque infert mortalibus, atque
Ærumnas triſtes; deinde & lachrymabile bellum.

Theognis apud Natalem Comitem, idem inſinuans, his verbis: Natal. Comes in Mytolog. pag. 341

Iupiter huc illuc interdum pondera flectit,
Nunc dat divitias, nunc dat habere nihil.

Et melius Palæmon Comicus, ipſius Fortunæ ſimulachrum his verbis excindens:

Fortuna non eſt ulla, quam dicunt, Dea.
Non eſt; ſed unicuique ſi quid contigit,
Caſuque fit, Fortuna à nobis dicitur.

42 Et hoc pacto accipiendum eſt illud Manilij: Manil. lib. 4. Aſtronom.

Fata regunt orbem, certa ſtant omnia lege,
Longaque per certos ſignantur tempora curſus:
Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Et Iuvenalis, dum præclarè monet, ſtultè inter Deos collocatam fuiſſe Fortunam; nam ſi prudentia potius, quam temeritate quadam, & cœcitate mentis res humanæ gubernarentur, obliteſceret penitus è mentibus hominum Fortunæ nomen: fieretque ſibi quiſque illa Fortuna, quam ſibi paraſſet, neque magnopere vel de occulta potentia ſyderum, vel de Dei Clementia ac Providentia, vel de occultis naturæ cauſis quereremur. Iuven. Satyr. 10. iuncta expoſ. Nat. Comit. in Mytol. pag. 342. Cæterum quoniam homines multa ut plurimum agunt inconſideratè, & ut Horatius ait, propter ſuam inſcitiam, vel ſtultitiam non patiuntur, Horat. 1. Carm. Od. 3.

Iracunda Iovem ponere fulmina.

Quin potius hæc illorum mentibus inſidet, ſæpius illi admonendi ſunt: Iuvenal. ubi ſup.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna deam, cœloque locamus.

43 Neque exiſtimo aliud ſenſiſſe Plinium: nam licèt de Fortunæ, in mundi rebus poteſtate, pluribus agat, ad Cæſarem Veſpaſianum ſcribens, id magis vulgi errore, quam veritate niti, ſatis demonſtrat, dum inquit: *Toto mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis, omnium vocibus Fortuna ſola invocatur, & una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur: ſola laudatur, ſola arguitur, & cum convitijs colitur, volubiliſque, à pleriſque verò & cæca etiam exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, ſola utramque paginam facit, &c.* Plin. in Præt. de natur. hiſt. ad Veſpaſ.

44 Quo etiam ſenſu illud Salomonis accipi debet: *Vidi ſub Sole, nec velocium eſſe curſum, nec Fortium bellum, nec Sapientium panem, nec Doctorum divitias, nec Artificum gratiam: ſed tempus caſumque in omnibus.* Salom. Eccl. 9. 11. Et enim *ſub Sole* ſe id vidiſſe inquit, quia homines ita communiter loqui, vel ſentire ſolent. Supra Solem enim, ut benè D. Thomas exponit, lōgè ſe res aliter habet, nihilque eſt à caſu, aut præter intentionem, & præſcientiam divinæ voluntatis, poteſtatis, ac providentiæ, quæ omnia D. Th. 1. p. q. 103. art. 5. ad 1. & q. 5. de ver. art. 5. Pineda in hunc locum alias expoſitiones adducens ex pag. 894.

ab

ab omni æternitate præſcivit, omnia labente ævo moderatur, & in deſtinatos certoſque fines dirigit, dum ſua cuique tempora, ſuas humanis conatibus varietates præſtituit, ut vel ſic eius immemores, ab inopinatis caſibus, adverſiſque eventibus diſcant, ſuis viribus non nimium tribuere, ſibique perſuadeant, à divino nutu pendere omnia.

Claud. lib. 1. in Ruffin.

In quam etiam doctrinam tandem conſentit Claudianus, licèt anxium eum redderet, quòd iniuſtos interdum, & improbos ad culmina 45
rerum creſcere cerneret, cum in altum, inquit, ferantur,

Vt lapſu maiore ruant.

Barclai. in Argenid. lib. 4. ex pag. mihi 701.

Et elegantius adhuc Ioannes Barclaius, concludens, fictionem Fortunæ in id ab hominibus adinventam, ut qui de Deo, Deique operibus, qui omnium eſt Auctor, & Rector, obloqui pertimeſcerent, in hanc ſive ſævientem, ſive arridentem, dolentiæ invidentiævè ſuæ virus ævomere poſſent. Sciant igitur Reges, ſe ita ſuper homines eſſe, ut tamen homines ſint; & dum ſuæ fortunæ ſplendore ſuperbiunt, illius rotas, & vitream fragilitatem, vel ex noſtro Emblemate diſcant, & adverſus adverſos & inopinatos rerum humanarum ſucceſſus, ſe, divini iudicij ac providentiæ conſideratione præmuniant, & ut graviter, ac philoſophicè, imò verò & Chriſtianè, ſuum Lucillum Seneca in ſimili inſtruit, illud frequenter, & ſine querela inter ſingula damna dicant, & repetant, *Deo aliter viſum eſt: & quoties aliter quàm cogitabant, evenerit; Deus meliora: ſic enim compoſito animo, nihil accidet: ſic autem componetur, ſi quid humanarum rerum varietas poſſit, cogitaverint.*

Senec. Epiſt. 98.

(·.·)

Ad-

Adverſorum Levamen.

EMBLEMA VI.



Plauſtra catenati referunt Seſooſtria Reges,
Templa ſalutato cum petit alta choro.
Ex vinctis unus cum verſus lætior eſſet,
Cur ita nunc ridet? Sic ait ipſe Duci.
Cerne volutatis radijs documenta rotarum,
Æthera libat apex: iam ferit apſis humum:
Regna rotant, Rex, Sceptra tenes, Ego vincula prenſo:
Vincla tenere vales, & mihi Sceptra licent.

COMMENTARIVS.

1 CVM contrariorum (ut vulgò dici ſolet) eadem ſit diſciplina, idem ipſum Helleborum, quo Principum ſuperbiam ex ſplendente lenocinanteque Fortuna ortam, purgare curavimus, ex eiuſdem inconſtantia, & fragilitate, velut ex meliori Antyciratractum, prodeſſe ipſis pariter poterit, ad ſiniſtros illius caſus leniendos ac tolerandos; cum æquè in adverſis atque in proſperis mutabilis, & fragilis ſit, & quemadmodum, quos diu tulit, tandem abijcit, & ubi iã ſumma eſt, ipſa in ſe ruit; ita, criminis ſui pertæſa, quos valdè depreſſit extollere ſoleat, & multos, alterna reviſens, ludere, ut iam ſuprà cũ Virgilio diximus, ludere, & rurſus in ſolido collocare.

Ariſt. 7. top. cap. 1. l. 1. D. de ijs qui ſunt ſui, vel alien. iur.

Eraſm. in Adag. *Naviges Antycirã*

Sup. Embl.

Ex Virgil. Æn. 11.

Qua

Senec. in Thyeſt.

Qui de cauſa prudentiſsimè (ut ſolet) conſuluit Seneca: 2

Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis.
Miſcet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare Fortunam: rotat omne fatum.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat, &c.

Eraſm. in Adag. pag. mihi 261.

Et vel in Adagium tranſire meruerunt Heſiodi illa ac Theocriti 3
camina, *Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca,*
Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Sophoc. in Oedip. Colon. ap. Eraſm. in Adag. *Omnium rerum viciſsitudo eſt*, pag. 262.

Quibus conſonans Sophocles, ubi de hac rerum omnium viciſsitudine pluribus egit, ſic concludit,

Siquidem his ſtatim, illis poſt puſillum temporis,
Iucunda quæ fuerant, amara & triſtia, &
Ingrata dudum, grata fiunt invicem.

Virgil. ſi is eſt, in Carm. de Fortuna.

Et Virgilius in ſuo eleganti carmine de Fortuna, ſic finiens;

Nec quos clarificat, perpetuò fovet,
Nec quos deſeruit, perpetuò premit:
Inconſtans, fragilis, perfida, lubrica.

Herod. li. 1. Diod. Sicul. lib. 1. cap. 4. Pat. David in orbita probit. cap. 18.

Reg. 3. 14. 16.

Lucan. Pharſ. 10.

In huncque ſcopum, noſtrum hoc Emblema collimat, ſumtum ex 4
hiſtoria, quam de Seſooſtri Ægyptiorum Rege, ſeptima poſt Merim Sobole, Herodotus, & alij commemorant. Qui (ut in ſacra Pagina habetur) Salomone defuncto, Hieroſolymam cepit, Aſiæ magnam partem, Thracas ac Scytas devicit, & in India ultra Gangem proceſsit. Adeò his victorijs tumidus, & elatus, ut ſe Regem Regum, & Dominum Dominorum appellaret, Regnoque impotenti inſolens, eò ferociæ, & ſuperbiæ proceſſerit, ut inter plures Reges, quos in vinculis detinebat, annis ſingulis, quatuor pluresvè ſortiri iuberet, qui more ac modo quadrigarum, ipſum, ſplendido, aureo, gemmatoque curru conſidentem, ac triumphantem, per omnium ora in Templum, locavè alia, quæ geſtiens luſtrare volebat, vectarent, ut & Lucanus oſtendit, dum dixit:

Venit ad Occaſum Mundique extrema Seſoſtris,
Qui Pharios currus Regum cervicibus egit.

Quod cum crebrius fieret, accidit, ut celebri quadam die, qua in Templum ſacrificaturus pergebat, unus ex illis Regibus, oculis in rotam converſis, aſsiduè, & hilariter eius volubilitatem intueretur. Quem cũ Seſoſtris de hilaritatis, riſuſque cauſa rogaret, & cur tam frequenter oculos in rotam obvolveret? Reſpondiſſe ferunt, *Admiror, & cum ſtupore atque alacritate rotam conſidero, dum tam inſtabili modo volvi, & nunc quidem ſublimia demittentem, rurſus autem demiſſa ſublimantem cõſpicio.* Quæ Reſponſio, & humanarum rerum, cuius Index erat, viciſsitudo, adeo ferocem alioqui ac ſuperbum Seſoſtris animum movit, &

deli-

delinivit, ut deinceps ne Reges currum traherent, iuſſerit, & fortunæ inconſtantiam ſuſpectam ac deſpectam habere cœperit.

5 Quam hiſtoriam ſunt qui Cyro Regi Perſarum tribuant, eique, quod ad ſuperbiam ſpectat, plures alias Creſsi, Cambyſis, Saporis, Tamberlani, & aliorum adducere poſſem, & forſan alio in loco adducemus, qui captos Reges ſibi inſervire fecerunt, pedibus proculcarūt, curribus pariter iunxerunt (quod frequentiſsimum fuiſſe Lipſius advertit) pro podio, ſeu ſcabello ad equos aſcendendum, habuerunt; remigare coē gerunt, varijſque alijs ſupplicijs ſervitijſque affecerunt, & humiliarunt.

Infr. Emblem. 99. Theatr. Beierlin. litt. R. pag. 330.

Lipſ. in notis ad Panegir. Plin. pag. mihi 43.

6 Quod verò ad documentum attinet, Seſoſtri per Regem vinctum, ex rotæ ſimilitudine præſtitum, Paulus Diaconus, & Nicephorus referunt, eodem planè exemplo commemorato, Theodorum quendam delinijſſe Caianum Avarum, Hunnorum, & Sclavorum Regem, cum Thraciam infeſtaret. Idemque Paulus Diaconus, & alij, recentius aliud, ſed non minùs memorandū, adducunt, de Gilimere Vvandalorū in Africa Rege, qui cum à Beliſario captus, cum coniuge, liberis, familiaque Regia, Conſtantinopolim ductus fuiſſet, ut ibi a Iuſtiniano Imperatore in triumphum ageretur, ubi ad ipſum perlatus, eum in Hyppodromo in alta ſede conſtitutum, populumque circumſtantem conſpexit, veluti iniquæ ſuæ ſortis oblitus, in plenum, & cachinabilem riſum defluxit, & illud Eccleſiaſtæ, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, ſubmurmuravit. Cumque Iuſtinianus, & adſtantes reliqui, eum, ob nimium dolorem, mente alienatum exiſtimarent, & riſus cauſam percontarentur? *Rideo* (inquit) *Fortunæ viciſsitudines, ut qui modò Rex fuerim, iam ſerviam, & alterius pedibus obvolvi, imò & eos oſculari compellar.* Quo audito, Iuſtinianus, & humanæ vitæ conditionem ac mutabilitatem æſtimans, & agnoſcens, ipſum ſtatim vinculis ſolvi iuſsit, & tandem, cum omnibus ſuis, in Galatia quædam loca habitare conceſsit.

Paul. Diac. de reb. Rom. lib. 17. Niceph. lib. 18. Hiſt. Eccl. cap. 29.

Diacon. Evagr. Procop. & alij, apud Camer. ſubc. lib. cap. 12.

Eccleſ. 1.

7 Porus quoque Indorum Rex, ut Plutarchus, & Quintus Curtius ſcribunt, cum ab Alexandro Magno, qui eum vicerat, rogatus fuiſſet, quid ipſe victorem ſtatuere debere cenſeret? *Quod hic* (inquit) *dies tibi ſuadet, quo expertus es, quàm ſit caduca fœlicitas.* Sic Regem ſubmonens, ut modeſtè ſua Fortuna uteretur, memor, idem ſibi accidere poſſe. Cui ſimilis eſt, ſed vulgatior, hiſtoria, quæ de Creſſo & Cyro ab Herodoto, & alijs refertur, de quo alio loco latiùs agemus.

Plutarch. in vit. Alex. Curt. lib. 8. cap. 25.

Infr. d. Embl. 99.

8 Et novior quidem, & magis ad rem noſtram, illa, quæ apud Cedrenum legitur, de Ludovico II. Galliæ Rege, qui cum Sultanum Agarenorum bello cepiſſet, nec ille unquam rideret, promiſit Rex præmium, referenti Sultanum riſiſſe: poſt biennium fuit, qui riſiſſe nuntiaret, & teſtibus adhibitis confirmaret. Et tunc Sultanus de riſus cauſa rogatus? *Quia* (inquit) *rotas currus viderim, quarum partes nunc ſupernè, nunc infernè ferebantur: unde animadverti, fieri etiam poſſe, ut qui nunc unus iaceo, aliquando liber & Dominus poſsim evadere.*

Cedren. & Suidas apud Cauſin. in Poliſtore Symb. lib. 12. cap. 48.

9 Quam rem eventus comprobavit, eiuſque veritatem ac frequentiā ſatis teſtantur, tot exemplorum, variorumque Auctorum teſtimonia,

quæ

quæ in ſuperioribus (apum more, ex infinitis, quæ adduci poterát) prælibavimus. Et quæ latè, & philoſophicè de parvi faciendis, ob hanc inſtabilitatem, donis damniſvè Fortunæ, diſſerunt Seneca & Philo, & magis adhuc in noſtrum finem Valerius Maximus, qui poſtquam Syphacis Africani Regis lapſum narravit, qui cum paulo ante inter Deos connumeraretur, eo claritatis evectus, ut validiſsimorum populorum tantùm non arbiter victoriæ exiſteret, parui temporis interiecta mora, catenatus à Lælio Legato ad Scipionẽ traductus eſt, ſic ſubiunxit: *Cuiuſque dexteram Regio inſidens ſolio, arroganti manu attigerat, ad eius genua ſupplex procubuit. Caduca nimirũ hæc & fragilia, puerilibuſque conſentanea crepundiꝭs ſunt, quæ vires, atque opes humanæ vocantur; Affluunt ſubitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſsimo ſtatu Fortunæ, huc atque illuc acta, quos in ſublime extulerunt, improviſo decurſu deſtitutos, profundo cladium miſerabiliter immergunt. Itaque neque exiſtimari, neque dici debent bona, quæ ut inflictorum malorum amaritudine deſiderium ſui duplicent: propenſiore favore primo delinitos, maiore poſteà malorum cumulo opprimere ſolent.* Plautus etiam, veluti reſpiciens ad hanc Regũ in ſervos & captivos mutationẽ, de qua ſermonẽ habemus, ita inquit:

Senec. lib. 6. de benef. cap. 3. Philo in lib. *quod Deus ſit immutat*, pag. 248

Valer. Max. lib. 6. cap. 9. in fine.

Plaut. in captiv.

Sed videri Fortuna humana fingit, arctatque ut lubet.
Me, qui liber fueram, ſervum fecit, ex ſummo infimum.
Qui imperare inſueveram, nunc alterius Imperio obſequor.

Iuvenalis quoque, hoc totum ad Aſtrorum vim referens, ita loquitur,

Iuven. Satyr.

---------------- *An ne aliud quàm*
Sydus, & occulti & miranda potentia Fati,
Servis Regna dabunt, captivis fata triumphos.

Idem latè proſequitur Manilius, lectu digniſsimus, qui Fato omnia regi, & nihil in rebus humanis ſtabile eſſe, pluribus probare contendẽs, inter alia ſic ait, 10

Manil. lib. 4. Aſtr. in princip.

Tunc & opes, & Regna fluunt, & ſæpius orta
Paupertas; Artesque datæ, moresque creati,
Et vitia, & clades, damna, & compendia rerum.
Nemo caret damno, poterit nec habere negatum,
Fortunamve ſuis invitam prendere votis,
Aut fugere inſtantem, ſors eſt ſua cuique ferenda.

Et in hoc reſpicientes Græci, Pitanam urbem præoculis habentes, quam à Pelaſgis in ſervitutem redactam, Erithræi in libertatem priſtinam vindicarunt, veluti pro Adagio dicere ſolebant, *Pitana ſum.* Quo, ut Zenodotus apud Eraſmum indicat, eos ſignificabant, qui in extremas redacti calamitates, ab iiſdem denuò in antiquam & deſideratam fœlicitatem reſtituuntur. 11

Eraſm. in Adag. *Pitana ſum*, pag. mihi 264.

Sed cum de Rotarum exemplo, ſeu ſimilitudine, noſtrum Emblema conficiatur, magis ei conveniet, illud Homeri, 12

Homer. ap. Eraſm. in Adag. *Multæ rotæ volventur*, pag. 262.

Per multis volvetur adhuc Rota mota Caballis.

Quod proverbialiter etiam protuliſſe videtur, & in eundem ſcopum dirigitur, perinde enim eſt ac ſi Magnus ille Poëta dixiſſet, Multum adhuc temporis ad triumphandum gloriandumvè de opere aliquo reſtare, multaſque rerum, & ſemper rotantis Fortunæ mutationes timeri, aut incidere poſſe; quia ut & Tibullus dixit:

Verſatur celeri Fons levis Orbe rotæ.

Tibul. lib. 1. Eleg.

Et Ammianus Marcellinus: *Quivis beatus verſa rota Fortunæ, ante veſperam poteſt eſſe miſerrimus*, Et melius Seneca: *Nonnè nunc quoque, (etiam parum ſentitis) turbo quidam animos veſtros rotat, & involvit; fugientes, petenteſque eadem, & nunc in ſublime allevatos, nunc in infima alliſos rapit.*

Marcel. lib. 26.

Seneca de vita beata, cap. 28.

13 Et eodem ſimili utens D. Fulgentius, Ixionis fabulã explicans, qui à Poëtis ad inferos, ob ſua ſcelera detruſus, & illic rotæ volubili alligatus, perpetuò volutari fingebatur, ſic, rei de qua agimus valdè cohærenter, ſcribit: *Qui quidem Ixion, parvo tempore ſcelere Regnum adeptus, de hoc Regno expulſus eſt. Vnde eum ad rotam damnatum dicunt, quòd omnis rotæ vertigo, quæ ſuperiora habet, modo deiiciat. Ergo oſtendere hic voluerunt, quòd omnes, qui per arma atque violentiam Regnum affectant, ſubitò eiectiones, ſubitò eliſiones ſuſtineant, ſicut Rota, quæ ſtabile non habet aliquando cacumen.*

Fulgent. lib. 2. Mytolog.

14 Herodotus quoque commemorat, quòd cùm Creſſus, in libera cuſtodia apud Cyrum detentus, cum videret, magno ardore, & apparatu bellum adverſus Reginam Scytharum Tomyrim inſtruentem, his illũ verbis cõmonefecit: *Si tibi eſſe videris immortalis, & eiuſmodi exercitui præeſſe, nihil eſt opus, ut meam dicã tibi ſententiam: ſin verò te quoq; cognoſcis hominẽ, & iſtis eiuſmodi præeſſe, illud in primis diſcito: Humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, ſemper eoſdem Fortunatos non ſinit.*

Herod. lib. 1.

15 Fuit quippè Rota ſemper apud Antiquos ſymbolum inſtabilitatis rerum humanarum, & vel hac de cauſa Fortunæ applicata, ut in ſuperiori Emblemate vidimus, & latiùs oſtendunt, & illuſtrant Pierius Valerianus, & noviſsimus, & diligentiſsimus Aloiſius Novarinus, qui integrũ de hoc ſyntagma cõſcripſit, cuius ſcripta, ſive ſcrinia ſuppilare nec libet, nec vacat. Præſertim cum ad inſtituti à Nobis ſermonis probationem, prædicta ſufficiunt, & illud evidentius reddat Ægyptiorũ, & aliorũ conſuetudo, qui ut Plutarchus, Clemens Alexandrinus, & alij recenſent, in Templorum adytis rotas conſtituere ſolebant, ut ad ea accedentes, huius variationis admonerentur, & ſe ad Dei voluntatẽ, tam in adverſis, quàm in proſperis accommodarent.

Pier. in Hierog. li. 39. fol. 288. & ſeq. Novarin. in elect. ſacris, lib. 2. de circuit. ſacro, cap. 4. & ſeq. ex pag. 176.

Plutarc. in Numa.

Clem. Alex. & alij apud Novar. ſup.

16 Et huc etiam reſpexiſſe videatur Regius Pſaltes, dum Deum precatur, ut ſuperbos Reges, & ſuo infeſtos populo, *Ponat ut Rotas*. Et Rota illa mirabilis, quam in medio alterius Rotæ ſe vidiſſe Ezechiel Propheta pluribus memorat. Quod licèt Sancti Patres diverſimodè interpretentur, Apollinaris tamen, Policronius, & alij apud Pradum ibidẽ, de hoc mundanarum rerũ circuitu, & perpetua vertigine explicant; in qua, ut in Rotis illis Ezechielis, ſpiritus vitæ eſſe dicitur, id eſt Domini, cum omnis earum motus ex ipſius voluntate dependeat, prout in deductione & reductione Populi Iſrael ad exilium contigit, quod per

Pſalm. 82. 14. ubi Lorin. plura ad rẽ noſtram facientia congeſsit.

Ezech. cap. 1.

Prad. ſup. Ezech. 1. to. pag. 23.

Iuſtin. Mart. apud Prad. ubi ſup.

Iuſtin. Martyr. ap. Prad. ubi ſup.

eaſdem rotas ſignificari Divus etiam Iuſtinus Martyr inſinuat.

Laert. in Pitt. Geneſ. cap. 28. Phil. lib. de ſomn.

Quemadmodum & Myſtica illa Scala Pithaci Mitilenei, Templo 17
dicata, nihil aliud denotabat, quam vitam hominum in perpetuo aſcē-
ſu, & deſcenſu verſari, ut Diogenes Laertius ſcribit. Quod & ipſum in
illa alia Scala; quæ Iacob apparuiſſe in Geneſi dicitur, pariter ſignifi-
catum ſuiſſe, obſervat Philo Iudæus, ſic inquiens: *Res humanæ habent
naturalem quodammodo Scalæ imaginem, propter curſum inæqualem incō
ſtantemque. Hæc eſt via rerum humanarum, acclivis declivisque, incertis
obnoxia caſibus.*

Senec. Pater 2. controv. con. 1.

Diſcant igitur Reges, & Principes ex ijs Monitis & Exemplis, ne- 18
que in proſperis ſuperbire, neque in adverſis animo cadere, cum ita
parum Regnū à ſervitute, & ſervitutem à Regno diſtare cognoſcāt, &
hanc in humanis rebus omnibus, ſecundùm Senecā Patrē, legem eſſe,
ut ad ſummū perducta, rurſus ad infimum, velocius quidē quam aſcen-
derint, relabantur, & lapſa, non minori velocitate in altum ſurgere
ſoleant.

Livius lib. 45. & Plut. in Paul. Æm.

Audiantque Paulum Æmilium Conſulem Romanum, ſic apud Li- 19
vium, poſt Perſeum Macedoniæ Regem devictum, loquentem, filioſ-
que & milites ſuos admonentem: *Exemplum inſigne cernitis mutatio
nis rerum humanarum. Vobis hoc præcipuè dico Iuvenes. Ideò in ſecundis
rebus nihil in quemquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti
credere Fortunæ, cum quid veſper ferat, incertum ſit.* Necnon verba illa

Reg. 1. cap. 2.

Annæ, Samuelis Prophetæ matris: *Dominus pauperem facit, & ditat,
humiliat, & ſublevat. Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat
pauperem, ut ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat.*

Iob 12. 18.

Iob quoque, qui & ipſe Rex fuit, eoſdem admonens Reges: *Deum* 20
(inquit) *balteos Regum diſſolvere, & præcingere fune renes eorum.* Quod
(ut ibidem, poſt alios, Pineda Noſter exponit) perinde eſt ac ſi dice-
ret, Deum liberare ac ſolvere ſolitum vinculis eos, quos Reges ac Ty-
ranni captivos detinent. Viciſſimque, commutata ſorte, ipſos Reges,
ac tyrannos in vincula conijcere, funibuſque conſtringere. Quod quā-
tum ad noſtri Emblematis illuſtrationem conducat, nemo non videt.

Idem 36. 7.

Præſertim ſi & illum alium eiuſdem Iobi locum addamus, quo has 21
catenas, funes, & vincula, ſceleratis Regibus elatiſvè comminatur, & à
ſolio, quod eis velut in perpetuum Deus concedere viſus fuerat, vel
ex his criminibus deturbandos. Sic nimirum inquiens: *Deus Reges in
ſolio collocat in perpetuum, & illi eriguntur. Etſi fuerint in catenis, &
vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, & ſcelera eorū,
quia violenti fuerunt.* Vſque adeò hic Dominus, quem, ut meliorem
ac certiorem Fortunam colere ac timere debemus, iuxta ſuprà dedu-
cta, in tanta rerum humanarum, ſurſum ac deorſum euntium, mutatio-
ne, Nos ex ſolo ipſius nutu pendere, monitos voluit, & nihil privatim,
nihil publicè ſtabile eſſe, ac vel nullo extrinſecus impellente,
cladis ſibi cauſam ipſam fœlicitatem invenire,
maximè in illis qui ea intempe-
ranter utuntur.

Labi-

Labitur,quod Deo non hæret.

EMBLEMA VII.



Nobile cur valido labaſcit ab aſſere pondus?
Hæſerat haud poſti,ſcilicet,ille ſatis.
Sic Rex,qui Superis non totus adhæſerit,ille
In præceps ſe ſe,cunctaq; Regna dabit.

COMMENTARIVS.

1 QVAM vanè & erroneè Romani aliqui Imperatores Fortunam Auream,& Auguſtam ſibi adrogarunt,eamque ut Propriā,Manentem,& Heræditariā,ſive Tralātitiam, filiis,ſuceſſoribuſque ſuis tradere, aut relinquere deſtinaverint,in ſuperioribus tetigi. Nec minùs vecors fuiſſe videtur Servius Tullus, qui, ut Plutarchus memorat, ſib. cum Fortuna Conſuetudinem intercedere prædicabat, & per feneſtram quandam in ſuum cubiculum ad ſe delabi. Ob quem tumorem in Capitolio: *Fortunam Primigeniam, & obſequentem dedicavit*.
2 Aut idem ipſe Plutarchus,qui Romanis blanditus,vel Maronianum illud ſecutus,qui de eiſdem ait,

His ego nec metas rerum,nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Fortunā inducit,traiecto ſive trāſmiſſo Tiberi, ad Palatiū appropinquaſſe,alas depoſuiſſe,talaria exuiſſe, atq; infideli & verſatili illo globo, ſeu veſtigia fallente pila, miſſa facta, ita Romam ingreſſam, qua oſten-

Spart.in Sever. Capitol. in Antonino Pio. Cauſin.in Poliſt. Sym. lib. 2. c. 27.& 29. tetigi ſuprà Embl.V.

Plutar. in lib. de fort.Rom.Dio lib. 58.Cauſin.d.c.27.

Idem Plut. ſuprà, & Pier.in Hierogl. lib. 39. fol. mihi 288.

Virgil.Æneid.1.

Cauſin. d. lib. 2. c. 28. pag. 86.

Iun. Embl. 11.

oſtendentem, ſe inibi conſtanter permanſuram, neque aliò in poſterũ avolaturam. Quod ipſe etiam Romanus Populus ſibi perſuaſiſſe, aut ſaltem præoptaſſe videtur, cum eandem Fortunam, nomine *Viſcatæ*, coluerit, ut Nicolaus Cauſinus, poſt alios, recenſet, quaſi firma, conſtans, & viſco glutinovè præpeditis alis, ſibi eſſet; non ſecus atque, ſecundùm illud diſſertum Hadriani Iunij Emblema,

Latoidem Cadmæa Tyros devinxerat auro:
Gradivum tenuit compede Sparta gravem:
Præpete privarunt penna victoriam Athenæ,
Quiſque ſuis votis cogit adeſſe Deum.

Omnes tamen imprudentiſsimè, cum talis Icon, conſtantis & perpetuæ fœlicitatis, in humanis Imperijs, aut rebus, reperiri nunquam potuerit, nec poſsit; quippè quia, ut ſatis ſuperq; in ſuperioribus dixi: 3

Fortuna cauponatur totam vitam,
Intemperans ſortita ingenium.

Ioan. Ovenus lib. 3. epigr. 82. *Fœlici tas.*

Fœlicitaſque durabilis, ac perfecta, ſolùm in cœlo à Beatis poſsideatur, ut Modernus Epigrammatarius Anglus hoc ſatis ingenioſo Diſticho ſignificavit,

Dic mihi, quæ in cœlis extat vox integra, cuius
In terris tantùm ſyllaba prima patet?

Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

Menand. ap. Min. in Embl. Alciat. 119. pag. 445.

In terta autem, ut cum Latino Pacato loquar: *Fugitiva ſucceſſuum repentinorum voluptas, ut accipit, ſic relinquit*; & citius quis eam reperire poſsit, quàm retinere.

Ovid. lib. vlt. triſt. Eleg 15. Senec. in Hercul. Furente.

Alciat. Embl. 119.

Quod adeò verum eſſe cenſuit Menander in Senarijs, quos ex Græco Latinos fecit Claudius Minoes, ut neque bonam mentem, neque prudentiam, quicquam adverſus Fortunam proficere, doceat. Cui & virtutem ſubiectam eſſe Ovidius, Seneca Tragicus, & alij ab eodem Minoe relati ſentire videntur; & abſolutius Alciatus, dum Brutũ, Romanæ libertatis vindicem, qui ob egregium hoc facinus quod tentavit, proprio gladio occubuit, ſic loquentem inducit, 4

Flor. in ep. hiſt. Rom. lib. 4. c. 6.

Infœlix virtus, & ſolis provida verbis,
Fortunam in rebus cur ſequeris Dominam?

Homer. Euripid. Cicero. & innumeri alij ap. Stobæum ſer. 9. Iuſt. Lipſ. de Conſt. lib. 1. c. 17. & Delri. in not. ad Senec. Trag. in Oedip. pag. 36. Sen. Trag. in Oct. de quo ſup. Emb. 5 Manil. lib. 4. Aſtr. in Princ.

Quod ſumſit ex Lucio Floro, qui eundem caſum recenſens, ſic ait: *Quanto eſt efficacior Fortuna, quàm virtus; & quàm verum eſt, quod moriens eſſlavit virtutem nihil aliud eſſe quàm verba.*

Et pro ſe habet Homeri, Euripidis, Ciceronis, Thaletis Mileſij, Manilij, Taciti, Curtij, Aurelij Victoris, & aliorũ, quàm plurĩu Ethnicorum, Philoſophorũ, & Scriptorum opinionẽ, qui tantum eidem Fortunæ, ſive Fatorum neceſsitati deferre voluerunt, ut non ſolùm virtutẽ, verum ne ipſum quidẽ Iovem, Fatum vincere, vel vitare poſſe, cenſerent: Quibus ad ſentiens Seneca Tragicus, in loco quem ſuprà retulimus, Fatis Regi mortale genus teſtatur, & iterum alibi, ſic habet, 5

Fatis agimur; cedite Fato;

Nec

Nec ſollicitæ poſſunt curæ
Mutare rati ſtamina fuſi:
Quicquid patimur mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto,
Servatque ſua decreta colus
Lacheſis, dura revoluta manu:
Omnia certo tramite vadunt,
Primuſque dies dedit extremum, &c.

Et rurſus ex eorundem Stoicorum, & Poëtarum Schola, ita Fatũ diffinire auſus fuit: *Neceſsitatẽ rerũ omnium, actionũque, quã nulla vis rũpit. Deũ ipſum, & actiones omnes internas, & externas huic Fati ſubiiciẽs.*

Idem Senec. lib. 2. nat. quæſt. cap. 36.

Minoes ad Alciat. d. Embl. 119. pag. 442.

6 Cæterum hic ſtolidus error, vel inter ipſos Ethnicos, Platonem, & plures alios habuit contradictores, quorũ iudiciũ fuit acrius, & auctoritas maior, ut benè Claudius Minoes animadvertit. Atque adeò omnia unius, ac ſolius Dei Potentia, & Providentia Regi cognoverunt; Virtuti præ rebus cæteris primum locũ aſsignantes, & *Fatum*, ſive *Fortunã*, nihil eſſe aliud, quàm vana nomina, demonſtrãtes, quæ ut iã ſuprà manifeſtavimus, hominũ vulgus invenit, cum Divinam in omnibus aſsiſtentiam, & præordinationẽ calligantibus oculis cernere nõ valerent.

D. Auguſ. lib. 5. de Civit. Dei, c. 9. D. Greg. in homil. Iſid. 8. etym. c. ult. Epiph. Theol. poſt D. Th. 1. p. q. 116. Boet. de Conſ. lib. 4. proſa 6. D. Th. in peculiari, opuſcul. de Fato. Delri. ubi ſup. & latè Lipſ. in notis ad Polit. & in lib. de una Religione, ubi ſe purgat ab obiectionibus contra eum factis, tanquã Stoicæ doctrinæ ſectatorẽ.

7 Eademque ſentẽtia apud Chriſtianos, qui Deũ verum agnoſcimus & reveremur, abſque ulla hæſitatione teneri, & defendi debet, ut pluribus D. Auguſtinus, D. Gregorius, D. Iſidorus, & Theologi omnes oſtendunt, Mala ex peccato, Bona ex virtute, & Dei gratia oriri probantes, Fatumque ita diffinientes, ut ſit *Inhærens rebus omnibus immobile divinæ providentiæ Decretum, quod ſingula ſuo ordine, loco, tempore, firmiter reddit.*

8 Quare qui vana hæc nomina, & alia Ethnicorum auguria, aut Feſtivitates obſervant, Fidem Chriſtianam, & Baptiſmum prævaricare, & Dei iram graviter incurrere, æquè graviter a D. Auguſtino, & à Minutio Felice monemur, & adhuc gravius à D. Chryſoſtomo, his verbis pravam iſtã de Fato ſuggeſtionem meritò deteſtante, *Nullum tã malum dogma eſt, ut illud, quod de Fato, & Nativitatibus. Ubi enim blaſphemia hæc impia, & peſtifera hæc opinio, deceptis pectoribus inſita fuerit, perſuadet, ut talia de Deo dicantur, quæ nec de dæmonibus oportebat: confunditur tota vita, diſſolvuntur, & ſupervacua oſtenduntur omnia, quæ vel à Deo, vel à Natura, vel à Prophetis, ad emendandos inſtituẽdoſq; mores invecta ſunt. Fitque perinde, ſicut cum æger corpore, medicina indigens, perſuadet Medicis Pharmaca parantibus, non eſſe ſibi illis opus; ita ut nec morbo liberetur, ſed expectet ſibi per ignaviã ſocordiamque miſerabiliſsimum interitum. An non ita loquitur Fatum, nemo utilia admoneat, nemo admonentes audiat, fruſtra ſunt leges & iudices, fruſtra diſciplinæ & admonitiones, fruſtra ſupplicij timor, fruſtra dignitates, & honores, & præmia bona operantibus conſtituta, &c.*

D. Aug. in cap. non obſervetis 26. q. 7. Minut. Felix. in Votavio.

D. Chryſoſt. in ſer. 5. de Fato.

9 Hæc cum ita ſe habeant, ſatis conſtare poterit, quanta cum ratione in hoc noſtro Emblemate Chriſtianos Principes commoneamus, ut Deo, unico veriorique Fato, inhærere procurent, ipſique tanquàm

firmo & incontraſtabili muro,ſuas omnes actiones,& cogitationes affigant,ſecuri, ita demum affixas,fœlicem exitum habituras, & per lõga ſæcula,etiam invidente, vel reluctante Fato, ſive Fortuna , manſuras.Quemadmodũ ex adverſo,quod hoc non innititur fulcro , vel benè affixo Divinæ legis,ac voluntatis clavo,ſive paxillo non ſuſtinetur, ſuo pondere peſſum ibit,vel anteà quam pẽdere cœperit,collabaſcet.

D. Cypr. in lib. de duodecim abuſ. gradu 9. cap. 6.

Quam ſimilitudinem ex D. Cypriano deſumſi , qui de Principibus temporalibus loquens,ita ait : *Propterea quoque dum multi pendent in eo,ipſe Deo adhærere debet, qui illum in Ducatum conſtituit.Qui ad portanda multorum onera illum veluti fortiorem ſolidavit . Paxillus , niſi benè fixus , firmiter alicui fortiori adhæſerit, omne quod in eo pendet citò dilabitur , & ipſe ſolutus à rigore ſuæ firmitatis,cum omnibus ad terram dilabitur:ſic & Princeps, niſi ſuo conditori pertinaciter adhæſerit,& ipſe,& omnis qui ei conſentit,citò dilabitur.* Et in ea comprobanda & illuſtranda lato & eleganti (ut in reliquis ſolet) calamo ſe extendit, idẽ D.Cyprian.In Deo ſolo hærendum,fidendum,& gloriandum eſſe cõcludens , & inter alia Ieremiæ illud expendens: *Non glorietur Sapiens in ſapientia ſua,& non glorietur Fortis in fortitudine ſua,& non glorietur Dives in divitijs ſuis:ſed in hoc glorietur,qui gloriatur,ſcire,& noſſe me, quia Ego ſum Dominus,qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiã in terra: hæc enim placent mihi,ait Dominus.* 10

D.Cypr. lib. 3. teſt. adquirin. pag. mihi 377.

Ierem. c. 9. 23. 24.

David Pſal. 72. 1.

D. Paul. ad Corint. 6. 17.

Hier. Oſſor. in lib. 5. de vera ſapient.

Quod benè intelligens Regius Vates,non divitias expetit,non voluptates exquirit:non ea,quæ homines præclara,& expetẽda iudicãt, in aliquo numero ponit. Vnum tantùm illius votum eſt, quo mirificè flagrat,quo bona omnia continentur,*Mihi* (inquiens) *adhærere Deo bonum eſt.* Et meritò ſanè;nam ſi ſecundùm Divum Paulum: *Qui adhærere Domino,unus ſpiritus eſt cum eo.* Quid aliud videtur David;quàm Divinitatem prædictis verbis appetere ; ut Oſſorius præclarè conſiderat, cum qui uno ſpiritu continentur , idem eſſe quodammodo neceſſe ſit, & eos qui hoc aſſequuntur, nec bellorum omnium furor turbare ; nec fraudes & inſidiæ parti decoris poſſeſsione depellere,neque terror ullus ab hominibus obiectus,infringere poſsit. Quin etiam cùm cœlum tonuerit , & fulmina denſa contorſerit , terraque motibus conquaſſata deſederit , univerſaque natura incendio conflagraverit; illi,qui ſe totos in ſtudium,& adhæſionem Chriſti contulerunt, & illius Crucem inflammatis animis amplexati ſunt, erecti, & excelſi conſiſtent,& alta mente laboris ſui præmium cum ſumma iucunditate percipient. Si enim cœlum non poteſt ullo terræ motu de ſtatu ſuo convelli , multo certè minùs poterit,qui ſupra cœlum in Deo,& cum Deo hæret, ulla cœli,aut terræ converſione,aut naturæ totius interitu,de ſtatu ſuo demigrare. 11

M. Varro, Lactan. lib. 3. cap. 8. Clem. Alex. lib. 2. Strom. c. 11. D. Aug. de Civit. Dei, lib. 18. & 19. & lib. 13. de Trinit. cap. 4.

Idem Aug. lib. 10. de Civit. Dei, c. 4. & vide qualiter ſummum bonum definiat, lib. 19. c. 3. & 4.

Et hoc eſt,quod D.Auguſtinus admonuit,vanas Gentilium Philoſophorum curas irridens,in quo ſummum bonum conſiſteret, diſputãtium,& tandem Chriſtianè concludens : *Bonum noſtrum , de quo inter Philoſophos magna contentio eſt;nullum eſſe aliud,quàm illi cohærere , cuius anima intellectualis,incorporeo,ſi dici poteſt, amplexu , veris impletur, fœcundaturque virtutibus.* 12

Ad

12 Ad quod tendere videtur illud etiam documentum, quod B. Thereſia à Ieſu, Hiſpaniæ noſtræ fulgentiſsimum Sydus, ſuis ſororibus præſtitit, inquiens: *Mirar bien quan preſto ſe mudan las perſonas, i quan poco ai que fiar de ellas, i aſirſe bien de Dios, que no ſe muda.* Vbi nuperus horum Aphoriſmorum Commentator, doctè & piè alia ad hunc illuſtrandum adducit. B.Thereſia Document.62. P. Alfonſ. de Andrade ſup. d. Docum. 1. tom. pag. 288. & ſeqq.

13 Et mirè arridet illud Valerij Maximi, veluti ad noſtrum Paxillum alludens: *Dominium rerum collabi ſolet, bona mens præfertur divitijs, bonæ mentis uſurpatio nullũ triſtioris Fortunæ recipit incurſum.* Philonis Iudæi acuta perpenſio, quatenus poſtquàm myſticam illam ſcalam, quam Iacob de cœlis pendentem vidit, inſtabilitatis rerum humanarũ ſymbolum fecit, pergit ad declarandum, cur Deus ſummitati eiuſdem ſcalæ innixus, in eodem textu dicatur? & ita valdè ad rem noſtrám apte, ſatisfacit: *Cum autem dicitur innixus ſcalæ, nemo intelligat Deum laborare, ut eam molem ſtabiliat; illud potius cogitet, his verbis ſignificari, Deum eſſe robur, firmitatemque rerum, quibuſcumque vult aſsignare, ſtabilitatem perpetuam: tantiſper enim dum ab illo ſuſtentantur, inconcuſſæ manent, atque integræ.* Valer. Max. lib. 4. cap. 4. in princip. Philon Iudæus in lib. de ſomnijs, pagin. 409.

14 Quod ſi exempla ad hoc magis confirmandum requiras, Davidem reſpice, qui ſæpius ad Deum in periculis confugiens, toties ab eo conſilium, & auxilium accepit. Aſam Regem Iudà, qui quandiu in Domino Deo ſpem ſuam ponebat, parva ſuorum manu Æthiopes uſque ad internecionem percuſsit, cum autem Dominum dereliquit, & à Benadat Rege Syriæ, contra Baſam Regem Iſrael auxilium petijt, à Domino derelictus eſt. Quià, ut noſtrum oſtendit Emblema, qui ei præcipuè, & benè non hæſerit, fruſtrà ſpem ſuam in viribus ſuis, aut in reliquis rebus Mundialibus collocabit. Quæ nihil, quod ſit firmum præſtare poſſunt, cum omnis earum ſtatus (vel teſtante Iuſtiniano Imperatore) in perpetuo motu, & agitatione conſiſtat, & ſecundùm D. Auguſtinum: *Ne præſentia quidem accedãt ſint præſentia; nunquam ſtantia.* 1. Reg. 28. 37. & 39. 2. Paralip. 1. Iuſtin. in Auth. de nõ alien. reb. Eccl. §. ut autem vide, Alban. Spinaſ. in Polit. lib. 1. cap. 2.

15 Qui & idem Beatiſsimus Pater, non minùs ad rem noſtram alibi inquit: *O Homo ideò non viciſti, quia de tuo præſumſiſti, qui præſumit de viribus ſuis, antequàm pugnèt, proſternitur.* Cuius monitum ſequens Alfonſus Rex Aragonum Primus, ſic apud Bartholomæum Facium, filiũ ſuum Ferdinandum hoc ipſo erudiens, his verbis inducitur: *Tum denique tibi militares artes profuturas ſcito, cum Deum tibi pietate, ac iuſtis factis reddideris propitium. Eum igitur, ſi vincere expetis, pura mente colito, ſpemque omnem victoriæ in eo reponito.* D. Aug. ſerm. 29. de verb. Dom. Idem de verb. Apoſtol.

16 Etenim iuxtà Prophetæ Regis infalibilem aliam animadverſionẽ, *Dominus diſsipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorũ, & reprobat conſilia Principum.* Quinimò & ſecundùm Iobum, qui & ipſe Rex fuit, ubi in ſe, non in eo ſuas ſpes collocant, *Apprehendit Sapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſsipat. Qui diſsipat cogitationes malignorum, ne poſsint implere manus eorum, quod cœperant.* Cui ſimilis Iſaias, *Convertens* (inquit) *Sapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.* Bart. Faccius lib. 1. Hiſt. David Pſal. 32. 10. Iob. 5. 12. 13. Iſai. 44. 25.

17 Et mirè concinens D. Chryſoſtomus, Pſalmum illum explicans,

D.Chryſoſt.in Pſal.7.2.3.

quo David ita anxiè & humiliter orat, ut eum liberet a perſequenti-
bus ſe, quia non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat, ſic habet;
Collegit David exercitum, & multos ſecum habuit, quomodo ergo non eſt,
qui redimat, neque qui ſalvum faciat? Quoniam ne univerſum quidem or-
bem terrarum, auxilij loco habet, niſi opem divinam fuerit aſſecutus: nec
ſe eſſe ducit in ſolitudine, licèt ſolus ſit, ſi ſit illius auxilij particeps.

Marlian. in Th. Polit.cap.27.

Plura quidem alia, plures alij circa hoc argumentum adducunt, in- 18
ter quos Ambroſius Marlianus caput, quo de eo agit, hoc Diſticho
claudit,

Principis ante oculos adſit divina Poteſtas;
Sic firmum Imperium, ſic erit Alma quies.

Nos ſe lectiora, noſtroque Emblemati congruentiora tetigiſſe cõ- 19
tenti, eò unde eius commentationem cœpimus, redeuntes, Fortunæ
quidem inſtabilitatem agnoſcimus, & aliquando vetus illud Monoſti-
cum, iuxta captum humani iudicij, certum eſſe fatemur.

Lucian.Dialog. *Virtus Dea*, fol. mihi 381.

Fortuna cum virtute bellat perpetim.

Quo & reſpiciens Lucianus in quodam Dialogo virtutem à Fortuna
malè habitam, ſeu vapulantem inducit, laceramque ac mœrentem, ut
quæ nec ad Iovis aſpectum admitteretur.

Sed adhuc tamen certius eſſe ducimus & ſentimus, & Chriſtianos 20
omnes Principes, & homines ducere, & ſentire debere, admonemus,
nunquam ei multum obeſſe poſſe Fortunam, qui ſibi firmius in Virtu-
te, Sapientia, ac Prudentia, quàm in ea ipſa, præſidium collocaverit,
quique volventibus eius rotis Clavum hunc divinæ adhæſionis, de
quo loquimur, prudenter pariter ac potenter infixerit. Hic etenim ſo-
lus repertus eſt, qui eam ſiſtere poſsit, & procelloſam, naufragiumque
minantem, veluti anchora quadam ſacra compeſcere.

Cic.5.Tuſc. Lact. de falſ.ſap.cap.28.

Quod, non Platonici tantùm (ut diximus) Sectatores, verùm & alij, 21
plures ex Ethnicis, agnoviſſe quidem videntur, profitentes, (ut ex Ci-
cerone & Lactantio conſtat) virtutem omnia, quæ in hominem cadere
poſſunt, ſubtus ſe habere, eaque deſpicientem, caſus humanos con-
temnere, culpaque omni carentem, nihil præter ipſam, ad ſe perti-
nere cenſere.

Lactant. de Opif. Dei, in fin.c.12.

Indeque inter varias, quas virtuti aſsignant diffinitiones, in eam 22
tandem magis, eodem Lactantio teſtante, conveniunt, ut *Virtus ſit,*
perferendorum malorum fortis, atque invicta Patientia: & quoniam for-
titudo cæteris omnibus virtutibus excellit, factum eſt, ut omnes rectæ
animi affectiones Virtutes appellentur, etſi latiori nomine, quicquid
vitio contrarium eſt, virtus quoque dicatur, & *Virtus, affectio ſeu volũ-*
tas rectè & honeſtè faciendi, ſecundùm Ariſtotelem, & eundem La-
ctantium diffiniatur.

Ariſt. 7. Phiſ. c. 3. & lib. 3. Eth. Lact. lib. 6. divin. inſt.

Menand. & Sophoc. in Eriphile.

Et ad Primam illam, quam ſectamur, diffinitionem, reſpiciens Me- 23
nander, rectiſsimè dixit,

Scutum maximum eſt Virtus mortalibus.

Actius in Thelepho.

Et Sophocles: *Virtutis autem ſola conſtans perpetuaque poſſeſsio eſt.*
Actius: *Nam ſi à me Regnum Fortuna, atque opes eripere quivit, at vir-*

tu-

tutem nequivit. Seneca Tragicus: *Fortuna enim ad tempus opes auferre, non animum poteſt*. Et expreſsius Paulus Silentiarius, eam ſolam ſtabilem, & Fortunæ Victricem, his verbis oſtendens:

Seneca in Medea.

Neque divitis Fortunæ eleveris impetu;
Neque tuam flectat cura animi libertatem;
Omnis enim ſub inſtabilibus vita ſubiicitur auris,
Huc & illuc frequenter exagitata:
Virtus autem firmum quid & immutabile, qua ſola fretus;
Vndas audacter tranſeas huius vitæ.

Quam etiam eandem ob cauſam Antiſthenes apud Laërtium; Armaturam eſſe dicebat, quæ detrahi non poſsit. Enſis enim & Clypeus excutiuntur, Sapiens autem ac virtute præditus, nunquam non armatus eſt, eoque vinci non poteſt.

Laert. lib.6.

24 Horatius quoque, & mille alij Poëtæ, eam, ob hanc cauſam, repulſæ neſciam, ſibique met, pulcherrimam mercedem appellant, & auræ popularis arbitrio exemtam, totque ac tantis extollunt laudibus, ut laborioſum ſit eas in unum congerere velle. Sed quia valdè ad noſtrũ inſtitutum conducit, audi eundem Horatium ita loquentem,

Horat. 1. Carmin. Od. 2. Plaut. in Amph. idem Horat. lib. 1. ep. 1. & 2. Ovid. & 2. de Ponto. Silius Ital. lib. 13. & alij paſsim.

Non poſsidentem multa vocaveris
Rectè beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus ſapienter uti
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet.
Non ille pro charis amicis,
Aut patria timidus perire.

Horat. lib. 4. Carmin. Od. 94.

Claudianum in Panegyrico quodam, idem ipſum eleganter his verbis docentem,

Claud. in Panegir. ad Mall. Theod. in princip.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſu petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis:
Divitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, exalta mortalia deſpicit arce, &c.

Silium Italicum, dum poſt alia de Virtute elegantiſsimè, & prudentiſſimè dicta, ſic ait,

Silius Italic. lib. 15.

Mecum honor & laudes, & læto gloria vultu.
Et decus, & niveis victoria concolor alis.
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus;
Caſta mihi domus, & celſo ſtant colle Penates.

25 Neque eſt ſilentio prætereundus Baptiſta Mantuanus, qui virtutem, quæ ſola, ob ſui bona ad hominibus expeti deberet, ab eiſdem

Mantuan. in virtutis quærim.

ſe deſertam graviter querentem inducit, & ita exorditur,

Fortunæ domitrix ego ſum, ſcelerumque flagellum.
Vtque hominem tuear, Superumque inte&tare portem
Incolumem, ſtygias omnes demolior artes, &c.
Me labor aſsiduus validam facit, ocia frangunt,
Et quoties opus eſt, armis exterrita nullis
Congredior, vinci, & ſuccumbere neſcia, ſi quod
Pondus ab adverſis iniectum eſt caſibus, æqua
Mente fero. Hominem doceo, variaſque per artes
Erudiens paucis, Dijs immortalibus ipſis
Per ſimilem reddo: & tandem ſuper æthera tollo.

Peluſiot. lib. 2. ep. 265.

Eleganter etiam idem expreſsit Iſidorus Peluſiota dum dixit: *Non Ænea ſtatua auro rutilans, ac coloribus nitens, non Olympica Corona, non opes, non pulchritudo, non robur, non Imperium, non Regnum, non aliud quidquam eorum, quæ magna eſſe videntur, magnum eſt expetendum. Tempori enim cedit, & extinguitur, atque in oblivionem abit. Sola autem virtus præclaram, & nunquam inter morituram gloriam obtinet, ut quæ, nec vetuſtati cedat, nec oblivione conteratur, nec marceſcat; verùm recentem ſemper, ac vegetam, ac florentem dignitatem habeat. Ac proinde prudentibus viris omnibus viribus enitendum eſt, ut eam adipiſcantur.* 26

Recentiora ſunt, ſed rei noſtræ valdè apta, & memoriæ mandari 27
digna, hæc quæ ſequuntur Poëtæ noſtri ſæculi carmina,

Diſcite virtutem iuvenes: nam ſola beatos
Nos facit, & diræ non timet arma necis.
Fortunæ minas, aut ſævi ſpicula Fati.
Quæque facit tremula curva ſenecta manu.
Imbibe virtutes, & inania gaudia ſperne,
Sunt animi comites, gaudia vera boni:
Nec quemquam placidis adeò complectitur ulnis
Sors, ut non aliqua parte moleſta premat.

Livius lib. 4.
Iuven. Satyr. 10.
Senec. paſsim in ſuis Epiſt. & præcip. ep. 66. ad Luc. & li. 1. de ira, in fi.

Et ob hanc cauſam Titus Livius negare non potuit, quin Fortuna virtutem ſequatur. Et Iuvenalis, iam ſuprà relatus, Prudentiæ Sapientiæque numen ſupra Fortunam eſſe. Et Seneca licèt Stoicæ ſectæ addictiſsimus aſſecla: *Nulla* (inquit) *poſſeſsio, nulla vis auri & argenti pluris quàm virtus æſtimanda eſt. Quia unum hominis bonum ipſa virtus eſt, quæ inter hanc Fortunam & illam ſuperba incedit, cum magno utriuſque contemtu. Quæ nulli non & vivo, & mortuo retulit gratiam, ſi illam bona ſequutus eſt fide; & quemadmodum minuta lumina claritas Solis obſcurat: ſic dolores, mœſtitias, iniurias, virtus magnitudine ſua elidit, atque opprimit; nec magis ullã portionem habent incõmoda cùm in virtutẽ inciderint, quã in mari imbus. Sola ſublimis, & excelſa virtus eſt, eaq́; extollit hominem, & ſupra chara mortalibus collocat: nec ea quæ bona, nec ea quæ mala vocantur, aut cupit minus, aut expaveſcit.* 28

Cui

29 Cui mirè conſonat illud aliud ſimile, quo ad hoc idem denotandũ Eraſmus uſus eſt, inquiens, quòd quemadmodum grando illiſſa tectis diſſultat, magno quidem fragore, verùm nulla noxa: ſic inſultus fortunæ nihil poteſt in virum vera virtute ſapientiaque munitum. De quo vel in Adagium pertranſijt, *Sapiens dominabitur Aſtris*, *Sapiens Fortunatus*, *Sapiens non eget*, *Sapiens à ſe ipſo pendet*, *Sui cuique mores fortunã fingunt*, *Sapiens ſua bona ſecum portat*. In quæ reſpiciens Epictetus: *Sicut Iupiter* (inquit) *ſecum eſt atque agit, & inſe acquieſcit, fruiturque cogitationibus ſe dignis: ſic & ſapiens ſibi ipſi ſufficit, & ſecum eſſe poteſt, fruiturque puriore illa, & ſublimiori meditatione, qua fœlicitate nulla Deo eſt proprior.*

Eraſm. in ſimilib.
Idẽ in Adag. pag. 100. 607. 608. 610 728.
Epitectus lib. 1.

30 Quem, eandem etiam ob cauſam, ſolùm poſſe liberum dici, latè in ſuis Paradoxis Cicero probat, concludens, quòd cum libertas ſit poteſtas vivendi, ut velis, ille ſolus viuit, ut vult, qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque proviſa eſt, qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit, quòd id ſalutare maximè eſſe iudicet. Soli autem id contigit ſapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus, ac proinde confitendum eſſe, niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem.

Cicer. Paradox. 5.

31 Horatius etiam, nobilis eiuſdem diſciplinæ ſectator, idem docet his verbis:

Quiſnam igitur liber? Sapiens, ſibi qui imperioſus.
Quem non pauperies, neque mors, neque vincula terrent.
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in ſe ipſo totus teres, atque rotundus.
Externi ne quid valeat per læue morari,
In quem manca ruit ſemper Fortuna:

Horat. lib. 2. ſatyr. 7.

32 Et alio in loco Manentem ſe Fortunam laudare, & deſiderare oſtẽdit, cui tamen, ſi adhuc avolet, ex virtute præſidium petit, ſic inquiens:

Laudo manentem, ſi celeres quatit
Pennas: reſigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro.

Alludens nimirum ad Romanorum morem, qui hanc demum Fortunã, cui Virtus, Prudentia, & Sapientia dominabatur, *Manentem* vocabant, & ut Giraldus, & Briſſonius tradunt, illam virtuti ſuper ſaxo cubico, hoc eſt quadrato, adſidere fingebant, alis, talaribuſque depoſitis, & globo, cui aliàs inniti conſuevit. Quaſi dicerent, nunquam, dum virtuti aſsiſtit perpetem eſſe.

Idem lib. 3. Od. 29
Girald. Sync. 16.
Briſſ. de form. lib. 1. pag. 57.

33 Ad quam picturam alludere videtur Symbolum Eduardi III. Regis Angliæ apud Oct. Stradam, Fortunæ, rotam ſuper globũ orbis ferentis, cum lemmate, *Sapientia Fortunam.* Et Achilles Bochius in quodam ex ſuis Symbolis, cuius lemma, *Virtutis & fœlicitatis formula.* Neque abeſt Petrus Coſtalius, qui eandem ob cauſam Fortunam furca ſuſpenſam, & Sapientiam ſolam dominantem, appingit, ſic inquiens:

Strad. in Symb. fol. 45.
Boch. Sym. 127.
Coſtal. in Pegmat. pag. 171.

Aſpice

Aſpice ut in noſtris pendet Rhamnuſia furcis,
Et recipit ſceleri debita penſa ſuo.
Quæque olim (ſi Dijs placeat) confecit utramque
Paginam, apud Gallos ultima Fata luit.
Quid tibi Fortunæ curæ eſt rota mobilis? illi
Quid tecum eſt? Sapiens ſolus apud te habita.

Boiſſard. Emb. 51.

Et Iacobus Boiſſardus, qui ſedentem ſtudijſque, & virtutibus incumbentem Sapientiam, à verticoſa Fortunæ cymba liberam & expertẽ facit, his verbis:

Fortunæ dubia haud vehitur Sapientia cymba:
Nec vanis fulta eſt indiga divitijs,
Sed cura vigili, & ſtudio ſolerte parata,
In varia rerum cognitione ſedet.

Schoonchovius Emb. 2.

Et Modernus alter Emblematarius, idem per effigiem aliam ſignificat, cuiuſdam Philoſophi, ſive Sapientis, pedibus Fortunam calcantis, catenaque alligantis, ſub titulo, *Sapiens ſupra Fortunam*, & his carminibus, 34

En quæ iura ſolet per univerſum
Cunctis dicere ſors, hic illigatur:
Nimirum Sapientia recoctus;
Extra ſe nihil expetens bonorum;
Sortem ſub pedibus premit ſuperbam.

Laert. lib. 6. in Antioch.
Stob. Serm. de Fortuna.

Quod ſumere potuit ex illo Antiſthenis; qui, referente Laertio, aſsiduè dicere ſolebat, Virtutem ſibi ſufficere ad fœlicitatem, nec ulla re opus habere, niſi robore Socratico, vel potius Diogenis, qui ut Stobæus ait, cum Reges & divitias, terrenaque omnia deſpiceret, ſibi Rex eſſe videbatur, & Fortunam intueri dicentem,

Tangere ſed hunc rabioſum ego nequij canem.

Laert. in Socrat.
Valer. lib. 2. c. 9.
Tacit. 15. Annal.
Spartian. in Carac.
Bertran. de vitis I.C. in Papin.

Socratis certè animum triginta Tyranni infringere non potuerũt. 35
Regulus luminibus in perpetuam vigiliam expanſis, periculis undique imminentibus, catenis circum frementibus, non abſcondidit virtutem, ſed magis magiſque exeruit, ſuoſque gemitus ſub tortore devoravit. Seneca (teſte Tacito) exanguis iam fere in balneo, ubi iuſſu crudelis Neronis occubuit, ſe ipſo Sapientiorem oſtendit, & Philoſophicis recordationibus communivit: *Vbi* (inquiens) *magiſtra fortitudinis ſapiẽtia? Vbi exercitus adverſus Fortunam animus? Prodeat illa diſciplina, præſentique firmitudine maieſtatem oſtendat ſuam, quæ animum adverſus difficilia præparare, & eventura contemnere docuit.* Papinianus interrito vultu à Tyranno cæſus eſt, quia parricidiũ facilius committi, quàm excuſari reſpondit, & ſic ſexcenti alij, quibus in adverſis hoc ſolatium fuit, quòd ſecunda mereri videbantur.

Delapſa quippè cœlitus eſt, ac diſtractis inter ancipitia Mortalibus, ſubvenit illa verè Domitrix affectuum, vere rectrix ac reformatrix humani generis Virtus & Sapientia. Quæ magnum diſcipulis ſuis 36

arca-

arcanum evulgavit, poſſe aliquem inter infœlicia fœlicem eſſe, & ſi quid adverſi cadat,non niſi laudibus ſuorum, ac virtutibus, materiem campumque proſterni: cum ſecunda fortunatos,adverſa magnos probent. Et qui his ſe præmuniunt, accidentia quælibet,non aliter quàm miſſa divinitus accipiant, & meliorem ſui partem, Animum ſcilicet, qui extra imperium & ſævitiam Fortunæ eſt,in noſtro hoc Dei paxillo figentes, celebrem illam vocem Stilponis, apud Senecam, ſemper in auribus habeant,urbe capta,nihil ſe perdiſſe dicentis,cum virtutem ſuam, & animi conſtantiam ſecum portaret. Adverſus quam,ut idem Seneca ſubdit, hoc poſſunt calamitates, & damna,& iniuriæ,quod adverſus Solem nebula poteſt. Senec.Epiſt.9.

37 Quæ etiam vox Severino Boethio in ore fuiſſe fertur, dum à Tyranno,ſub quo tandem occubuit, in exilium actus,& multis,quibus abundabat, divitiis, exutus fuit. Eademque ſeipſum ſolatur in libro de Conſolatione Philoſophica, plura lectu digna in rem hanc in Metris, & in Proſis ediſſerens, & præcipuè in quarto libri primi, ubi ſic habet, Boeth. de conſol. Philoſoph. lib. 1. Metro 4.

Quiſquis compoſito ſerenus ævo
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum,
Fortunamque ruens utramque rectus
Invictum potuit retinere vultum.
Non illum rabies minæque Ponti,
Verſum funditus excitantis æſtum,
Nec ruptis quoties vagus caminis,
Torquet fumificos Veſevus ignes,
Aut celſas ſoliti ferire turres
Ardentis vis fulminis movebit.
Quid tantum miſeri feros Tyrannos
Mirantur ſine viribus furentes:
Nec ſperes aliquid,nec extimeſcas,
Exarmaveris impotentis iram, &c.

38 Hoc idem, ut relictis profanis exemplis, & teſtimonijs, Chriſtianis etiam,ut verioribus,ita & ſecurioribus communiamus,Iobum reſpice, ea,quam in Deum habebat Conſtantia, & Fide,inter ærumnas dicentem: *Scio quòd Redemtor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Etiamſi occiderit me Dominus, tamen ſperabo in eum.* Davidem,qui etſi inter mille anguſtias,&pericula ſe poſitum ingemiſcat, tandem eadem in Deum adhæſione, ſe victorem evaſiſſe gloriatur. Septem Machabæos Fratres; eorumque Matrem, inter atrociſsima tormenta eundem Dominum prædicantes. Ignatium,qui cum iã damnatus eſſet ad beſtias,ardore patiendi,vincendique,rugientes iam leones audiens,dicebat, *Frumentum Chriſti ſum, & dentibus beſtiarum molar,ut mundus panis Chriſti inveniar.* Divum Laurentium, qui,quomodo ſuam Fortunam calcarit, & evaſerit victor, & iam in ipſa cra- Iob.13.15.&19.25. David Pſal.6. Mach.cap.7. Euſeb.lib.3.c.36.

ticula poſitus, ſatis oſtendunt, ac teſtantur eius verba, quæ vel ad Decium Imperatorem, vel ad Præfectum eius impium illum Olibrium dixit, & ab Aurelio Prudentio ita metricè referuntur:

Prudẽt. in Periſteph. de D. Laur.

Converte partem Corporis,
Satis crematam iugiter;
Et fac periculum quid tuus
Vulcanus ardens egerit.

Sic hi, & alij, ſua in Deum Fide, adhæſione, conſtantiáque monſtrãtes, quàm ſit verum illud Apoſtoli, quòd qui ita faciunt, *Omnia poſſunt, in eo, qui eos confortat.* Et quòd Nos in hoc noſtro Emblemate inſinuare conamur. Quod niſi brevitati cõſuleremus, magis adhuc, ac magis verbis Divi Hieronymi, Auguſtini, Salviani, & aliorum confirmari, & illuſtrari poſſet. Sed omnium vice, ac voce Divum Chryſoſtomũ de hac victoria Virtutis contra Fortunam, ita loquentem exaudi: *Virtus ubique lucet, & inexpugnabilis eſt: nihil eam impedire poteſt, non divitiæ, non paupertas, non principatus, non ſubiectio, non rerum præſidentia, & adminiſtratio, non morbi, non ignominia: ſed his omnibus in terra relictis, ad cœlum ipſa pertingit. Dumtaxat ſit Animus generoſus, & nihil poterit ſtrenuum ac ſolidum impedire. An non per omnia iſta efficaciter operati ſunt Apoſtoli? per gloriam, & ignorantiam, per infamiam, & bonam famam? Iſtud demum eſt Athletæ ad omnia accommodum eſſe, etenim talis quoque eſt Virtutis natura.* Vnde ſcitè, & valdè in rẽ noſtram, dicere potuit, ille qui dixit: 39

D. Paul. ad Philip. 4.12.13.

D. Hieron. in epiſt. ad Eph. c. 3. Aug. epiſt. 87. ad Felic. & Ruſt. & in Præfat. in Pſal. 74. Salvian. lib. 1. de pravid.

Ioan. Ovenus lib. 3. Epigr. 186.

Fata regunt Fatuos: Sapiens dominabitur Aſtris,
Non Fatum, at FATO ſe regit ipſe ſuo.

Id eſt *Sapientia.*



Opti-

Optimus, ut Maximus.

EMBLEMA VIII.



Optimus eſſe prius Rex Divum Iuppiter ambit,
Vt ſupra invidiam Maximus eſſe queat.
Qui Regnum, qui Sceptra tenes, qui ſubiicis Orbem,
Maximus eſſe ambis? Optimus eſto prius.

COMMENTARIVS.

1 CVM ergo à Deo, Virtuteque, Sapientia, & Prudentia ſolidum Regum Regnorumque ſtabilimentũ dependeat, ut in ſuperioribus vidimus. Par eſt, ut ipſi Reges, Divinis atque inflatis titulis ac nominibus derelictis, de quibus aliqua in ſecundo Commentario retulimus, illis ſe præcipuè extollant atque glorientur, quæ ex ipſa in Deum ſubmiſsione, & in Virtutem propenſione proficiſcuntur. Laudatum Maiorum morẽ retinentes, qui ſe Regna quæ habent, DEI GRATIA habere & poſsidere, teſtari ſoliti ſunt. Quod non ſolùm de Chriſtianorum dominationibus, verùm & de ijs, quæ apud Infideles ſunt, accipiendam eſſe, doctè Dominicus Sotus animadvertit?

Iuxta illud Proverb. 8. Exod. 18. Deuter. 16. Reg. 1. 16. Sap. 6. Novel. Iuſt. 88. & alia ap. Me 1. tom. lib. 2. à num. 5.

Sotus de iuſtit. & iur. lib. 4. art. 1. q. 3.

2 Etenim licèt eiſdem condonari propter conſuetudinẽ poſsit, quòd à victis Gentibus nomina ſumant, prout Iuſtinianus Imperator, & alij fecerunt, & Ovidius oſtendit, dum dixit:

Si petat à victis, tot ſumet nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus Orbis habet.

Iuſtin. in princip. inſt. & alibi, latè Ego in d. 1. tom. lib. 1. cap. 16. n. 62.

Ovid. 1. Faſtor.

Reli-

Reliqua, quæ hanc moderationem excedunt, vel in Barbaris Principibus execramur. Saporem, & alios Perſarum Reges irridentes, qui, ut Marcellinus, Chryſologus, & alij Auctores ſcribunt, ſubiecta pedibus ſuis Sphæra, Solis in figura ſe conſpiciendos dabant, ſyderumque participes, & fratres Solis ac Lunæ ſe, ipſi, nominabant, & ab alijs nominari volebant. Artaxerxem, qui, ut habetur in libro Eſther; edicta ſua ſub hac formula publicabat: *Rex Magnus Artaxerxes, ab India uſque ad Ethiopiam centum ac viginti Provinciarum Ducibus ac Principibus, qui noſtræ ditioni obediunt. Salutem.* Attilam, qui ita reſcribebat, *Attila, Bedebutſfilius, Nepos Magni Nembrothi, nutritus in Engaddi, Hunnorum, Menelorum, Gothorum, & Danorum, Dei Gratia, Rex, Terror Mundi, & flagellum Dei.* Alijſque relictis, quæ apud alios videri poterunt, nunc demum Turcas Imperatores, qui ſexcentis ſimul delirijs, ſexcentas paginas implent, prout Simon Maiolus latè commemorat.

(Am. Marcel. lib. 17. & 23. Chryſol. ſerm. 120. Cardan. de ſubt. tit. de machinis. — Eſther 13. & 16. — Camil. Borrell. de præſt. Reg. Cath. cap. 46. n. 5. — Alex. & Tiraq. 2. Gen. c. 11. Ego 1. to. lib. 1. c. 16. n. 63 Bozius de ſig. Ecl. lib. 11. c. 2. noviſſimè Hopingus de iur. inſignium, — Maiol. tom. 4. col. 5. pag. mihi 337. & ſeqq.)

Et ad eundem tumorem ſpectabant aliæ Imperatorum Romanorum appellationes, qui (maximè poſt Imperium Conſtantinopolim translatum) ſe Optimos, Maximos, Magnos, Magnificos, Glorioſiſſimos, Clementiſſimos, Beatiſſimos, Chriſtianiſſimos, Illuſtriſſimos, Celſos, Invictos, Pios, Fœlices, Victores, & Triumphatores paſſim vocari ſunt paſſi. Quos, iam olim, ob ſuperbiam, quam in his appellationibus oſtentabant, meritò notavit Seneca, inquiens: *De nomine tantùm Patriæ Parentum gloriari debere. Cætera enim agnomina honori data ſunt. Magnos, & Fœlices, & Auguſtos dicimus, & ambitioſæ Maieſtati quicquid potuimus titulorum congeſſimus.* 3

(Senec. lib. 1. de Clem. cap. 14.)

Et Senecam ſequutus Eraſmus, de quo rectè Anglus Epigrammarius dicere potuit: 4

(Eraſm. in Adag. *Scarabeus Aquilā*, pag. mihi 719. — Ioan. Oven. lib. unic. Epig. 104.)

Nunc deſiderium deſiderat Orbis Eraſmum
Cui ſoli licuit ſcribere, quod voluit.

Adhuc magis pungentibus verbis, in eos invehitur Principes, qui non contenti Regum appellatione, quæ vel ſola olim apud Romanos adeò exoſa, & invidioſa fuit, ſe Divos, Invictos, Auguſtos, Illuſtriſſimos, quin & Sereniſſimos appellari patiuntur, cum belli tempeſtatibus, & inſanis rerum motibus totum orbem concutiant.

Quæ Cenſura, etſi à Satyrico viro profecta, iuſtè in eos Principes dirigi poteſt, qui proprijs virtutibus, egregijſque facinoribus, hæc quæ affectant, vel gratè audiunt cognomina, promereri non curant, & in illud incidunt, quòd elegantiſſimè Seneca hunc in modum notat, & reprehendit: *Non ſumus modica adulatione contenti, quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum prendimus. Optimos nos eſſe, Sapientiſſimos, affirmantibus aſſentimur, cum ſciamus illos ſæpè mentiri. Adeòque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria maximè facimus.* 5

(Senec. Epiſt. 59.)

Et hinc anſam ſumſi, præſentis Emblematis confingendi, ex Iovis, (quem Deorum Summum Patremque cæca Antiquitas coluit) imagine promti, quem ſemper ac fingebant, pingebant, vel verbo tenus nominabant, OPTIMVM ſimul, & MAXIMVM inſculpere, vel vo- 6

(Briſſon. de form. pag. 53.)

care ſolebant. Iuxta ea, quæ latè & eruditè Barnabas Briſſonius congeſsit. Sic cordatis, & benè moratis Regibus exemplum ac monimentum præclariſsimum exhibentes, ne unquam ad cognomen *MAXIMI, MAGNI*, aliorumvè ſimilium, ſumendum accedant, quin prius Optimos ſe eſſe manifeſtaverint: cum hoc, vel in ipſa Iovis dignitate, ſive deitate, præcedere, & veluti ad illud conſequendum requiri, conſpiciant.

[Briſſon. de form. lib. 1. pag. 52.]

7 Idque, (ut Eraſmus ait) eſſe proprium veri Principis indicet, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, pro ſit omnibus, ſitque magis OPTIMVS, quàm MAXIMVS. Quãquã non alia ratione poteſt eſſe Maximus, niſi ut ſit quam Optimus, hoc eſt, in omnes beneficentiſsimus, ſeſeque totum in populi ſui commoditates impendens, & Regiis virtutibus, & actionibus undequaque condecoratus. Re enim vera inter omnes honoris titulos, ut idem Eraſmus alibi animadvertit, hic reputabatur præcipuus, qui à virtute ipſa ſumtus, non cuivis tribui ſolebat. Itaque Caius Scipio Naſica cum ob ſingularem animi probitatem eximium mereretur encomium, OPTIMVS à Senatu appellatus eſt, ut Pomponius, & alij recenſent.

[Eraſm. dict. Adag. *Scarabeus Aquil.* — Idem in Adag. *Optimus*, pag. 194. — Pomp. I. C. in l. 2. de origin. iur. & Plin. li. 7. Nat. Hiſ.]

8 Quod præclarè etiam docuit Seneca, Livium reprehendens, qui aliter ſentire videbatur, & ſic inquiens: *Hæc nomina Magnus, & Bonus ſeparari non poſſunt. Magnum quippè aut Bonum erit; aut non Magnum: quia magnitudinem animi inconcuſſam intelligo, & introrſus ſolidam, ab imo parem ſirmamque, qualis ineſſe malis ingenijs non poteſt.*

[Senec. lib. 1. de ira, cap. 17. ad fin. cap.]

9 Quod Ego, magis adhuc oſtendere volens, in meo lemmate poſui, *OPTIMVS, ut MAXIMVS*: quaſi hoc nomẽ ob illud mereatur. In Iovis autẽ figura hæc inſcriptio ſubiecta eſt, *Iovis Optimus Maximus*; quo loci, Iovis nomen, non in genitivo, ſed in nominativo ponitur. Nam à principio ſic appellatus fuit, à juvando, licèt poſteà, adiuncto altero vocabulo *Pater*, dictus ſit *Iupiter*, quaſi *Iovis-Pater*, ſive *Iuvans-Pater*, ut Robertus Stephanus, Calepinus, Demſterus, & alij Scriptores obſervant, & Ego hic advertendum cenſui, quia in hoc doctum alioqui virum hæſitaſſe conſpexi.

[Robert. & Calep. verb. *Iovis*, latè Dempſter. ad Roſin. lib. 2. c. 3. pag. 99.]

10 Neque exiſtimet aliquis, Me, caſſa, plebeiavè auctoritate, ad hoc Emblema confingendum, perductum, cum facem prætulerit Cicero, dum in ſuis libris de Natura Deorum, ſic ſcriptum reliquit: *A Poetis dicitur Iupiter Divum, atque hominum Pater. A Maioribus autẽ noſtris OPTIMVS MAXIMVS. Et quidem ante OPTIMVS, id eſt, Beneficentiſsimus, quàm MAXIMVS, quia maius eſt, certèq; gratius, prodeſſe omnibus, quàm opes magnas habere.* Neque lõgè abeſt, quod alibi ſic ſcripſit: *Quo circa te Capitoline, quem propter beneficia Populus Romanus OPTIMVM, propter vim MAXIMVM nominavit, &c.* Quibus locis non relatis, eodem ſenſu, quo Nos, hæc eadem cognomina ponderat Dominicus Baudius in quadam oratione, ſic inquiens: *Non ſine mente, & religioſa ratione, Iupiter, ante OPTIMVS appellatus, quàm MAXIMVS: nam & gratius eſt nomen pietatis, quàm poteſtatis, & uſufructuoſius iuvare multos, quàm opes magnas poſsidere.*

[Cic. de nat. Deor. lib. 2. cap. 91. — Idem Cic. in orat. 3. pro domo ſua. — Baudius in orat. ad ſtud. tumult. pag. 565.]

11 Certum quippè eſt, Imperia pendere à virtutibus, quæ & ab ini-

[Thom. Bozius in tract. Imp. pend. à virt.]

E tio,

Iuſtin. lib. 1. in pr.

tio,ut Iuſtinus ait,Reges ad faſtigium huius Maieſtatis provehebant, & tota via recti iudicij errare eos,ut idem Baudius ſubiungit, quibus ſolida Magnitudo videtur,timeri; & plus adnocendum, quàm ad benè merendum imperitare. Nihil etenim eſt in ſuprema Fortuna maius,quàm poſſe, nihil melius quàm velle prodeſſe quàm plurimis; & longè latèque pomæria propagare benignitatis ac beneficentiæ. Nullaque dote, nullo genere virtutis Mortalitas propriùs ad naturæ divinæ ſimilitudinem accedit, quàm miſerendo humanæ imbecillitatis, ignoſcendo erroribus, obliviſcendo iniurias, erigendo lapſos, ſalutem dando innocentibus, auxilium calamitoſis, opem impotentibus ſolatium afflictis:

Horat. 3. carmin. Od. 3.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus,arces attigit igneas
Quos inter Auguſtus recumbens,
Purpureo bibit ore nectar.

Vt benè cecinit Romanæ Fidicen Liræ; & non minùs benè Seneca Tragicus, inquiens:

Senec. in Medea.

------------------ *Hoc Reges habent*
Magnificum & ingens,nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Eccl. c. 45. 14.

12 Et melius adhuc Eccleſiaſticus, dum ornamenta Moyſis enumerans, qui ad Dei populum regendum electus fuerat, Coronam auream ſuper Mithram eius apponit, *Expreſſam ſigno ſanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis, & deſiderio oculorum ornatam.*

Apulei. lib. 1. Florid. — Machab. 1. — Plut. in Alex. — Curt. lib. 10. c. 7. — Buxhornius Zuerius Embl. 10.

13 Alexander quoque Macedo, qui tot victorijs clarus, Magni ſibi cognomen iuſtius cæteris, ut Apuleius iudicat, comparavit,& in cuius conſpectu terra ſiluit,ut in libro Machabæorum habetur, cum iam à fato ſuo non procul abeſſet, & quem tot Regnorum hæredem habere vellet? rogatus fuiſſet; non certè Magnum, aut Maximum; ſed qui ex ſuis eſſet Optimus,nominavit, ut Plutarchus, & Curtius in eius vita recenſent,& latè quidam Modernus Holandus illuſtrat, litem tamen magnam ei movens, quòd, quem è ſuis Optimum crederet, non indicavit,& quid ad hoc nomen,quod in Regibus præcipuum eſt, cōſequendum,requireretur.

Spartian. in Trajan. — Plut. in Apoph. Ageſil. — Xenoph. in Cyri pæd. lib. 8.

14 Ad Alexandri autem exemplum Trajanus Imperator, nullum certum ſtatuerat nominare ſucceſſorem, ſed permittere Senatui, ut Optimus eligeret, ut Ælius Spartianus in eius vita commemorat. Et inter Ageſilai Apophthegmata legimus, quòd cum Perſæ Reges ſuos MAGNOS appellare ſolerent, & Legati quidam coram ipſo, ſic eum à quo miſſi fuerant (veluti ad honorem,vel timorem eius augendum) vocitarent. Ille reſpondit, *At me maior nequaquam eſt, niſi iuſtior ac temperantior fuerit*. Ad illud forſitan Xenophontis alludens, qui de eiſdem Perſis ſcribit,quòd non cenſebant convenire cuiquam imperium, qui non melior eſſet ijs,quibus imperaret. Eumque denũ

Prin-

Principem Magni cognomento dignari, qui virtutibus, & rerum geſtarum gloria reliquos ſuperaret.

15 Plinius etiam Iunior in celebri ſuo illo ad Trajanum Cæſarem Panegyrico, ita graviter, & ad noſtrum Emblema cohærenter, de his nominibus agit, & de meritis, quæ ea præcedere debent, ut piaculum videri poſsit, ipſius verba ad litteram non referre, quæ ita ſe habent: *Iuſtis ne de cauſis S. P. Q. R. OPTIMI tibi nomen adiecit? Paratum id quidem, & in medio poſitum, novum tamen. Scias neminem ante te meruiſſe, quod non erat excogitandum ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit fœlicem vocare? Quod non moribus, ſed fortunæ datum eſt. Satius Magnum? cui plus invidiæ, quàm pulchritudinis ineſt. Adoptavit te Optimus Princeps in ſuum, Senatus in OPTIMI nomen. Hoc tibi tam proprium, quàm paternum: nec magis definitè diſtinctèque deſignat, qui Trajanum, quàm qui OPTIMVM appellat. Vt olim frugalitate Piſones, Sapientia Lælij; Pietate Metelli monſtrabantur; quæ ſimul omnia uno iſto nomine continentur: nec videri poteſt Optimus, niſi qui eſt omnibus Optimis, in ſua cuiuſque laude, præſtantior. Meritò tibi ergo poſt cæteras appellationes, hæc eſt addita, ut maior. Minus eſt enim Imperatorem, & Cæſarem, & Auguſtum, quam omnibus Imperatoribus, & Cæſaribus, & Auguſtis, eſſe meliorem. Ideòque ille parens hominum Deorumque, OPTIMI prius, deinde MAXIMI nomine colitur: quo præclarior laus tua, quem non minùs conſtat Optimum eſſe, quàm Maximum. Aſſecutus es nomen, quod ad alium tranſire non poſsit, niſi ut appareat, in bono Principe alienum, in malo falſum. Quod licèt omnes poſteà uſurpent, ſemper tamen agnoſcetur ut tuum. Etenim ut nomine Auguſti admonemur eius, cui primum dicatum eſt. Ita hæc Optimi appellatio, nunquam memoriæ hominum ſine te recurret. Quotieſque poſteri noſtri Optimum aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari.*

Plin. in Paneg. circa finem.

16 Hactenus Plinius. Cuius vel ſola tranſcriptio, pro huius Emblematis Commentario ſufficere poſſet: niſi Imperatoris Alexandri Severi inſignis hac in parte modeſtia, peculiarem quoque commemorationem exigeret. De quo Lampridius, & alij recenſent, quòd licèt Antoninus Caracalla eius Anteceſſor, Magni cognomen, ambitu potius, quàm meritis uſurpaſſet, ipſe tamen, vix annos ſexdecim natus, cum à Senatu Imperator creatus, ob virtutis magnitudinem Patriæ Parentis, Antonini, & Magni cognomine decoraretur, nunquam in animum, ut hos acciperet honores, induxit. Oportere enim aiebat: *Vt res geſtæ maturiorque ætas ea nomina pararent, & præſertim Magni, cum id Alexander poſt magna geſta; Pompeius verò poſt magnos triumphos acceperit.* Quo facto conſequutus fuit, ut ſe Maiorē oblato Magnitudinis nomine demonſtraret. Quemadmodum & Tiberius, dum referente Tacito, nomen *Patris Patriæ* à populo ſæpius ingeſtum, repudiavit.

Lamprid. in Alex. Severo, Fulgoſ. li. 4. cap. 1. & alij paſſim.

Tacit. 1. Annal.

17 Nam licèt ſecundùm Senecam: *Magnitudo non poſsit ſurgere, quando incrementum maius non eſt.* Ille tamen, docente Symmacho, eandem maiorem facit, quem ſublimitas parti honoris inclinat, quique in

Senec. Epiſt. 67.

Symmac. in epiſt.

ſummo faſtigio (ut Iuſtus Lipſius alibi inquit) non magis Magnus, quàm bonus audire deſiderat, & duas res diverſiſsimas Potentiam ac Modeſtiam miſcet: quæ quidem individua Comes Regum & Principum eſſe debet, procul à ſuperbia, procul à faſtu, & omni ambitionis turbine ſeparata; ita ut in illis inſignis hæc virtus potior ſit, quàm Maieſtas, eiuſque Auguſta ſedes in ipſorum animis fundamentum ponat, & in amore ac reverentia ſubditorum. Per eam enim, ut inquit Cicero, pudor honeſtatis claram, & ſtabilem comparat auctoritatem, utpotè quæ ſecundùm Menandrum,

Promtuarium virtutis eſt Modeſtia ſola.

Et ſecundùm Euripidem,

Donum Pulcherrimum Deorum.

Et ita, iuxta aliam celebrem doctrinam Taciti, *Apud quos vis Imperij valet, hæc innania tranſmittuntur.* Et Monente doctiſsimo & noviſsimo Novarino, in magnos animos non cadit affectata iactatio, Neſcit mens generoſa faſtum, neſcit ſuperbiam: his anguſtiis animus obſidetur, & 18

In Imperio Magnus eſt, qui Magnum ſe neſcit,
Et in Solio dignè ſedet, qui modeſtiæ ſolium eſt.

Quod tamen, (ut apparet) de ijs tantùm accipi debet, qui ſibi eiuſmodi cognomina ambitiosè præſumunt, non de illis, quibus ob egregias virtutes, & animi dotes, quæ in ipſis ſplendent, etiam invitis & reluctantibus à populis condonantur, ſive quos, ut verba Claudiani detorqueam: 19

Invitos blandè veſtigat, & ultro
Ambit Honor.

Prout in Magno Rege, ac Domino noſtro PHILIPPO QVARTO, quem Deus perennet, vix dum ab ephebis egreſſo, & nihil tale ambiẽte, aût cogitãte, contigiſſe videmus, non tam ob incomparabilem latè patentis, ac potentis Monarchiæ, cuius hæres extitit, Dominationem, quàm ob ardentem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis tuẽdæ, & propagandæ zelum, quem multis, & enixis Edictis, & Actionibus, etiam tunc in tenera illa ætate, manifeſtavit. In quibus enarrandis non pigrè, aut ingratè extenderem calamum, niſi in eodẽ ſtudio ſtadioque iam plenè & egregiè laboraſſet ac deſudaſſet D. Ioannes Antonius de Tapia & Robles, multis mihi nominibus charus, in peculiari tractatu *de Cognomine Magni*, quem fœlicibus auſpiciis, & veluti in arrhabonẽ aliarum lucubrationum luci dedit anno 1638.

Apertiſsimè probans, hanc, de qua loquimur, MAGNI appellationẽ, ferè ſemper, (etiam inter Ethnicos) Religionis, & Pietatis auctæ, vel obſervatæ, præmium fuiſſe, ut exẽplo Magni Alexandri, & Magni Pompei oſtendit Sabellicus, quorũ hic à direptione Tẽpli Ieroſolymitani Militem prohibuit; ille, Summum Sacerdotem ſibi obviã venientem, venerabundus excepit, ac velut Numen quoddam adoravit. 20

Lipſ. in epiſtol. ad Princip. in princip. Polit.
Cic. lib. 1. Rhet.
Menander in Senarijs.
Eurip. in Medea.
Tacit.
Novarin. in elect. ſacris, lib. 2. de circ. ſacro, cap. 4. ex curſu 8. in fine, pag. 194.
Claudian. in Mallij Theod. conſ. in Pro.
D. Ioan. Anton. de Tapia & Robles.
Sabel. lib. 3. Exem. cap. 2.

Et

Et in Carolo Magno, qui etiam (ut Iuſtus Lipſius animadvertit) ad hãc MAGNITVDINEM ob Sacrorum tuitiõnẽ pervenit, & quia Mauros in Hiſpania fregit, ac comminuit, Saxones, Danos, Avares in triũphum, nec ſuum, ſed Chriſti, duxit, & lumen noſtræ veritatis infudit. Idem quoque Imperatori Conſtantino MAGNI nomen paraſſe, idẽ Lipſius obſervat, & ita, poſt eius merita cõmemorata, concludit: *Hæc omnia, cui accepto niſi Religioni, atque eius tutelæ referat.*

Lipſ. in Monit. Polit. lib. 1. c. 2. mon. 3.

Idẽ Lipſ. ubi ſup.

21 Vnde meritò idem MAGNI cognomen Pijſsimo iuxta ac Potentiſsimo Regi noſtro Orbis terrarum conſenſu collatum fuiſſe Gevartius quoque teſtatur, utpotè qui cœleſti præcellentium virtutum concurſu, divinam Parentis ſui Philippi III. Manſuetudinem, Clementiã, & Pietatem; Avi Philippi II. Prudentiam incomparabilem; Proavi, Imp. Cæſ. Caroli V. Aug. Fortitudinem, & ſummam Fœlicitatem ſolus complectitur, & ſub cuius auxilijs & auſpicijs Cæſarea Auſtriacæ Domus Maieſtas, quinimo & tota Chriſtiana Religio, Barbarorum diluvio quodam oppreſſa, denuò in libertatem aſſerta reſpirat, & incõcuſſa perſiſtit:

Gervat. in lib. de introit. Ferdin. pagin. 31. & 32.

Claudian. de Mãl. Theod. Cõſulatu.

---------------- Velut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hiemeſque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum,
Celſior exurgit pluvijs, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tronitrua calcat.

Hoc ipſum Tapia Noſter multis probat exemplis; & Carolus Scribanus, aureis verbis præfatur, addens Fidei & Religioni eiuſdem Regis Noſtri deberi, quòd Germania, & magna pars Europæ ſub Hæretico & Turcico nòn gemat Imperio: & ante ipſos Antonius Vaſconcellus Luſitanus, eundem etiam MAGNVM appellans; & in eodem adhuc puero, & vix dum Regni habenas adepto, eaſdem & alias Virtutes, & præclaras animi & corporis dotes exagerans, & hoc metrico Elogio illas appoſitiſsimè comprehendens:

Tapia ubi ſup. Elog. 1. per totum.

Scriban. in Dedic. ad Chriſt. Pol.

Vaſconcell. in Anaceph. Reg. Luſit. pag. 372.

Delicias præfert tua frons, tua mitis imago
Æmula ſyderibus lumina, labra, genæ:
Mellea vox dulci, quæ pectore funditur, undant
Vnde magis Siculis dulcia verba favis
Gratius ingenium, quàm nectar dulce, liquorquè
Ambroſiæ, divum qui cibus eſſe ſolet
Talem Te mitis finxit clementia qualem
Supplicijs timidus te reus eſſe cupit;
Quæcumque in ſummo poſcuntur Principe dotes
Ars, natura Tibi, tum Deus ipſe dedit
Plus in te haud poſco. tantum deſidero Princeps
Tot bona ſint populis ut diuturna Tuis.

Religionis Præmium.

EMBLEMA IX.



Cum Dux Auſtriacus teſqua veredo
Venator premeret, fortè Sacerdos
Geſtans Ambroſiam Corporis Almi,
Per campos properans, & pedes ibat.
Deſcendit, comitatur pede ſupplex,
Cui prolem celebrem Myſta profatur.
Supremo Domino, ſolvite Cultum;
Creſcet innumerè Clara Propago.

COMMENTARIVS.

PIETATIS, & Religionis curam, quam præ omnibus Regum animis inſtillare conamur, non parum vulgatum illud, ſed ſemper memoria tenendum, exemplum accendet, quod præſenti Emblemate ob oculos ponimus. Maximè Hiſpano Auſtriacis, & Auſtriaco Hiſpanis, ad quos præcipuè dirigitur, cum ab illuſtri, atque Heroico Rudolpho Habsburgiorum Comite, eorumdem Progenitore, ſive, ut proprius loquar, Prototypo, ſumatur; qui fluctuans per diſsidia Imperium ſtabilivit, & Gentem Fatalem Regnis, Sceptriſque propagavit, ut præter innumeros alios oſtendit Onuphrius Panvinus, ſic inquiens: 1

Panvinus in Faſtis.

Auſtriacam ſobolem fundavit ritè Rudolphus.
Germine fœlici, & ſemine prolifico.
Biſque novem Imperij vixit fœliciter annos,
Et quater decies prælia victor obijt.

2 Is enim, ut plurimi paſsim Auctores recenſent, & præſertim Franciſcus Guillimanus, qui cæteris fidelius, & accuratius hanc Hiſtoriam inquiſivit, & retulit, in ſuis Commentariis Habsburgiacis, ſive de antiqua & vera origine domus Auſtriæ, cum poſt inſignem quandam victoriam partam, Habsburgum conceſsiſſet, otij impatiens, ſeu potius Divino nutu, venatum cum aliquot nobilibus ijt. Ea in venatione alijs aliò ſparſis, dum & ipſe prædam quærit, aut premit, tintinnabuli ſonitus ad aures accidit, qualis deferenda ſacroſancta Synaxi eſſe ſolet. Cognoſcendæ avidus rei, flexo equo, quò ſonus ferebat, eò iter ſubitò vertit, brevique, torrentis in ripa Sacerdotem exuentem ſe offendit. Ex quo percontatus quid ita, & ijs locis eſſet? Cogit me, inquit, ex proximo amici valetudo compendia ſectari, ne morbo ſuperante, ſacris deſtituto, & vitæ mortiſque arbitro, ſecus de ſalute ſi eveniat, in me culpa inhæreat. Huc cum apuli, pontem avulſum reperi, eo ad traſvadandum veſtem pono. Quæ ubi Comes intellexit, repentè ab equo in genua procidit, Liberatoriſque ſui præſentis pacem, & gratiam precatus; Imò verò, ait, hunc à me equum accipe, & quod officium neceſsitaſque monet, feſtinantius obi. Itaque Sacerdotem equo impoſitum, ſimul cum propinquo ſuo, qui pari pietate incenſus, ardentem cereum, & campanæ crotalum deferebat, uſque ad ægroti domum, tanquam à pedibus fræniſque miniſter, deduxit. Et poſteà ad ædem Sacram, cui Sacerdos præſidebat, reduxit. Divinæq; rei officio finito, cum hic Comiti equum multa cum gratia, Religioniſque, & humanitatis laude, reſtituere vellet. Abſit Ego (inquit Comes) illum equum inſcendam, aut meorum alius, quem Dominum, & Conditorem meum geſtaſſe certum habeo. Quod ſi adeò præter opinionem, aut tua merita, hæc tibi a me venire cenſes, teque tali munere indignum, pios in uſus adhibe. Illi nempè Ego dedi, & dicavi, à quo mihi honores, & opes, vita, & anima. Poſtero die cõtulit ſe Rodolphus ad Monaſterium Fare, quod inter Tugurũ, & Aquas ſitum, Lindemago adiacet, ſanctimonialem propinquam, & ætate gravem inviſurus. Quæ, ubi eum accepit, vultu ſereniore, voce contenta, & futuri ſecura. At Tibi Ego, inquit, heſterna luce Superos placatos, & benevolos denuntio, proque pietatis, & liberalitatis officio, rerum tibi, poſteriſque tuis, ſummum & ſupremum in terris honoris, & opulentiæ faſtigiũ adfirmo. Læta, fauſta, incredibilia promitto. Perge, age uti incœpiſti, viã porrò inſequere. Hactenus Guillimannus, qui hoc contigiſſe ait anno Domini M. CC. LXI. & poſtea ſubiungit, qualiter ille Sacerdos ſua Commendatione Rudolphum ad Imperium conſequendum iuvavit, & ipſe ſui famam & gloriam per totum orbem extendit.

Vimaſtād. Bozi⁹, Lipſius, Claudius Clem. & alij apud Me 1. tom. de Ind. iur. lib. 1. c. 16. ex n. 52. Guillim. li. 6. c. 4. ex pag. 305. Roo Hiſt. Auſtr. pag. 49.

3 Eandemque Hiſtoriam, licèt in circumſtantijs aliquibus varians, eleganti, quo cætera, ſtilo, oratione ſoluta ſcripſit Iuſtus Lipſius, in

Lipſ. lib. 1. cap. 2. monit. 3.

Miræus in orat. fun. Rudolph. II. noviſsimè, eruditiſs. Iacob. Chifletius in vindicijs Hiſpan. pag. 319.

ſuis monitis, & exemplis, & iterum ligata, iuſſu Sereniſsimorum Principum Belgij Alberti, & Iſabellæ, cum egregiam eius picturam in ſuo Palatio collocarent, quæ, ut refert Aubertus Miræus, ſic habet:

Comes fuit Rodolphus olim Habsburgicus,
Cui, rure (iuxta rivulum qui excreverat)
Ferens ad ægrum quempiam Euchariſtiam,
Parochus fit obvius. Comes mox in pedes
Salit, ſuoque collocat Myſtam loco.
Eunt ſimul, ſimul domos ægri petunt,
Intrantque triſte limen: ac iſtinc iter
Aliud legunt. Sed hic Equum vult reddere
Parochus, negat Comes: quin impium ſcelus,
Nefaſque ducit. Ipſe, ſcilicet premam
Ephiphion, quo vectus eſt Cœli Deus?
Ait, pedeſque conficit cœptam viam.
Fides inaudita; en Sybillina Sata
De ſtirpe Vates, Inclito Comiti canit
Æternum honorem. Hoc præmium pietas habet.

Claud. Clem. in Machia. iugulat. Bozius integ. trac. Imp. pend. à virt. Marq. in Gubern. Chr. lib. 10. Marlian. in The. Pol. Saaved. Emp. 26. ex pag. 175.

Bozius de ſign. Eccleſ. lib. 21. cap. 1. pag. in parvis 126.

Vnde iam ſatis liquet, Pietatis, & Religionis curam Imperiis non obeſſe, ut impius Machiavellus docere videtur, quin potius ab ipſa, & ortum, & progreſſum ac fulcimentum recipere, ut Pij alij Scriptores pluribus argumentis, & experimentis oſtendunt. Sic Deo implente, quod in libro primo Regum cap. 30. promiſsit, *Quicumque me glorificaverit, glorificabo eum*, ut in noſtro Rodulpho videmus, qui, ob huius virtutis meritum, poſteritatem ſuam Auguſtiſsimam reddidit, &, quod nulij alij ab orbe condito accidit, Romanum Imperium in eadem per tercentos & plures annos continuat, ut præclarè Thomas Bozius animadvertit, & Deo annuente (fremant licèt tantæ gloriæ æmuli) per plura ſæcula continuabit. 4

L. 62. tit 4. p. 1. l. 3. tit. 1. lib. 1. Ord. l. 2. tit. 1. lib. 1. Recop.

Maximè cum iam Hiſpano ſanguini, non minùs Pio ſemper, & Religioſo commixta, in eiſdem ubique virtutibus perſeveret, & præcipuè in eiuſdem ſacroſanctæ Euchariſtiæ devotione, & reverentia. Cuius teſtimonium exhibent leges, quibus ipſi Auſtriaci Principes, Noſtrique Catholici Hiſpaniarum Reges ſpondent, ſe illam, ubicunque obviam, genibus flexis adoraturos, & quòcunque ierit aſſociaturos, abſque ulla huius pij & debiti obſequij excuſatione: *Por lodo, ni por polvo, ni por otra coſa alguna.* 5

Beyerl. in Theatr. noviſs. vitæ hum. verb. *Euchariſtia*, pag. 451. & ſeqq.

Bonif. in lib. 3. de Chriſt. pater. inſt. Tymp. in Th. hiſt. 2. par. pag. 62.

Quarum implementum ſæpè ſæpius D. Carolus V. Imp. & D. Rex Philippus II. & III. varijs in locis, & temporibus exhibuerunt, ut recolit Beyerlinchius; & quod magis eſt, Matriti oſtendit Sereniſsima noſtra Regina D. Eliſabeta Philippi II. digniſsima, & chariſsima coniux, cuius pium factum prolixius narrat, & extollit Pater Ioannis Bonifacius, & ex eo Matthæus Tympius. Noſque quotidie parem Pietatem in Rege ac Domino Noſtro Philippo IV. quem Deus ſoſpitet, 6

experimur; ſed cum maiori omnium admiratione, & devotione, Matriti anno 1635. Nam cum ovantis more, equo inſiliens, pretioſiſque indutus veſtibus, ob fœlicem cuiuſdam belli eventum in Sacellum Divæ Virginis de Atocha, gratias acturus procederet, & fortè, Sacroſanctum Chriſti Corpus, quod ad ægrotum deferebatur, obvium fieret, ſtatim ſe ex equo in lutum magna celeritate demiſsit, & tunc (ut benè Claudius Clemens ait, hoc factum enarrans) Auſtriaco Hiſpanè, & Hiſpano Auſtriacè triumphare, ſibi, & Hiſpanis, eadem Religione Inclytis, videbatur.

Claud. Clem. in Machiavel. iugul. pag. 37.

7 Quæ & ipſum poſteà permovit, ut in ſui Palatij Sacello, eximium hunc theſaurum collocari, & debita veneratione iugiter obſervari, ac venerari curaverit, ſicuti in doctis ſuis fragmentis Euchariſticis Vincentius Turturetus luculentius enarrat. Referens ſimul aliam notabilem Hiſtoriam Maximiliani Imperatoris Auſtriaci, huius nominis Primi, quem eiuſdem Euchariſtiæ devotio, & adoratio, ab inſtanti mortis periculo liberavit, dum aprum inſequens, in altam & præruptam rupem conſcendit, & omni humano auxilio deſtitutus remanſit. Quam etiam latiùs Beyerlinchius commemorat, elegantia ſimul carmina referens, quibus Georgius Sabinus, & alij Germani Poëtæ, eam celebrarunt.

Turturet. in frag. Euch. ſub hac occaſione ſcriptis.

Beyerl. ubi ſuprà pag. 443. & Noſter Euſeb. Niriemb. in ſua Corona Princ. in vita Maximil.

8 Antiquius etiam, & non minùs nobile eiuſdem Fidei, & devotionis erga ſacram Euchariſtiam exemplum, in Erchimbaldo de Borbam adiicere poſſumus, quem Comitem, & eiuſdem familiæ Auſtriacæ, vocat Cãtipratanus, & alij, à quibus habuit Martinus Delrius. Qua meruit, ut poſt nepotis parricidium, zelo iuſtitiæ per actum, in ipſius os Sacrata Hoſtia, quam ei Parochus ob hoc piaculum denegabat, omnibus ſtupentibus advolaret.

Cantipr. in apob. lib. 2. c. 36. Cæſarius, & alij apud Mart. Delrium in diſq. Magic. lib. 4. c. 4. q. 4. pag. 225.

9 Sed de hoc plura dicere ſuperſedeo, cum tot ac tanta à citatis, & alijs Auctoribus congerantur, & integer extet liber Caroli Philippi Hattronis Belgæ, Regi Noſtro Potentiſsimo conſecratus, ſub titulo, *Pietas & Regnum.* Quo hoc Par, anteà haud ſociabile creditum, diſſociari nunquam ſine grandi Imperiorum calamitate pluribus exemplis, & argumentis evincit. Quæ vel ab ipſis etiam Ethnicis ſumi poſſunt, quorum veteres, ſi Athæneo credimus, ita vaticinati leguntur:

Marlian. in Theat. Polit. c. 27. Adan Contzen lib. 1. Polit. c. 25. §. 13. Carol. Scrib. in Chriſt. poſ. 1. p. cap. 19. P. And. Canonh. in Aph. Pol. ex pag. 799. Bozius integ. tract. Imp. pend. à virtutib. & alij paſſim.

Semper eris fœlix venerans gens numina Divum.
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem,
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

Athæn. lib. 12.

10 Et Poëta alter diſſertiſsimus, Imperium ſine Religionis cura, non magis ſtare, vel augeri poſſe, quàm hominum genus ſine uxoris conſortio, atque ob hanc cauſam Familiam Auſtriacam (de qua agimus) tot incrementa habuiſſe, & pro Armorum inſignibus, albam faſciam in campo ſanguineo geſtaſſe, ſic eleganter oſtendit:

German. Poeta, cuius etiam memini in Meo 1. tom. de Ind. iur. lib. 1. cap. 16. n. 92. & 93.

Humanum cum Plaſta genus ſibi conderet, unum
Non vidit ſatis eſſe hominem, niſi iungeret illi
Conſortem, ſine qua nequeat conſiſtere Regnum.

Quod

Quod Medus, quod Perſa habuit, quod Græcus, & Inda.
Romanus, genuit Mavors ſine coniuge prolem.
At Medus, ſic Perſa ruit, ſic Græcus, & ipſe
Romanus. Deus imperium ſine fine daturus,
Connubio Marti coniunxit Religionem;
Auſtriacamque habitare domum per ſæcula iuſsit;
Et ſpargere cum Sole ſimul ſua Sceptra per Orbem.
Candida Religio eſt, rubet alter ſanguine coniux;
Auſtriacæ hinc inſigne domus cum ſanguine candor.

Genebr. in Chron. lib. 4. ann. 1297. Bozi. de ſig. Eccl. lib. 4. cap. 4. & de ruin. Gent. lib. 6. cap. 9. & alij apud Me 1. tom. de Ind. iur. lib. 1. cap. 16. ex num. 88.

D. Hilar. apud Me ubi proximè n. 85.

Gervat. in lib. introit. Ferd. pag. 54.

Cuius, (quod magis notandum eſt) trophœa, eo tempore in Occidente augeri cœperunt, quò in Oriente Turcarum Imperium ſub Ottomanis radices agebat, ut Genebrardus & Bozius animadvertunt: quaſi divina Providentia præveniente, ut detrimentum, quod per hanc Ottomanam familiam Catholica Fides, & ſancta Romana Eccleſia paſſura erat, per illam reſarciretur, quæ iuxta D. Hilarij doctrinam, etiam tunc ſtat, cum ſuperari videtur. Quod idem, noviſsimus etiam Gervatius, nemine citato, his verbis obſervat: *Obſervatione digniſsimũ eſt, Auguſtam Auſtriæ domum, à Rodolpho Cæſare, eo ipſo tempore, communi Orbis Chriſtiani bono, eſſe conditam, quo Ottomanica familia, damno publico emerſit. Eiuſdemque Tyrannidi intra limites coercendæ, velut in cõcuſſum propugnaculum divinitus obiectam eſſe.* 11

Vnde meritò, tam frequens, quàm raucus, & ſubdolus Gallorum cantus excluditur, qui in ſuis ſemper falſis, & pro libito ac proprio Marte confictis Mercurijs Gallo Belgicis, & apud Balzacum, Duſurrierum, Gramondum, Anonimum Vindiciarium, & alios, clamare ac clarare non deſinunt, eandem Auguſtiſsimam familiam Auſtriacã, & Auſtriaco Hiſpanam, ſub prætextu Pietatis, & Religionis, magis quàm re, & veritate, aliena occupare, & Romanum Imperium ſibi hæreditarium reddere velle. Quapropter, Noſtros Reges appellare ſolent, *Catolicos de Eſtado*, ſua conſcientia alienas conſcientias, & quidẽ Regum Cæſarumque metientes, & ſub his clamoribus, ſeu clangoribus, reliquos alios Europæ Reges, & Dynaſtas in eorundem Auſtriacorum odium, & perniciem proterviſsimè concitantes. Cum tamen certius ſit, eis eos invidere dumtaxat poſſe, & calumnijs, ac maledictis laceſſere, nunquam tamen, quicquid invidia rumpantur, fremant, frendeant, omnemque ſuam eloquentiam compoſitis convicijs evomant, conſequuturos, quin Auſtriaci Principes apud Deum, qui pectorum receſſus latebraſque ſcrutatur, conſcientiam ſuam probent, & etiam cum ſuarum opum iactura, & vitæ periculo, Religionem Catholicam, a Maioribus acceptam, intimis præcordijs, & ſine fuco ſectari, & ubique terrarum propagare deſiſtant; ſola ſibi Divinæ Maieſtatis gloria, Populorumque ſalute propoſita. 12

Vernul. in Apol. cap. 17.

In quo argumento illuſtrando, & propugnando, multus eſt Nicolaus Vernulæus in eleganti Apologia, quam pro Auguſtiſsima ac Piẽtiſsima gente Auſtriaca typis mandavit anno 1635. ubi manifeſta hu- 13

ius

ius zeli ac pietatis monumenta ex dictis, & geſtis Alberti II. Friderici III. Maximiliani II. Caroli V. Philippi II. & III. & aliorum Auſtriacorum recenſet, qui nihil eadem Pietate & Religione antiquius, tutius, præſtantiuſque duxerunt, & eam viventes, conſtantiſsimè demõſtrarunt, & morientes, ſuis ſucceſſoribus enixè commendaverunt.

14 Sed quid his teſtimoniis egemus, quæ etſi a talibus Principibus præſtita, forſan Galliæ Sycophãtis, veluti in cauſa propria, minùs ſtringent. Teſtetur idem ex eiſdem Gilbertus Genebrardus, qui non contentus in ſua Chronologia dixiſſe, Familiam Auſtriacam a Deo in Ottomanicæ oppoſitionem præelectam fuiſſe, ut ſupra retulimus, iterum alio in loco eiuſdem Chronologiæ ſic habet: *Quo anno bellum Hiſpanis perfectum eſt contra Mauros, eorum expeditio adverſus Indos Occidentales cœpit, quaſi Hiſpanorum opus ſit, expugnare Infideles, & Paganos.* Eraſmus in Panegyrico ad Philippum Primum, dum aſſerit: *Hiſpaniã fatalem Fidei murum, & Chriſtianæ Religionis unicum propugnaculum eſſe.* Lucius Marinæus Siculus, qui de eadem ſic inquit: *Quare quidem meo iudicio in Orbe toto terrarum nulla gens eſt hodie Hiſpana (ut ita dicam) Chriſtianior.* Ioannes Vaſæus Belga, ita idem affirmans, *Fuit profectò Hiſpania Chriſtianæ Religionis ſemper obſervantiſsima, & Fidem Catholicam, qua ſemel imbuta, ſinceriſsimè uſque coluit, hæreticis infeſtiſsima.* Stanislaus Oſsius Cardinalis Barmienſis, inquiens: *Nullũ Regnum eſt hoc noſtro infœlici ſæculo magis ab hæreſibus intactum, quam ſit, vel hoc ſolo nomine fœliciſsimum Hiſpaniarum Regnum, cui propter hanc in Fide Catholica conſtantiam, & eius tuendæ diligentiam, alias præterea multas fœlicitates Deus largitur.* Petrus Odofredus, his verbis: *Puniuntur ſuſpecti hæreſis in Religioſiſsimis Hiſpaniæ Regnis, vel hoc maximè hac tempeſtate triumphantibus, & ſingulari laude dignis quod nulla, non ſolùm planè hæreſes, verùm ne ſuſpicio quidem, ſine digna, vel momento, manet nota.*

Genebr. in Chron. lib. 4. pag. 705.

Marin. de reb. Hiſpan. lib. 5. c. de Hiſp. ſob.

Vaſæus lib. 1. Chr. Hiſp. cap. 9.

Oſsius lib. 3. adverſ. Brent.

Odofr. in l. 2. C. de hæret.

15 Quod valdè conſonat cum ſimili cenſura & laude Eminentiſsimi Cardinalis Baronij, ita loquentis: *Hoc planè laudis ſibi vendicat ſemper Eccleſia Catholica in Hiſpania, ut non ab erroribus tantùm, ſed & à ſuſpicionibus eſſe voluerit ſuos immunes. Quo factum eſt, ut hoc ipſo noſtro ſæculo, cum longè latèque facibus hæreticorum orbis inflamaretur, ipſa illæſa perſtiterit, accurrentibus ſumma celeritate Dei Miniſtris, ſi vel tenuem ſuſpicionis ſcintillam, vel ſi non ignem, fumum ſaltem viderint, latentis ignis indicium. Ipſo præcipuè Rege Catholico ſuper omnes in opus naviter incumbente.*

Card. Baron. to. 7. ann. 563. n. 17. col. 713.

16 Quibus, ultra alia, quæ Ego alibi diligenter congeſsi, addere licet Thomam Bozium, qui zelum propagandæ Fidei in noſtris Regibus & gentibus ſic extollit: *Nulla unquam gens, ex quo Adamus habuit liberos, tot nationes moribus ac ritibus diſsimiles, ad unius Religionis cultũ, vel earundem legum ſtudium perduxit, ac Hiſpana. Vix enim quiſquam enumerare poſsit gentium varietatem, moreſque illarum, prorſus inter ſe diſsidentes, quas Hiſpani ſub Imperio ſuo miſſerunt. Et ad Chriſti venerationem perduxerunt, uniuſque Dei cultum. Sunt in promtu hiſtoriæ, legat qui volet.*

Ego 1. tom. de Indiar. iur. lib. 2. cap. 25. ex n. 13.

Bozi. de ſig. Eccl. lib. 8. cap. 1.

Cui

Molan. in lib. de Milit. Chriſt.

Cui aſſentiens Molanus, de D. Rege Noſtro Philippo Secundo 17
verba faciens, ait: *Ita Rex verè omnibuſque modis Magnus, fortunas omnes, vireſque immenſas à Deo acceptas, in debellandis Eccleſiæ hoſtibus nō inutiliter oſtendit.* Et in univerſum de tota Hiſpaniæ gente agens, & quàm ſit, ac fuerit Fidei, quam ſemel ab Apoſtolis accepit, retinentiſſima, Petrus Galeſinus, qui omninò legendus erit, & breviori verborum compendio uſus Ioannes Maginus, ſic de Hiſpania hac in parte conteſtans: *Sacra tamen præ cæteris venerantur, & Pietatem Chriſtianã ſummo perecolunt.*

Pet. Galeſin. in vita S. Did. Compl. par. 1. c. 2. ap. Suriũ tom. 6. die 12. Novembr.

Mag. in Geog. tab. 3.

Quod ſi quis hos Teſtes, quàmvis adeò graves, proletarios diiudicet, audiat precor Pium V. Pontificem Maximum, qui eundem Philippum II. *Publicæ Pacis, & Eccleſiæ fulcrum,* appellavit. Gregorium XIII. qui eius incolumitatem Reipublicæ Chriſtianæ, vel idcircò neceſſariam iudicavit, *Quòd poſt hunc, non alius reperiri Philippus poſſet.* Et Clementem VIII. qui in ea oratione, quam in Cardinalium Collegio poſt eius obitum habuit, magno cum luctu declaravit, quòd *Rex ille plus ſolus in expellendis ab Eccleſia hæreticis expenderit, quàm omnes ſimul alij Chriſtiani Reges.* Prout vel in ſolo Belgio eiſdem Gallis vicino, verificari poteſt, cuius Dominationem maluit ancipiti tot bellorum Fortunæ committere, quàm pati, ut in ea, ipſo conſentiente, unus vel ſolus ex vaſſallis à Fidei Catholicæ unitate, & veritate deviaret, ut in ipſius vita eiuſdem Scriptores commemorant. 18

Cabrera lib. 8. cap. 20. ex pag. 580. Porrenus de dict. & fact. Philipp. II. fol. 44.

Quinimò & in ipſam Franciam arma intuliſſe, opeſque ſuas liberaliter exhauſiſſe, ne Catholici illius Regni, ab Hugonotis opprimerentur, apertius eſt, quàm ut noſtra egeat adprobatione. Atque idcircò, ut Vernuleius addit, poſteà quàm ad Eccleſiæ ſinum, abiurata hæreſi, Henricus IV. redijt, pace Vervini conſtituta, quas in Francia civitates & arces occuparat, libenter reſtituit. Et cum poſteà idem Hēricus huius fœderis immemor, vel ſpretor, anno M. D. XCV. eidem Philippo bellum indiceret, nullum illi aliud reſponſum dedit, ut Duploix teſtatur, quàm *Se, miſsis in Franciam hactenus auxilijs, Religionem Catholicam ſtabiliviſſe, hæreſimque debilitaviſſe; in poſterum verò non deſtiturum ſe quibuſcunque viribus, Catholicos in Francia iuvare, & hæreſim potenter impugnare.* 19

Vernul. ubi ſup.

Duploix. Author Gallus, in vita Hēric. IV.

Eandem quoque intentionem, atque attentionem à Pijſsimo Rege noſtro Philippo IV. in vallis Tellinæ occupatione, & reſtitutione habitam fuiſſe, (quicquid Gradmondus contrarium improbè aſſerat) ipſe rei eventus manifeſtavit, & multis aliis rationibus & argumentis apertiſsimum reddunt Vernuleius, Miræus, Iulius Bellus, Gundiſalvus de Ceſpedes, & omnium optimè ac noviſsimè noſter D. Didacus de Saavedra Fajardus in ſuis Ideis Politicis omni laude digniſsimis. Neque expedit, ut in re adeò certa longius immoremur, cum vel ipſius Galliæ Scriptores, illinc ſtent, & iſtinc dicant, & vel inviti agnoſcere debeant, quàm pio, promtoque & liberali animo, ac valida claſſe, idem Rex Noſter anno 1625. Franco ſuppetias tulerit, ut rebelles, & hæreticos Rupellanos opprimeret. 20

Vernul. ſuprà, Miræus ann. 1623. Bellus in Laur. Auſtr. lib. 6. ann. 1622. & lib. 7. ann. 1623. pag. 658. Ceſped. in Hiſt. Reg. Philip IV. li. 2. c. 4. & 8. Saaved. emp. 78. ex pag. 589. & Tapia in lib. de los Grandes, Elog. 1.

Cui ſubventioni illius arduæ expeditionis victoria debetur, & alia- 21

rum,

rum, quæ eius cauſa poſteà in eodẽ Regno ſunt partæ. Quamvis (quod certè æquè mirandum ac dolendum eſt) nec Claudius Mariſotus, Iacobus Gutherus, Balthaſar de Bias, & alij Galli Auctores, qui proſa & vorſa oratione huius Rupellani triumphi hiſtoriam ſcribunt, & nimis extollunt, nec levem quidem Hiſpanæ adeò opportunæ opitulationis mentionem fecerint, ſibi ſolis totam hanc laurum, & Anglicæ claſsis fugam adrogantibus, quam certius eſt, ad noſtræ conſpectum, Duce eximio Dom. Federico Toletano, ab auxilio, quod Rupellanis præſtare parabat, deſtitiſſe. Vnde tumor ac faſtus Nationis Gallicæ colligi poteſt, & quàm certum ſit Adagium, quod ex Plutarcho refert Eraſmus, *Nemo benè merito bovem immolavit præter Pyrrhiam*, cũ in reliquis frequentius Græci illi verſiculi celebrari, verificariq́ue ſoleant:

Mariſot. hiſt. Maris, pag. 369. & ſeq. Guth. in Carm. de Rupel. rupta poſt tract. de iur. man. Bias in Sylvis Regiis, Sylva 1.

Eraſm. in Adag. pag. 282. & iterum 390.

Eraſm. ſup. pag. 361.

Simul & miſertum eſt, interijtq́ue Gratia
Servatus uſque ingratus eſt, & immemor,
Poſt munus illicò conſeneſcit Gratia.

Sed non ideò pœnitendum eſt glorioſum glorioſi Noſtri Regis auxilium; nam quemadmodum, iuxta Ciceronis ſententiam, *Omnes immemorem beneficij oderunt*, ita, ſecundùm aliam Senecæ, facientem collaudant, cui ſalvum ex illo, quod eſt optimum, manet, nempè feciſſe, ſuoq́ue exemplo docuiſſe, per ſe expetendam eſſe grati animi affectionẽ, ingrati per ſe fugiendam: nihilq́ue æquè concordiam humani generis diſſociare ac diſtrahere, quàm hoc vitium. Cum nullo alio commercio tuti ſimus, quàm, ubi mutuis iuvamur officijs, & contra ſubitas incurſiones munitiores efficimur. *Fac nos* (ſubdit) *ſingulos; quid ſumus? præda animalium & victimæ, ac viliſsimus, & facillimus ſanguis. Quoniam cæteris animalibus in tutelam ſui, ſatis virium eſt. Quæcumque vaga naſcuntur, & actura vitam ſe gregem, armata ſunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris facit, nudum & infirmum, ſocietas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validiſsimum facerent, rationem & ſocietatem, &c.* Quod tandem vel ipſos Gallos, Deo annuente, cognituros ſpero. Cum virtus in omniũ animos lumen ſuum præmittat, & vel ipſis, qui eam non ſequuntur innoteſcere ſoleat.

Cicer. 2. Offic.

Senec. lib. 1. de benef. cap. 10. & lib. 4. cap. 17. & 18.

(*.*)

Sceptrum Præſtabile.

EMBLEMA X.



Imperij Rudolphus ovans ſumebat habenas
Cingebatq́; ſuum clara Corona caput.
Hinc deerat Sceptrum, properant in Sceptra Miniſtri;
Ex Araq́; Crucem fervidus ipſe rapit.
Hæc Moſis gemmas protrudit virga ſacratas:
Quam benè cui Sceptrum Crux erit; ille reget.

COMMENTARIVS.

Iuven. Satyr. 4. in princip.

ECCE iterum Rudolphus: *Et eſt mihi ſæpè vocandus ad* 1
parteis. Cum virtutes, quibus enituit, nunquam non Principibus uſui & exemplo eſſe poſsint, & Deo ita placuiſſe videantur, ut in earum humanum præmium Auguſtæ (ut diximus) Domus Auſtriacæ extiterit Conditor, & præclaram hactenus Comitum Habſburgienſium famam, non ſolùm firmaverit, ſed ad Imperialem dignitatem, quam per tot ſæcula conſervat, evexerit.

Qui Honor (ut hoc obiter animadvertam) quodammodo Hiſpa- 2
niæ noſtræ debetur, cum Rex eius Alfonſus, cognomento Sapiens, prius in idem ipſum Imperium electus, & aſcitus fuerit, & ob eiuſdem demum renuntiationem, locus Rudolpho factus, ut Hieronymus Gebuilerus, Vvolphangus Latzius, Michael Eitzingerus, Heuterus, Bel-

ſo-

foreſtius, Roſierius, Guillemmanus, & alij hiſtoriæ Auguſtæ, & Domus Auſtriacæ, Scriptores obſervant, & noviſsimè ille, qui librum melioris Lilij Gallici, ſive de vita Sancti Regis Ludovici, Italo ſermone conſcripſit, ubi ſic habet: *E cedè la dignità in Ridolfo Contè de Auſpurg; beneficio da cui riſcoſſe credito, poi che la grandeza de tanti Corone Imperiali come la pieta di Ridolfo ha meritato di mettere nella ſua Auguſtiſsima Caſa de Auſtria, ſono venute ad eſſere honore de la deſcendēza de lo ſteſſo Re Alfonſo.*

3 Fuit autem (ſecundùm eoſdem) Rudolphi electio facta in die Divi Michaelis III. kalend. Octob. anno Domini M. CC. LXXIII. & Coronatio apud Aquiſgranum in die D. Lucæ eiuſdem anni. In qua, ut poſt alios tradit Nicolaus Vernuleius, cum Imperij Diadema ſuſciperet, Sceptrumque in promtu non eſſet, interim dum à Miniſtris apparabatur, Crucem ex aris arripiens, dignam ſe vocem edidit: *Hoc Signum eſt, quo genus hominum, & Nos redemti ſumus, hoc Ego Sceptro in omnes mihi, & meo Imperio infidos utar.* Quod ſemper, & paſsionē Chriſti, quæ in eo repræſentatur, religioſiſsimè venerabatur; adeò, ut teſte Cuſpiniano, in ſexta Feria, quæ dies eſt Veneris, Paſsioni Chriſti dicatus, cum hoſte manum conſerere conſueverit, Votumque Deo fecerit, ſi victoria contra Othocarum Bohemiæ Regem potiretur, ſe ſe in honorem Sanctæ Crucis, novum extructurum Cœnobium, prout in ſigni, & ferè miraculoſa victoria potitus, ſe reum voti agnoſcens in Tulna Auſtriæ oppido, Monialibus (quod hodie durat) ſub titulo Sanctæ Crucis, & in eius honorem extrui fecit, & amplis donariis cenſibuſque dotavit. Sic Nobis ad præſens Emblema confingendum occaſionem præſtans; & Poſteris ſuis, reliquiſque Chriſtianis Principibus exemplum, & documentum, ut intelligant, nullum Sceptrum excellentius, præſtabiliuſque eſſe poſſe, quàm quod in Cruce Chriſti firmatur, & ad veram eiuſdem imitationem, & Religionem dirigitur.

Vernul. in lib. de virtut. Dom. Auſtr. cap. 2.

Cuſpin. in Rudolf.

4 Eſt etenim, & eſſe debet omnis Chriſti actio noſtra inſtitutio, omniumque Regnorum, & Conſiliorum gubernaculum lex divina, ut benè monuit Divus Cyprianus, & iuxta doctrinam D. Paulini, Chriſtus Chriſtique Crux,

D. Cypr. in epiſt.

D. Paulin. in Poemat. pag. mihi 471

Ipſa Pietas, ipſa Iuſtitia eſt.
Hic veritatis lumen eſt, vitæ via;
Sol æquitatis, Fons bonorum, Flos Dei.
Et argumentum mutuum eſt
Pietatis eſſe Chriſtianum, & impij,
Non eſſe Chriſto ſubditum.

5 Quem locum referens Albanus Spinaſatus addit, quod Socrati ferunt ab Indo quodam affirmatum, vix quemquam res humanas poſſe pernoſcere, qui non apprimè coniunctam divinam quoque notionē, & venerationem habeat. Vnde non in Sacris ſolùm, ſed & profanis in legibus habemus, inſanos & helleboro dignos, cenſendos eſſe, qui non ritè divinis ſunt initiati, & mancipati,

Spinaſ. in Polit. lib. 1. cap. 1.

Quod

Quid enim tenere bonum, aut verum queant,
Qui non tenent ſummæ caput,
Veri boniquefomitem & fontem Deum,
Quem nemo niſi in Chriſto videt?

Syneſius in Orat. de Regn.

Vel qui aureum illud præceptum Syneſij rectè cum noſtro Rudolpho non percipiunt, *Pietas primum ſubſternatur fulcrum & crepido, cui firmiter inſiſtat ſtabilis imago Imperij.*

Novella Theod. & Valen. ſub tit. de Iudæis.

Idemque ipſum agnoſcentes Theodoſius & Valentinianus Impe- 6
ratores, nō ſolùm ſibi, verùm & ſuis in Imperio ſucceſſoribus, hoc veræ Religionis tuendæ, & ſequendæ præceptum, potiùs quam conſiliū, his verbis iniungunt: *Inter cæteras ſolicitudines, quas amor publicus pervigili cogitatione nobis induxit, præcipuam Imperatoriæ Maieſtatis curam eſſe perſpeximus veræ Religionis indaginem, cuius ſi cultum tenere potuerimus, iter proſperitatis humanis aperimus inceptis. Quod uſu lōgæ ætatis experti, piæ mentis arbitrio, ad poſteros uſque, perennitatis iure fundare decrevimus ceremonias ſanctitatis. &c.* Qua cum lege, illa altera Conſtantij Imperatoris conſentit, ubi ita ſignanter ſcripſit: *Gaudere, & gloriari ex Fide ſemper volumus, ſcientes magis Religionibus, quàm officijs, & labore corporis, & ſudore, noſtram Rempublicam contineri.* Neque abeſt alia Iuſtiniani, quæ in eodem ſtudio ſui Imperij munimentum conſtituit, ſic inquiens: *Nos omni providentia Curam Eccleſiarum gerimus, per quas, & Imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas res per clementiam Dei ac gratiam muniri exiſtimamus.* Ad quas leges veluti reſpiciēs Auguſtiſsimus & Religioſiſsimus Rex ac Dominus Noſter Philippus IV. quem Deus in commune totius Chriſtianæ Reip. bonum Nobis per plures annos incolumen ſervet, in gravi ac pio illo Decreto cuius in Epiſtola Dedicatoria mentionem feci, dum ſuis Cōſiliariis, & Magiſtratibus delictorum punitionem, & Divinæ legis præciſam, & indiſpenſabilem obſervationem iniunxit, illam proteſtationem, ſemper menti tenendam, & aureis litteris conſcribendam, adiecit: *Pues mas quiero perder todos mis Reinos juntos, guardandola, que recobrar quanto ſe ha perdido, ſi ha de ſer con rieſgo de piſar la raya de los Divinos Preceptos.*

Conſt. Imp. in l. in qualibet, C. de ſacroſanct. Eccleſ. in Theod.

Iuſtin. Imp. in Novel. 42. de Epiſc. & Cler.

Idē habetur in epiſt. inter Claras, ſive l. 3. C. de ſum. Trin. & Fide Cath.

Sed quid miremur, ſi Chriſtiani ita ſenſerint vel cenſuerint Princi- 7
pes, cum & Ethnici, licèt falſis Numinibus dediti, in eorundē quoque cultu, totam ſuam fœlicitatem collocaſſe legantur. Etenim ſic de Græcis Ariſtoteles habet: *Deinde, quòd & conſentaneum ſit, Deos immortales benevolentiores eſſe in eos, qui maximè illos colunt.* Et de Romanis Livius: *Omnia proſpera eveniunt colentibus Deos, adverſa, ſpernentibus.* Et melius Valerius Maximus, qui incrementa Imperij ipſorum, ob hanc Religionis, vel in parvis curam, contigiſſe, ſic docet: *Non mirum igitur, ſi pro eo Imperio augendo cuſtodiendoque pertinax Deorum indulgentia ſemper excubuit, quod tam ſcrupuloſa cura, parvula quoque momenta Religionis examinare videretur.*

Ariſt. in lib. Rhet. ad Alex. cap. 3.

Livius lib. 5. Decad. 1.

Valer. Max. lib. 1. cap. 1. n. 8.

Halicarn. lib. 1. ant. Rom.

Et apud Dionyſiū Halicarn. legimus, Pythium oraculū, Dardano 8
Cōſulēti de urbis, quā condere parabat, auſpiciis fœlicib^9, reſpōdiſſe

In urbe quam conditis, Deo cultum incorruptum ſemper
Statues, & obſervantia coles, ſacriſque choriſque.
Nam dum hæc veneranda in veſtra regione fuerint
Dona Iovis virginis coniugis tuæ, iſta urbs tibi
Fiet inexpugnabilis in perpetuum omnes dies.

9 Quod reapſe ſemper impletum fuiſſe, Gentilium hiſtoriis omiſsis, qui vel Deam Veſtam pro fulcimento Regnorũ habebant, quòd apud ipſos Religionis ſymbolũ eſſet, ut ex Plutarcho & Servio colligitur; ſatis nobis Sacræ demonſtrãt, in quibus videmus, pro Deo, & vera Religione pugnantes, licet pauciores numero, nunquã non de ſuis hoſtibus glorioſos triumphos reportaſſe, ut in Abrahamo, Moyſe, Ioſue, Gedeone, Samuele, Davide, Ezechia, Ioſia, & Machabæis animadvertere licet, quorũ in libro hac de cauſa ſic dicitur: *Manu quidẽ pugnãtes, ſed Dominũ cordibus orãtes proſtraverũt nõ minùs triginta quinq; millia.*

Plutarc. in lib. de fort. Rom. Servi⁹, & alij in illud Virgil. 1. Æneid. *Carta fides, & Veſta.*

Machab. 15. 27.

10 Quod in lege etiã Gratiæ contigiſſe, Magni Conſtantini victoriæ contra Maxentiũ, Maximinum, Licinum, & alios oſtendunt. In quarũ prima, Crucis ſignum cœlitus ſibi apparuiſſe, Euſebius, & alij apud Baronium teſtantur, hoc Elogio, repetitis vicibus ac vocibus addito, *In hoc Signo vinces*. Magni etiam Theodoſij, cuius inſignis Pietas & Religio promeruit, ut parva manu ingẽtes Eugenij Gallorũ Regis, aliorũque Barbarorum copias fugaverit, non tam ſuis auſpiciis, quàm ope & præſidio obortæ tẽpeſtatis, ventis cõtra hoſtiũ aciem validè ſævientibus, ut præter plures alios, eleganter Claudianus ita ſcriptũ reliquit:

Euſeb. Zonar. Niceph. Tripart. & alij ap. Baron. ann. 312. pag. 68.

Claud. in Paneg. Honorij.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adverſas acies, revolutaque tela,
Vertit in authores, & turbine reppulit haſtam:
O nimium dilectè Dẽo, cui fundit ab antris
Aeolus armatas hiemes, cui militat Æther,
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Aug. de Civ. Dei, lib 5. c. 36. Crinit. de Poet. Lat. c. 84. Baron. ann. 394. pag. 686.

Hæc enim carmina de Theodoſio, non de Honorio loqui, (ut aliqui perperam putant) benè, poſt D. Auguſtinum, Crinitus, & Baronius animadvertunt: licèt verum ſit, vel ipſo Auguſtino teſtante, eundem etiam Honorium, qui planè Catholicus fuit, & Romano Pontifici addictiſsimus, cum pro eo dimicaret, ſupra centum millia hoſtium uno prælio proſtraſſe, & Regem cum filiis captum, & occiſſum vidiſſe.

D. Auguſt. d. lib. 5. cap. 23.

Socrat. lib. 7. Hiſt. Eccleſ. cap. 18.

11 De Theodoſio quoq; Iuniore ſcribit Socrates, quòd cum adverſus Perſas bellũ gereret, Angeli, Dei iuſſu, pro eo dimicarũt, Saracenoſq; turbarunt, & circiter centũ millia, eorum in Euphrate ſubmerſerunt.

Ioſeph. Steph. in tract. de vni. Relig. c. 17. Marlian. Th. Poly. 29. & 30. & Ego de Ind. iur. tom. 1. lib. 2. c. 21. ex n. 4.

12 Poſſemque plura alia hac in rẽ exempla referre, quæ apud alios obvia ſunt, niſi hæc de externis ſufficerent, & tot tãtaque interna noſtra in Hiſpania legãtur, in bellis, quæ *De las Navas de Toloſa, De Clavijo. De Simãcas, Del Salado*, & aliis quam multis cõtra Mauros ſuſceptis; & fœliciſsimè ſub auſpiciis D. Mariæ Virginis, & B. Patroni noſtri Iacobi Zebedæi triũphatis; quæ ſatis aperiũt, quã verè D. Paul⁹ dicere potuerit, *Qui enim per Fidẽ devicerũt Regna, hi fortes facti ſunt, caſtraverterũt*

Mariana in Hiſtor. Hiſpan. Saaved. in Id. Polit. ex pag. 175. & noviſsimè Noſter Salazarius.

F *exte-*

exterorum; & Ambroſius Marlianus, poſtquàm hoc idem argumentũ latè duobus capitibus preſsit, hiſce illa diſthichis claudere:

Marlian. in Th. Pol. c. 29. & 30.

Principis æterni ſacros venerare Miniſtros;
Tunc tibi perpetuum cælitus auxilium.
Qui colit Eccleſiam fœlici navigat aura,
At qui contemnit, tendit ad exitium.

Quod non latuit Theodoſium Magnum, qui parta victoria, de qua 13
modo loquuti ſumus, in morbum delapſus, cum filiis imperium diſtribueret, eos veram Pietatem colere hortabatur, conſtanter aſſeverans: *Ea & Pacem conſervari, bellum extingui, hoſtes in fugam verti, trophæa erigi, & victoriam denique conſtare.* Non ſecus atque Ioſue, etiam morti vicinus, ſuos, ſi in Dei Fide & Religione perſeverarent: *Nullus* (dicẽs) *vobis reſiſtere poterit, unus è vobis perſequetur mille viros, quia Dominus Deus veſter pro vobis ipſe pugnabit.*

Ioſue 13. & 20.

In quorum imitationem Rex Noſter D. Philippus II. non minùs 14
Pius, quàm Prudens, ut recolit Vernuleius, iamiam moriturus, hanc vocem ultimã, verèque Chriſtianam pronunciaſſe perhibetur: *Vnum eſt, quod me meritò reficit, & cuius ſola contemplatione moriens oblector, quòd in Catholica Fide, Maiorumque Religione, quòd in Catholica Eccleſia, quòd in Supremi Romani Pontificis obedientia morior, & conquieſco.* Quæ vox ſimilis eſt clauſulæ teſtamenti Ioannis Samoſci, Poloniæ Maximi Cancellarij, quam meritò valdè laudat Ioannes Vvoverius Antuerpienſis, & Ego omnium Catholicorum teſtamentis inſeri cuperẽ, qui cum ſe in Fide & Eccleſia Catholica vixiſſe, morique, teſtatũ facere vellet, ſic adiecit: *Illa nempè, illa, quæ non modo tot Regũ, ac Principum, ſed quòd longè præclarius eſt, omnium Sanctorũ communis Mater; & in cuius gremio mori fœlicius eſt, quàm ab initio naſci, cum non naſci ſatius ſit, quàm in hac non mori.*

Vernul. in Apol. progen. Auſtr. c. 17. pag. 298.

Vvover. in defenſione Donarij Lipſiani, in fine.

His ergo monitis & exẽplis Principes animadvertant, quæ præmia 15
Religioſos, & Chriſtum ſequentes, Chriſtique Crucem pro Sceptro habentes, in hoc, & in alio ſæculo maneãt: & ex adverſo, quot damna, quot miſerias, qui ab hac orbita diſcedunt, incurrant. Nam dũ contra Religionem Catholicã, hæreſes, & errores ſequuntur, aut tutantur, ſibi inobſequentes ſubditos experiuntur; colluviem, & innundationem Regnis ſuis invehi vident, leges ſuas, & iudicia contemni, ditiones ſuas turbari; & tumultus bellicos in ſe oriri.

Neque ullo modo aures præbeant ijs, qui in materia Religionis ali- 16
quam eiſdẽ conniventiam, vel diſsimulationem ſuadeant: nam cũ hæc in aliis ferè omnibus humanis rebus crimine vacare non ſoleat, in his certè, quæ ad cultum Divinũ, tranquillitatẽque, & incolumitatẽ Reipublicæ pertinent, ſummũ, & in admiſsibile piaculum continet, & vel ipſis Regnis nocentiſsimũ, quæ hoc medio pacari, vel conſervari curãtur. Cum Dei verbũ deficere non poſsit, quo, Iſaiæ ore, nos admonet: *Gentem, & Regnum, quod non ſervierit Deo, periturum, & quòd gentes ſolitudine vaſtabantur.*

Iſaiæ 50. 12.

Ideòque procul amandari debet Bodinus, Vvaremundus, Vurm- 17

ſerus,

ſerus,& hæretici alij,qui paſsim ſuis ſcriptis docere,& vociferari non deſinunt, diverſitatem Religionum, & Conſcientiarum, quam vocant, Libertatem, Græcè *Autonomiam*, in Regnis & Rebus publicis conducibilem,& permiſsibilem eſſe.Quos contra,nō minùs piè,quàm eleganter,plures alij ex Catholicis declamant,&exclamāt;præſertim Fabius Albergatus,Iuſtus Lipſius,ſe,dum alicubi cōtrarium dixit,excuſans,Nicolaus Vernuleius,&Magiſter Marquez,Catholicam Fidē, & Sanctæ Eccleſiæ unitatem, & veritatem aſſerentes, multiſque rationibus,& exemplis validè propugnantes.

Bodin.lib.3.de Repub.c.7. Vvarem. in tractatu de fœder.Danæus lib. 2. Eth. Chriſt. cap.7. Lipſ.in Polit lib.4. &alij apud Mager. de Advoc. arm. c. 16.n.593.

18 Inter quæ digna notatu relatuque ſunt illa, quæ ex hiſtoriis D.Ludovici Galliarum Regis, Godofredi Lotharingij, & Bullionis cōmemorat Lipſius.Et vice omnium eſſe poteſt pijſsimum illud,& nobiliſſimum Caroli V. qui vel ipſis hæreticis aliiſque referētibus,apud Camillum Borrellū,cum ſæpius in Germaniæ Conventibus ſuper hac re habitis, de toleranda Autonomia rogatus fuiſſet, ſemper conſtanter reſpondit: *Decrevi omnino omnia Regna mea, Imperium, Potētatus, Amicos meos, corpus & ſanguinem, vitamque & animam meam exponere, quā talem licentiam dare, vel pati, ut pravum hoc incœptū proſerpat ulterius.*

Alberg.in Antibodino, Lipſ. lib. de una Relig. Marquez inGub.Chriſtia.lib.2.pag.171. & ſeqq. latè Paramus de orig. Inq. lib.2. tit.3. c.7. & Ego 2.de Ind.Guber.lib.3.c.26.n.2.

19 Et licèt Andræas Knichen,& Martinus Magerus, de hac pace,quā ipſi *Religioſam* vocant,agentes,aſſerere videantur,Imperatorem Ferdinandum Primum, Caroli fratrem, hanc ſibi tolerantiæ formulā divinitus in mentem datam, crebris ſermonibus ante obitum uſurpaſſe. Ego tamen id credere nolo,cum Auſtriacum Hiſpanumque ſanguinē, ſibi contrarium ſuggerentem,habuerit,& ignorare nō poſſet, indignū eſſe,Divinum cultum ad libertatem quoque vocari, quaſi ſervitus ſit, uno ſenſu, atque uno ritu Deum colere: qui ſicut unus eſt,ita una Fides,& Religio eſſe debet.

Lipſ. in monit. & exemp .lib.1. cap. 2. n.2.

Borrell. de præſt. Reg.Cath.cap.42. num.73.

Knichen de Sax. non prov.iur. c.2. n.89.Mager.deAdvoc. arm. d. c.16.

20 Hocque præ oculis habuiſſe Siſebutum olim, & poſteà Ferdinandum & Eliſabetham ſuos Progenitores,qui ob candē cauſam Iudæorum fecem,in ſuis Regnis non permiſſerunt.Prout nec Maurorum reliquias ultimis hiſce temporibus Pijſsimus Rex Noſter Philippus III. ſpretis divitiis,& aliis utilitatibus,quas ex eorundē toleratione cōſequebantur,ut latiùs recolunt Auctores à Me alibi diligēter congeſti. Omnes ſanè rectiſsimè cum eiuſmodi in cauſis *Libertas* (ut alias dixit D.Ambroſius) *libertate perire ſoleat*; nihilque aliud ſit Religiones plures habere,quam nullam omninò Religionem habere.

Ego 1.tom.deInd. iur. lib.2. c.16. ex n.112 & cap. 19. ex n.92.

D.Ambr.lib.2.ep. 7.Ego 2 to. lib.1. c.4.n.122. & 123.

21 Vnde etiam Ethnici hanc uniformitatem Religionis, vel primam ac vetuſtiſsimam legem Imperij faciunt,ut ex Cicerone, & aliis colligitur:& Mecænas,quem refert Dion Caſsius, hoc conſilium Auguſto dedit: *Deum ſemper, & ubique cole, ut moribus Patriis receptum eſt. Ad eundem cultum alios compelle, Peregrinarum verò Religionum Auctores odio & ſupplicio proſequere.*

Cic.2.de legib.Halicarn.lib.2.Polib. lib 6.

22 Quod conſilium,in vim præcepti, in noſtra Hiſpania Regibus iniūctum fuit in ſexto Concilio Toletano,iam inde ab anno Chriſti 638. ubi decernitur,ut quiſquis ſuccedentium temporum Regni apicē ſortiretur, non ante Regiam Sedem conſcenderet, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta polliceretur,nullum ſe,non Catholicū,per-

Dion.lib.52.

miſſurum in ſuo Regno degere. Si verò poſtquàm ad Regni gubernacula acceſsiſſet, huius ipſe temerator exiſteret promiſsi, eſſet anathema in cõſpectu Sempiterni Dei, & pabulum efficeretur ignis æterni.

D. Leo epiſt. 26. & 31.

Quò & reſpiciens D. Leo Papa, tantùm abeſſe oſtendit à Regnorũ quiete & ſalute, hanc in Religione relaxationem, ut potius eandẽ omninò turbet, atque peſſundet. Prout in Germania, & aliis Provinciis, noſtris (heu) calamitoſis, peccaminoſiſque temporibus cõtigiſſe videmus, in quibus, ut graviter refert ac dolet Vvarſervicius, dum de Religione certatum, Regio; dum de cœlo, terra amiſſa eſt. 23

Vvarſerv. in paradig. pag. 9.

Optat. Milev. relatus & laudatus ab Ant. Fab. in Iuriſp. Papinian. pag.

Lactant. Firmian. in Cath. inſtit.

Noſtri ergo Rudolphi exemplum Reges ſequãtur, illudque Optati Milevitani in memoriam revocantes, ſciant, *Et Religionem in Republica, & Rempublicam in Religione eſſe oportere.* Et hanc quidem Catholicam, ſolam ac ſolidam, ut pluribus docet Lactantius Firmianus, ſic inquiens, & finiens: *Sola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet: Hic eſt Fons Veritatis: Hoc eſt Domicilium Fidei; Hoc Templum Dei: quò ſi quis non intraverit, vel à quo ſi quis exiverit, à ſpe vitæ ac ſalutis alienus eſt.* 24

Quod ſanè nullo alio meliori modo conſequi, firmiuſque retinere valebunt, quàm ſi Chriſti Cruci hæreant, & innitantur, illamque pro Sceptro ſui culminis, ut noſter Rodulphus dixit, & fecit, ſemper habeant, & revereantur. Conſtantinũ Imperatorem ſequuti, qui in memoriã illius auxiliaris, ſibi cœlitus (ut diximus) demonſtratæ, eandem poſteà ſuper ſuam Coronã appoſuit, & militaribus vexillis, quæ *Labarà* dicta fuerunt, affigi mandavit, ut plures paſsim Auctores teſtãtur, eorum formam, & nominis cauſam, latiſsimè deſcribentes. 25

Lipſius de Cruce, lib. 3. c. 15. Boſsius eod tract. lib. 6. c. 13. Gyral. Dialog. 25. Roa ſing. locor. lib. 1. cap. 14. Noſter Domin. D. Laur. de Prado in notis ad Luitprãd. & alij paſsim, & noviſsimè Hiping. de iure inſig. cap. 17. ex n. 351.

Baron. ann. 394. num. 10.

Magnus quoque Theodoſius bella initurus, nullum ſibi ad hoſtium offenſionem gladium, vel ad ſui defenſionem, ſcutum præſtãtius invenit, quàm ſi una in manu Crucẽ, in alia librum Evangeliorũ portaret, propter quam Pietatẽ, & Religionẽ tot victorias promeruit, &, quòd plus eſt, Divos Ioannem & Philippum Apoſtolos ſibi apparẽtes, atq; ob eandẽ in omnibus dirigentes, eo modo ac forma, quæ ex veteri numiſmate colligi poteſt, quam, & totum hoc, ultra alios, recenſet Eminentiſsimus Cardinalis Baronius, quem pro multis citare ſufficiet. 26

Lipſius de Cruce, Gretſer. & Boſsius eod. tract. Thom. Bozius de ſig. Ecc. Beyerling. in Th. lit. C. ex pag. 621. Marq. in Gubern. Chriſt. pag. 180. & 181. Camerar. 3. tom. ſubceſ. pag. 269. 274. & 275.

In quorum Magnorum Principũ imitationem, alij ſubinde Reges & Imperatores, tantum honoris, & reverentiæ Cruci tribuerunt, ut ſuas ipſi Coronas ſubmiſſerint, multique eadẽ pro Sceptro, etiam in triumphis, uſi legantur, ut noſtrũ Rudolphũ feciſſe diximus, & alij ſuis Capitibus, & Imperatricũ frontibus ſuperpoſuerint; & in galeis, in clypeis, in diadematibus, veſtibus, purpuris, Imperialibus globis, pectoribus, monetis, pluribuſque aliis modis portaverint, ſeu inſculpi fecerint, de quibus latè agunt Auctores, qui de ea ſcripſerunt. Inter quos Iacobus Boſsius oſtendit, multis etiam ante Conſtantinum temporibus, in omnibus ferè Romanorum vexillis, & claſsibus, Crucis formã quodammodo adumbratam fuiſſe, & hinc haud mirandam eſſe eorundem fœlicitatem, qua, licèt cauſam ignorarent, tot mari, terraque victorias adepti fuerunt; atque orbem terrarum penè univerſum ſuo Imperio ſubegerunt. 27

Quamobrem, de impij Iuliani Apoſtatæ iniquitate, qui labarum 28

cor-

corruperat, Chriſti nomine, & Crucis imagine, quã Conſtãtinus addiderat, ſublata, meritò queritur D. Gregorius Naziãzenus, ſic inquiẽs: *Eoque audaciæ prorupit, ut adverſus magnum vexillum illud præceps ferretur, quod ſolvendorum laborum vim habet.*

> Nazianz in orat. cõtra Iulian. Apoſtat.

29 Et ex adverſo laudandus venit Iovinianus, qui eidem Apoſtatæ in Imperio ſucceſsit, & Chriſtianitatem renovavit, dũ pro ſymbolo ſumſit, *Scopus vitæ meæ Chriſtus*, ut Nicephorus, & Socrates, referunt. Et non minùs Convallus XLVII. Scotorum Rex, qui ut Leslæus refert, inter cætera ſuæ pietatis ſigna per illuſtria, ad amorem Chriſti Crucifixi ſuorum animis inſerendum, eius Crucem in arcibus oppidiſque collocandã, ſtudioſè curavit, ſibique, quòcunque iret, illã ex argento affabrè factã, præferri voluit. Cui & equum aſcenſurus, oſculũ ſuaviter imprimebat. Severo itẽ edicto prohibuit, nequis eã humi, ita ut pedibus teri, conculcarivè poſſet, aut fingere, aut pingere auderet.

> Niceph. lib. 10. c. 39. Socrates lib. 3. cap. 22.
>
> Leslæus hiſt. Scot. lib. 4.

30 Quod ultimum, Civili quoque iure, & Regio noſtro Hiſpano ſtabilitum eſt. Primũ verò illud, de Cruce ante ſe deferenda, ſolùm in Romanis, & Metropolitanis Pontificibus manſit, & ſi anteà, tam in noſtra Hiſpania, quàm alibi, moris fuiſſet, Cruces ante Principes, & Imperatores deferre, & Sacros (quos vocabãt) eorũ in aliquas urbes advẽtus, Crucibus, & Reliquiis Sacris excipere, cũ Clero proceſsionaliter procedente, ut latè Gretſerus, & alij proſequuntur, & Guntherus ſatis inſinuat, dũ de ſuſceptione Friderici Imperatoris apud Heinenſes agẽs, ſic canit: ------- *Suo cum Præſule Clerus,*
Veſtibus ornati nitidis, pretioſa ferentes
Signa Crucis.

> L. unic. C. nemini licere ſig. falvat. l. 5. tit. 28. part. 7. l. 3. tit. 1. lib. 1. Recop.
>
> Gruter. de Cruce, lib. 2. c. 31. Beierl. in Th. lit. C. pag. 640.
>
> Gunth. in Ligur. lib.

31 Et expreſsius pijſsima, & lectu digniſsima Sanctio Regis Noſtri Ioannis huius nominis Primi, ubi morẽ hunc deinceps aboleri, atque intercipi iubet, iuſtius ſanctiuſque eſſe cenſens, Reges ipſos prius in Eccleſiam ad Crucem venerandam procedere, quàm ab eadẽ Cruce præiri. In cuius ſola gloria iuxta D. Pauli conſilium, Chriſtiani Reges gloriari debent. Quod Marcus Antonius Muretus, præter alia de laude & triumpho Crucis elegantiſsimè decantata, ſic extulit:

Gentes nulla quibus notitia eſt Dei,
Armis, Imperio, prole ſuperbiant:
Nobis, queis melior ſpiritus obtigit,
Sola eſt in Cruce gloria.

> L. 7. tit. 1. lib. 1. Recop.
>
> D. Paul. ad Galat. 6. *Nos autem gloriari, &c.*
>
> Muret. in Hymn. 5. Crucis.

31 Cuius etiam eximiã venerationẽ oſtendere volentes Imperatores Conſtantinopolitani, ut ex Curopalata, & aliis Novarinus obſervat, ſemper atque in publicum procedebant, in dextra Crucẽ ferre cõſueverunt, in ſiniſtra verò involucrũ quoddã mantili ligatum, quod Nos *Mortaja* vocamus. Probo hoc nexu Crucis in dextra, Regni verum, & proprium Sceptrũ, (ut noſtrũ habet Emblema) veriq; Regis characterem ac notam ſignificare volentes: Mantilis autem in ſiniſtra, quòd cultor Crucis Imperator, rerum humanarum inconſtantiam ob oculos habere debeat, humilemque animum induere, culminum inſtabili-

> Curopal. de offic. mag. Ec. Conſtan. cap. 6. n. 36. Novarin. in elect. ſacris, lib. 2. exc. 9. pag. 194.

tatem,mundanæque gloriæ vertiginem conſiderans, Crucem amans, Crucem ferens,ſub Crucis vexillo militans,Chriſto Crucifixo vivens immorienſque.

Quod Glorioſis,& ſemper æquè Potentibus,ac Piis Hiſpaniæ noſtræ Regibus pluribus ſuadere neceſſarium non eſt, cum tanta ſemper in obſequiũ Crucis Religione flagraverint,eiuſque imaginem à cœlo demiſſam pro ſtemmate,& pretioſiori Auri flamma,quàm illa, de qua Galli tantopere gloriantur,iam inde ab antiquis temporibus, & ante Chriſtũ natum portare cœperint;& ſæpius ſub glorioſis eiuſdẽ Crucis apparitionibus Pelagius Infans, Innicus Ariſta, Garſias Eximenius, Alfonſus Magnus,Alfonſus Caſtus,Alfonſus Luſitanus,Iacobus Aragonẽſis Primus,& præclari alij Hiſpanorũ exercituũ Duces, inſignes adverſus Mauros, & alios infideles, variis temporibus ac locis victorias conſequuti fuerint. 32

Vald. de dig.Reg. Hiſp.cap.15. ex n. 15.& c.16. ex n.4

Boſsius de Cruce, lib.6.c.15.ex pag. 651.

D.Ambr.deCruc. Chriſt. ſer. 56. Iuſtin.in Apol.2.pro Chriſtian.

In quibus omnibus ſigillatim recenſendis, nõ gravatè immorarer, niſi id iã diligentiſsimè præſtitiſſet, & graviſsimis teſtimoniis cõprobaſſet Noſter Didacus Valdeſius,& poſt eum noviſsimus Iacobus Boſſius,ubi Crucis, quæ Eximenio,& Ariſtæ apparuit, formam appingit. Qua,ut tandem cum D.Ambroſio, & Iuſtino Martyre finiã, ſcinditur mare,terra colitur,cœlum regitur,homines conſervantur,& præcipuè Principatus oſtenditur; Principũque in rectas actiones animus gubernatur, ut noſter Rudolphus ſuo facto ac dicto nos docuit, & ex Iſacci typo ſuper humerũ ligna,quibus immolãdus erat portantis,his elegãtiſsimis verbis D.Auguſtinus expoſuit: *Quod vero Iſaac ipſe ſibi ad immolandũ ligna detulit, & in hoc Chriſtum Dominum figuravit, qui ad locũ paſsionis Crucẽ ſuam ipſe portavit. De quo Myſterio multo ante dictũ fuerat per Prophetã, & erit inquit Principatus eius, ſuper humerũ eius. Tunc enim Chriſtus Principatum ſuper humerũ eius habuit, quando Crucẽ ſuam admirabili humilitate portavit. Non incongruè Crux Chriſti ſignificat Principatum; nam per ipſam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Chriſti notitiam, vel gratiam revocatur.* 33

D.Proſp.de vocat. Gent.lib.2.c.16.

Idem Proſp. lib.de ingrat. Leo Papa, Eucher.Iuſt.Mart. Beda, Baron.& alij apud Me 1. to. lib.1.c.14.ex n.25 & lib.2.cap.21.ex num.4.

Quòd re ipſa impletum videmus,cum iuxta D.Proſperi Aquitanici obſervationẽ in libro de vocatione Gentium,quem aliqui eidem Auguſtino tribuunt: *Gratia Chriſti non fuerit contenta eoſdem limites habere, quos Roma, cum multos iã populos Sceptro Crucis illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit, quæ tamen per Apoſtolici Sacerdotij Principatum, amplior facta eſt arce Religionis, quàm ſolio poteſtatis.* Quod & iterum ipſe Proſper ultra plures alios, qui eandem conſiderationem faciunt, his carminibus repetit: 34

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput Mundi, quicquid non poſsidet armis
Religione tenet.

Sit ergo primum & præcipuũ Regum documentum,& fundamentũ Religionem colere,Crucem venerari, & in ipſa ſola gloriari, hoc enim,quicquid hæretici blaterent,eorum glorias victoriaſque non deprimit, ſed ſublimat,ut egregiis & aureis planè verbis Divus Gre- 35

go-

gorius admonuit Davidem Regem coram Domini Arca ſaltantem, exaltans, & hanc pietatem præ omnibus illius triumphis valdè commendans.

D.Gregor. lib.27. Moral.cap.27.

36 Quo loco relato, doctè & piè, ad rem noſtram, concludit Chilenſis Epiſcopus: *Nil tam Regale, perinde ac Religioſum eſſe.* Statim tamen prudentiſsimè admonens, ne Reges ſibi blandiantur, quòd Chriſtianã Fidem ſequantur, atque defendant, vel etiam Chriſtianiſsimorum, aut Catholicorum, Fideivè Defenſorum, titulo gaudeãt, ſi & ipſi Chriſtianè non vivant, Fidemque, quam profitentur, piis ac Chriſtianis operibus atque actionibus comitentur. Alioqui incident in reprehenſionẽ, quam idem D. Gregorius alio loco non minùs eleganter ſubiungit, ſic inquiens: *Sed eſſe quidam negligunt, quod dici gloriantur: inſequũtur honoribus quod credulitate venerantur. Quibus divino iudicio ſæpè cõtigit, ut per hoc, quod nequiter vivunt, & illud perdant, quod ſalubriter creduñt, & in illis illud Davidicum impleatur, Exinanite, exinanite Ieruſalẽ uſque ad fundamentum in ea, &c. Sicut enim ſupra fundamentum fabrica, ſic ſuper Fidem opera conſtruuntur. Vſque ad fundamentum ergo exinaniſſe, eſt, everſo benè vivendi opere, etiam robur Fidei diſsipaſſe.*

Epiſc.Chilenſ. Villaroel in lib. Iud. c.9.n.12.pag.324.

D. Gregor. lib.25. Moral.cap.10.

David Pſal.136.7.

37 Cum quo loco mirè convenit ille alius D. Ambroſij, qui eodẽ exinaniendi verbo uſus, Sacerdotes admonet, ut ſuſcepti muneris memores, nomen quod habent, operibus impleant, & actione potius, quam nomine demonſtrent, ut hoc modo: *Nomen congruat actioni, actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane, & crimen immane.* Neque abludit Caſsiodorus, dùm in ſimili ait: *Sumſiſti nomẽ ex meritis: Cuſtodi ut ſemper læteris veritate vocabuli. Nam cum omnis appellatio ad declarandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt, portare nomen alienũ, & aliud dici, quàm poſsit in moribus inveniri.*

D.Ambr. in lib. de dignit. Sacerd. c.3.

Caſsiod. lib.8. epiſtol. 18. optime Peluſiano, lib.4. epiſt.34.

38 Vnde quod in noſtro Emblemate dicimus, Regum præſtabilius Sceptrum Chriſti crucem eſſe, non ſolùm de ea accipiendum eſſe (ut aliud agens dixit Maximus Tyrius) in qua paſsionis tempore Chriſtus pependit; ſed quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus cooptatur, & piæ vitæ propoſitum, ſecundùm Evãgelij leges, tenet, & implet, in quo non ſolùm Chriſti Crucem baiulare, ſed ipſum Chriſtum ſequi de neceſsitate ſalutis iubemur. Et hæc verè eſt Crux, quæ à D. Damaſceno Clavis Paradiſi vocatur, hæc infirmorum baculus, Paſtorum virga, convertentium manuductio, proficientium perfectio, animæ ſalus & corporis, omnium malorum averſio, omniũ bonorum datrix, cæcorum Dux, pauperum conſolatio, arbor reſurrectionis, lignum vitæ æternæ, antiquique illius draconis, cuius virus totum humanum ſanguinẽ fecit, cluſio, & expiatio. Vt ita cum Prudentio inſultare, illi liceat:

Maxim. Tyr. in ſermon. de Martyr.

Matth.10. Luc.14.

Damaſc. lib.4. & Caſs. Pſal.4.

Prudent. in Hym. de Cruce.

O tortuoſe ſerpens	*Diſcede, Chriſtus hic eſt,*
Qui mille per Meandros	*Hic Chriſtus eſt, liqueſce:*
Fraudeſque flexuoſas	*Signum, quòd ipſe noſti,*
Agitas quieta corda.	*Damnat tuam catervam.*

(✠)

Hominum Regimen Deos poſcit.

EMBLEMA XI.



Quis Grex? Sunt homines: Paſtor? Cyllenius almus.
Hic paſtus Numen poſtulat, atque decet.
Qui regit, & paſcit Mortales, Numinis inſtar
Se gerat; haud aliter; qui regat, aptus erit.
Grex populus, Princeps Paſtor, Sceptrumq; bacillus.
Rex ergo paſcat, dirigat, atque regat.

COMMENTARIVS.

NON ſine cauſa Pietatis, Religionis, aliarumque Virtutum Satellitium in Regibus ac Principibus requiri, in ſuperioribus inſinuavimus; cũ munus quod ſuſtinent tale tantumque ſit, ut vel Deos, vel Divinam quandam indolem, ad perfectum ſui implementum deſiderare, prudens Antiquitas admonuerit, Mercurium Populorũ, Hominumque Paſtorem faciens ac colens, ut in præſenti Emblemate vides, cui & prudentiæ, atque eloquentiæ primatum deferebant, quemque alio nomine Cyllenium appellabant, à Cyllenio Arcadiæ monte, in quo Maiam à Iove compreſſam, Mercurium peperiſſe fabulabantur, ut præter alios Virgilius oſtendit, dum ait: I

Virgil. 8. Æneid.

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maia,
Cyllenes, gelido conceptum vertice, fudit.

Et

2 Et hoc eſt, quod Platonem Mithologicè ſcripſiſſe comperimus, cū dixit, fuiſſe tempus quoddam, quo homines à Diis regebantur, ſicuti nunc pecudes ab hominibus, id eſt paſtoribus, diriguntur. Quod perinde fuit ac ſi diceret, eos qui Regnorum gubernacula tenent, tanto privatis hominibus antecellere debere, quanto paſtores ovibus, & bobus præſtant, & non tam humanam, quàm cœleſtem curam, & intelligentiam huic gregi regendo ſufficere poſſe, ut his verbis magis expreſsit M. Antonius Muretus, qui licèt Platonem non citet, ab eo tamen hanc doctrinam mutuaſſe videtur: *Oportet enim Principem omni virtute longè, ac multum ſupra uſitatam conſuetudinem excellere, ut quātum inter paſtorem, & pecudes intereſt, tantumdem (ſi fieri poteſt) inter paſtorem populi, & populum interſit.* Quod ſentiens etiam, & uberius exponens Dion Chryſoſtomus, ſic ait: *Cui enim maiori opus eſt prudentia; quàm qui rebus de maximis conſultat? & cui exactiori iuſtitia, quàm ei, qui maior eſt legibus? Cui validiore fortitudine, quàm ei, ſub quo omnia ſervantur? Cui modeſtia contentiore, quàm ei, cui omnia licent? Quem autem magis delectant virtutis facta, quàm eum, qui omnes homines ſui ipſius animi ſpectatores, & teſtes habet, ut quidquid faciat latere non poſſit; non magis quàm Sol ingredi per tenebras. Omnia enim cætera illuſtrans, primum ſemetipſum oſtendit.*

Plato lib. 6. de legib.

Muret. lib. var. lect. cap. 11.

Dion Chryſoſt. in orat. de Regn.

3 Et hinc factum eſt, quod Natalis Comes animadvertit, nimirùm omnes Reges antiquitus IOVES appellatos fuiſſe, idque ea de cauſa, quòd Iupiter is, qui primus ita fuit nominatus, præclara in Mortales beneficia, & in Athenienſes præcipuè, contulit. Atque ut Cæſares omnes Romanorum Imperatores, ad primi Cæſaris auſpiciū vocati fuerunt; ita Ioves, Reges omnes, ad Iovis Arcadis auſpicium dicti ſunt ab antiquis.

Nat. Comes lib. 2. Myth. cap. 1.

4 Imò & generaliter, eadem ratione, non ipſi tantùm, verùm & Magiſtratus, qui eorum vices habent, Deorum nomine in ſacris & profanis litteris donati ſunt, ut ex Davidis Pſalmo, & variis aliis locis Maſtrillus, Amaya, & alij paſsim Scriptores obſervant.

David Pſ. 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum*, Maſtrill. de Magiſtratibus, lib. 5. c. 3. n. 2. Amaya in l. prohibitū, C. de iure fiſc. ex n. 6. Ego de muner. honor. n. 177.

5 Magna quippè res ſemper habita fuit, ut rectè hominibus imperare poſsit vel ſciat, qui homo eſt, ut benè Patricius in Prooemio ſuorum de Regno librorum animadvertit; ideòque prudentiſsimi quique viri, hoc officium Artem Artium, & Scientiarum Scientiam, & quidem ſummam, & omnium ſuperiorem appellaverunt. Inter quos Menander eum verè eſſe, vel eſſe debere Principem, & Imperatorem ſcripſit, qui rectè diſponere, rectèque iudicare valeret; & D. Chryſoſtomus in homilia 13. ad Corinth. ita habet: *Non modo dignitas eſt Imperium tenere, ſed ars etiam, & quidem omnium præſtantiſsima, & ſublimiſsima.* Et noſter Bobadilla, ex D. Thoma, & aliis: *El Arte y oficio de governar Republica, es la mayor Ciencia y Arte de todas las Artes, la mas dificultoſa de aprender, i la mas peligroſa de executar.*

L. cùm ſit ars, de ætat. & qual. ord. Sancta Maria in Polit. lib. 1. ex pag. 24 latè Barboſa in Polit. lib. 1. c. 3. ex n. 74.

6 Qui idem alibi, cum Ænea Sylvio, iuſtè miratur, agrū colere, gregem paſcere, navim regere, texere, ſuere, ædificare, multos ſe ignorare fateri: Magiſtratum in urbibus regere, & ſe Regem gerere, gentibus ac nationibus imperare, quod eſt difficillimum, neminem ſibi à natura

Bobad. lib. 1. c. 7. n. 1. ex Ænea Sylv. hiſt. Boh. c. 6.

ne-

Rhod. lib.12. c.1. in fin. Girald. Sint. 11. pag. 294. Nat. Com. in Myth. li. 5. cap. 5. pag. 443. Heſiod. in Theog.

negatum dicere. Porrò, quòd Mercurio potiùs, quam alij ex fabuloſis Numinibus, ars hæc paſcendi, & regendi homines, commendari dicatur, inde etiam fluxiſſe potuit, quòd idem, & *Nomius*, id eſt Deus, & Pater Paſtorum dicebatur, paſtoriciamque artem ſibi commendatam habebat, ut Cœlius Rhodiginus, Lilius Giraldus, & Natalis Comes animadvertunt, Heſiodo præeunte, qui ex traductione Mombricij Mediolanenſis, ſic canit: 7

Quid quòd Mercurio Comes it, ſtabuliſque Capellas,
Armentumque ferax; & oves augere putantur,
Ex modico multum, ex multo facit ille puſillum.

Bocac. de claris orat. lib.12. cap.26. Rhodig. lib.21. c. 16. Plin. lib.26. c.3

Virg. Æneid. 4.

Cuius etiam Caduceus utrimque duos angues implicitos, & inter ſe adverſos, (ut hic pingitur) habens, aptiſsimè ad Paſtorum bacillum, quem nos *Cayado* dicimus, accommodatur, & ut Bocacius, & alij tradunt, ſignum erat rectæ rationis, perfectiſsimæque prudentiæ, & eloquentiæ prope divinæ; quæ, ut diximus in paſcendis regendiſque hominibus eſt neceſſaria. Vt omittam varios alios effectus, quos per hāc virgam Mercurium produxiſſe Poëtæ comminiſcuntur: quorum nonnullos refert Virgilius ſic canens: 8

Tum virgam capit: hac animas ille euocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Prad. Ezech. 34. 23. Pineda in Iob 2. tom. pag. 541. & in Eccl. pag. 798. Santa Maria in Polit. lib.1. c.4. & alij, quos refert 1. tom. lib.2. cap.23. num.144.

Petr. Greg. de Repub. lib. 22. c.13. num.5.

Paſtoris autem nomen Regum, officium ſignificare, nullumque aliud propriùs aptari Regibus poſſe, ita apertum vulgatumque eſt, ut in eo comprobando immorari non debeamus, ſola ad Pratum & Pinedam remiſsione contenti, qui multis ſacris & profanis teſtimoniis id adſtruunt, & ad Petrum Gregorium, qui ſignanter commemorat, Cyrum Regem dicere ſolitum, opera Regum & Paſtorum maximam habere affinitatem: *Sicut enim ad Paſtorem pertinet cura, ut pecora habeat læta: ita par eſt Regem cives, & ſubditos facere fœlices & opulentos, non quotidianis exactionibus infortunatos, & inopes: cum maximè proprium Regum ſit, potiùs populo addere, quàm minuere, potiùs ſubditis, quàm ſibi conſulere.* 9

Funccius in Dynaſtis Ægyptiorum.

Caramuel de inſig. Hiſp. pag. 124.

Ac proinde Homerus ſuum Agamemnonem *Poimenalaon* ſæpiſsimè vocat, quod Paſtorem diverſorum populorum ſignificat. Et Ægyptij, ut Funccius tradit, ſuos Reges *Hycſos*, id eſt *Paſtores* appellarunt. Et Hebræi non tam à regendo, quàm à paſcendo, Regum nomē ſua in lingua deducunt, ut benè Modernus quidam obſervat. 10

Plat. 6. de legibus, Xenoph. in Cyrip. in prim.

Plato quoque, & eius diſcipulus Xenophon, multi ſunt in eadem ſimilitudine, & hic ultimus benè addit, difficiliorem adhuc, & duriorem eſſe hominum, quàm pecudum paſtum: *Cum ſit homo animalium omnium in ſuum rectorem, & cuſtodem ingratiſsimum: nullum ſiquidem aliud animal in paſtorem ſuum ſeditioſum eſt, præter hominem, qui incenſus ſemper in eos, qui ſibi præeſſe, aut imperare quærunt, inſidias medita-* 11

tur; noviſque rebus ſtudet, eoſque odio habet, quamvis nihil mali ab eis unquam perpeſſus ſit.

12 Divus etiam Gregorius Nazianzenus, omnibus, quos mihi videre contigit, luculentius, in eadem illuſtranda verſatur, & ſimul cum Xenophonte cognoſcit, maius adhuc ſtudium in paſcendis curandiſque hominibus, & eorum animis, quam in regendis gregibus vel armentis requiri: *In his enim* (inquit) *ſatis videtur primum præſtare, loca inquirere aquoſa & paſcua, ſuoſque greges ad paſtum inducere, ab eodemque deducere, lupos arcere, & ſi quod fortè pecus in morbum inciderit, inſpicere. Homini autem cum difficile eſt, ut parendum ſit ſcire; tum verò multo difficilius videtur, rectam hominibus imperandi rationem tenere, & eos ad virtutem, (maximè inter Chriſtianos) allicere, cui tradendæ nullus uſquã paſtor, aut armentarius ſtuduit: nam & quæ tandem ſit iſtorum animantium virtus, quiſvè illarum bonum propriæ, præferat voluptati?*

D. Nazianz. in Apologet. pag. mihi 23.

13 Sed planè licèt in his aliquod diſcrimen inter utrumque officium, Paſtoris & Regis conſiderari queat, in eo tamen ex omnium mente conveniunt, quòd quemadmodum præcipua Paſtoris cura eò tendere debet, ut ovibus ſuis magis quàm ſibi, & interdum etiam cum vitæ periculo, conſulat, illud Chriſti Domini, qui ſimul fuit Paſtor & Rex, acriter, & alacriter implés: *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ, & animam meam pono pro ovibus meis*; eaſque, ubi opus fuerit, tondeat, & non deglubeat, in quo boni Paſtoris officium conſiſtit, ut ſupra ex Cyro retulimus, & olim Tiberius dixiſſe narratur. Ita & Rex, æquè pro ſuis vaſſallis invigilet, ſciatque ex eorum cõmodis ſua commoda provenire, & iuxta D. Chryſoſtomi documentũ, oportere Principem ob eorum magis, quàm ob proprias dolere calamitates, atque illud Caſsiodori memoria tenere: *Erit veſtrum gaudium noſtra quies, ſuave lucrum, ſi neſciatis incommodum, veſtra enim ſecuritas noſter ornatus eſt: & hoc verè gratanter accipimus, cum gaudia vos habere ſentimus. Scimus enim pro remedijs nos datos eſſe cunctorum.*

Ioann. 10.
Sueton. in Tiber.
Eraſm. in hoc Adagio, pag. 79.
D. Chryſoſt. epiſt. 29. ad Roman.
Caſsiod. lib. 6. epiſtol. 24. & lib. 10. epiſt. 27.

14 Et hac propter à Zacharias Propheta, qui gregem ſibi traditum derelinquunt, non Paſtores, aut Reges, ſed idolum Paſtoris, aut Regis, id eſt, inane ac phantaſticum corpus Paſtoris habentes, cognominantur. Et qui deglubent & excoriant, multis diris, ac Divinis comminationibus ab aliis Prophetis animadvertuntur. Ecce enim Iſaias ait: *Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam declinaverunt, unuſquiſque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſsimum.* Ezechiel: *Propterea Paſtore, audite verbum Domini. Vivo Ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium beſtiarum agri, eò quòd non eſſet Paſtor, neque enim quæſierunt Paſtores gregem meum, ſed paſcebant ſe metipſos, & gregem meum non paſcebant.* Et iterùm: *Ecce ego ipſe ſuper Paſtores. Requiram gregem meum de manu illorum, & ceſſare faciam, ut ultra non paſcant gregem meum; nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum; & non erit ultra eis in eſcam dicit Dominus.* Et per Ieremiam: *Væ Paſtoribus qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ terræ. Ideò hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad Paſtores, qui paſcunt populũ meũ*

Zachar. 11. 17.
Iſaiæ 56.
Ezech. 34. 8.
Idem ibid. 10.
Ierem. 23. 1.

Ex-

Herod. lib. 9.

51 Extat & apud Herodotum eiuſdem curæ nobile monumentum in Evenio quodam, qui cum in Apollonia cuſtodiendis ovibus Soli ſacris præpoſitus eſſet, ſuaque incuria pateretur ſexaginta à lupis devorari, iudicio civitatis damnatus, & oculis orbatus fuit. Ex qua hiſtoria ſymbolum formari poſſe tradit Cauſinus ad indicandũ, quanta debeat eſſe Chriſtianorum Principum, Prælatorumque vigilantia, qui non modo luposarcere, & oves alere debent. Sed etiam Senis Paſtoris apud Aurelium Nemeſianum præceptum audire:

Cauſin. in Poliſt. lib. 4. cap. 35.

Nemauſian. Ecloga 5.

Te quoque non pudeat cum ſerus ovilia viſes,
Si qua iacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis. Natoſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare probatos.

L. 19. tit. 1. par. 2.

16 Quò & reſpiciens Rex Noſter Alphonſus cognomento Sapiens, prudentiſsimè monet: *Que debe el Principe guardar mas la pro comunal, que la ſuya miſma, i que la riqueza de ſus vaſſallos es como ſuya.* Et Divus Paulus, in ſe ipſo veluti deſignans hoc veri Regis & Paſtoris officiũ, de quo loquimur, inquit: *Ego autem libentiſsimè impendam, & impendar ipſa pro animabus veſtris.* Et Plutarchus, eandem Paſtorum obligationem expendens, hæc Sophoclis carmina de ipſis, & gregibus ſuis dici ſolere, ſcriptum reliquit:

D. Paul. 12. Cor. 15.

Plut. in vita Agis & Cleomen. in pr.

Servimus his, qui iure nobis ſubiacent,
Ac mos gerendus ſit his & tacentibus.

Corſet. de poteſt. & excell. Reg. 13. & 75. Terra-Rub. contra rebell. fol. 16.

17 Quæ ſimiliter in Reges aptantur, quorum munus nihil aliud eſſe, quàm honeſtam quandam ſervitutem inferius trademus, imò & miſerrimam, ſecundùm Corſetum, & Ioannem de Terra-Rubea, propter labores, & indeſinentem curam, quam pro Regni & vaſſallorum utilitatibus ſubire debent. Erga quos ſe etiam non ut Dominum, aut Tyrannum, ſed ut Patrem familiàs ſe Regem habere debere, Ariſtoteles monuit, dum inquit: *Huc enim ſunt omnia reducenda, ut ijs qui ſub Imperio ſunt, non Tyrannum, ſed Patrem familias agere videatur, & rem non quaſi Dominus, ſed quaſi Procurator, & Præfectus adminiſtrare, & moderatè vivere, nec quod nimium eſt ſectari.*

Ariſt. lib. 3. Polit.

Senec. 1. de Clem. cap. 14. latiſs. Petil. lib. 1. c. 22. & ſeqq.

18 Qua etiam Patris ſimilitudine in eandem rem uſus eſt Seneca, graphicè, ut ſolet, boni Regis officium deſcribens, & bonis parentibus comparans, qui obiurgare liberos, nonnunquam blandè, nonnunquã minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus; ſed tamen ſemper eorum ſaluti conſulentes, ſuaque poſt illos ponentes: *Quod efficit* (inquit) *ut Patris Patriæ nomine potius quàm vanis aliis titulis, quos ambitioſæ Maieſtati congeſsimus, ipſi Principes gloriari debeant.*

19 Et inde conſuetudo inolevit, Reges, atque Imperatores hoc *Patris* nomine, non ſecus ac Paſtoris, de quo agimus, decorandi, & Briſſonius ex Suetonio tradit, & probat, antiquo more Principes, ubi inaugurabantur, ita ſalutari ſolitos fuiſſe: *Quod bonum fauſtumque ſit Tibi & Nobis, Populus te in Patrem ſuum, & Patriæ conſalutat.* Vnde modeſtiam Trajani celebrat Plinius, qui Senatum Patrem appellare ſoli-

Briſſon. de formul. pag. 252. & ſeqq. Petil. de Princip. mun. pag. 23.

tus,

tus;ſe tantùm laboris miniſtrum eſſe dicebat. Et Claudianus Honorium ſic monuit:

Claud.in 4. Conſ. Honorij.

*Tu ci*v*em Patremque geras.Tu Conſule cunctis,*
*Nec tibi,nec tua te mo*v*eant,ſed publica* v*ota.*

Quem locum ita in verſus Iambicos, non minùs elegantes Henricus Stephanus tranſtulit:

Hēr.Steph.in Muſ. monit.princ.carm. 2.

*Sic gerito ci*v*em, patrem ut interim geras,*
Et omnibus fac conſulas, ſed non tibi:
*Te publica damna mo*v*eant, ſed non tua.*

20 Et Agaſides apud Plutarchum, cuidam ab eo ſciſcitanti, quo pacto poſſet aliquis tutò imperare, nullo ſtipatus ſatellitio? Reſpondit, ſi ſic imperet ſuis, quemadmodum pater imperat liberis. Quod dictum celebrans, & illuſtrans idem Plutarchus: *Nemo* (inquit) *plura dixit unquā minore compendio*; & latè in eo comprobando verſatur.

Plut in Apopht. Ribadeneira de Princ.lib.2.c.19.

21 Et utrumque munus, ſive utramque appellationem Paſtoris, & Patris comprehendens Camerarius in ſuis Emblematibus, ſic habet:

Camerar Embl. 44.cent.2.

Rex Bonus eſt Paſtor populi, Tutorque, Paterque,
Nec ſua, ſed populi commoda ſola cupit.

22 Et cōcinit Achilles Bochius, Magiſtri etiam navis, & Medici Principibus convenire his oſtendens carminibus:

Boch. ſymb.4. pag.13.

*Curſus Secundus ut Magiſtro na*v*ium,*
Medico ſalus: Summo Duci v*ictoria,*
Ita Moderatori inclyto Reipublicæ
Primum omnium beata v*ita ci*v*ium eſt*
Propoſita: ut opibus firma ſemper, copijs
*Prædi*v*es; ampla gloria* v*irtuteque*
Honeſta ſit: Namque huius operis ter maximi
Inter homines, atque optimi, effector qui erit,
Hic ille erit Paſtor Bonus; ſimilis Deo,
Quo nemo non referre debet omnia.

23 Cum quo Emblemate conſonat aliud Battilij Labæi, ſed ad noſtri illuſtrationem prædicta tetigiſſe ſufficiat, & præclarum illud Senecæ monimentum pro coronide addere, *Adverte Princeps Rempublicam non eſſe tuam, ſed te Reip* quo etiam (ut Tacitus inquit) Imperator Claudius Mitridatem inſtruxit: *Vt non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & cives cogitaret.*

Battil.Emb.119.

Senec.1.de Clem.

Tacit.12.Annal.

24 Etenim ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, *Vt gubernatio Patrisfamiliàs eſt Regia quædam poteſtas domi: ita Regia poteſtas eſt civitatis, & gentis unius, aut plurium, quaſi domeſtica quædam gubernatio.*

Ariſt.3.Pol.c.11.

25 Quod ſentiens etiam Themiſtius, poſtquam Imperatorem Valentem admonuit, non minùs pulchram ſuam virgam eſſe debere, quam hanc noſtri Mercurij auream ab Homero decantatam. Ita concludit, *Ob id meritò Perſæ Cyrum, patrem: Cambyſen, Dominū: Darium Cau-*

Themiſt.orat.5.

ponem nominabant. Facit vero Patrem civium, Iuſtitia, Iracundia Dominum, cauponem avaritia. Sola autem Divina eſt Patris appellatio. Nam hominum Parentem etiam Ioveni Poetæ nominarunt, ex duabus reliquis, illa ferarum, hæc mancipiorum eſt propria. Atque is demum proculdubio magnus ille Princeps eſt, cuius non claudicans, aut manca, ſed integra eſt, atque abſoluta pulchritudo.

Luc. 11. 12.

Caſsiod. lib. 4. ep. 27.

L. 3. tit. 19. par. 2.

Vt vel hinc Reges ac Principes diſcere poſsint, quàm longè à Numinibus, & Nominibus ſui muneris errēt, ſi cum ſubditis ſuis Dij ſint, vel eſſe debeant, ipſorum incolumitatem in calamitatem convertant: cum Medici, inſidias ſtruant, & ſalutis loco venena propinent: Paſtores, in lupos degenerent, commiſſumque ſibi gregem excorient, perdant, aut mactent. Patres, hoſtes agant, & pro pane, & ovo (ut Divus Lucas inquit) nihil niſi Scorpionem ſuis porrigant filijs. 26

L. meminerint, C. unde vi, l. 1. in fin. C. de his qui ven. l. 16. C. de teſtam. cum alijs.

Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. c. 9.

Innoc. III. in cap. pœn. de pœnis.

Caſsiod. lib. 7. var. epiſt. 11.


Ego, poſt Gail. Borrellū, & alios plura ad hoc propoſitum congerens in Meo 2. to. de Ind. gubern. lib. 2. c. 24 n. 68. & ſeqq. Virgil. Æneid. 6.

Etenim, ut cum Caſsiodoro finiam: *Deteſtabilis eſt quidem omnis iniuria, & quicquid contra leges admittitur, iuſta execratione damnatur: ſed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta ſuſcipere, unde credebantur auxilia provenire. Exaggerat enim culpam in contrarium verſa crudelitas, & maius reatui pondus eſt, inopinata deceptio.* Quod etiam Rex noſter Alfonſus, ſic vertiſſe, vel advertiſſe videtur: *È por eſto dixeron los Sabios Antiguos, que en el Mundo no avia mayor peſtilencia, que recebir ome daño de aquel en queſe fia.* Quæ lex ſimiles habet alias, quæ inde horrent iniurias naſci, unde iura naſcuntur, & cum eis conſonans Concilium Tridentinum, maximè nefarium eſſe inquit, ut inde iniuriæ naſcantur, unde iura deſiderantur; & Innocentius III. id quod ad defenſionis inventum eſt ſubſidium, ad depreſsionis diſpendium retorqueri non debere. Quod his quoque verbis valdè in rem noſtram tendentibus, protulit Caſsiodorus: *Defenſorem te itaque noſtra conſtituit auctoritas, ut nihil venale nihil improbum facere velis, qui tali nomine nuncuparis.* Et vetus lex duodecim Tabularum oſtendebat, per quam Patronus, Clienti fraudem faciens, ſacer, & ignominioſus efficiebatur, ut Ego, poſt alios, alibi pluribus trado, & Virgilius inſinuaſſe videtur, dum dixit graves in inferno pœnas pati eos, quibus 27

Pulſatuſvè Parens, & fraus innexa clienti.

Symbolum Regum.

EMBLEMA XII.



Non ſibi fax, aliis flammato vertice fulget.
Luceat ut cunctis uritur atque perit.
Eſto Tibi atque aliis lucens, ardenſq; lucerna
Rex; aliis lucens, ardeat illa tibi.
Totus in extremas ſolvi meditare favilas.
Quæ te flamma urit, cætera luſtrat, alit.

COMMENTARIVS.

1 HANC eandem Iconem, quam noſtro hoc Emblemate fingimus, præocupaſſe videri poteſt Hadrianus Iunius, dum pariter illam inter ſua effigiat, atque proponit, ſimul tamen cum libro & horologio, lucernæ, & candelabri latera comitãtibus. Hoc ſymbolo oſtẽdere volens, vitam mortalium vigiliam eſſe, illudque dumtaxat tempus utiliter tranſigi, quod libris, & ſtudiis impenditur. Sic enim eius carmina habent: Hadr. Iun. Emb. 5.

Invigilare libris, ſtudio metirier horas,
Pars vitæ eſt Princeps: otia vita fugit.
Fama vehit vigiles, ſepelitque oblivio inertes:
Hoc liber explicitus, clepſydra, lychnus habent.

Nos

Nos aliò tendimus,& ſuperioribus monitis inſiſtentes, non Paſto- 2
ris tantùm,verùm & Lucernæ vicem officiumque ſortiri,& ſubire de-
bere Principes,hac pictura ſignificamus,ſi commiſsi ſibi à Deo mune-
ris rectam(ut par eſt)rationem reddere cupiant. Hæc enim aptiſsimũ
ſymbolum Principatus præſefert.Accenditur quippè ut luceat omni-
bus,vel D. Matthæo teſtante, & dum omnium utilitati deſervit, ipſa
ſenſim abſumitur, nullamque inde aliam ſibi præſumit. Vnde in Sacris
& profanis litteris nihil frequentius, quàm ſub facis, vel lucernæ me-
taphora Principatum; & Principes denotare,eaque propter Davidi,
& eius filiis,ſub lucernæ nomine Regnum promitti videmus, & apud
Iobum, *Lucernam extingui*,idem valet,quòd Regnum ceſſare,aut lucẽ
& fœlicitatem,in qua quis verſatus fuerat,tenebreſcere: *Lux*(inquit)
*obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extin-
guetur.*

> Matth. 5.15.
> Reg.3.11.35.&4.8.19. Pſal. 17.29.& 131.16.ubi Lorin. latè Pined. in Iob cap.1.pag.10.& 11.
> Iob cap.1.

Eſt enim Princeps quaſi lucerna Reipublicæ ſuper candelabrum; 3
id eſt, in Regia illa, & ſublimi ſede poſita, in qua ſuſpiciendus cæteris
conſtituitur,ut errorum caliginem diſcutiat, & eximiæ prudentiæ lu-
men rebus obſcuriſsimis impertiat,exemplo à Chriſto Domino, Re-
ge ac Legifero noſtro,deſumto,qui noſtram vicem miſeratus, deſcen-
dit de ſinu Patris: *Illuminare ijs,qui in tenebris, & in umbra mortis ſe
dent, ad dirigendos pedes noſtros in viam Pacis.* Vnde & lampas & gen-
tium lux etiam ab Iſaia appellatur. & quod magis eſt,adhuc in cœle-
ſti Regno,quod totum eſt ſplendore collucens,idem Lucernæ nomen,
& munus retinet,ut a D.Ioanne in Apocalypſi docemur, dum inquit:
*Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei
illuminavit eam,& lucerna eius eſt Agnus.*

> Lucæ 1.79.
> Iſaiæ 49.6.62.1.
> Apoc.21.23.

Solis quoque nomen & munus, ac Civitatis ſupra montem poſitæ 4
Principibus aliiſque Prælatis idem Chriſtus Dominus impertivit, dũ
dixit:*Vos eſtis Lux Mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem po
ſita.* Sed tamen ſtatim addit, lucem hanc vel lucernam, non eſſe ſub
modio abſcondendam,ſed ſuper candelabrum collocandam:*Vt luceat
omnibus,qui in domo ſunt, & videant opera veſtra bona,& glorificent Pa-
trem veſtrum,qui in Cœlis eſt.* Quorſum enim idem Rex,& populi Prin
ceps, Lux Mundi, & Sol quidam ſit? niſi ut ipſo exoriente, atque af-
fulgente,diſpareant tenebræ,homines expergiſciſcantur, excitatique
Exeant ad opus ſuum,& ad operationem ſuam uſque ad veſperam,ut alibi
Pſalmographus inquit. Vel quorſum Rex ſit Civitas ſupra montem
poſita? niſi ut ſuos intra ſuos muros,ſuoſque mores contineat,ut benè
noſter Pineda conſiderat.

> Matth.5.14.
> Pſalm.103.23.
> Pineda in Iob, 1. to.pag.38. in fine.

Quem prævivit Seneca,Solique,& aliis Planetariis ſyderibus Prin- 5
cipes ſimiles faciens, cæterum non in eo tantùm, quòd nos ſuo ſplen-
dore lætificent,foveantque,ſed retrò ſemper in ortus ſuos revertẽtia,
iuxta illud Claudiani:

------------Quo vivat Machina motu,
Sydera cur ſeptem retro vertantur in ortus.

Nobis non ſibi ſuos labores effectuſque diſtribuant.Senecæ verba ſic

> Claud. in Paneg. Mall Theod.
> Senec. de conſ ad Polib cap 26.

ha-

habent: *Cæſari quoque ipſi, cui omnia licent, propter hoc ipſum multa nõ licent: Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit: & ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet, nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere, &c.*

6 Quem locum explicans Iuſtus Lipſius, ita non minùs graviter, & ad rem noſtram appoſitè inquit: *Sicut Sol ille non lucet modo, ſed fovet, vegetat, animat: ſic verus illam populorum Rector, in ſplendore ſuo commodat, & iuvat; Moderatori Reipublicæ (ait Cicero) beata civium vita propoſita, ut ea ſit opibus ampla, copiis locuples, virtute inſtructa.* Lipſius in Præf. ad Paneg. Plinij, melius Dion Nicenus in orat. 3. de Regn.

7 Quod idem prorſus eſt, quòd in noſtra Lucerna contingit, quæ alijs ardens & lucens, ſemetipſam conſumit, & hoc tantum, excidium ſive exitium ſuæ beneficentiæ conſequitur. Verum illud Antigoni reddẽs, qui filiũ de Regni cura admonens, nihil aliud (ut ait Plutarchus) Regnum eſſe præfatus eſt, quàm ſplendidam quandam ſervitutem, quoniã non populus cauſa Gubernatoris, ſed contra Gubernator, cauſa populi ſit. Alludens, ut apparet, ad Socratis doctrinam apud Platonem, dum dixit: *Rex eligitur, non ut ſui ipſius curam habeat, & ſe molliter curet, ſed ut per ipſum, qui elegerunt, benè beatèque vivant.* Plut. in Apoph. Plato in Polit.

8 Unde & Syneſius rectiſsimè dixit: *Regi omnia terræ, aquæ, aeris munera Deos dediſſe. Regem verò uſum earum rerum populo indulſiſſe, reſervatis ſibi pro communi fœlicitate curis & laboribus.* Hadrianique Imperatoris laudata illa vox: *Ita ſe Rempub. geſturum, ut ſciret, rem populi, non ſuam eſſe.* Cui conſentiens Ammianus Marcellinus, graviter pronuntiavit: *Imperium curam eſſe ſalutis alienæ. Principes enim debent habere perſpectum, ſe ſibi minimè natos eſſe, ſed ſui populi commodo, & utilitati.* Syneſ. in orat. de Regno. Hadrian. ap. Spartianum in eius vita. Am. Marcell. lib. 29.

9 Et de Ludovico Craſſo, Francorum Rege, narrat Paulus Æmilius, quòd triginta annis regnavit, & ne quid fortunato deceſſui deeſſet, cum fatalem ſibi diem appetere ſentiret, revocavit ſibi filium Ludovicum Iuniorem Regem è Vaſconia: coramque hortatus eſt, obteſtatuſque, ut magis piè regnaret, quàm ipſe feciſſet, Religionem coleret, egentibus conſuleret; orbis pupilliſque proſpiceret: Paci, communique dignitati ac ſaluti inſerviret; Regnum nihil aliud quàm Procurationem, Munuſque publicum exiſtimaret; cuius, in vita adminiſtrati, reddendam eſſe rationem continuò poſt fata ſciret, ſedente in ſe Immortali Iudice, ſua cuique facinori parata præſenti ſempiternaque mercede: Quod etiam Divus Bernardus Eugenio Tertio Romano Pontifici his verbis ſcripſit: *Praees ſingulariter, ad quid? numquid ut de ſubditis creſcas? Nequaquam: ſed potius ipſi de ſe Principem conſtituerunt Te, ſeu ſibi, non Tibi.* Paul. Æmil. hiſt. Franc. lib. 5. D. Bern. in lib. de conſid. ad Eugen.

10 Neque aliud oſtendere voluerunt Græci, qui ut Euſtathius tradit, ab Albano Spinaſato relatus, inter varias appellationes, quas ſuis Regibus indiderunt, illos *Ænachos* vocabant, quo nomine *Medulla* ſignificatur, quaſi eiſdem intima ac ſalubris ſubditorum in- Spinaſ. in Polit. li. 1. cap. 14. fol. 35.

cumberet cura, & vel ex ſuis præcordiis, non ſecus ac ſuos pullos Pelecanus ſolet, eoſdem, ubi opus eſſet, alere tenerentur. Quam & ipſam Avem, eandem ob cauſam, Regum quoque ſymbolum eſſe, non obſcurè indicavit Alfonſus Rex noſter, huius nominis X. electus Romanorum Imperator, qui, ut Octavius Strada recoluit, eo uti ſolebat, adiecto hoc lemmate, *Pro Lege, & pro Grege*, & expreſsius adhuc Ioachimus Camerarius, peculiari ex eadem, in rem noſtram, Emblemate cuſſo, & ſic inquiens:

Strada in Symbol. Reg. pag 27.

Camer. Embl. 37. cent. 3.

Sanguine vivificat Pelecanus pignora; ſic Rex
Pro populo eſt vitæ prodigus ipſe ſuæ.

11 Vtopienſes quoque hoc idem ſignificare volebant, dum in ſua illa Republica, ſeu perfectæ Reipublicæ Idea, ſapientiſsimè à Thoma Moro conficta, & meritò à Budæo, & aliis, multis laudibus commendata, Principem quidem ipſum, non veſtis, aut diadema, ſed geſtatus frumēti manipulus diſcernebat, ut & Pōtificis inſigne erat, prælatus cereus, ſic indicantes, vitæ lucem, atque alimoniam, ſubditos à ſuis Principibus expectare, vel ex eorum vita manuque pendere.

Thom. Morus in Vtopia, pag. mihi 117.

12 Qui, etiam apud Romanos, veluti in eiuſdem muneris indicationem, nunquam foras exibant, quin ſibi ardens lampas præferretur, ut Herodianus; melius cæteris; & alij plures poſt eum Auctores obſervant, & in idem ipſum reſpiciens Corripus Africanus, qui de Iuſtino Conſtantinopolitano Imperatore ſermonem faciens, in ludos Circenſes prodeunte, non ſolùm huius moris, mentionem facit, verùm & pariter oſtendit; Cæſaris advenientis ſignum eſſe, quòd Curſores lucernas præferrent, eaſque in circo poni ſolitas, veluti Sacræ, & non violandæ Maieſtatis indicium, eius verba, ſic habent:

Herod. in Cōmodo, Rhodig. lib. 15 cap. 15. Alex. & ibi latè Tiraq. 1. gen. cap. 28. Curopalatas de off. Eccl. Cōſtant.

Corrip. lib. 2. n. 8.

-------------- *Prænuntius ante*
Signa dedit Curſor, poſita de more lucerna.
Exoritur lætum iucunda per agmina murmur.
Intentos oculos ad ſedem vulgus herilem
Extulit aſſurgens. Quoniam plebs læta videre
Fœlicem Dominum, ſummo cupiebat amore.

13 Perſarum quoque Regibus eundem ignem, eadem etiam ratione, prælatum, ſimul cum Solis imagine, & quantum hi Solem atque ignem venerarentur, pluribus oſtendere poſſem, niſi id iam Lipſius, & Briſſonius uberrimè præſtitiſſent, & ſatis ex prælibatis ad mentem Noſtri Emblematis conſtet, cur Reges lucernæ ardenti, & ſuper candelabrum poſitæ, ſimiles fecerimus, & qualiter ipſi debeant in ſuos ſubditos propriæ lucis ſplendorem, & effectus emittere, uſti potius, quàm urentes, & ſuæ dignitatis fulgore illuminantes, non excæcantes.

Lipſ. ad Tacit. 1. Annal. pag. mihi

Briſſ. de Imp. Perſ. pag. 82. & 163. & ſeqq.

14 Eam quippe lucerna diffundit lucem, non quæ nimio ſplendore perſtringat oculos, ſed quæ diſcuſsis tenebris exhilaret; non quæ ex-

ter-

terreat animos, ſed quæ recreet, & alliciat. Fulgor Solis aut hebe- Actuum 9.
tat, aut offundit adverſam oculorum aciem: Fulgur terret ac præ-
ſtinguit. Saulum cædes Chriſtianorum anhælantem, ſubitò cir-
cumfulſit lux de cœlo, attonitumque ac ſtupentem humi proſtra-
vit.

15 Cum Regina Eſther Aſſuerum pro periclitante populo inter- Eſther cap.15.10.
pellatura adiiſſet, nimio illius ſplendore territa ac exanimata cor-
ruit, quoniam aſpectu terribilis erat, cumque elevaſſet faciem, ar-
dentibus oculis furorem pectoris indicavit, ſive ut alia littera ha-
bet, *Ecce oculi eius erant ardentes ſicut ignis*. Idque in more prætu-
midi Principes habent, quo ſolent ardentes flammas oculis eiaculari,
ut prius aſpectu terreant, quàm feriant mucrone, & illud Iobi ſibi pro
gloria ducunt: *Poteſtas & terror apud eum eſt, & ſuper quem non ſurget* Iob 25.2.3.
lumen illius?

16 Abſit autem à bonis, quos optamus, Principibus, lux, quæ obvios
quoſque fulgore ipſo perterre faciat, pavidoſque ac trementes in te-
nebras latibulaque coniiciat: cum potius, ut rectè & graviter Sene-
ca monuit: *Illius Principis magnitudo ſtabilis fundataque ſit, quem om-* Senec. lib.1. de
nes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt; cuius curam excubare pro ſalu- Clem.cap.3.
te ſingulorum, atque univerſorum quotidie experiuntur. Quo proceden-
te, non tanquam malum aliquod, aut noxium animal è cubili proſilie-
rit, diffugiunt: ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſidus certatim ad- Lipſ. in præf. ad
volant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſub- Paneg. Plin.
ſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam, iter ad ſalutem ſtruen-
dum ſit. Et in Germanico Tacitus laudet, quòd eſſet, *Viſuque & au-* Tacit. 2. Annal.
ditu iuxta venerabilis, cum magnitudinem, & gravitatem ſummæ for-
tunæ retineret, invidiam & adrogantiam comitate in ſocios, & manſuetu-
dine in hoſtes effugeret. Sciteque admodum dixerit Plinius Iunior: *Ma-* Plin. Iun. lib. 8.
lè terrore veneratio acquiritur, longèque valentior eſt amor ad obtinendũ epiſt. ult.
quod velis, quàm timor.

17 Quia videlicet, iuxta Salomonis Proverbium: *Miſericordia, & ve-* Proverb. 20.28.
ritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius; & hoc le-
niſsimo ſuaviſsimoque benignitatis oleo, indies magis, magiſque
gliſcit iſtius lucernæ, de qua agimus, flagrantiſsimus ignis, & ad ex-
primendum candore ſuo illum undique collucentem Deitatis Solem,
propiùs accedit. Maximè, ſi qui in illa repræſentantur Principes, cu- Horat. in Arte
rent: Poet.

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem.

Et ita ſubditis prælucere, ut vitiorum fumus ex ipſa lucerna proce-
dens, illam non horridam potius & obſcuram, quàm ſplendentem, &
utilem faciat, ut benè admonuit Divus Gregorius Nazianzenus, ſic Naziãz. in tetraſt.
in ſuis Tetraſtichis, inquiens: pag. mihi 217.

Caveto quæſo, maximè vos Præſules,
Ne lumen omni prorſus orbum lumine,
Vitijque tantùm, non boni ſitis Duces.
Si tale lumen, quantus eſt tandem nigror?

Lucan. in Pharſal.

Illud identidem Lucani memoriæ mandantes: 18

Non ſibi, ſed toti genitos ſe credere mundo.

Cicer. 1. Tuſc. in fine, & de Finib. lib.5. Iuſtin. lib.2. D. Aug. de Civit. Dei, lib. 18. c.19. Paleot. de ſtigm. Chriſti, pag.421.

D. Paul. ad Hebr. 1.3.

S. Patres ap. Coccium & Lorichiũ in Theſaur. verb. *Chriſtus.*

Eccleſ. 50.6.

Et Codri ultimi Athenienſium Regis exemplum præ oculis habentes, qui cum didiciſſet Apollinis oraculo, Peloponenſibus, acerrimis eorundem Athenienſium hoſtibus, victoriam triumphumque ampliſſimum in bello, quod inferre parabant, promiſſum fuiſſe, modò ipſum Codrum in eo non occiderent. Eum verò ſi occiderent, de Peloponenſibus actum eſſe, eoſque ab Athenienſibus ſubigendos; ſordidum plebeiumque induens ſibi amictum, ſpinarum faſcem humeris ſuſcepit, eoque ſeſe in Peloponenſium turmas intruſit; eoſque non minus lingua, quàm ſpinarum aculeis lacerans, id effecit, ut ab illis occideretur, ſuaque morte populi ſui ſaluti conſuluit, quem ſuo ſanguine à Peloponenſium ſervitute liberavit, & ab eodem, in tanti beneficij memoriam, pro Deo deinceps habitus fuit. Quam hiſtoriam poſt Ciceronem, Iuſtinum, Divum Auguſtinum, & alios, luculentius narrat Alfonſus Paleotus. Addens, in hoc Codro, Chriſtum Servatorem, Salvatoremque noſtrum figuratum videri, qui cum Rex etiam eſſet, ac proinde Candor, & Splẽdor lucis æternæ, ut eum Divus Paulus indigetat, humanam carnem, & ſervilem habitum induere voluit, & ſpinis coronatum, ſe ultrò morti tradere, ut commendatum ſibi gregem à peccatis redimeret. Qua de cauſa illum, prout & Nos in noſtro Principe facimus, Candelam amoris appellare ſolent plures ex Sancti Patribus, quæ ſemetipſam extinxit, ut Nos illuminaret; &, ut in Eccleſiaſtico dicitur: *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ, & quaſi Luna in diebus ſuis*, nobis ſuo exemplo, & actionibus præluceret.

(∴)

Officium Regis, officium Capitis.

EMBLEMA XIII.



En Caput: hìc Opifex ſenſus Natura locavit,
Et toto ſolus corpore tactus ineſt.
Sic Caput Imperij, Populi cui corpus obedit,
Guſtat pro cunctis, inſpicit, audit, olet,

COMMENTARIVS.

1 HOC quoque Emblemate, quod prima fronte vulgatũ videri poterit, qualis quantaque attentio, & prudẽtia in Regibus requiratur, nõ ita vulgariter inſinuamus. Neque enim radiatum Caput: ea tantùm affingimus mẽte, quòd Reges Principeſque, quibus Deus Supremus rerum omniũ Moderator & Arbiter, vices ſuas in terris conceſsit, & Populorum habenas regendas commiſsit, eiſdẽ populis præſint, & propter tanti muneris dignitatẽ, & eminentiã ipſorũ Caput dicantur, & appellẽtur, quod frequentiſsimũ eſt, & vel proverbialiter, pro omni eo uſurpatũ, quod eſt in re quavis præcipuũ, ſive ad quod unũ reliqua omnia conferuntur. Quo etiã in ſenſu paſsim in Sacra Pagina David, & alij Reges in Caput gentium conſtitui dicũtur.

Eraſm. in Adag. *Caput eſt*, pag. mihi 10. & 11.

Deut. 28. 44. Reg. 2. 22. 44. Pſal. 17. 44. *Conſtitue me in Caput gentium.*

2 Sed illud præcipuè denotare intendimus, quòd quemadmodũ Supremus Artifex Deus, humani corporis apicẽ Caput cõſtituit, & in eo, quia reliquis mẽbris dominaturũ erat, ſenſuum ſedem, & nervos collocavit, ex quibus cæteri vitam capiunt, unde Varro, & alij eiuſdem nominis etymologiã deducunt, & Plato in Timeo illud *Diviniſsimũ*;

M. Varro de ling. Lat. fung. in Etym. verb. *Caput*, Lactant. de opificio Dei, cap. 12.

Pierius in Hierog. lib.32.c.2.fol. mihi 225.

Pineda in Eccleſ. pag. 242.

Ioann.Ovenus in Epig.pag.mihi 113.

D.Ambroſius, *Imperialem Aulam* appellat; Pierius Valerianus *Deum*; Pineda Noſter, *Symbolum Sapientiæ*. Vetereſque cum ſingulis corporis partibus ſingulos præficerent Deos; & proinde genua miſericordiæ, dextram Fidei, frontem genio, aures memoriæ, ſupercilia Iunoni, oculos Cupidini, renes & inguina Veneri, pectus Neptuno, talos & plantas Thetidi, pedes Mercurio, dorſum Plutoni, conſecrarēt, ſolū Caput Iovi Opt. Max. ſacrarunt, qui, ſicut Caput, nervorum ſenſuũq; principium eſt, ita & ipſe vitæ auctor, & motus omnium rerũ eſſe credebatur, quæ omnia comprehendens Poëta Nuperus ſcitiſsimè dixit:

In capite eſt ratio, & rationis quinque miniſtri;
Divinum in reliquo corpore penè nihil eſt.

Petr.Matth.in narrat.1.par. Sancta-Maria de Repub. Chriſt.c.4.ex pag. 35. Petil. de mun. Princip.lib.2. c.1. col.1. Saavedra ex pag.130.

3 Pari quoque ratione, qui in mixto Reipublicæ corpore cæteris gētibus, tanquam membris, imperaturus præficitur, humani capitis inſtar, illis vitam impendere, ſenſibus omnibus vigere, pro omnibus ac præ omnibus videre, audire, olere, dolere, guſtare, ſentire, palpare, & denique totius corporis Rector vigilantiſsimus eſſe debeat.

Senec.lib.1. de Clem cap.4.

D.Bern. de cōſid. ad Eug. lib.1.

Artemid. de ſom. interp.lib.2. c.38.

4 Quam ſimilitudinem noviſsimè Petrus Matthæus, P. Ioannes à Sācta Maria, Marcus Antonius Petilius, & alij tetigiſſe videntur: & ante eos Seneca in loco, quem ſtatim adducam, & D. Bernardus, dum inquit, quòd, quam habet rationem cœlum ad reliquum Mundum, eā & Rex ad Rempublicam habere debet. Quod, idē valet, ac ſi diceret, eandem rationem habere debere, quàm Caput ad corpus, ut Artemidorus Daldianus docuit, Platonicorum, ut apparet, ſententiā ſequutus, qui tradunt, humanum caput ad mundani orbis ſimilitudinem cōpactum, in eoque duos animæ divinos circuitus interlocatos, eſſeque membrum diviniſsimum, ac reliquorum omninò Princeps: reliqua, ut capiti ſerviant, adiuncta.

Platonici ap. Pier. ubi ſup.

Ægid. de Princip. lib.1. 2.part.

Senec.epiſt.114.

5 Ægidius etiam Romanus ita eidem ſimilitudini hæret, ut omnia peſſum ire in Republica tradat, ſi eius Caput, & animus talis non ſit, ut reliquo corpori dominari valeat. Eius verba ſic habent: *Quia Principis officium ac munus eſt, ita Regnum gubernare ac præſidere, ſicut corpori præſidet Animus. Qui autem ſic ſe gerit, ut in ipſo animus iaceat, corpus autem principetur, præſtantiſsimo optimæ adminiſtrationis exemplari caret, & tyrannidis exemplum præſto habet: nam corporis in animum Principatus Tyrannis eſt, atque Tyrannidis exemplar.* Qua in doctrina, illam Senecæ ſequutus videtur, quæ oſtendit; *Animo hominis incolumi, cætera hominis in officio manere, parere, obtemperare, ſi ille vacillat, nutare omnia.*

Ficin.ad Tim.Platon.apud Canonh. in Aph.Polit.1.to. pag.451.

6 Sed audi precor Marſilium Ficinum, qui magis adhuc apertè, & ad noſtri Emblematis mentem, totum hoc Capitis humani, & Reipublicæ officium, excellentiæque, quam requirit, rationem, ſic eleganter exponit: *Cum omnes homines, & ſpecie ſint æquales, & arbitrio liberi; iniquiſsimo nimirum animo ſervitutem ferunt, niſi fortè qui dominantur, quantũ inferiores excedunt ſublimitate, tantũ eiſdē æquentur humilitate, ac longè magis Sapientia, quàm fortuna excellere videantur. Natura mēbris capite inferioribus ſolam dedit tangendi potentiam, ſolum verò caput*

omnium ſenſuum viribus exornavit. Quæ quidem in re homines admonuiſſe videtur, qui cæteris tanquam caput præeſſe conantur, tantum ſapientia reliquos ſuperare debere, quantum caput ipſum ſenſu membra omnia ſuperat.

7 Et aliis relictis, quæ facilè eſſet in eiuſdem ſimilitudinis cõprobationem congerere; quoniam qui cum Regibus loquimur, documentis aliorum Regum magis ipſorũ animos accendemus; præſtat eiſdẽ Alfonſi Regis Noſtri X. verba proponere, qui in ſuis ſeptem partis legibus, non contentus ſæpè ſæpius hac ſimilitudine uti, in quadã ſcitiſsimè exprimit, quibus de cauſis Reges ſui Regni Caput dicãtur. In alia, poſtquàm ex Sanctorũ Patrum auctoritate deduxit, Regẽ populi ſui Cor, & Animam eſſe, ex quibus reliquis membris motus atque operatio, & vita cõtingit, ac proinde eidem parere & opitulari debere, hæc ſtatim verba ſubnectit: *E naturalmente dixeron los Sabios, que el Rei es Cabeça del Reino; que aſsi como de la Cabeça nacen los ſentidos del cuerpo, bien aſsi por el mandamiento del Rei, que es Señor, i Cabeça de todos los del Reino, ſe deben mandar, i guiar, i aver un acuerdo con èl para le obedecer, i amparar, è guiar, è acrecentar el Reino, onde èl es el Alma, i Cabeça, i ellos los miembros, &c.*

L. 9. tit. 13. par. 2.

L. 5. tit. 1. par. 2.

8 Et rurſus in alia, non minùs ad rem noſtrã aptè, ſic habet: *Semejança mui con razon puſieron los Sabios en dos maneras al Rei ſobre ſu pueblo: la una à la Cabeça del ome, onde nacen los ſentidos: la otra al Coraçon, do es el anima de la vida. Ca aſsi como por los ſentidos de la Cabeça ſe mandã todos los miembros del Cuerpo; otroſi todos los del Reino ſe mandan, è ſe guiã por el ſeſſo del Rei, è por eſſo es llamado Cabeça del pueblo. Otroſi, como el Coraçon eſtà en medio del cuerpo, para dar vida egualmente à todos los mièbros dèl: aſsi puſo Dios al Rei en medio del pueblo, para dar egualdad, è juſticia à todos comunalmente, porq̃ puedan vivir en paz. E por eſta razon le puſieron eſte nombre los Antiguos, Anima è Coraçon del pueblo: è bien aſsi como todos los miembros del cuerpo guardan, è defienden à eſtos dos, otroſi el Pueblo es tenudo de guardar, & de defender al Rei, que es pueſto à ſemejança de ellos, demas que es Señor natural, &c.*

L. 26. quæ eſt ult. tit. 13. par. 2.

9 Quas leges, licèt earum Gloſſographi parũ aut nihil illuſtrent, Hieronymus tamen Zevallus, ipſarum mentionem faciens, dixit, ob celſitudinem etiã, Capiti in totum corpus Principatum concedi, indeque item Regibus aſsimilari, & dominationis ſymbolum & indicium eſſe, (quod & Pierius Valerianus obſervat.) Et quia quemadmodũ caput oculis conſtat, ſic Rex populo proſpicere debeat, ſcireque, quòd in ſe eſt, obtutu res occultas præ cæteris rimari; Aquilæ Regiæ ſimilis, quæ cum in aërem referatur, piſces in profundo maris introſpicit.

Montal. & Greg. Lopez.

Zevall. de violen. gloſſ. 18. n. 60. & 61.

Pier. ſup. fol. 225. 6

10 Sed melius, ad eaſdẽ leges veluti reſpiciens D. Thomas, ſic habet: *Hoc igitur officium Rex ſe ſuſcepiſſe cognoſcat, ut ſit in Regno, ſicut in corpore anima, & ſicut Deus in mundo: quæ ſi diligenter recogitet, ex altero in eo juſtitiæ zelus accenditur, dum conſiderat ſe ad hoc poſitum, ut loco Dei iudicium in Regno exerceat: ex altero verò manſuetudinis & clementiæ lenitatem acquirat, dum reputat, ſingulos, qui ſuo ſubſunt regimini, ſicut propria membra.*

D. Thom. de Regim. Princ. lib. cap.

Pineda in Iob cap. 29. verſ. 15. n.4. pag.537.

Noſter quoque Ioannes Pineda, lectu digniſsimus, illud Iobi exponens, quo dixit: *Oculus fui cæco, & pes claudo*, valdè ad rem noſtram ſubnotat, Principes in Scripturis, habere nomen ab elevando, non tã quòd ipſi elevati ſint, portenturque ſublimes in humeris aliorũ, quam quòd ipſi elevent, portentque aliorum onera ſuper ſe, & licèt caput ſint, ac ſuprema Reip. pars, ita tamen debeant intendere in ſingulorũ, etiam abiectiſsimorum popularium commoda, ut etiam oculi ſint, atque pedes, cæteraque membra Reipublicæ neceſſaria. Non enim tantum loci, & ſedis præcellentis honorem habet Caput in humano corpore, ſui honoris gratia, ſed potius propter totius corporis utilitatem, & uſum, ut melius influxum ſuum atque vim derivare inde poſsit in univerſas totius corporis partes. Quare ita Princeps eſt Caput, ut ſit cor Reipublicæ, manus, pedes, qui totũ Reipublicæ pondus ſuſtineãt, & circumferant. Et rurſus de domus contignatione cum Eccleſiaſte pertractans, non minus benè conſiderat, quod licèt in ædificiis lapideis, fundamentum infimum ea firma & ſtabilia reddere ſoleat: in Republica tamen, tectum, & pars Regni ſuprema, inferiora omnia protegit, & ſuo complexu continet; hæc enim nituntur tecto, & contignationi. Et quamquam Principes ſuam etiam fundamenti rationem obtineant, & orbem portare dicantur, quippè iidem qui ſunt Capita populorum, ſint etiam & pedes. Qua tamen parte tectis propter ſummitatem aſsimilantur, ad eos ſpectat reliqua Regni ſarta ac tecta tueri, ſedulòque diſpicere, & inquirere, num tigna domus integra ſint, & ponderi, cui deſerviunt, ſufficiant. 11

Idem Pineda in Eccleſ. c.10. verſ.17. pag.1036.

Sed ut Emblematis noſtri, & dictarum legum ſingulas partes magis illuſtremus, quod in eis de Principatu Capitis dicitur, propter ſenſuũ omnium ſedem inibi à natura locatam, ad Sapientiam & Prudentiã pertinet, quæ in Principe, Reipublicæ quoque Capite, deſideratur. Deus quippè, ut ille dixit: 12

Hanc ſumma capitis fundavit in arce
Mandatricem operum, proſpectricemque laborum.

Cunctorumque ſaluti, in ita edito loco conſtituit, ne cupido luxuria, atque appetitus, & alia vitia, quæ in corpore infernas abdominis partes tenent, publicam in ipſa, & cum ipſa, utilitatem perturbent.

Homob. de ſtat. hom. pag. 103.

Eſtque adeò in quolibet homine, ſed præcipuè in Moderatore aliorum hominum, neceſſaria, ut Homerus ab Homobono relatus, eam *cæterarum virtutum aurigam* faciat; Seneca, eius originem à cœlo deducat, & ita magnificet, ut ipſam vocare audeat: *Partem in homine Divini Spiritus merſam*. D. Auguſtinus: *Aſpectum mentis, qui bonum malumque diſcernit, virtutes eligit, Deum diligit, & cognitionem rerum appetendarum, & fugiendarum.* D. Gregorius: *Amorem ſagaciter eligentem ea, quibus adiuvatur, ab eis quibus impeditur.* D. Thomas: *Rectam rationem rerum agendarum, cuius præſcripto omnes aliæ virtutes in ſuis actibus continentur.* Et alia lex noſtra partitæ: *Cordura es la primera de las otras quatro virtudes, que diximos en la tercera lei ante de eſta, que ha el Rei mucho meneſter para vivir en eſte mundo bien derechamente. Ca* 13

Senec. in lib. de ſpirit. & anim.

D. Aug. lib. 83. q.

D. Greg. in lib. de morib. Eccl.

D. Thom. 2.2. q. 47. art. 6.

L.8. tit.5. par.2.

eſta

eſta faze ver las caſas, è juzgarlas ciertamente ſegund ſon, è pueden ſer, è obrar in illas como debe, è non rebatoſamente.

14 Vnde Ariſtoteles meritò docuit, Prudentiam eſſe propriam Principum virtutem, & ſolidum mentis noſtræ ædificium, ea, & temperantia, fortitudine ac iuſtitia contineri. Et non minùs rectè Clytarchus dixiſſe narratur, quòd *Regem Prudentia non diadema efficit, mens enim eſt quæ imperat.* Xenophon quoque, Reges ac Principes illos dicebat eſſe, non qui Sceptra tenerent, vel à quibuſvis eſſent delecti, vel ſorte, vi, aut fraudibus eò perveniſſent; ſed quotquot imperandi periti eſſent.

Ariſtot. 3. Polit. c. 7. ornat. pluribus Menoch. de arbit. caſu 426.

Xenoph. in Cyripæd.

15 Et apud Plutarchũ legimus, quòd cum quidã reprehendẽdi animo Iphicratem interrogaſſet, quis eſſet? Cum neque arma, neque arcum, neque cetras ferentium in ordine cenſeretur. Reſpondit, eum ſe eſſe, qui hiſce omnibus imperaret. Sic ſentiens, pulchrius eſſe bonum præſtare Ducem, quàm quemvis militem; & Imperatorem hac virtute præditũ eſſe oportere, qua ſine, reliqua quæ hominibus pretioſa, pulchra, iucunda, laudabilia, utiliavè videntur, inutilia, damnoſa, ſteriliaque ſunt, & moleſtiam potius quàm laudem, vel gloriam poſsidentibus allatura.

Plutar. in Apot. & Lycoſth. pag. 232.

16 Eaque propter Aurelius Victor, duo eſſe dixit, quæ ab egregiis Principibus expectentur; domi ſanctitatem, in armis fortitudinem: utrobique autem Prudentiam, quæ aliarum directio eſt. Et inde Trajanum commendat, qui, quaſi temperamento quodã, has virtutes miſcuiſſe videretur, niſi qui cibo, vinoque paullulum deditus erat. Et nõ minùs verè Iuvenalis, nullum Numen ab eſſe inquit, ſi Prudentia in nobis, & præſertim in Principibus, adſit. Quam in eiſdem multum requirens Hermannus Kirchenerus, valdè dolet in paucißimis reperiri, & Marcus Prætorius ſic illius effectus deſcribit, & quàm ſit Regnantibus neceſſaria concludit:

Aurel. Vict. in Epit. Imp. c. 13. de Trajano.

Iuven. ſatyr. 10.

Kirchener. de off. & dignit. Cancell. lib. 1. cap. 13.

M. Prætor. in carmin. de Prud.

Vt procul è ſpecula, ſumma velturre, ruentem
In patrias violenter opes, vigil aſpicit hoſtem,
Venturaſque cavet clades, & publica damna:
Sic Ego proſpicio caſus longè ante futuros,
Multaque maturè diſcrimina, multa pericla,
Conſiliis averto bonis, & mente ſagaci
Dirigo magnarum perplexa negotia rerum.
Ergo age qui populi faſces, & Sceptra gubernas,
Huc ades, & noſtris faciles da vocibus aures.

17 Et ut omittam Ioannem Idenium, Antonium Bergam, & alios, qui de Prudentiæ neceſsitate in Reipublicæ Capitibus latiſsimè perorarunt, videndum præ omnibus moneo Ægidium Romanum, qui pluribus Principes inſtruit, quomodo Prudentes evadere poſsint, quantumque ac quare in hac virtute paranda debeant inſudare. Et Andræã Gaillium, qui magis adhuc ſcopum noſtri Emblematis feriens, non ſolùm unũ caput, vel unius capitis ſenſus, ſed plura, & plures in Prin-

Iden. de virtut. bon. Princ. cap. 2. Berg. in prælect. de prud. Princ. neceſ. Oſlor. de Reg. inſt. & in lib. de Sapien.

Ægid. de Regim. princ. 2. p. li. 1. c. 9.

And. Gail de pace pub. lib. 1. c. 3. n. 11

cipi-

cipibus, Iani inſtar, deſiderat, ſic inquiens: *Advigilare igitur, & gemina fronte debet eſſe bonus Princeps, inſtar Iani antiquiſsimi Italiæ Regis, ut præterita noſcat, & futura proſpiciat. Hæc enim ad Principis prudentiam ſolertiamque pertinet: nam ex præteritis & præſentibus futura metienda ſunt, & in minimis vigilandum, ne paulatim incidamus in maxima incommoda, quia res initio puſillæ, creſcunt in maius. Vnde proverbio dicitur Minutulam pluviam imbrē facere; ad quod pulchrè alludit Plautus in Menæchmis, Nunc in te cadunt folia, poſt cadent arbores.*

Alciat. Embl. 18.

18 Quo loco citare potuit nobile illud Alciati Emblema, quod ſub Iani bifrontis figura in Prudentiæ ſymbolum fecit, ſic inquiens:

Iane bifrons, qui iam tranſacta, futuraque calles,
Quique retro ſannas, ſicut & ante, vides:
Te tot cur oculis; cur fingunt vultibus? an quòd
Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet?

Macrob. 1. Saturn. cap. 7.
Plaut. in Aulularia.
Horus Apoll. in Hierogl.

Vbi benè Claudius Minoes ex Macrobio addit, hunc certè Regis optimi Typum eſſe, qui cum cæteris præſit, debet etiam prudentia aliiſque virtutibus cæteros (ut & iam Nos ſuprà diximus) antecedere, &, ut Plautus ait, etiam in occipitio oculos habere. Neque alia ratione Ægyptios oculum in Sceptro Regio in ſuis Hieroglyphicis deſignaſſe, quàm ut in Principibus ſummiſque Regibus, maximè Prudentiam, tanquam Reip. vigilantem, & proſpicientem oculum eſſe, ſignificarent. Et quod Sol in cœlo, qui oculus Mundi dicitur, id Princeps in populo præſtaret, & multitudinis oculus eſſet.

Saaved. poſt alios, in Id. Polit. pag. 497.
Plutarc. in Apoph. Lacon.
Tacit. 1. Annal.
Salluſt. in Catilin.
Dio lib. 41.

19 Quod adeò verum eſt, ut ubi Caput his ſenſibus, hacvè prudentia viget, & concreditum ſibi munus perfectè, ut oportet, exercet, populis tactus dumtaxat remaneat, ut in noſtro Emblemate addimus, hoc eſt, parendi & exequendi imperata neceſsitas; neque expediens cordatis viris cenſeatur; ut multum is de ſuo iudicio, conſiliovè præſumat. Eaque propter Spartani, teſte Plutarcho, litteras ad uſum tantùm diſcebant, reliqua omnis diſciplina erat, ut populi benè parerēt, & in pugna vincerent. In idemque reſpiciens Tacitus: *Vnum eſſe* docuit *Reipublicæ Corpus, atque unius animo regendum.* Et Saluſtius: *Patres valere decet conſilio, populo ſupervacanea calliditas eſt.*

Livius lib. 2. Sen. de ira, lib. 2. Halicarn. lib. 6. & alij, apud Me in 2. to. de Ind. gub. lib. 1. c. 4. n. 78. & ſeqq. Canone in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 181. Delri. in Adag. ſacr. 2. to. pag. 397. Plut. in vita Agis, & Cleom. in princ.

20 Et cum, vel Dione docente, Natura duas res, eaſdemque ſalutares, humano generi comparaverit, ut alij cum imperio eſſent, alij ei ſubiicerentur, nihilque ſit, quæ citra hæc vel minimo queat ſpacio perdurare; iam apparet, quanta erit in Republica perturbatio, ſi membra capiti non obediant, ſed potius capitis officium uſurpare conentur, ſic ipſum, ſeque ipſa, pariter peſſundantes, non ſecus, atque in humano contingeret corpore, ſi vel à ſuo capite diſcederent membra, vel ipſa inter ſe præſcriptas ſibi à Natura functiones non obſervarent, ut præclaro illo, ſatiſque vulgato Apologo ventris, & reliquorum membrorum, docuit Menenius Agrippa, plebem à Patribus diſcedentem, eius vi in concordiam reducens, ut latiùs, poſt Livium, alij plures Scriptores recenſent, totam Politicam in eo contineri dicentes.

21 Et alio, non ita obvio, & ad rem noſtram magis ſpectante, Plutar-

chus,

chus, de dracone, cuius fabula refert, diſsidentem à capite caudam, viciſsim poſtulaviſſe, ducere, neque perpetuò illud ſequi. Accepto ducatu, cum ipſam vexatam fuiſſe, quòd ſtultè iter inſtituerat; tum caput laceraſſe, quòd membra cæca & ſurda ſequi cogeretur contra naturam: *Idemque cernimus* (ſubdit) *multis, qui Remp geſſerunt populariter, accidiſſe; cum enim multitudini temerè iactanti addixiſſent ſe, neque revocare poſt, neque ſiſtere potuerunt confuſionem.*

22 Et certè, ſemper hæc, & alia damna ſuboriri, ſi ſchiſma in Politico Reipublicæ corpore interveniat, optimè noſter Magiſter Marquez ſcriptum reliquit, inter alia D.Pauli locum expendens, quo monet: *Vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro invicem ſolicita ſint membra.* Et quemadmodum omnes benè facient omnia, ſi is qui imperat rectè imperet, ut Populum Romanum Imperatori Alexandro Severo reſpondiſſe Xiphilinus commemorat: *Omnes rectè faciunt omnia, quia tu rectè imperas.* Sic ex adverſo, ſecundùm Hieronymum Oſſorium, ſi in Republica quilibet ſuum gradum non ſervat; officiumvè non facit, nihil rectè, nihilque ornatè fieri poteſt, ſed omnia perturbari, & commoſceri neceſſe eſt.

Marq. in Gubern. Chriſt. 1. par. pag. 173.

D.Paul. 1. ad Corint. 12. 25.

Xiphil. in Alexãd. Severo.

Oſſor. lib. 1. de Reg. inſt.

23 *Tunc quippè* (iuxta D.Thomæ doctrinam) *eſt perfecta Civium Congregatio, quando quilibet in ſuo ſtatu debitam habet diſpoſitionem, & operationem: ſic enim ædificium eſt ſtabile, quando partes eius ſunt benè ſitæ. Sic de Politia contingit, quæ firmitatem habet, & perpetuitatem, quando unuſquiſque in ſuo gradu, ſive officialis ſit, ſive ſubditus, debitè operantur, ut ſuæ conditionis requirit actio, &c.*

D.Thom. lib. 4. de Regim. Princip. cap. 23.

24 Quod D.Thoma non citato, Ioannes Saresberienſis his etiã verbis non inelegantius expreſsit: *Tunc etenim totum Reipublicæ Corpus roboris ſui integritate vigebit, tunc optimæ compoſitionis ſpecie venuſtabitur, & elegantis pulchritudinis decorem induet; ſi ſingula locum teneãt ſortita decenter. Si fuerit officiorum non confuſio, ſed diſtributio. Hoc ita, ſi optimam vivendi ducem naturam ſequimur. Sed nunc, quod Medicorum eſt promittunt fabri, Medici fabrilia tractant, & officium Præſidendi à venatoribus, & humilioribus officiis, aut etiam maleficiis mutuatur; & privatorum temeritas, aut diſciplinæ ignorantia, ſe audet publicis officiis immiſcere.*

Sarisberienſ. in Policrat. lib. 1. c. 3. & lib. 5. c. 2. & ſeqq.

25 Denique, quod in noſtro Emblemate pingimus, & relatæ Noſtrarum Partitarum leges prolixius enarrant, de mixti Corporis Regni cum ſuo Rege ac Capite unione, & qualiter, ad imitationem humani, unum corpus conſtituant, & ſe inter ſe mutuis officiis & auxiliis invare debeant, non minùs certum, quàm apertum eſt, & à Politicis omnibus ita paſsim probatum, & illuſtratum, ut ſupervacanei laboris cenſeri poſsit, in eo retractando verba conſumere. Sed adhuc illa Senecæ omitti non poſſunt, quibus tunc, tam Romini Imperij, quam aliorum ruinam nunciatur: *Quando ab hac unitate diſceſſerint, Populuſque impoſitos ſibi à ſuo capite frenos abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos, reponi ſibi paſſus non erit. Hæc unitas & hic maximi Imperij contextus, in partes multas diſsiliet: idemque huic urbi dominandi finis erit, qui & parendi fuerit. Ideò Principes Regeſque, & quocunque alio nomine ſunt tutores*

Senec. lib. 1. de Clem. cap. 4.

ſta-

ſtatus publici, non eſt mirum amari, ultra privatas etiam neceſsitudines. Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt, ſequitur utique, quod charior ſit, in quem ſe Reſpublica convertit. Olim enim ita ſe induit Reip. Cæſar, ut diduci alterum non poſsit, ſine utriuſque pernicie, nam ut illi viribus opus eſt, ita huic capite. Ille enim eſt vinculum per quod Reſpublica cohæret, ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur:

Virg. 4. Georg. loquens de Apibus.

------- Rege incolumi mens omnibus una
Amiſſo rupere Fidem.

Canonh. in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 213.

Petrus etiam Andræas Canonherius, eandem ſimilitudinem premens, inquit, quòd ſicut in corpore humano partes ſunt ſibi mutuo auxilio, ac in primis caput protegunt, ac defendunt, quia ab eo ſingularum ſalus dependet: ſic in Republica cives Magiſtratuum ac Principum defenſionem capere debent, & carmina hæc ex quodam incerto Poëta ſubponit: 26

Eſt corpus, quod in his viget inviolabile terris:
Robore membra valent, conſilioque Caput.
Poſcit opem pia membra Caput, nec membra recuſant:
Mutuus hic demum conſolidatur Amor.
Fit, fieri longo nequit ut quod tempore tandem,
Cur? Capitis curam nam Deus ipſe gerit.
Quàm benè dum Caput eſt ſalvum, ſalva omnia membra;
Ergo ut vivatis, membra fovete Caput.

Morus in Epigr. pag. mihi 212.

Et potuit etiam adducere elegantius adhuc Epigramma Piiſsimi ac eruditiſsimi Thomæ Mori, qui de eodē argumento agēs, ſic habet: 27

Totum eſt unus Homo Regnum, idque cohæret amore,
Rex Caput eſt; Populus cætera membra facit.
Rex quot habet cives (dolet ergo perdere quemquam)
Tot numerat partes Corporis ipſe ſui:
Exponit populus ſeſe pro Rege, putatque
Quilibet hunc proprij Corporis eſſe Caput.

Alex. Sever. Imp. in l. non tantū 25. C. de appell. quam è Græco traduxit Alciat. lib. 1. diſpunct. cap. 16.

D. Chryſoſt. ſuper Iob cap. 29.

Atque hinc eſt, ut Bonus Princeps non ſolùm ſubditorum calamitatem ſolari, ſed illam, quoad fieri poſsit auferre ac reſarcire debeat, & Alexandri Severi Imperatoris celebrem illam legem ſequutus: *Nō minus in cura, eorum, qui reguntur, libertatem & utilitatem, quàm obedientiam, & benevolentiam habere.* Eoſdem ipſos tanquam Caput totis ſenſibus, totis nervis, ac conſiliis iuvans, regens, ac dirigēs, & Chriſti exemplo, in illorum doloribus, & languoribus Chirurgum ac Medicum agens, qui, ut D. Chryſoſt. inquit: *Pro natura melior quidē, quàm quivis Medicus, curator erat hominum mancorum ac membris captorum: nam quæ arte corrigi nequibant, ſolatio ipſa ac mira providentia uſus, recreabat, ſiquidem, nec claudicationem, nec cæcitantem illi ipſi ſentiebant: tanta in eos huius cura, & ſtudium exiſtebat, ut calamitatem ipſam mini-* 28

mè viderentur experti. Noſtræ autem ætatis homines, videntes etiam ea cosfaciunt.

29 Quemadmodum alia ex parte Populus ipſe, in ſuo Principe amando, protegendo, obediendo, & modis omnibus inſerviendo, nullum ſtudium, nullumque officium omittere debet. Hoc enim pacto, ut rectè Marcus Antonius Petilius animadvertit, illud Salomonis implebitur, dum in unius hominis ſapientia, totius civitatis ſapientiam, & ſalutem poſitam dixit. Et hoc nodo (quem ipſe Petilius Gordianum, ſeu Herculanum fuiſſe inquit, & à Rege Noſtro Ferdinando Catholico in hunc ſenſum pro ſymbolo, aut inſigni geſtatum) omnis Reipublicæ nexus, fœlixque & durabilis ſtatus continetur ac conſervatur, dum ſic Princeps Regnum, & Regnum Principi; Caput membris, mēbraque Capiti, mutuis officiis, & auxiliis ſe invicem vincunt, ac vinciunt, & alij aliis opitulantur, ut veluti inſolubile, ac difficile iudicatu ſit, quis cui plus præſtet, aut debeat, ut Græco quondam illo Epigramate notabatur, de Claudo, humeris cæci geſtato, dum ille hunc ſuis oculis dirigebat, & hic illum ſanis pedibus commodabat. Ex quo Alciatus ſub lemate, *Mutuum auxilium*; hoc Emblema formavit:

Petil. de mun. Princip. lib. 4. c. 5.

Eccleſ. 9. 15.

Alciat. Embl. 160.

Loripidem ſublatum humeris fert lumine cæcus,
Et ſocij hæc oculis munera retribuit:
Quo caret alteruter, concors ſic præſtat uterque,
Et ſocij hæc oculis munera retribuit.

30 Ex quibus & aliis Marquez noſter concludit: *Que es meneſter que Rei, i Reino ſe traigan en ombros.* Et in idem tendens D. Chryſoſtomus addit, ex eodem Capitis officio, quod in Rege agnoſcimus dimanare, ut quemadmodum ſolum caput reliquorum artuum plagas luget, ita Rex, Caput gentium, pro ærumnis, & calamitatibus ſubditorum ſibi hominum, torqueatur, miſereatur, & lachrymetur, ut & D. Paulus ſe pro ſuis diſcipulis, & Eccleſiis, quarum Caput erat, feciſſe teſtatur; & Caſsiodorus de ſuo Theodorico paſsim prædicare conſpicitur. Quibus addo colophonem ex Seneca, qui idem officium Capitis, non minùs ſcitè, his verbis expreſsit: *A capite bona valetudo: inde omnia vegeta ſunt, atque erecta, aut languore demiſſa, prout animus eorum viget, aut marceſcit. Et erunt cives, erunt ſocij, digni hac bonitate, & in totum orbem recti mores revertentur.*

D. Chryſoſt. epiſt. 29. ad Roman. Euſeb. in Theop. pag 551.

D. Paul. 2. Cor. 11. 29.

Caſsiod lib. 6. epiſ. 24. & lib. 10. ep. 17

Senec. de Clem. lib. 2. cap. 2.

Vita

Vita Regum, quaſi Texentis.

EMBLEMA XIV.



Stamina cur Celſæ dabimus texenda Coronæ.
Cur Regis manibus ſtamen ſecernit arundo?
Expediunt radios digiti, pedibuſq; citatum
Ardet opus, doctoſq; movet per fila lacertos.
Rex deamet Texentis opus, Regnoq; regendo
Brachia mens, oculus vigilent, quando omnia luſtrāt.

COMMENTARIVS.

NENDI, texendique artem Palladem, alio nomine Minervam dictam, inſtituiſſe, vel ex Faſtis Ovidij diſcere poſſumus, ubi ait: 1

Ovid.3.Faſt.

Pallade placata lanam mollire puellæ
Diſcant, & plenas exonerare colos.
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine denſat opus.

Quæ, cum etiam Armorum, & LitteramDea nuncupetur, nemo mirabitur, ſi ut has, illam quoque artem Regibus applicemus.

Præſertim cum textoria operatio, ac ſimul telæ præciſio, non ſemel in Sacris Litteris vitæ hominis, brevitatique eius aſsimiletur; ſic enim apud Iſaiā legimus: *Præciſa eſt velut à texente vita mea, &c.* & apud Io- 2

Iſaiæ 38.12.

bum:

bum: *Dies mei velocius tranſierunt, quàm a Texente tela ſucciditur; & conſumti ſunt abſque ulla ſpe.* Et appoſitè quidem, nam fila, quibus vita hominum texitur, torquent, nent, & præſcindunt tres illæ Parcæ, quas hac de cauſa Apuleius, *Textrices*, Alij Sorores lanificas, Deaſque fatales appellarunt, humanæ vitæ ſtamina diſpenſantes; ut latè Lilius Giraldus, & Natalis Comes oſtendunt.

Iob 7.6.
Apulei. in Aſin. aureo, lib. 6.
Giral. de Dijs gen. ſyntag. 1. Nat. Comes in Mitholog. pag 207. & ſeqq.

3 Nos, noſtro hoc Emblemate, Reges Textoribus ſimiles facimus, non tam ob ius vitæ, & necis, quod Parcarum inſtar in ſubditos habēt, quàm ad Apohthegma Chriſtianiſsimi Galliarum Regis Henrici IV. reſpectum habentes, qui, ut Petrus Matthæus in ſuis narrationibus refert, ſæpiùs dicere ſolebat, Regis vitam & officium, eiuſdem eſſe conditionis cum vita, & officio Texentis, quoniam uterque in miniſterio ſive opere ſuo, quod valdè eſt laborioſum, nimis attentus, & aſsiduus eſſe debet, ut potè quod omnem omninò hominem deſideret. Simul quippè Texenti brachiis, & pedibus operandum eſt, oculis ad telam intendendum, totaque animi contentione de tot filis uno eodemque tempore curandum, unus enim rumpitur, alter alibi hæret, ſeu implicatur, & ſi forcipe utens, eandem fortè tranſverſam agas, totam telā, quam fueras orſus, diſſolves, & inutilem reddes.

Pet. Matth. in narrat 1. par. pag. mihi 65. & 66.

4 Quod poſt Poſsidonium deſcribens Seneca, curare debere Textorem ait: *Quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli ſolutoque ducantur: deinde quemadmodum tela ſuſpenſis ponderibus rectum ſtamen extendat, quemadmodum ſubtemen inſertum, quod duritiam utrinque comprimentis tramæ remolliat, ſpata coire cogantur & iungi, quia, ut ait Ovidius:*

Senec. epiſt. 90. ad medium.

Tela iugo iuncta eſt, ſtamen ſecernit arundo
Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,
Percuſſo feriunt inſecti pectine dentes.

Ovid. 6. Metam.

5 Prout pariter in Regis vita munerque cōtingit, qui omnes ſui Regni partes animo complecti, omnibuſque author eſſe debet, ut alibi dixit Statius Papinius:

Omnia namque animo complexus, & omnibus Author.

Stat. in Epiced. Patricij.

Et in omnia oculorum aciem dirigere, ſimulque manus ac pedes admovere opus eſt, & tota mente pluribus, eiſdemque diviſis emergentium negotiorum filis, diviſim etiam intendere. Vnum puta filū in Hiſpaniam diducens, in Italiam alterum: alterum in Galliam, aut ulteriores Indiarum provincias, non omiſſa interim cura eorum, quæ domi pace bellovè geruntur, aut diſponuntur. Quorum ſi aliquod fortè rumpatur, ſummo ſtudio, ut ſtatim nodetur, altervè eius loco adnectatur, curādum eſt, ne ſi ſecus fiat, vel tota tela rumpatur, vel minùs aptè ſibi cohæreat, & univerſus labor propter quamlibet incuriam fruſtretur, & finis, tot mediis curiſque exoptatus, conſequi nequeat. Exemplo Virgiliani Palinuri, qui in mari, non de die ſolùm gubernabat, ſed ipſa nocte:

Virg. Æneid. 4.

-------- Clavumque affixus, & hærens,
Nunquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

Qua-

Lucian. in Dialog. quom. hiſt. ſcrib. & in Icaro menijs.

6 Quarum ſanè rerum multiplicatam, & ſæpè implicatam ſolicitudinem, in ſuo Iove, licèt ſatyricè, aut ironicè pungit Lucianus, uno in loco dicens, qualiter nunc Equeſtrum Thracum terram aſpiciat: nunc autem rurſus ad Myſſorum terram oculos deflectat; rurſuſque ad res Romanorum ſeorſim aſpiciat, & ſtatim in Perſas ſe ſe convertat. Et in alio, quomodo det vota proponentibus, iurantibus, aut fœdera ferictibus, operam; quomodo de auguriis ac divinationibus audiat, fumumque & orationes ſacrificantium, remque divinam facientiũ, accipiat: rurſumque omiſsis his, ventis & horis mandet, quæ facere debeant: *Hodie apud Scytas pluito, apud Lybes fulgurato, apud Græcos ningito. At Tu Boreaſpira in Lydia. Tu Note quieſce: Zephirus Adriani undas concitet. Tum in Cappadociam grandinis mille modij diſpergantur.*

Plin. Iun. li. 2. ep. 8.

7 Et ſeriora percurrentes, ſi, vel Plinius Iunior, privatus homo, & privatam adhuc vitam agens, ad noſtram veluti textrinam reſpicieris, arctiſsimos negotiorum laqueos, quibus diſtinebatur, abrumpere cupiebat, ſi ſolvere negaretur: *Nam veteribus* (inquit) *negotiis nova accedunt, nec tamen priora peraguntur, tot nexibus, tot quaſi catenis, maius indies occupationis agmen extenditur.* Quid de Regibus ac Principibus multarum gentium dicere, aut ſentire poterimus, in quibus, & de quibus, meritò hac de cauſa dicere Seneca potuit, Magnam ſervitutem eſſe magnam fortunam, nec licere ſibi quicquam arbitrio ſuo facere: *Audienda*, addens; *ſunt tot hominum millia, tot diſponendi libelli; tantus rerum ex toto orbe accurrentium congeſtus, ut poſsit per ordinem ſuum Principis animo ſubiici, erigendus ipſe es, ex quo ſe Cæſar orbi terrarum dedicavit, ſibi eripuit, & ſyderum modo, quæ irrequieta ſemper, curſus ſuos explicant, nunquam illi licet, nec ſubſiſtere, nec quicquam ſuum facere, &c.*

Senec. de Conſol. ad Polyb. cap. 26.

Plin. in Paneg. ad Trajan.

8 Cui loco (quem iam latiùs expendi in Emblematis duodecimi Cõmentario) mirè alter Plinij Iunioris arridet, qui ſuum Trajanum maximè vel ex eo commendat, quòd *velociſsimi ſyderis more, omnia inviſeret, omnia audiret, omnia curaret, & undecunque invocatum, ſtatim, numen velut, adeſſet; inſtarque refectionis exiſtimaret, mutationem laboris.* Prout & in ſuo Theodoſio Latinus Pacatus, eandemmet ſententiam his verbis expendens: *Gaudent profecto divina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas: & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cœlum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit: ita tu Imperator, continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exercitus es.*

Lamprid. in Iuliano.

Panorm. de dict. & fact. Reg. Alfon.

9 In haſque ipſas ſedulas Principum attentiones, & aſsiduas occupationes reſpicit illud, quod Iulianus Imperator, amicis de Imperio gratulantibus, reſpondit, ut Lampridius commemorat: *Cœpit purpurea mors, & Parca violenta. Nihil me amplius aſſequutum puto, quàm ut occupatior interearn*; & Alfonſi Regis Neapolitani, & Aragonum Primi, qui referente Antonio Panormitano, quibuſdam in Regibus multum laborem culpantibus, dixit: *Naturam Regibus manus non dediſſe, ut eas prorſus otioſas eſſe ſinerent.* Cum potius certum ſit, rectèque à Petilio & Lainez animadverſum, nunquam debere Reges ſe ita dili-

Petil. de mun. Princip. lib. 1. c. 32. in fin. Lain. in Privat. Chriſt. pag. 524.

gen-

gentes,ac vigilantes putare,quin & diligentiores ac vigilãtiores eſſe oporteat,ſi vel ſe ipſos inſpectẽt,vel populũ, cuius meritis & neceſsitatibus,ut alibi Cicero ait,officia eorũ licèt ſit magna vincuntur;& à quo,in harũ curarum & ſolicitudinũ præmiũ,ut iã ſuprà ex Socrate,& alijs retulimus(& latè & elegãter Noſter Euſebius Nierẽbergius proſequitur) Principatum accipiunt,non ut ſui ipſorum curam habeant.

Cicer. lib. 1. fam. epiſt.8.& lib.6. epiſt.4.

Euſeb. Nieremb. in Theopol.lib. 1. par.2. c. 2.ex pag. 329.

10 Vnde Tacitus eos notat: *Qui hæc Principatus præmia putant,ut libido, ac voluptas penes ipſos ſit: robur ac dedecus penes omnes.* Et Seneca docet,quòd,ut quidam Sole & exercitatione,& cura, corporis diẽ ducunt, Athetliſque utiliſsimum eſt,lacertos ſuos roburque,cui ſe uni dicaverunt, maiore temporis parte nutrire: ita & illis, qui animum ad rerũ civiliũ certamen parant,in opere eſſe,non poteſt non eſſe longè pulcherrimũ.Et cum utiles ſe efficere civibus, mortalibuſque propoſitum habeant,ſimul & exerceantur,& proficiant,qui in medijs ſe officijs poſuerunt,communia pro facultate adminiſtrantes.

Tacit. 1.hiſt.c.30.

Senec. de Tranq. cap.3.

11 Quam obligationem agnoſcens Marcus Aurelius Imperator, ut Dio in eius vita recenſet,nihil dicere ſolebat,nihil ſcribere,aut facere negligenter,ſed attentionem Noſtri Textoris veluti præ oculis habens,vel in minimis rebus diem ſæpè numerò conſumebat; quòd exiſtimaret,non decere Imperatorem temerè,& properè quicquam agere.Si quid enim prætermiſiſſet, vel in minimis rebus, non putabat ſe in cæteris calumniam effugere poſſe.

Dion,& Xiph. in M. Aurel.

12 Eandemque ſentiens, & deſcribens Rodericus Calagurritanus, duriſsimum officium Regis dixit: *Quoniam non vacat tempus Principi, ſatisfacturo fortunæ omnium, providentique communi. Duorum, vel trium liberorum educatio occupat totum pectus paternum, licèt amor illud capax faciat, & expandat curis. Quomodo tot millium capitum procuratio non innumeris curis Regium tandet pectus?*

Roder. Calagurr. lib.1.Spec. cap.2.

13 Rex enim Pater orphanorum eſt, Sponſus viduarum, Deus pauperum,Satelles divitum,Oculus cæcorum,Manus mutilatorum,Supplementum neceſsitatum communium, Votum univerſorum, Amor omnium, Numen mortale. & in hoc primum æternum debet imitari, quod æternè curet, vigilet, amet,agat, id eſt, benè agat, benè texat, benè fila telæ Regni ſui diſponat & premat.

Euſeb.ubi ſuprà.

14 Vnde æquè atque in alijs ſapienter (Panormitano teſtante) Alphonſus, Aragonum Rex, ſæpè numerò peroptabat, ut popularium ſuorum unuſquiſque Rex extitiſſet, quo demum illi, utpotè experti, cognoſcerent Principum occupationes,& curas.

Panorm. lib. 3. de dict. & fact. Alph.

15 Diſcant igitur Reges quantum ſit bonum publicum, cum ei ſummus honos hominum dedicetur, eiuſque ponderi, ut cum Seneca loquar: *Non magis ſibi caput incurvare licere, quàm illi, ſi quis modo eſt fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur.*

Senec. de Conſol. ad Polyb. cap. 26.


16 Quòd ſi fortè ſoli ipſorum humeri ad res tantas ferendas non ſufficiant, nec tot noſtræ telæ filis attendere poſsint, Fidelium hoc Miniſtrorum oculis, & manibus ſuppleant iuxta ea, quæ commodius infrà dicemus.

Lucan. in carmin. ad Piſon. ibi, *Sed non feſſa labat.*

Infrà Embl.54.

Munus inverſa docebit.

EMBLEMA XV.



Regnorum cuſtos, Regumq; inſigne triumphis
Æthra repercuſſo durum mucrone fatigat;
Spicula ſumma ſit uni renovent, Diademata acuto
Cuſpide truncari cernes, capitiſq; cruore
Membra infecta, ſuis telis ſtimulante Corona,
Sollicitare Animos, curaq; animare prementi.
Tantæ molis ineſt Regi Diadema coruſcum.

COMMENTARIVS.

Tertulian. in lib. de Corona militis.

PRISCIS Seculis obſervarunt Gentiles, Deorũ ſuorũ 1
imaginibus Diademata, & Coronas imponere, ut Ter
tullian. refert, Pherecidis Poëtæ Tragici, & Diodori Si
culi auctoritate ſuffultus, qui tradunt, Saturnũ omniũ
primũ, deinde verò Iovẽ poſt deuictos Titanas, Coro-
na redimitũ fuiſſe. At poſtquã elatæ ac ſuperbæ ho- 2
minũ mentes maiora de ſe ipſis animo cõcipere cœperũt, Reges ipſi,
ac Supremi Principes primi extitere, qui honorẽ hunc, anteà Dijs ſo-
lis dari ab hominibus ſolitũ, ſibi adrogãtes, aureas Coronas ipſi quo-
que, in amplitudinẽ Maieſtatis, & gloriæ ſuæ argumẽtũ geſtare cœpe- 1
rũt; eaſdẽ prius in faſciæ modum tẽporibus alligãtes, quæ propriè *Dia
demata* dicebãtur, poſteàque eiſdẽ faſcijs varij generis ſeu formæ Co-
ronas prætexentes; ſed frequentius radiatas deſuper ac ſpiculatas, ut
oſtenderẽt, Principes radiatũ Solẽ repræſentare, ſive ex ipſorũ fulgẽ

ti Maieſtate radios tanquã ex Sole procedere, ut latiùs ex ſcrinijs Alexandri Neapolitani,& aliorũ libris colligere licebit,& præcipuè ex Carolo Paſchalio,qui doctum librũ de Coronis ſcripſit,& Iacobo Boſſio,qui memorat,Davidẽ fuiſſe primũ apud Hebræos,qui Coronã ex capite Melchom Amonitarũ Idoli abſtrahens, quæ aurei talẽti pōdo erat,ac gemmis pretioſiſsimis exculta, ſumtuoſiſsimã ac ſplendidiſsimã ex ea ſibi Coronã conſtrui curavit,ſubdens,an ob hoc facinus,ali-
3 quod peccatũ incurrerit? Nos,noſtro hoc,ut vides,Emblemate,aculeatã cudimus,quod licèt iã præoccupatũ à Ioanne Horoſcio Covarruvia,& noviſsimo,nuperq; nobis (Heu) deſideratiſsimo D. Didaco Saavedra Fajardo videri poſsit,dũ ſub eiuſdem Coronæ pictura,pariter illius opera commentãtur,in eo tamen differimus,quòd illi Corona utcumq; depicta,illam fugiendam eſſe docere intendunt,ad vulgatum illud Anonymi apud Valerium Maximũ reſpicientes,qui ea conſiderans,Coronam humi fortè iacentem,vel ſibi oblatam, tollere noluit,inquiens: *Tollat te, qui te non novit*; qui ſanè (ut benè quidã Modernus obſervat) vel ob hoc tale dictũ, præclarò nomine dignus erat.

4 Quo etiã uſus videtur Antigonus,apud eundẽ Valerium,& Stobæũ: qui cũ Diadema Regiũ ſibi traditum accepiſſet,prius quàm capiti imponeret,dixiſſe fertur: *O nobilẽ magis quàm fœlicẽ pannum, quem ſi quis penitus cognoſcat, quã multis ſolicitudinibus, periculis, & miſerijs ſit refertus, ne humi quidem iacentẽ tollere vellet*. Quod fortè occaſionẽ fecit Adagio *Tollat te qui te non novit*; cuius, ex Quintiliano, & alijs mentione facit Eraſmus,inquiens, concinnè uſurpari ſolere, ſi eum,cuius dolos iã nobis notos ſignificamus,etiã cadentẽ,& in periculis poſitũ, erigere,vel iuvare nolimus,ne ab eodem iterum decipiamur. Horoſcij autem Carmen ex quo hoc magis conſtat,ſic habet:

En el ſuelo tendida la Diadema,
Con un ſentido mote, i elegante,
El que no te conoce,te levante,
Viſtoſa,i de provecho harà una Emblema:
La qual ſalio de la bondad eſtrema
De un Varon tan Entero, i tan Conſtante,
Que dixo,quando yà tenia delante,
I en ſus manos la Inſignia mas ſuprema:
O Venda mui mas noble que dichoſa,
Si alguno por ventura conocieſſe,
Quan llena eſtàs de afan, i deſconſuelo,
Viendote tan peſada,i trabajoſa,
Aunque tendida, i à ſus pies te vieſſe,
No te oſaria levantar del ſuelo.

5 Saavedræ quoque Symbolum in idem recidit, ut ex eius Commẽtatione apparet,& ex præfixo lemmate, *Fallax bonum*,quod ut apparet,ad dictum Antigoni reſpicit,& ſimul ad illud Senecæ Tragici:

Alex. & Tiraq. 2. Genial. c. 19. Carol. Paſchal. de Coronis, Boſsius de Cruce lib. 6. c. 19. Horozc. Emble. lib. 1. ex pag. 95. Beyerl. verb. *Coron. 1*, & de radijs agẽs Caram. de inſign. Hiſpaniæ, ex pag. 224.

Horozc. lib. 2. Emblem. 33. pag. 65. Saavedr. in Ideis Polit. Empreſ. 20. pag. 127.

Valer. Max. lib. 7. cap. 2. Eraſm. in Apopht. lib. 6.

Ioan. Caramuel de inſign. Hiſp. pag. 131.

Valer. ſup. Stobæ. ſerm. 47.

Quintil. lib. 6.

Eraſm. in Adagijs pag. mihi 618.

Senec. in Oedipo.

------------ O fallax bonum,
Quantum malum fronte quàm blanda tegis,
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga:
Imperia ſic excelſa fortunæ ſubiacent.

Strada in Symbol. Reg.

Neque abeſt illud aliud Eliſabethæ, Angliæ Reginæ, apud Octavium
Stradam, quæ ſe ipſam ſtantẽ, Sceptro, & Diademate ornatam, & co-
lumnæ hærentẽ, pingi fecit, cum hac inſcriptione: *Stanco Ripoſo, & Ri-*
poſato affanno. Atverò Nos, licèt ipſum idẽ argumentũ premere de- 6
ſtinemus, nullo alio ex dicto vel facto melius ac verius anxias & pun-
gentes Regnantiũ curas colligi, vel detegi poſſe inſinuare intẽdimus,
quàm vel ex ipſis radijs, ſive ſpiculis, quibus ſuas Coronas ornare, ac
circumdare ſolent, quæ ſanè ſi inverterentur, eoſdẽ magis pungerent,
& vexarent, vel calcariũ inſtar, ad ſuſceptũ munus attẽtius obeundũ,
animos adderent, atque hoc nimirũ eſt, quòd adiecto lemmate ſignifi-
camus, *Munus inverſa docebit*, Albani Spinaſati veſtigijs hærentes, qui
in ſuo Politiſmo, ſic habet: *Nec immeritò Regum Coronas aculeatas, &*
ſpinoſas effingunt, ceu triſtificas, & anxiferas. Eſt enim Principatus cum
ſummi laboris, & periculi, tum magnæ cautionis, & ſervitutis, &c.

Spinaſ. in Polit. lib. 1. cap. fin. fol. 36.

Saaved. ſuper pag. 121.

Et ob hanc cauſam, non ſine cauſa, Saavedra noſter dicere potuit, 7
Diademata illa, ſive faſcias, de quibus diximus, Coronis ſubpoſitas
fuiſſe, non tã ad Maieſtatem denotandã, quàm ad tẽpora confortãda,
& veluti ab aculeis superminentibus, aut verius ſuperminantibus, de-
fendenda, & in hunc ſenſum illud Zachariæ explicat: *Ponite Cidarim*
mundã ſuper Caput eius. Quod æquè alijs Coronis aptari poterit, quæ 8
non radiatæ, vel aculeatæ, ſed veluti turritæ, ſeu turribus circumdatæ,
olim à Regibus portari etiã ſolebant, in modũ urbis mœnibus cinctæ,
ut Fr. Ioannes a S. Maria, & alij recenſent. Nam & his, ut ipſi quoque
tradunt, nihil aliud deſignabatur, quàm Reges, totis humeris, toto ver-
tice, Regni ſui urbes ac molẽ ſuſtinere debere, unde in libro Sapiẽtiæ
dicitur: *In veſte Poderis, quã habebat, ſummus Sacerdos, totus erat orbis*
terrarũ; & Portatores orbis à Iobo appellantur, dũ inquit: *Deus cuius*
iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curvantur, qui portant orbẽ, & à Græ-
cis *Baſiles*, quaſi baſes ac fundamentũ ſint, quibus ſua Regna nitantur
ac ſuſtineantur. Quæ omnia, quàm validum ac confortatũ caput re- 9
quirant, quàmque anxios, & oneratos Reges efficiant, qui ſub tanto
pondere gemunt, nemo non videt. Et vel Moyſes ſatis expreſsit, cum
ad Deũ à quo in Ducẽ ac Gubernatorem populi ſui electus fuerat, ſic
dixit: *Cur afflixiſti ſervum tuũ? Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hu-*
ius ſuper me. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui
eam, ut dicas mihi, Porta eos. Cæterum, ut ex multis variorum Aucto- 10
rum ſententijs, & exemplis, quæ miſeram hanc, duram & laborioſam
dominandi ſortem oſtendunt, ſelectiora ſubnẽctam, à Seneca Tragico
ordiar, qui non contentus, hoc bonum fallax, & ſubdolum appellaſſe
in loco ſuprà relato, in alio, nullam graviorem pœnam. In graviorum
ſcelerum punitionem à Dijs dari poſſe, ſcriptum reliquit; ſic Pollyni-
cen, & Iocaſtam loquentes inducens:

Zachar. 3. 5.

Sãcta Maria in Polit. Chriſt. pag. 19. Pined. & alij ſtatim citandi.

Sapient. 18. 24.

Iob 9. 13. ubi latè Pineda de hoc nomine, & de nomine *Baſileus*, idẽ de Reb. Salom. pag. 112.

Moyſes Num. 11. 1.

Senec. in Thebaid.

Pol-

Pollyn. ---------- *Sceleris & fraudis ſuæ*
Pœnas nefandas frater & nullas ferat?
Iocaſ. *Ne timeas, pœnas ſolvet, & quidem graves;*
Regnabit, hæc eſt pœna.

11 Rurſus idem alibi, & veluti de his ſpinis, Capita Regum pungentibus loquens, ſic inquit:

Idem Trag. 8. Agam.

O Regnorum magis fallax
Fortuna bonis, in præcipiti
Dubioque nimis excelſa loco
Nunquã placida Sceptra quietẽ
Certam vè ſui tenuère diem.
Alia ex alijs dura fatigat;
Vexatq; animos nova tẽpeſtas,
Non ſic Lybicis ſyrtibus æquor
Furit, alternos volvere fluctus.

12 Tiberius etiã Imperator, ut Tacitus refert, cum ab amicis rogaretur, ut Imperiũ ſuſciperet, is illos increpitabat, ut ignaros, quanta bellua eſſet Imperiũ. Coactus tandẽ conquerebatur, ſibi miſeram, & onerosã imponi ſervitutẽ. Quo etiam nomine Regnũ donavit Seneca inquiẽs: *Magnam ſervitutem eſſe magnam fortunam.* Et Seleucus, ſive ut alij tradunt, Antiochus, qui, ut poſt Stobæũ, tradit Eraſmus, pariter ac Antigonus, de quo ſuprà, frequenter dicere ſolitus erat, paucis notum eſſe, Regum aut Magiſtratuum quantæ ſint curæ, alioqui nullum inventum iri, qui Regum Diadema humi proiectum tolleret.

Tacit. 1. Annal.
Senec. de Conſt. ad Polyb. cap. 26.
Stob. ſerm. 46. Eraſm. lib. 6. Apop.

13 Quinimò ipſe idem Antigonus, Macedonum Rex, ut apud Plutarchum, & Ælianũ comperimus, cum cerneret filium ſuũ, ſe violentiorẽ, & immodeſtiorem erga ſubditos gerere: *An non* (inquit) *noviſti Fili, noſtrum Regnum nobilem ſive ſplendidam eſſe ſervitutẽ.* Quo ut Plutarch. ſubdit: *Nihil dici potuit cordatius. Nã Princeps non minùs deſervire cogitur Populo, quàm populus Principi; niſi quòd Princeps id facit cũ dignitate, alioqui revera mutua ſervitus eſt. Et qui id nõ approbat, is verè mihi videtur, neque Regẽ, neque civem noſſe, ſed tyrannicam vitã potius agere.*

Plut. in Apoph. Ælian. lib. 2. de var. hiſt. Sancta Maria ubi ſup. pag. 41.

14 Saturninus etiã Imperator, eaſdem Imperij curas, & oneroſam laborioſamque ſervitutẽ agnoſcens, cum à ſuis purpurã Imperatoriam indueretur: *Neſcitis amici, neſcitis* (inquit) *quid mali ſit imperare. Gladij noſtris impendent cervicibus, imminent haſtæ, timẽtur hoſtes, comites formidantur, non ad voluptatẽ cibus, non iter ad authoritatẽ, non ad ſtudium arma; dein omnibus placere adinaton, id eſt, impoſsibile eſt. Senis bello inhabilis, Iuvenis furioſus habetur. Nam quòd Imperatorem me cupitis, in mortis neceſsitatẽ me trahitis. Sed habeo ſolatium hoc mortis, ſolus perire non potero.*

Vopiſcus in Saturnino.

15 Quibus in verbis ob oculos habuiſſe videtur, illa quæ de Hierone Siciliæ Tyranno Xenophon refert, in lato illo colloquio, quod cũ Simonide habuit, de privata vita Regiæ in omnibus præferẽda; vel potiùs Damoclis hiſtoriã à Suida, & alijs relatã, qui cũ à Dionyſio Tyranno Siciliæ, cuius mẽſæ dapes & lautitiẽ nimis invidebat, ſub Solio, in Regia mẽſa ſedere iuſſus, & opipare invitatus fuiſſet, enſe tamẽ ex filo pendente, in eius caput directo, tantũ metũ horrórẽq; percepit, ut ex Solio effugere, & nihil de prãdio ſumere voluerit, ſic à
16 Dionyſio èdoctus, qualis eſſet Regũ lautities. Quò reſpicit illud Horat.

Xenophon. in vita Hieronis, ſive de Regno.
Suid. in diction. verb. *Damocles.*

Orat.3.carm. Od. 1.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, nō Siculæ Dapes
Dulcem elaborarunt ſaporem.
Non avium citharæque cantus
Somniū reducēt; ſomnus agreſtiū
Lenis virorum, &c.

Perſ.Satyr.3.

Et Perſij: *Et magis auratis pendens laquearibus enſis,*
Purpureas ſubter cervices terruit.

Horoſc.lib.2. Embl.fol.671. Sconov. Emb.26.

Et noſtri Horoſcij Emblema ex eadem hiſtoria deſumtum, quod etiā inter ſua collocavit Florentius Sconovius, cum lemmate, *In miſeram Tyrannorum vitam*, ſic inquiens:

Miſer Tyrannus, cuius enſis imminet
Dependulus cervicibus:
Medijs in undis arct, & plumæ leves
Non elaborant ſomnulum;
Mentis tumultus ſubmovere turbidos,
Non gaza, nec lictor valet.

His concinit Mapheus Poëta, eaſdem curas, & erumnas, quæ Reges tangunt, & angunt, his deſcribens carminibus, valdè noſtro Emblemati cohærentibus: 17

---------------- Heu triſtia Regni
Munera, quæ haud parvo conſtant, heu grandia rerum
Pondera, quæ nunquam placidam permittere quietem,
Nec requiem conferre queunt, Heu ſortis acerbæ,
Et miſeræ Regale decus, Magnoque timori
Suppoſitos Regum caſus, pacique negatos.

D.Chryſoſ.ad Philip.5.homil.66.

Et adhuc magis ad rem, & de Diademate, & Corona noſtri Emblematis agens, D.Chryſoſtomus, ſic non minùs verè, quàm elegāter ſcribens: *At nec Rex vitam curis ſolutā vivit: ſed multis moleſtijs atque angoribus refertam. Non enim ad Diadema ſpectes, ſed ad ſolicitudinum procellam, unde illi tumultus maximus exoritur. Non ad purpurā, ſed ad animam ipſa purpura nigriorem. Non æquè Corona ligat caput, atque animum ſollicitudo. Non ad ſatellitum numerum ſpecta, ſed ad ægritudinum multitudinem: nullam enim privatam domum, tot curis abundantem reperias, quàm Regiam.* 18

Eraſm.lib.5. Apophteg.

Quod benè ſentiens, & in ſe ipſo expertus Antiochus, ut Eraſmus enarrat, cum à L.Scipione, ultra Taurum montem, ſubmotis Imperij finibus, Aſiam provinciam, vicinaſque ei gentes amiſiſſet, gratias egit Populo Romano, quòd magna parte curarum per eos liberatus eſſet: Intellexit quippè vir prudens, unius hominis animum, quamvis vigilantem, non poſſe tot negotijs parem eſſe, quot Regnum, præcipuè magnum, in ſe habet. 19

Plut. in lib. num ſeni ſit Ger. Reſp.

Et eſt etiam memoria dignum, ad eaſdē curas cognoſcendas, & exagerandas, id quod Plutarchus de Philippo Macedonum Rege commemorat, qui cum in Regione amœna admodum, caſtra ponere paraſſet, nuntiareturque, illic fœnum iumentis deeſſe: *O Dij* (exclamavit) *qualis eſt hæc vita noſtra, quam etiam ad aſinorum commoditatē inſtitue-*

re cogimur. Quinimò ex ſententia Alfonſi Regis Aragonum I. apud Antonium Panormitanum, peior Regum, quàm aſinorum vita iudicata fuit. Panormit. de dict. & fact. Alfonſ. Ei namque cœnanti, cum ſenex quidam importunus, & garrulus ſuis petitionibus obſtreperet, hæc gravis querela excidit: *Melioris eſſe conditionis aſinos, quàm Reges. Illis enim parcunt domini cum paſcuntur, his nemo.*

20 Sed adhuc magis gravis fuit altera alterius eiuſdem Regni Regis Piiſsimi Ioannis I. qui, ut ex Lucio Marineo Siculo refert Maiolus, in Marin. lib. 8. rer. mortis articulo, hanc Imperiorum & Principatuum vanitatē, & inſitas hiſt. Maiol. tom. 2. ei curas & ſollicitudines faſſus, quas paſſus, miſeros eos eſſe exclama- Canicul. colloq. 7. vit, qui ad Principatum aſpirant, qui divitias opes, & nimios honores affectant, & poſt alia ſic addidit: *Nam mihi miſero, quid Regnum, quid honores, quid obſequia plurimorum contulerunt? Quid? Labores ſcilicèt magnos; & multa corporis & animi pericula ſubivi, nec unquam ætate longa potui mihi dies aliquot videre bonos. O me miſerum, & infœlicem, qui tam ſerò fallacem mundum cognoſco. Qui vitam certè vixiſſem multò meliorem, ſi non Rex, ſed agricultor fuiſſem.*

21 Vnde iam ſatis patet, ni fallor, quàm ſit certum, & memoria dignū illud Senecæ verbum: *Specioſa & magna contrà viſentibus, cum ad pondus revocata ſunt, fallunt.* Senec. epiſt. 66. Cum tot aculeis & ſpinis ſcateat Corona, quæ primo adſpectu florida eſſe videtur, & anxiū adeò atque anguſtū ſit Regale quodlibet Imperialevè Diadema, quòd vulgò ſub Auguſto nomine commendatur. Quapropter benè Incertus ille dixit, qui dixit: Incert. ap. Caram. de inſig. Hiſp. pag. 230.

Nolo caput cingat gemmanti faſcia vitta;
Aut oculo ſignet divite gemma manum.
Gemma gelu, Diadema cinis, flos perfidus oſtrum;
Qui negat ornari, pulchrius ornat honos.

22 Et meliùs D. Auguſtinus, vel à Chriſto Domino ac Servatore Sal- D. Aug. ſerm. 71. vatoreque noſtro, ob hoc ipſum, quòd in mundi Regem eligebatur, de temp. tom. 20. Crucem prò Sceptro, & Spinas pro Diademate neceſſariò portari debuiſſe, his elegantiſsimis verbis agnoſcit: *Quod verò Iſaac ipſe ſibi ad immolandum ligna detulit; & in hoc Chriſtum Dominum figuravit, qui ad locum paſsionis Crucem ſuam portavit. De quo Myſterio multò ante dictū fuerat per Prophetam, & erit inquit Principatus eius ſuper humerum eius. Tunc enim Chriſtus Principatum ſuper eius humerum habuit, quando Crucem ſuam admirabili humilitate portavit. Non incongruè Crux Chriſti ſignificat Principatum; nam per ipſam & diabolus vincitur, & totus mundus ad Chriſti notitiam, vel gratiam revocatur.*

23 Ergo, ut tandem finiam, & hanc de Coronis commentationē, coronidis loco aureis Nazianzeni verbis exornē, & claudam: *Reges &* D. Naziāz. orat. 27 *Imperatores Purpuram veremini. Cognoſcite quantū id ſit, quod veſtræ Fidei commiſſum eſt. Quantum circa vos Myſteriū. Orbis univerſus manui veſtræ ſubiectus eſt, Diademate parvo, atque exiguo panno retentus. Supera ſolius Dei ſunt; infera autem veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris Deos vos præbete: liceat enim audacius aliquid dicere: cor Regis in manu Dei eſt. Hic Imperium veſtrum ſit, non autem in auro, & in exercitibus, &c.*

Splendor Mendax.

EMBLEMA XVI.



Exterior nivea ſatiatur calce Coloſſus;
Et læve aurata fronte ſuperbit opus;
Cratitiæ ſed enim circumſtant pectora coſtæ,
Clavorumq; intus ſpicula ſæva rigent.
Heu mendax Regum ſplendor, qui mille dolores,
Mille ſub aurato muricè damna tegis.

COMMENTARIVS.

NON ſolùm Regia Capita Corona, ut vidimus, angit, 1
& quos faſtigat, fatigat; ſed idem etiam angor & la-
bor, totus, in toto Principum corpore reſidet, ſi ipſi;
ut debent, toti, ſuo muneri intendant, & totius Reg-
ni lætitiam, pacem, opulentiam, ſecuritatem, & ut
verbo dicam, vitam, mortemvè, ex ſua cura pendere
cognoſcant. Hæc enim (Authore Feſto) inde nomen ſumſit, quòd cor
exedat, aut urat, & ita in præcordia intima penetrat, & interanea oc-
cupat, ut bonos, in his quæ benè agere debent, malos, propter ea quæ
malè geſſerunt, & bona quæ facere omiſſerunt, ſemper anxios, & ſoli
citos habeat.

Feſtus de verbor. ſign. verb. *Cura.*

Quod, ut ipſis magis magiſque innoteſcat, ſuperiori Emblemati, hoc. 2
ex Coloſſi Forma Figuravè deducto, addere volui. Omiſsiſque mul-

tis,

tis, quæ de harum Statuarum nomine, origine, mole, & ingenti magnitudine dicere poſſem, & apud Plinium, Vitruvium, & alios, qui la è de eis agunt, videre licebit, Lucianum referre contentus ero, qui mihi præcipuè ad illud configendum anſam præbuit, aptiſsimè, in uno ex ſuis Dialogis, Reges eiſdem Coloſsis æquiparans, quos quidem exterior magnitudo, ſplendor, & nitor, viſendos, admirandos, & ſuſpiciendos hominibus facit, cum tamen interius excratibus, clavis, ſudibus, ſpartis ſpinoſiſque alijs, & pungentibus fragmentis ac ramentis campacti ſint. Eius verba ſic habent: *At mei ipſius miſereſcebat, qui prægrãdibus illis Coloſsis viderer perſimilis, quales vel Phidias, vel Miron, vel Praxiteles fabricatus eſt. Etenim illorum quiſque, quo ad ea quæ foris apparent, Neptunus ipſe eſt, aut Iupiter mirificè decorus, auro eboreque compactus; & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem fuſcinam dextra ſuſtinent. Cæterum ſi immiſſo capite, quæ ſunt intus inſpicias; videbis vectes quoſdam, paxillos, & clavos introrſus prominentes, neque non vimina cuneoſque, & picem ſublitam, & aliam id genus deformitatem intrinſecus inhabitantem. Omitto recenſere formicarum, muſtelarumque vim, quæ nonnunquam in eis manſitant. Huiuſmodi quædam res nimirum Regnum quoque videtur. Quid primo loco tibi riferam Mycille? Vtrum metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odium, quo Regem proſequuntur ij, qui cum illo vivunt, inſidias, atque ob eam rem ſomnum rarum, & hunc quidem per tenuem, ac plenatu multus inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas? An otij penuriam, & occupationes, iudicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? Quibus rebus fit, ut ne per ſomnum quidem aliqua re ſuavi frui liceat. Verum ut omnibus de rebus, ſolus diſpiciat neceſſe eſt, milleque negotia ſuſtineat, &c.*

Plin. lib 34. cap. 7. Vitruvius lib 2. Plut. in vita Alex. ubi de Coloſſo, quem Dinocrates ex monte Atho facere voluit. Guilel. de Choul de Dijs Gent. pag. 214

Lucian. in Dial. de ſomno, vel gallo.

3 Hactenus Lucianus, qui eandem ſimilitudinem eiuſque applicationem, vel mutuavit, vel certè mutuari potuit à Plutarcho, qui in libello, quem contra in eruditum Principem edidit, exteriorem Coloſſo ſplendorem, & interiorem inanitatem, vacillantemque ſtabilitatem, eleganti ſsimis verbis oſtendit, quorum alio loco mentionem faciemus.

Plut. de Princip. in erud. Nos infr. in Emblem. 26.

4 Eraſmus etiam in ſuis ſimilibus, licèt nec Lucianum, nec Plutarchũ citet, utrumque tamen ſequens, & veluti ad noſtrum Emblema reſpiciens, ita in eodem argumento verſatur: *Vt Coloſsi foris inſignes. Deũ aliquem repræſentant, intus pleni luto, clavis, ſordibus; ita Rex purpura, equis, auro, ſatellitio magnificus, in animo nihil habet præter ſordidos affectus, & inſcitiam. Statuæ magnitudine, moleque ſua librantur, & conſiſtunt: at Reges ſtulti, ſubvertuntur.*

Eraſm. in ſimilib. fol. mihi 5.

5 Idemque in Idolis contingere, rectè Daniel Propheta Regem Nabuchodonoſorum admonuit, ſic inquiens de Idolo Bel, quod adorare præceperat; *Ne erres, ò Rex, iſte eſt enim intrinſecus luteus, forinſecus æreus.* Vbi benè Noſter Gaſpar Sanctius, ſtultos homines vana ſæpè ſpecie decipi inquit, & fucato ſplendore, qui alienus eſt, & artis lenocinio rebus interdum vilisſimis inductus. Splendebant Idola ab externo cultu, quia inaurata, aut pretioſis integumentis inducta; cum tamen interius marmor eſſet, aut lignum, aut etiã lutum, & arg lla vilis,

Daniel. 14. 6.

ex

ex qua Idolum conflabatur. Sic Reges, quos Purpura, quos Diademà, quos Maieſtas, & exterior nitor verendos facit, lutei planè erunt, ſi luteum ſpiritũ habeant, & minùs fœlices & invidendi cenſendi erunt, ſi ſpinas, clavoſque, & aſsiduas curas, quibus interius conſtant, & aſsiduè præmuntur, introſpiciamus.

Senec. in Hercul. Oeth.

Vnde Tragicus valdè in noſtris terminis inquit: 6

Ceſpes, Tyrio mollior oſtro
Solet impavidos ducere ſomnos:
Aurea rumpunt tecta quietem
Vigileſque trahit Purpura noctes.
O, ſi pateant pectora Ditum,
Quantis intus ſublimis agit
Fortuna metus, Brutia Coro
Pulſans fretum mitior unda eſt.
Aurea miſcet pocula ſanguis.

Boet. lib. 4. Met. 2.

Quem ſequutus Boëtius, ita inquit:

Quos vides ſedere celſo
Solij culmine Reges,
Purpura claros nitente,
Septos triſtibus armis:
Detrahat ſi quis ſuperbi
Vani tegmina cultus,
Iam videbis intus arctas
Dominos ferre catenas.

Quod ſumerè potuit ex illo Euripidis:

Vultu Tyrannis eſt quidem lætiſsimo,
Intus dolores ſed fovet graviſsimos.

Socrat. apud Stobæum Serm. 46.

Et Socrates interrogatus, An Rex Perſarum fœlix eſſet, ſe id neſcire reſpõdit, quia nunquam cum eo congreſſus erat; neque cognoſcebat quali eſſet animo præditus. Quaſi diceret, non à Diademate, non à vaſis aureis, aut civitatibus, aut à terris, aut ab alijs hominibus, vel nominibus, fœlicitatem obvenire, meritivè debere, verùm unicuique à ſe ipſo, & ſub ipſius interno animo.

Panvin. in vita Adrian. IV. & Marcel. II. Lycoſ. in Apoph. pag. 694.

Et de Adriano IV. Romano Pontifice Onuphrius Panvinus, & Lycoſthenes memorant, quòd aiebat: *Neminem eſſe miſerabiliorem Romano Pontifice, conditione eius nullam miſeriorem, totius eius vitæ lætitiã, amaritudinem eſſe. Cathedram Romani Pontificis eſſe ſpinoſam, iter undique confertum aculeis, pondus tantæ molis, ut robuſtiſsimos premat, & confringat humeros. Et quòd horum verborum, poſt longum in prandio ſilentium, recordatus aliquando Marcellus II. Papa, manu menſam percutiens, dixit: Non video, quomodo qui locum hunc altiſsimum tenent, ſalvari poſsint.* 7

Innoc. in cap. 1. de off. deleg. in 6.

Senec. de Conſol. ad Polyb. c. 26.

Quam etiam pungentem & urgentem in Romanis Pontificibus curam, non minùs graviter expreſsit Innocentius VIII. inquiens: *Officij Noſtri debitum, remedijs invigilat ſubditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum ſcandala removemus ab ipſis, nos in eorum quiete quieſcimus, & fovemur in pace.* Et in reliquis Regibus, & Imperatoribus Seneca, in loco iam ſæpè citato, ubi eos qui populis præſunt, non ſibi, 8

ſed

ſed illis vivere ait, & pro cunctorum ſalute excubare debere.

9 Quod etiam adeò extulit Plinius Iunior, ut poſt Commemoratas ſui Trajani graves,& laborioſas curas,& ſolicitudines,eidem,vel flere poſſe,non licere,inquiat,ut poſsit multos flentes audire, cum tamē lachrymæ ſoleant mœſtis animis aliquod ſolamen concedere; iuxta illud Ovidij: Plin.in Paneg.ad Trajan. Ovid.4.deTriſtib:

Fleſque meos caſus,eſt quædam flere voluptas:
Expletur lachrymis egeriturque dolor.

10 Eaque propter Sapientes, apud Ammianum Marcellinum, definiunt,*Imperium nihil aliud eſſe,quàm curam ſalutis alienæ.*Eamque, veluti mutua lege, ſubditis à Principibus deberi, in compenſationē honorum,& tributorum,quæ ipſis præſtant,benè & eleganter (poſt alios plures,qui de eodem argumento egerunt) Doctus pariter ac Religioſus Pater Euſebius Noriembergius noviſsimè his verbis obſervat: *Quid eſt, cur poſt tantam reverentiam, fidem, amorem, gratiam, oneroſa ſit Maieſtas, & fortuna gravis? Magnum quid petitur,& grandius Regia magnitudine, cura ſalutis publicæ,commune bonum,fœlicitas hominū, ſervitium Reipublicæ. Ad hoc tot honores,ad hoc tanta reverentia,ad hoc fides,ad hoc amor omnium, ad hoc Maieſtas Regia; quòd ſerviat Regno. Grandior & honorificentior titulus Principis eſt, ſervum eſſe publicum, famulum omnium,mancipium Reipublicæ,ſatellitem ſingulorum. Ad hoc ſupra omnes evectus, ut pro omnibus ſit. Cum illo onere, quo datur, accipiat fortunam; namque & ſtipendia ſui famulatus à Republica accipit: Tributa quid ſunt, niſi ſalaria Principum? Quibus, inſtar aliorum famulorum,remunerari laborem Regum iuſtum & fas eſt.* Ammian. Marc. lib.30. Euſeb.in Theſp.2. p.lib.1.cap.2.pag. 330.& 331.

11 Et quoniam ſpinoſæ eiuſmodi curæ, de quibus loquimur, ſunt veluti propria & inſeparabilis ſarcina Principatus, non ineptè Petilius conſiderat, ſolam rhamnum, quæ tota ſpinoſa eſt,inter arbores,Regnum illis oblatum,acceptaſſe. Et Chriſtum Dominum,licèt totus bonitas ſit, ad ſui tamen huc inſtructionem,ſpinea, quàm aurea Corona uti maluiſſe, ut ex ipſo inſigni,Regium Regibus ſtylum agnoſcendum proponeret. Cui conſiderationi valdè conſonant verba D. Chryſoſtomi,Auguſtini,& aliorū, quæ in Commentario præcedenti recolui, & ſubobſcura illa D.Pauli,dum de eodem Chriſto,ſic inquit: *Et quidem cum eſſet Filius Dei,didicit ex ijs,quæ paſſus eſt,obedientiam,& conſummatus factus eſt,omnibus obtemperans.* Quibus,ut doctè P.Ioannes Velazquez animadvertit,vel ab ipſo Dei Filio,qui omnia novit,eo ipſo quo in Principem futuri ſæculi eligebatur, hanc regulam,hanc regendi artem,veluti addiſcendam inſinuat Apoſtolus, ſua nō ſpectare commoda,nec ſibi omnia velle,imò verò curis,laboribus,& doloribus premi, anxiari,conſumari, & ſeſe tandem morti devovere,ut ſuis ſubditis eſſet cauſa ſalutis æternæ. Petil.de mun.Princip.lib.7. c.9.pag. 369. D. Paul. ad Hebr. 5.8. Velazq. de Opt. Princ.pag.366.

12 Atque hæc quidem de internis,& pungentibus curis eorum Regū, qui iuſtè,& legitimè Regale Solium occupant,& occupatum pari Iuſtitia Pietateque ſublimant, tetigiſſe ſufficiat. Nam ſi de alijs ſermonem inſtituere velim,qui per Tyrannidem ad tantam Celſitudinem aſ-

cenderunt,vel etiam legitimè partã, impiè, iniuſtè, & tyrannicè mo-
derantur, vix poterit dici,qnibus curis, quibus angoribus diu noctu-
Plato lib.9.de Repub. que afficiantur, & affligantur, & quanto certius propriiſque in ipſis
Luciani,& noſtri Coloſsi Typus verificetur. Quod graviter ac pluri-
bus docuit apud Platonem Socrates, in ſuis de Republica libris, in
hanc Gnomen tandem omnia prius dicta reducens: *Eſt igitur,etſi ali-
cui haud videatur,is qui verè Tyrannus eſt, verè ſervus, maximè adula-
tionis & ſervitutis, idemque adulator peſsimorum: & re ipſa pauper ap-
paret, ſi quis totam eius mentem poſsit inſpicere, denique metus in omni
vita plenus, agitationumque & angorum.*

Ad quem locum,ſive doctrinam, proculdubio reſpexit Cornelius 13
Tacit. li.6. Annal. paulò poſt princ. Tacitus,dum de Tiberij tyrannide loquens,& qualiter facinora atque
flagitia ſua, ipſe quoque in ſupplicium verterat; ſic, ad rem noſtram
appoſitiſsimè ait: *Neque fruſtra præſtantiſsimus Sapientiæ (id eſt Socra
tes) firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes, poſſe aſpici la-
niatus,& ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, ma-
lis conſultis, animus dilaceretur. Quippè Tiberium non fortuna, non ſo
litudines protegebant, quin tormenta pectoris, ſuaſque ipſe pœnas fate-
retur.*

Xenoph. in vita Hieron. Idem latiùs in ſuo Hierone proſequitur Xenophon, illum, qui fuit 14
unus ex Triginta Siciliæ Tyrannis,fatentem inducẽs, ſe victum,ſom-
numque timere, quòd in his aliorum inſidias vereretur; eademque ra-
tione multorum ſatellitium, vel ſolum eſſe, reformidare; Pariterque
ſpectacula,amores,& reliqua,quæ ſolent homines oblectare.Hinc tã-
dem inferens,ex ijs omnibus rebus Reges multò minùs delectationis
capere,quàm privatos homines,qui quidem vitam mediocrem agũt,
ac multò plures,maioreſque moleſtias ſentire.

Idem Xenoph. in Dionyſ. Quæ etiam,& maiora alia in ſe expertus fuit Dionyſius, alter eiuſ- 15
dem Siciliæ Tyrannus, cuius quidem ſpinoſum pectus, tot curis, tot
livoribus ac vivicibus ſcatebat, ut eodẽ Xenophonte,atque alijs nar-
rantibus, vel de propria filia diffideret,& in conclavi, ut ſibi inſidian-
tem,aſſervaret;lectum in quo dormiebat lata foſſa circumdaret,capil-
lum ac barbam carbone adureret, de filiabus non fidens, quibus pri-
mùm hoc officium tradiderat.

Diction. Hiſtor. verb. *Mithridates* Nota quoque eſt Mithridatis Ponti Regis hiſtoria, quem ædem 16
ſpinæ,intimis præcordijs hærentes, in parricidium coniugis, ſororis,
matris, fratrum, triumque filiorum, totidemque filiarum, adhuc im-
puberum,adegerunt, & venenum metuens,ne eò,ut meruerat,necare-
Martial. epigr. 115 lib.5. tur, ſe, eo aſsiduè poto, præmunivit, & Martialis Epigrammati lo-
cus fecit:

Profecit Epoto Mithridates ſæpè veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Lamprid in Heliogabal. Et ut plures alios omittam, Heliogabalum pro multis adduxiſſe 17
ſufficiet,qui Lampridio narrante, ſuæ tyrannidis ac ſcelerũ conſcius,
& quia ſibi à Syris Sacerdotibus prædictum erat Biothanatum futu-
rum,hoc eſt, violenta morte interiturum, ut etiam mors ſua pretioſa

eſſet,

eſſet, & ad ſpeciem luxuriæ, ut diceretur nemo ſic perijſſe, paraverat funes, blatta, & ſerico, & cocco in tortos; quibus ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret; paraverat & gladios aureos, quibus ſe occideret, ſi aliqua vis urgeret: paraverat & in ceraunis, & hiacyntis, & ſmaragdis venena, quibus ſe interimeret, ſi quid gravius immineret: fecerat & altiſsimam turrem, ſubſtratis aureis, gemmatiſque anteà tabulis, ex qua ſe præcipitaret.

18 Vt vel ex his diſcas, quàm cæco verbere, ut Poëta ait, eiuſmodi Tyranni feriantur, qui malum, quod ſubditis faciunt, ſemper expectant; quàmque certum illud, quod de eiſdem tradit Euripides: Euripid. apud Camer in ſubceſſ. lib. 3. cap. 25.

Tyrannidis verò perperam laudatæ,
Vultus quidem iucundus, interiora triſtia ſunt.

Et Claudianus: Claud. in 4. Conſ. Hon.

Qui terret, plus ipſe timet, ſors iſta tyrannis
Convenit. Invideant claris, forteſque trucident.
Muniti gladijs vivant, ſeptique venenis,
Ancipites habeant arces, trepidique minentur.

19 Cum tamen longè ijs melius honeſtiuſque fuiſſet, hos metus, haſque ſpinas tot imminentium periculorum abiicere, Imperium ſibi creditum benè & ſuaviter exercẽdo, & illud quod ipſe idem Claudianus monet, quodque dignos Reges decet, præ oculis ſemper habendo: Claudian. ſuprà.

Sis pius in primis, nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie ſuſpectus agas: neu falſus amicis;
Rumorumvè avidus: qui talia curat, inanes
Horrebit ſtrepitus, nulla non anxius hora.
Non ſic excubiæ, nec circunſtantia pila;
Quàm tutatur amor. Non extorquebis amari,
Hoc alterna fides, hoc ſimplex gratia donat.

20 Etenim qui ita non vivit, qui ita non regnat; non vitijs, non caſibus, non morti ipſi ſubiectus, & denique omne gaudium ex ſua bona mente promens, Regis nomine dignus eſſe non poteſt, ſi Senecæ Tragico credimus, ità hoc ſerio graviterque docenti: Senec. in Thyeſt.

Regnum non faciunt opes,
Non veſtis Tyriæ color,
Non frontis nota Regiæ,
Non auro nitidæ trabes.
Rex eſt qui poſuit metus,
Et duri mala pectoris.
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam ſtabilis favor
Vulgi præcipitis movet.
Quem non lancea militis,
Non ſtrictus domuit Chalybs.
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia.
Occurritque ſuo lubens
Fato, nec queritur mori:
Rex eſt, qui metuit nihilo
Hoc Regnũ ſibi quiſque dat;
&c.

Quod perinde eſt ac ſi diceret, non poſſe liberis imperare, qui non poteſt ſuis cupiditatibus modum ponere, libidines prius refrænare, voluptates ſpernere, iracundiam tenere, coërcere avaritiam, cæteraſque animi labes; & ut breuius dicam, qui illud eiuſdem Senecæ non obſervat: *Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave Imperium, ſubmove vitia.* 21

Delrius in notis ad Senec.ſup.1.tom. pag.383.

Idemque ipſum Pentadius inter fragmenta Petronij, optimè quoque his verbis edocuit: 22

Non eſt falleris, hæc beata, non eſt,
Fulgentes manibus videre gemmas;
Aut teſtudineo iacere lecto,
Aut pluma latus abdidiſſe molli;
Aut auro bibere, & cubare croceo:
Regales dapibus gravare menſas.
Et quicquid Lybico ſecatur arvo
non una poſitum tenere cella:
Sed nullo strepidum timere caſus;
Nec vano populi favore tangi,
Et ſtricto nihil æſtuare ferro.
Hoc quiſquis poterit; licebit illi
Fortunam moveat loco ſuperbus.

Claudian.ubi ſup.

Et Claudianus, etiam iterum, non minus eleganter admonuit, ſic inquies: 23

Tu licèt extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;
Si metuis, ſi prava cupis, ſi duceris ira;
Servitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris Rex eſſe tui. Proclivior uſus
In peiora datur. Suadetque licentia luxum
Illecebriſque effræna favet; tunc vivere caſtè
Aſperius, cum promta Venus; tunc durius iræ
Conſulitur, cum pœna patet, ſed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe licebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti.

Boët.lib.3. Met.5

Quibus adſtipulatur illud Boëtij, ſic Tyrannos, de quibus loquimur, admonens, qualiter debeant, & poſsint in veros Reges evadere, & curas, quibus, ut dicimus, ſemper premuntur, à ſuis pectoribus, Coloſsi noſtri ſimilibus, removere: 24

Qui ſe volet eſſe potentem,
Animos domet ille feroces,

Nec victa libidine colla
Fœdis ſubmittat habenis.
Etenim licèt Indica tellus
Longè tua iura tremiſcat,
Et ſerviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas
Miſeraſque fugare querelas
Non poſſe, Potentia non eſt.

25 Et hoc qui non fecerit, ſciat ſe veluti ſcopum ad univerſorũ mortalium odium eſſe propoſitum, nec diu in Imperio ſtare poſſe, cum tandem, quas intrinſecus patitur furias, quicquid ſibi plurimum caveat, extrinſecus ſit paſſurus, illudque Iuvenalis certiſsimum experturus: Iuvenal. Satyr. 10.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt Reges, & ſicea morti Tyranni.

26 Quod elegantiſsimis verbis, Plinius Iunior oſtendit, adducens exemplũ Domitiani, intra arcana cubilia fœdoſque receſſus, in quos timore, & ſuperbia, & odio hominum agebatur, occiſsi, & Trajani, qui inter medios cives tutus, & hilaris verſabatur, & ſic inquiens: *Quanto nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, poſtquam eius non cudelitatis, ſed amoris excubijs, non ſolitudine, & clauſtris; ſed civium celebritate defenditur. Ecquid ergo diſcimus experimento, fidiſsimam eſſe cuſtodiã Principis ipſius innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere, fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur.* Plinius Iun. in Panegyr.

27 Idque ipſum de Nerone præſagijt (& poſteà eventus edocuit) Seneca Tragicus, ſive quiſquis ille eſt, qui Octaviæ tragœdiam ſcripſit, hiſce verſiculis: Seneca in Octav.

Licèt extruat marmoribus, & auro tegat
Superbus aulam: limen armatæ Ducis
Servent cohortes; mittat immenſas opes
Exhauſtus orbis: ſupplices dextram petant
Parthi cruentam; Regna diutius ferant.
Veniet dies, tempuſque, quo reddat ſuis
Animam nocentem ſceleribus, iugulum hoſtibus;
Deſertus, & deſtructus, & cunctis egens.

Regum vigilia.

EMBLEMA XVII.



Servus Achæmenios ad publica munera Reges
Suſcitat, ut primus mulſerit ora ſopor.
Quid iuvat, ò Princeps, pigræ indulgere quieti?
Non regis, ut ceſſes, ut patiare regis.

COMMENTARIVS.

QVAMVIS de indeſinenti Regum cura in ſuo mu- 1
nere exercendo, ſatis ſuperque actum in ſuperioribus
videatur, adhuc tamen non abs re eſſe duxi, aliqua in
præſentiarum ſubnectere, de eximia vigilia, ſeu vigi-
lãtia, quæ in ipſis deſideratur, quò magis ad eam am-
plexendam expergiſcantur. Quam veteres Ægyptij,
ut Plutarchus refert, per oculum ſuper Oſiridis Sceptrum collocatũ;
ſignificabãt. Sic inſinuantes, Reges, oculorum aciem ſemper intentã,
atque apertam habere debere; & Sceptro, quæ præviderunt, vel proſ-
pexerunt, regere, & gubernare; & cum ſint, veluti humani quidã Dij,
ut eos Plato in ſuis Politicis vocat, indeſinenter curare, ut omnium
ſomnos ſua vigilia tueatur.

Plut. in lib. de Iſid. & Oſirid.

Eadem etiam ratione alij apud Pierium Valerianum, Leonem eo- 2
rundem Regum ſymbolum, ſive hieroglyphicum eſſe voluerunt, non
tam quòd hic cæteris animalibus dominetur, quàm quòd natura, velu-
ti hoc munus præſentiens, eum oculis acutiſsimis dotaverit (unde &

Pier. in Hierogl. lib. 1. pag. 2.

Græ-

Græcis à videndi potentia nomen habuit) nec unquã omninò admittat ſoporem, ſicuti Manethon tradit, in libro, quem ad Herodotũ ſcripſit. Quod tamen alijs per abſurdum videtur, quibus Cœlius Rhodig. aſſentit, ex Ariſtotelis doctrina probantibus, nullũ eſſe animal, cui perpetua vigilia ſit. Cæterum in eo omnes pariter conveniunt, quòd leo ſomnum parciſsimum ſumit, & tunc (ut Dorcades) apertis oculis cõquieſcit, fortè quia eſt ei oculus per magnus, & incumbens ipſi pellis, ſive palpebra, longè minor, quàm ut oculum totum valeat obtegere. Quod pariter in Regibus proprium eſſe debet, ut etiam cum dormiũt, vigilare credantur.

Rhod. lib.13. cap. 18.

3 Huic rationi aliam addit Pierius, nimirùm, inter reliqua animantia leonem ſolum eſſe, qui apertis oculis naſcatur, indéque aptiſsimè vigilantiam, quæ in Regibus requiritur, deſignare. Cuius etiam conſideratione habita, olim, præ templorum foribus tanquam eorum cuſtos conſtituebatur, ut Orus Apollo his verbis oſtendit: *Vigilantem, & ſedulum hominem, & cuſtodem, cum Ægyptij volunt oſtendere, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit; eoſdem cum dormit, apertos habet: quod quidem cuſtodiæ atque excubiarum ſignum eſt. Vnde, & non abſque ſignificatione, templorum clauſtris leones, qui ſint cuſtodum loco, appinxerunt.*

Pieri⁹ lib.1. pag.2.

Orus in Hierog. cap.19.

4 Et ad hoc reſpexit Altiatus, dum vigilantiam & cuſtodiã, per Gallum in editiori templorum loco poſitum, & leonem ad eorũ fores excubantem, in uno ex ſuis doctis Emblematis ſignificavit, ſic inquiens:

Alciat. Embl.15.

Inſtantis quòd ſigna canens det Gallus Eoi,
Et revocet famulas ad nova penſa manus:
Turribus in ſacris effingitur ærea pelvis,
Ad ſuperos mentem, quòd revocet vigilem.
Eſt leo, ſed cuſtos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcircò ponitur ante fores.

5 Saavedra quoque Noſter, ex eadem hac leonis natura & pictura, aliud ſymbolum fecit, ſub lemmate *Maieſtate ſecurus*, niſi quod in eo, magis Regum diſsimulationẽ, quàm vigilantiã edocet. Et Græci per Noctuam, quam Palladi ſacrarunt, eique adſidentem finxerunt, vigilantiã ſtrenuo ac circumſpecto Duci neceſſariã indicare voluerunt. Vnde, teſte Iuſtino, Hieroni Syracuſanorum Regi, etiã num adoleſcẽti, & prima prælia ineunti, Aquila in Clypeo, & Noctua in haſta cõſedit, quod oſtentum, & conſilio cautum, & manu promptum, Regemq; futurum ſignificavit. Et in numis Conſtãtini Noctua cernitur, columnæ inſidens. Adſtant haſta, & clypeus, adiacẽte galea, cum inſcriptione, *Principis Providentiſsimi Sapientia.* Vnde Schoonhovius hoc Emblema confixit, ſub titulo, *Noctua Minervæ Sacra Nocte vigent ſenſus. Hinc eſt, Sacrata Minervæ Noctua, quæ triplici lumine nocte videt.*

Saaved. Emp.45. pag.298.

Iuſtin. lib.24.

Scoonh. Embl.18. pag.52.

6 Frequentior quoque in eandem rem eſt, ſed non contemnenda ſimilitudo, ex gruibus ſumi ſolita; inter quas, quæ reliquarum Dux eſt, noctu uno pede elato conſiſtit, ac vigilat, in quo lapidem habet, ut

magis à ſopore arceatur, & grex reliquus ſecurè ſomnum ſub Ducis ſui vigilia traducere poſsit. Quo Symbolo, cum inſcriptione, *Non dormiat qui cuſtodit*, uſus fertur Henricus Rex Angliæ VII. ut memorat Octavius Strada, & poſtea Ferdinandus San-Severinus, Princeps Salerni, Magiſter Equitum Caroli V. ut refert Sylveſter à Petraſancta, cum hac, *Officium natura docet*. Nam ei ſtudium, & exercitatio in naturam verterant, ut eſſet vigil. Et noviſsimè eodem utitur idem Florentius Scoonhovius in Emblemate, cui fecit titulum, *Typus Regum*, his ſubiectis carminibus:

Strada in Symb. Reg. pag. 47.

Petr. Sācta in ſym. Sol. pag. 277.

Scoonhov. Embl. 22. pag. 67.

Excubias Dux ſola gerit, pars cætera dormit
Tuta, nec infidos ſperat ab hoſte dolos:
Grus notat hæc Regem vigilantem pro grege, qui ſi
Dormiat, incautum vaſtet ovile lupus.

Plin. lib. 10. c. 23.
Plut. in lib. de anim. hiſt.

7 Qui omnes hoc ex Plinio ſumſiſſe videntur, qui inter alia, quæ de gruibus memorat, ſic habet: *Excubias habent nocturnis temporibus. Excubitor lapillum pede ſuſtinet, qui laxatus ſomno, & decidens, in diligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt, capite infra alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux recto prævidet collo, & prædicit.* Cui loco hærens, Ego quoque ex hoc typo Emblema paraveram, his verſibus ludens:

Ecce grues rapidas, immerſas membra ſopore.
Solaque in excubias pervigil una tacet.
Te monet, ò Princeps, retinens pede decta lapillum,
Pervigilem Regno convenit eſſe gruem.

Curt. lib.

Crinit. lib. 19. c. 1.

Batil. Embl. 31.

8 Cæterùm cum iam ab alijs præreptum cognoſcerem, cordi fuit aliud ex hiſtoria Magni Alexandri formare, de quo Q. Curtius, & alij paſsim recenſent, brachio extra lectum extento dormire ſolitum, cū pila in manu ſuper pelvim aheneum, ut cadente pila, ſonitu expergiſceretur, ſicuti de grue excubitore diximus; & Petrus Crinitus de codē Alexandro, & de eius præceptore Ariſtotele, & de Iuliano Imperatore memorat, & qualiter noctem diſtribuebant. Sed tamen hoc quoque occupaſſe labæum Batillium, & inter ſua Emblemata inſeruiſſe reperi, cum lemmate, *Vigilantia Ducis*, & his carminibus:

Turpe Duci totas ſomno perducere noctes,
Qui belli totum ſuſtinet unus onus.
Senſit Alexander, quum ne violentia ſomni
Incautum opprimeret, languidiorque quies,
Appoſito iuxta ſuper exertabat aheno,
Extentam globulo ſemi gravemque manum.
Qui daret elapſus ſonitum, ſtrepituſque ſonoros,
Excuſſus ſtratis excuteretque ſopor.

9 Quare tandē, hoc, quod vides, Emblema, ad idē inſinuandum formavi, ex Regum Perſarum conſuetudine ſumtum, qui licèt aliàs in

ſubditos ſibi homines crudeliter imperarent, ut poſt alios Pontanus oſtendit. Tamen Ariſtotele, Plutarcho, Briſſonio, Coningo, & alijs referentibus, in more habuerunt, ut ab uno Cubiculariorum, ſummo mane ad thorum accedente, excitarentur, his verbis: *Surge Rex, & negotia cura, quæ te curare voluit Meſoroſmades, tuus Deus*, cognoſcentes nimirum, hoc ſibi ex ſuſcepti muneris natura præcipuè obſervandum; & vel in proverbium illud Homeri tranſijſſe, ſic de ſuo Agamemnone verba facientis:

Pōtan. in bell. Attic. 2. p. pag. 164.
Ariſt. lib. 1. Oecono. Plut. de doct. Ariſt. Briſſ. de Reg. Perſar. Coning. in Theat. Polit. 2. p. pag. 127.

Non decet ignavum tota producere ſomnum
Nocte virum, ſub conſilio, ſub nomine cuius
Tot populi degunt. Cui rerum cura fideſque
Credita ſummarum.

Homer. Illiad. 2.

10 Qui idem ſummus Poëta, eandem ob cauſam, paſsim in ſua Illiade Iovem, quoniam Divum Princeps erat, vigilantem ſemper inducit, bellorumque eventus diſponentem, & quo pacto res ſint tractandæ, interim Dijs alijs ſomnum agentibus. Et hoc ipſum ſentiēs Lucianus, has curas, & vigilias Regum latè proſequitur, & mutuatis prædictis Homeri verſibus, de eodem Agamemnone ait:

Lucian. inſomnio, ſive de Gallo.

Quippè nec Atridem Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multigenas verſantem pectore curas.

Ad quæ etiam alluſit Silius Italicus, inquiens:

Silv. Ital. in Tuc. 6.

Turpe Duci totam ſomno traducere noctem,
O Rector Lybiæ vigili ſtant bella Magiſtro.

11 Seneca quoque, ſæpè iam in ſuperioribus ad partes adductus: *Omnium domos Principis vigilia defendi debere, eiuſque curam excubare pro ſalute univerſorum, nos admonet.* In cuius fortè imitationem Paulus I.C. de Præfectis vigilum agens, incendijſque extinguendis, quæ frequentius noctu contingunt, ſcriptum reliquit: *Salutem loci, nemini magis curare competere, quàm Domino loci, nec alium ſufficere ei rei, quàm Cæſarem.* Prout Iuſtinianus à ſe ipſo curatum teſtatur, dum dicit: *Se noctes ducere inſomnes, ut poſteris quietem præparet*; & Plinius Iunior de ſuo Trajano, ſic inquiens: *Inde tibi parcus, & brevis ſomnus, nullūque amore noſtri anguſtius tempus, quàm quod ſine nobis agis.*

Senec. ad Polib. c. 26. & lib. 1. de Clement. cap. 3.
Paul. in l. nam ſalutē, de offic. Præf. Vigil.
Iuſtin. in Præf. Nov. 8. in princ.
Plin. in Paneg.

12 Sanctus quoque Iobus, qui verus typus bonorū Principum dicitur, ſe ſummo mane ſurrexiſſe, & in civitatis portis conſtitiſſe ait, ad ſuum populum curandum & iudicandū. Quo loci Olympiodorus, hanc debere eſſe præcipuā Principum curam his verbis oſtendit: *Tanquā Princeps quidam, & Magiſter cæteris ad virtutem, ſic nec ſomno, nec ebrietatibus indulgebat: ſed charitate commotus, de mane in plateis reſidebat, tāquam lex, atque effigies civitatis propoſitus.*

Iob. 29. 7.

13 Legum quoque Cuſtodes Plato vult noctu ſurgere, & Socrates Gubernatores in ſomno capiendo continentes eſſe, ut poſsint & tardè dormire, & ante diluculum ſurgere, & vigilare ſi opus ſit. Sicque Ageſilaus ſomno non domino, ſed rebus ſervienti, utebatur. Epami-

Plat. in lib. de leg.
Xenoph. in Ageſil.

nondas, Thebanis ſolutius compotantibus, ſolus vigil ac ſobrius arma luſtrabat,& Vlpius Marcellus à Commodo Imperatore adverſus Brittanos miſſus, Dux omninò vigilantiſsimus, quamquam ſomno alioqui reſiſteret natura, quò tamen magis id facere poſſet, inedia perfecerat. Iulianus Imperator nocte dimidiata ſemper exurgebat, & quoties voluit èvigilavit; & Georgius Caſtriotus Scandemberg, quo tempore Epirum cepit, duabus horis tantùm per ſingulas noctes ſomno indulſiſſe fertur. Ciceroque de ſe ipſo teſtatur, ſuo inconſulatu ſemper vigilaſſe,& providiſſe, quemadmodum in tãtis,& tam abſconditis inſidijs ſalvus eſſe Romanus populus poſſet.

Herod. in Cõmodo.

Cic.in 2.Catilin.

D.Ambroſ.lib.5. Hexam.

Et Divus Ambroſius,hiſtoriam anſerum tangens, qui Capitolium ne à Gallis interciperetur,ſua vigilia clangoreque ſervarunt: *Meritò* (inquit) *illis debes Roma quòd regnas, Dij tui dormiebant, & vigilabant anſeres, ideò illis diebus anſeri ſacrificas, non Iovi. Cedunt enim Dij veſtri anſeribus,à quibus ſciũt ſe eſſe deſenſos, ne & ipſi ab hoſtibus caperentur.* 14

Rectiſsimè quidem omnes,cum in omnibus vita noſtrà vigilia ſit, quæ in ijs præcipuè viget,in quibus animus inquies opere paſcitur,& illud Catonis monitum valeat: 15

Plus vigila ſemper,nec ſomno deditus eſto:
Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

Torres in Philoſ. mor. Princ.pag. 408.& ſeqq.

Plin. in Præfat. ad lib. de nat. hiſt. & lib 7. cap.59. Tiraq. de pœn. tẽp. cauſa 5.

Et ultra alia damna,quæ ſecum affert,in quibus referendis latè Ludovicus Turrianus inſiſtit,dormiens mortuo ſimilis ſit,& ut benè Plinius conſiderat,& alia adducens ille librorum helluo Tiraquellus,dimidiũ & amplius vitæ ſomnus hominibus auferat.

Cantic.5.2.

D.Paul. ad Epheſ. 5.16.

Idem ad Hebr.13. 17.

Matth.24.43.25. 13.26.41. Marc. 13.33.Luc.12 37. & 21.36.Rom.13 11. Corint. 1. 15. 34.& 2. Tim.4 5. & 1.Pet.4.7.& 5. 8.&c.

Laert.lib.3.in Platone.

Plaut. in Rudent.

At certè longè rectiùs, ubi de Principibus agimus, qui tot tantiſque negotijs, & rebus animum intendere debent, & cum ſui Regni Cor ſint,pro toto Regno vigilare,&re ipſa illud Canticorum implere: *Ego dormio,& cor meum vigilat.* Redimentes tempus,quoniã dies mali ſunt, ut aliàs Apoſtolus inquit, qui & ipſe,hoc, non tam in vim conſilij quàm præcepti,omnibus iniungit,qui rationem ſui muneris reddere debent,his verbis: *Ipſi autẽ pervigilant, quaſi rationem reddituri*,ut plura alia ſacræ Scripturæ loca miſſa faciã, quibus eadem hæc vigilia omnibus,qui alijs præpoſiti ſunt,geminatiſsimè commendatur: *Nemo quippè dormiens ulla re dignus eſt*,ut apud Laërtium divinus Plato nos admonet. Cui veluti ſubſcribens Plautus eandem ſententiam aliquãto latiùs his verbis extendit:*Vigilare decet hominem, qui vult ſua tempori perficere officia,nam qui dormiunt libenter, ſine lucro, & cum malis quieſcunt.*

Eraſm. in lib.de inſtit.Princip.

Et de Principibus, & cum Principibus loquens Eraſmus,idem ipſum ſic eleganter commonefacit: *Non licet dormitabundum eſſe, qui clavo aſsidet:& in tantis rerum periculis ſtertit Princeps? Nullum mare tam graves tempeſtates habet unquam, quàm omne Regnum aſsiduè. Semper itaque Principi vigilandum eſt, ne quid erret, qui non niſi plurimorum pernicie delinquit. Magnitudo navis,aut mercium pretia, aut vectorum numerus,non facit elatiorem, bonum nauclerum, ſed attentiorem:* 16

ita bonus Rex, quo pluribus imperat hoc vigilantior eſſe debet, non inſolentior, non ſomnolentior.

17 Et certè, quemadmodum apud Latinorum Poëtarum Principem, dum Palinurus vigilans navim gubernabat,

--------- *Clavumque affixus, & hærens*
Nuſquam amittebar, oculoſque ſub aſtra tenebat. Virgil. 6. Æneid.

Ipſa navis incolumis manſit; âſt verò ubi Lethæo ſoporiferoque ramo conſperſus:

Vix primos inopina quies laxaverat artus,
Et ſuper incumbens, cum puppis parte revulſa,
Cumque gubernaclo, liquidas proiecit in undas
Præcipitem, ac ſocios nec quicquam voce vocantem.

Sic pariter, in hac hominum navi, innumeræ animæ in occaſum trahuntur, niſi publicus ille Palinurus èvigilet, ſciatque ex ſua cura totius navis ſalutem pendere; &, vel brevi illo tempore, quo ſomnum capit, corpus ſimul, & animum ad melius vigilandum gubernandumque diſponere, & Antipatrum aliquem ſubſtituere, qui pro ipſo tunc temporis clavum Imperij teneat, ut de Philippo, Macædonum Rege, Plutarchus commemorat, dum ſomnum, quem ſumſerat, excuſans: *Tuto* (inquit) *dormivi, quia Antipater pro me vigilat.* Idemque Philippus cum interdiu dormiret, Græcique ad fores convenientes, illum criminarentur: *Nolite admirari* (inquit Parmenio, apud eundem Plutarchum) *ſi nunc Philippus dormit: nam quando vos dormiebatis, ille vigilabat.* Plutarch. in Apophthegm. Idem Plut. ibidē.

18 His addo ita propriam, & regendi muneri veluti inſitam eſſe vigiliam, ut vel ex eius obſervatione Imperij Romani purpuram Veſpaſiano prædixerit, auguratuſque fuerit Apollonius Tyaneus, ut Philoſtratus in eius vita, his verbis ſcripſit: *Poſtridie, Aurora iam exorta, veniens ad Regiam Apollonius, quidnam Rex ageret, ex ſatellitibus quæſivit. Qui illum iampridem ſurrexiſſe dixerunt, & tunc ſcribendis epiſtolis vacare, quo audito diſceſſit Apollonius, Damidi dicens, Vir imperabit.* Philoſtr. de vita Apol. lib. 5. cap. 1. in princip.

19 Quod & ipſum Ethnici veteres denotarunt, dum Paſtorem (qualem Regem eſſe iam diximus) Argo Centoclo comparabant, ut ſic nunquam illum ita ſomno ſepeliri debere ſignificarent, ut omnem ſui gregis ſolicitudinem deponeret. Et Plato inter ſuas leges, hanc omnibus quidem, ſed Principibus tamen cum primis ſalutarē, & neceſſariam, præſcripſit: *Quicunque vivere, & ſapere cupit, maximè quam longiſſimo tempore vigilet, ſola ſanitatis commoditate ſervata: ad hanc verò non multo opus eſt ſomno, ſi benè aſſueveris ſomnis: Magiſtratus profectò in urbibus noctu vigilantes, hoſtibus terrori ſunt.* Sup. Embl. II. Plato lib. 3. de leg.

20 Et ſanè, ex eodem etiā Platone narrat Plutarchus, apud Lacedæmonios graviſsimas cauſas ad nocturnam conuentum reiici ſolitas, & Græcis noctem à *Benè ſapiendo*, nomen habere, quod exiſtimarent, noctis vigilias ad conſiderandum, & conſultandum de rebus gravibus Plutar. in Sympoſiac. dec. 7. prob. 9

aptiſsimas eſſe,nullam quæ acriorem,nullam altiorem cogitationem,
quàm nocturnam. Vnde Scopelianus Sophiſta, conſortem Sapientiæ
Dei noctem appellare ſolebat.Habet enim hominum mens in alto il-
lo ſilentio, corporis ſenſibus iam feriatis, aliquid divinitatis, ſi ſe ſe
Plaut. in Epid.
intenderit ad rerum ſublimium ſpeculationem, & ut Plautus in Epi-
dico ait:

De die ſæpè ſtulti vidiſumus, contra noctu,
Licet Senatum in corde convocare Conſiliarium.

Plin. Iun. lib. 9. epiſt. 36.

Cui aſſentiens Plin. Iunior: *Mirè* (inquit) *ſilentio, & tenebris animus
alitur, ab ijs, quæ avocant, abductus, & liber, & mihi relictus, non oculos
animo, ſed animum oculis ſequor, qui eadem quæ mens videns, cum non vi-
dent alia.*

Eraſm. in Adag. pag. mihi 129. & 199.
Ælian. de var. hiſt. lib. 3. cap. 11.
Eraſ. idẽ pag. 200.
Cicer. 4. Tuſcul.

Quod fecit,ut in Adagium tranſierit, *Noctu urgenda conſilia*, & *In* 21
Nocte conſilium, in quorum exornationem alia tradit Eraſmus, qui-
bus Hiſpana noſtra conveniunt, *Dormir ſobre el negocio, Conſultar la
Almobada*,de quo Ælianum legere poteris. Idemque Ariſtophanis ſi-
ve Cleantis lucernam adeò nobilem reddidit, ut apud eundem Eraſ-
mum habetur,& Demoſthenem præcæteris commendavit.Quem Ci-
cero affirmat, ſerò doluiſſe; ſi quando ab artificibus antelucana vi-
ctus eſſet induſtria. Et non eſt omittendum Iacobi Trentij ad Philip-
pum Secundum nobile dictũ,dum inter alia,quæ Principibus & Mag-
natibus deeſſe conſideravit, quamvis alioqui multa poſsideant, hoc
unum eſſe dixit, quod nunquam Orientem Solem adſpexerint, nec
Auroræ & Matutini tempus ſuaviſsimos flatus, & ſalutares effectus
experti ſint.

Ex quibus ſatis Principes cognoſcere poterunt, quàm illi malè ſe- 21
gerant, qui vel ſomno nimis per totam noctem indulgent, vel eiuſ-
dem vigilias,non publicis, ut debent, curis intendunt, ſed ſtupris, a-
Petron. in ſat.
dulterijs,comeſſatinibus,alijſque vitijs,& oblectamentis:quibus Ne-
ro apud Petroniva Arbitrum integras noctes tranſegiſſe nota-
Tacit. lib. 16. Ann.
tur,qui & ipſe,illorum,non ſolùm teſtis,verùm con-
ſors,& Arbiter fuit,ut latè Tacitus
memorat.

In Reges deſides.

EMBLEMA XVIII.



Rex agit in Scena frontem Diademate vinctus,
Et clamyde inſignis Sceptra ſuperba gerit:
Nil iubet, aut loquitur Tragici tenet inde Cothurni
Primas ſed partes nuntius, aut famulus,
Regibus aptantur tot priſcæ ludicra Scenæ,
Qui niſi res agitent, nomen inane ferunt.

COMMENTARIVS.

1 CVM ergo, docente Seneca, *Officium ſit imperare, non Regnum*; Regeſque à Regendo dicantur, & unuſquiſque ſecundùm etymologiam ſui nominis vivere debeat, ut ex Sacris Canonibus Nicolaus Cuſanus admonuit, meritò poſt Auſonium, & Horatium Divus Iſidorus ſcriptum reliquit, tamdiu quemlibet Regis nomen tenere, quamdiu rectè fecerit, & concreditum ſibi à Deo munus impleverit. Quod idem valet, atque illud Divi Pauli: *Qui præſunt in ſolitudine præſint*. Hoc eſt, ut pro commiſsis ſibi populis eos labores, curas, vigiliaſque ſuſcipiant, de quibus adeò latè in ſuperioribus diximus, Sciantque magnam, qua ſe pollere credunt Fortunam, non in licentiam, ſed in patientiam vertere, & Nomen Numenvè ſuum, non tam honoris, quàm oneris eſſe, non fœliciſsimi, ſed vigilantiſsi-

Senec. epiſt. 90.

Nicol. de Cuſa lib. 5. exc. pag. 412.

Auſon. in Monoſ. Horat. lib. 1. epiſ. 1. Iſidor. de ſum. bono, cap. 98.

D. Paul. in epiſt. ad Rom. cap. 18. v. 8.

mi,non deſidiæ,non otij,non ſuperbiæ,non voluptatis, ſed laboris,ac diligentiæ.

Et cuiuſdam Dei Opt.Max.repræſentationis, quæ indeſinenter in 2
regendo gubernandoque orbe, quem condidit, exercetur,ut præclarè Divus Auguſtinus, & Gregorius ſcribunt, & vel Horatius agnovit,dum canit:

D.Auguſt.lib.5.de Trinit. c.1. Greg. ſup.Ezech.homil: 18.&lib.2.Moral.

Horat.lib.3.Od.4

Qui terram inertem,qui mare temperat
Ventoſum:& urbes,regnaque triſtia,
Divoſque,mortaleſque turbas
Imperio regit unus æquo.

Quem Seneca Tragicus, Silius Italicus,& alij paſsim Poëtæ æmulari videntur,ſed pius cæteris Boëtius,ſic inquiens:

Senec.in Hippol. Silius lib.6.

Boet.lib.4.deCõſol.met.6.

Sedet intereà conditor altus
Rerumque regens flectit habenas,
Rex,& Dominus, Fons,& Origo,
Lex,& Sapiens, Arbiter Æqui,
Et quæ motu concitat ira,
Siſtit retrahens,ac vaga firmat:
Nam niſi rectos revocans ortus
Flexos iterum cogat in orbes,
Quæ nunc ſtabiles continet ordo,
Diſsipata ſuo fonte fatiſcent.

D.Aug.li.6. cõtra Fauſt.c.22.D.Brigitta in ſuis Revelar.lib.8.c.16.latè Pineda in Iob cap. 29.ver.5. Velazq. de Opt. Princ. ex pag. 374. Sancta-Maria in Pol.Chr. 1.p. c.3. Saavedra Emp. 37. ex pag. 413. & omninò Ferdin. Perez de Guzm. en ſu Mar de hiſtorias, c.172

Et virilem hanc,pro virili,in Regibus curam, & damna quæ pluri- 3
mi eorum omnibus retro ſæculis paſsi ſunt, quòd eam declinaverint, adeò latè plures ex ſanctis Patribus, & omnes Hiſtorici, & Politici Scriptores exagerant,ut improbus planè cenſeri poſsim,ſi in eis referendis,vel transferendis immorer . Quare contentus ero Plutarchi locum, & ſimilitudinem eiſdem ob oculos ponere, qui Reges deſides ſuique muneris,& conditionis oblitos, Tragicis comparat, quorum ne vox quidem ulla in veterum tragœdijs exaudiebatur, ſed Sceptrum, & Diadema præleferentes, inane nomen repræſentabant, & alij totius fabulæ Scenam agebant. Quam ſimilitudinem hoc noſtrũ Emblema figurat,&Plutarcho non citato,ſibi ſumſit Eraſmus, addẽs, Græcè, tales Perſonas *Doriphoremata* dici, & Reges, ut & Nos facimus, hortans, ut ea, quæ verè ſunt Regum, ac Principum agant. Et Pavoni, vel ob hanc cauſam Regnum a cæteris avibus denegatum, quòd ſua tantùm pulchritudine, & inauratis plumis contentus, ſeu conchyliatis,& verſicoloribus,omnique ſyrmate ſolutioribus,ut eum graphicè Tertullianus depingit, nihil aliud præſtare, aut gerere ſoleat.

Plutar.in vita Lyſand. & in moral.

Eraſm.in ſimil.fol. mihi 4.in fin. & in Adagio *Tragicus Rex*; & in Adag. *Fõs occipitio prior*

Tertull. in lib. de Pallio.c.3. & in li. de Anim.cap.33.

Agathias quoque,veluti ad hoc noſtrum figmentũ alludens, æquè 4
prudenter hæc in verba prorupit: *Non ex purpura, ſeu quovis amiculo, & extrinſecus, quæ viſuntur, alijs ornamentis, Regium nomen eſt cuiquã tribuendum; ſed ei, qui æquitatem exerceat, nec decentia aſpernetur, &*

Agath.lib 4.hiſt.

cupi-

cupiditates his ſolùm rebus emetiatur, quæ animi ſtabiliunt ſapientiam.

5 Et ſanè cum vel Cicerone monente: *Hæ ſint virtutes Imperatoriæ, labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo.* Quas reliquæ comitantur, quia mirabili quodam nexu ac concentu ſe mutuò coniungunt, ut optimè docuit Agellius, & ille Alter, qui dixit:

Cicer. in orat. pro lege Manil.

Virtutes ſtabili ſunt omnes fœdere nexæ,
Alteraque alterius diligit officium:
Pectore conſtanti iunctis ad vincula dextris
Mutua, præſiſtunt, & moderata colunt.

Agel. lib. 7. c. 6. & lib. 19. cap. 2.

Henr. Oræus Icone. 35. virtutes cathenatæ.

6 Neſcio equidem quo pacto Deo rationẽ ſui muneris reddituri ſunt Principes, qui ad hanc curã non attendũt. Nam etſi non ignorem, nec inficier, Auxiliares aliorum manus ad tot ſubeuntium in Regnorum adminiſtratione negotiorum expeditionem valdè deſiderari, ut alio loco dicemus, non ideo tamen, omnes qui bene ſentiunt, omnimodã ipſorum deſidiam culpare, & carpere deſinunt. Cuius improba Siren, ſi vel à priuatis fugienda eſt, ut Satyricus monuit, iam apparet, quid de Regibus dicere ſentireque debeamus, de quibus vere dixit Catullus:

Infr. Embl. LIV.

Horat. lib. 2. ſat. 3.

Catul. ad Lesbiã.

Otium Reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

Et Philo Iudæus: *Qui fugit laborem, fugit fœlicitatem. A diverſo, qui fortiter patienterque difficultates tolerat, ad Beatitudinem properat.* Cui convenit Epigramma illud Incerti Auctoris, inter Virgilij opuſcula adtextum, ubi de littera Pythagoræ agens, ſic habet:

Phil. Iud lib. 3. de vita Moyſ.

Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudem decuſque parabit:
At qui deſidiam luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos in cauta mente labores,
Turpis inopſque ſimul miſerabile tranſiget ævum.

7 Ac magis ad rem noſtram, de Regibus loquens Divus Auguſtinus, cuius verba ſupra aliud agentes ad longum retulimus, qui tunc Reges ſe Regio nomine ac munere dignos oſtendere, inquit: *Si iuſtè imperent, & Imperij munia proprijs virtutibus exerceant, & ornent: & hæc omnia faciant, non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem fœlicitatis æternæ.* Cui loco nunc alium, non minus ad Noſtri Emblematis illuſtrationem conducentem, D. Chryſologi addimus, qui ita eoſdem Reges ac Principes commonet: *Si à Deo Poteſtas omnis, à Deo Rex etiam diſpenſationis Regiæ adeptus eſt dignitatem, rationemque redditurus eſt, ſi in nullo creditæ Poteſtatis exceſſerit menſuram: ſi Rex iuſtitiam cuſtodivit: ſi æquitatem tenuit; ſi poteſtatem moderatus eſt: ſi miſericordiam non omiſsit: ſi tenuit ſic poderis ſui libram, ut in neutram partem inclinaret. Si omnium curam geſsit, ſi civiũ procuravit quietem: ſi ſic temperavit ſenſum, ut neque militi ſufficientia deeſſent, neque tributarius laſſaretur.*

D. Aug. lib. 5. de civit. Dei, cap. 24. de quo ſup. Emb. 2.

D. Chryſoſt. ſer. 26

Cōcil. Tolet. 40. n.65.pag.360.

Et hæc eadem commonitio glorioſiſsimis Hiſpaniæ noſtræ Regibus traditur in Concilio Toletano X. ubi poſt multa, quæ de ipſis obediendis, obſervandis, conſervandiſque dicuntur, veluti in horum compenſationem expoſcit: *Vt moderati, & mites erga ſubiectos exiſtētes, cum iuſtitia, & pietate populos à Deo ſibi concreditos regant, bonamque vicißitudinem largitori Chriſto, qui eos conſtituit rependant, Regnantes cum humilitate, & cum ſtudio bonæ actionis.* 8

Plut. in Moral.

His addere licet aliam præclaram Plutarchi ſimilitudinem, inquientis, quòd qui nauem gubernant, aliena voce iuſſuque utuntur: ſed qui Rempublicam gubernant, in ſe ipſis ſapientiam habere debent, ut benè regere poſsint. Et elegantiſsima verba Petri Bleſenſis à Nicolao Cauſino relata, dum exponit, cur ſuum Iovem Cretenſes ſine auribus pingerent, quæ ſic habent: *Qui dat divitias terræ a Regibus aurum non poſtulat, vel argentum; ſed ut audiant cauſam populi, & arguant pro manſuetis terræ.* 9

Bleſenſ. apud Cauſin. in Polit. Symbol. lib.2. cap.43. pag.95.

Baſil. Imp. in inſt. ad Fil. cap.10. Panorm. de dict. & fact. Reg. Alphōſ.

Reſende in Vita Ioann. II. Comin. li.3. pag. mihi 372.

Balth. de vias in Sylvis Regijs, Sylva 1. pag.11.

Sed quoniam Reges aliorum Regum monitis, & exemplis magis ſuaderi, & affici ſolent, ſimile documentum, eiuſque ſpreti nocumentum, in Baſilij Imperatoris ad ſuum filium inſtitutione, in Alphonſi Regis Aragonum Primi, dictis, & factis in vita Ioannis Luſitani Secundi, & in præclara Philippi Cominæi Hiſtoria, & in alijs paſsim libris legere poterunt, quæ Ego quia obvia ſunt, & brevitati conſulo, ſilentio prætereo, ſolum quemdam noviſsimum Auctorem Gallum adieciſſe contentus, qui eandem noſtri Emblematis imaginem, ſive ſimilitudinem premens, hanc deſidiam, quam exulare à Bonis, & Prudentibus Regibus cupimus, Meroveis, antiquis, legitimis, & nobiliſsimis eiuſdem Galliæ Regibus incauſa fuiſſe inquit, ut Regnum amitterent, & vetuſtam ſeriem, translato in Capetos, & Pipinos Imperio, novo ſanguine conſpurcarent, ſic canens: 10

Nil reliqui ſupereſt, qui ſolo nomine Reges
Vixerunt; quorum laſcivæ ignavæ quieti
Maieſtas famulans Meroveis abſtulit ingens
Solemnes inter partum Diadema triumphos.

Idem in Comm. ex pag.53.

Et poſteà in Commentarijs hoc idem pluribus alijs locis, & exemplis illuſtrat, Plutarchi, de quo agimus non omittens.

Gunther. in Ligur. lib.6. v.7.

Quibus non incongruè illum alium Guntheri addere poſſumus, qui ſuum Fredericum Imp. ob hanc curam in rebus agendis præcipuè commendat, his verbis: 11

Non tamen in tanta Princeps ignava quiete
Otia carpebat: credens hoc perdere tempus,
Quo nihil adiectum Regni proventibus eſſet:
Quamque alijs dederat Pacem ſibi ſponte negabat.

Mantuan. de Calam. ſuor. temp.

Et extat apud Baptiſtam Mantuanum, elegantiſsima lectuque digniſsima Deſidiæ deſcriptio, ubi poſtquàm de damnis, quæ in corpore generat, latiſsimè egit, ſic de his quibus animum, & ſpiritum gravat, prudentiſsimè loquitur: 12

Hæc

Hæc fera ſervilis, ſanctæ faſtidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia ſenſus
Semifero languore premit, frigentia corda
Involuit gelido denſæ velamine nubis:
Nil niſi terrenis hauſtum de fecibus unquam
Cogitat; Annales veterum, dubiamque futuri
Temporis ignorat ſortem; non ulla latentes
Cernere naturas rerum, cauſaſque tueri.
Cura ſubit, ſubiecta oculis vix aſpicit, ægrè
Palpebras levat hærentes; humore tenaci
Lumen habet: ſurdant aures, vox languida, ſermo
Barbarus, obſcuro verba intercluſa palato:
Seminat infœlix lolium, frigenſque papaver,
Lethæiſque rigat ſteriles humoribus hortos.
Plumbea liventi geſtat connexa metallo
Vincula, captivos hominis quibus alliget artus, &c.


Quæ ſanè damna cum omnibus fugienda ſint, iam apparet quid de Regibus ſentire debeamus, qui pro omnibus agere, ut ſæpè diximus, & ſatagere debent, & de quibus ubi ſe deſidiæ & ignaviæ dedunt, nō minus verè dicere potuit Ludovicus Vives: *Principem in pluma & umbra, ut aiunt, aſsiduè agentem, multa vitia neceſſe eſt circumſiſtere, cum voluptatum titillantium nutrix ſit culcitra, cui morbo multum adiiciūt ſecreta cubiculorum conclavia.* Quo cum conveniunt alia, quæ apud Eruditiſsimum Noſtrum Patrem Ioannem Antonium Velazquez re-
13 peries, dum latè diſcurrit & probat alios Mortales, ſi ſibi ſolis, vivant, haud reprehendendos: Principes verò reprehenſione dignos eſſe, quia alijs nati, &c.

Ludov. Vives in epiſt. ad Henric. Reg. Angl. VIII.

P. Velazq. de Opt. Princip. pag. 346.

Diſcite Iuſtitiam Moniti.

EMBLEMA XIX.



Qui in Populi Sceptrum, pariter qui in vincula ducti
Pœna quibus Duplex, nec ſatis una fuit
Diſcite Iuſtitiam moniti, quid parcere vobis
Intererit populum, vindice, teſte Deo.

COMMENTARIVS.

LICET deſidia incuriaque Regnantium, tot tantiſque maneat rationibus, exemplis, ac teſtimonijs damnata, tamen quia ſæpè in aliquibus pullulat, & crebris denuò conſpicitur vigere radicibus, ſtili quoq, acrioris vigorem expoſcit, ut quoad fieri poſsit radicitus amputetur. Ideòque, ut eoſdem ſui muneris attẽtiores, & obſervantiores efficiam, hoc Emblema ſuperioribus addo, quo oſtenditur, quibus pœnis, ac damnis, qui contrarium fecerint, ſubiiciantur, ex Moſſynæcicorum conſuetudine ſumtum, de quibus ita Pomponius Mela ſcriptum reliquit: *Moſſynæci turres ligneas ſubeunt, unde & illis nomen, quaſi Turricolæ: Notis corpus omne perſignant, propatulo veſcuntur, promiſcuè concumbunt, & palam Regem ſuffragio deligunt, vinculiſque, & arctiſsima cuſtodia tenent, atque ubi culpam pravè imperando meruerit, inedia totius diei afficiunt.* 1

Pomon. Mela lib. 1. cap. vlt.

Nicol. Boæm. de morib.
Apol. in Argonau.
Horo. Covar. in Embl. lib. 2. fol. 20

Idemque ex Stobæo Nicolaus Boæmus affirmat, & ante omnes 2
Apollonius Rhodius, cuius Scholiaſtes Ephorum, & Nymphodorum

ad

ad idem allegat, & noviſsimè Noſter de bonis litteris optime meritus D. Ioſeph Gundiſalvus de Salas, Calatravenſis Militiæ digniſsimus Eques, ex ſupra dictis contra Melam advertens, prædictam inediam, non unius tantùm diei fuiſſe, ſed ex eo ipſo, quo Rex malè iudicando, aut alio quovis modo, rectam gubernationis orbitam exceſsiſſet, perpetua inedia uſque ad mortem damnari ſolere. D. Ioſeph. à Salas in notis ad Melam. pag. 279.

3 Vt inde cognoſcas, vel inter Barbaros, Regnum non ſolùm ſplendidam ſervitutem fuiſſe, ut ſuprà ex Antigoni dicto retulimus, verùm & compeditam; Diademate ipſo, non minùs caput, quam pedes arctãte, & ultra pœnam, quæ ipſum regnandi munus ſecum affert, aliam, & præſentiſsimam, pro incuria qualibet, comminante, ut illud noſtrum carmen oſtendit:

Pœna quibus duplex, nec ſatis una fuit.

4 A qua Moſſænycicorũ conſuetudine, non multum alia Trapobanẽſium diſtabat, qui, ut poſt Plinium, Alexander ab Alexandro, & alij recenſent, Reges, ſe malè in Regni adminiſtratione gerentes, ſtatim deſerebant, & arcta cuſtodia tentos, ſolos relinquebant, ita ut nemo deinceps ad eos accedere, vel cũ eis colloqui poſſet. Quod operabatur, ut ipſi præ triſtitia citò deficerent, cum iuxta Impp. Theodoſij & Valentiniani conſtitutionem, nulla maior pœna reperiatur: *Quam eſſe inter homines, & hominum carere ſuffragijs.* Plin. lib. 6. cap. 22. Salic. cap. 56. vel 66. Mart. Capella lib. 6. Alex. 3. Gen. cap. 5. l. hi qui ad ſanctã, C. de apoſtatis.

5 Lenius quidem ſe habebant Ægyptij, ſed tamen ſuo more ac modo, ſuorum Regum ignaviam inultam non ſinebant. Nam eodem Alexandro, ex Diodoro Siculo, recenſente, comperimus, eis in uſu fuiſſe, defunctos Reges per eum qui proximam poſt ipſos tenebat dignitatem, antequàm ſepulturæ darentur, ſyndicari, in omnemque vitæ ſeriem, & ipſorum dicta factaque, & an fuerint fortiſsimè præliati, an ſegnes, & deſides, inquiri, & ex alto ſuggeſtu in maximo omnium conventu perlegi, & recenſeri: & ſi vitia prævalerent, honore funeris privari, atque in ſepultum cadaver relinqui. Alex. lib. 3. cap. 7.

6 Armuzij planè crudeliores, qui, ut tradit Hieronymus Oſſorius, quoties Regni Procuratoribus viſum eſſet, Reges iure Regio liberius, quàm ipſi vellent, uſos fuiſſe, oculis eos orbabant, & in ædibus Regijs, cum uxoribus, & liberis incluſos, cuſtodiebant, omnia ad victum neceſſaria largè miniſtrantes, & ex Regia ſtirpè puerum aliquem deligentes, ſimili calamitati pro Tyrannico eorundem arbitrio ſubiectũ: quod Alphonſus Alburquercius, cum quindecim Reges ita miſerè affectos, reperijſſet, in poſterum abolere curavit. Oſſor. lib. 10. rer. Eman.

7 Ephori quoque, ut Xenophon, Plutarchus, & alij litteris tradiderunt, eam ſibi apud Lacædemonios, ſive Spartanos poteſtatem, atque authoritatem in Reges uſurparunt, ut licèt primùm eorum Adminiſtri eſſent, poſteà in ipſos ius vitæ ac necis exercuerint, & quoties pravè, aut ſegniter aliquid egiſſe cenſebãt, iudicialiter animadverterint. Vnde in morem pertranſijt, ut accerſentibus Regem Ephoris, ſemel atque iterum contradiceret, tertio vocantibus, ſurgere, & ad eorum tribunal pergere teneretur, & ſic Agim, Optimum Regem, iudicarunt, & ſtrangularunt (ut iam ſuprà recenſui (ſimilem noſtri temporis Xenoph. in Repub. Lacon. Plutarch. in vita Agis & Cleom. Stob. ſerm. 42. de legib. Alex. lib. 6. c. 24. latè Nicol. Cragius de Repub. Laced. lib. 2. cap. 4. Sup. Embl. IV.

ca-

caſum Regis Angliæ perpendens) quouſque Cleomenes Leonidæ filius, hanc Ephororum tyrannidem ſuſtulit, facti ſui cauſam populo reddens.

8 Quæ omnia eo tendunt, ut qui celſum Regiæ Maieſtatis locũ conſcendunt, ſciant, quibus ſe addicant legibus, quæ onera, quæ ſupplicia ubiq́ue gentium, huic muneri inſint, quid ab eis deſiderent, atque exigant populi, qui ipſos in talem celſitudinem evexerunt, & non ſolùm ut præſides, ſed ut præſidium rerum ac fortunarum ſuarum conſtituerunt. Et quòd, cùm ſecundùm Heſiodum:

Heſiod. in Theogon.

Hac una Reges ſint olim fine creati,
Dicere ius populis, iniuſtaq́ue tollere facta.

Cic. lib. 2. Off.

Cui adridens Cicero dixit: *Fruendæ iuſtitiæ cauſa olim benè moratos Reges conſtitutos.* Diſcant ſe iuris eſſe ſequeſtros, boni & æqui arbitros, ſponſos iuſtitiæ, Hymenæos pacis, Feciales fortunæ communis, ſubditorum ſuorum tutores non tollitores, & ut verbo dicam, & cum Virgilio dicam, ex quo lemma noſtri Emblematis ſumſi:

Virgil. 6. Æneid.

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Divos.

Petrarch. de rem. adv. fort. lib. 2. Dialog. 81.

Cuius verſus in ſimili meminit Petrarcha, docens Reges, vel coactos, ad iuſtitiam ſuis miniſtrandam adigi poſſe, & Tyrannum alloquens ac malè moratum Regem, quem dolentem induxit, ſe ob hanc cauſam à Regno fuiſſe deiectum, ita eum ſolatur: *Spontè deſcendiſſes melius, optimè verò non aſcendiſſes. Nunc qualitercumque deſcendiſſe, bonum, ideò quia iuſtum; meliorq́ue coacta iuſtitia, quàm voluntaria iniuſtitia. Audite impium Tyrannum apud inferos exclamantem. Diſcite iuſtitiã moniti. Audite & me apud ſuperos exhortantem, diſcite iuſtitiam vel coacti: hæc enim tempeſtiva hìc, utiliſq́ue ni reſpuitur: illa ibi admonitio utique ſera eſt, fruſtra enim diſcitur, quod fieri amplius non poteſt. Ponite verò iam tumentes animos, ſuperbumq́ue & ferox dominandi votum ponite, & ſi non prius, ſaltem poſt Tyrannidem amiſſam, & optandi, quod iam aſſequi non poteſt finem facite. Si non iuſtitiæ, ſaltem verecundiæ hoc præſtate, ut mutatis moribus, & novo habitu mentis aſſumto, amiſsione divitiarum ditiores facti, quantum fortunæ detrahitur, tantùm animis addidiſſe videamini.* 9

Sabellic. ex Livio, & alijs, lib. 8. Æne. 2.

Sigon. lib. 3. de Reg. Ital.

Aventin. lib. 4. Boior. Sigon. lib. 9 & alij. Sirip. rerum German. & Cuſpinianus in vita Imp. Paul. Æmil. lib. 3. Aventin. 3. Annal. Ranulph. in Polyc. lib. 5. cap. 25.

Et hìnc ſæpè, varijs ſeculis, varijſq́ue in nationibus, contigiſſe videmus, deſides atque ignavos Reges, vel iniuſtè aut tyrannicè in ſuis actionibus procedentes, divinis & humanis iudicijs Regnis, & Imperijs, etiam alioqui legitimè partis, privatos atque exutos fuiſſe, ut Roma toties in Tarquino ſuperbo, & alijs poſtmodum purpuratis, & adoratis Cæſaribus vidit. Conſtantinopolis in ſuis ferè omnibus, quorum vix per annum ſtabile Imperium fuit, & præſertim in Conſtantino Copronymo, quia in Sanctorum Imagines, & in Beatæ Virginis contumelias blaſphemus erupit. Germania in Carolo IV. cognomine Craſſo, Henrico IV. Venceslao Ignavo, & alijs, quorum hiſtorias latè in ipſorum Annalibus videre licebit. Francia in Carolo Simplici, atque Hilderico, quem ut ignavum Regem flocci facere cepit, nec à contumelijs temperans, ille umbraticum, ille pupparum, 10

alius

alius puerorum Regem eum appellabant. Anglia in Edovardo II. qui quoniam ignaviſsimus erat, ab uxore Iſabella, & proceribus captus, Regno deiectus, & in carcere necatus fuit, ſubſtituto ei Edovardo III. ut Polydorus Virgilius enarrat. Hiſpania noſtra in Ruderico, Sãctio Capello Luſitano, Labreto Navarro, & alijs, quorum nomenclaturam paſsim álij Auctores adducunt.

Polyd. Virg. hiſt. Ang. lib. 18.

Cap. grãdi, de ſup. negl. Præl. plures Auctores ap. Me 1. tom. de Ind. iur. lib 2 cap. 13. n. 52. & ſeqq. & cap. 22. ex n. 55.

11 Sic Deo verum reddente, quod in Eccleſiaſtico pronũtiatur, *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & diverſos dolos*; & iterum apud D. Matthæum: *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti iuſtitiam.* Quas Domini voces ad omnes ignavos, impios, & iniquos valere, graviter D. Auguſtinus, & alij ſancti Patres nos admonent, & ex Ethnicis idem ante ipſos præſenſit Demoſthenes in Oratione Olynthiaca ſecunda, & Seneca Tragicus inquiens:

---------- *Vbi non eſt pudor,*
Nec cura iuris, Sanctitas, Pietas, Fides,
Inſtabile Regnum eſt.

Eccl. 10. 8.

Matth. 21.

D. Aug. in c. ſi de rebus, & cap. quẽadmodum 23. q. 7. alij ap. Me d. cap. 13. ex n. 53.

Senec. in Tyeſth. Act. 2. Scen. 1.

12 Et eſt lectu dignus Salvianus, qui nõ contentus docuiſſe, peccatorum clamorem Deum velut invitum ad punitiones eiuſmodi provocare, ut in Sodoma, & Gomorra contigiſſe videmus; iterum de graviſsimis Afrorum peccatis ſcribens, ea Deum, quaſi reluctantem ad illorum internecionem, & Regni translationem moviſsiſſe, his graviſſimis verbis oſtendit: *Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, niſi ut cum Deus eum perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſa exigeret, ut periret? Vnde & quod Vvandali ad Africam tranſierunt, non eſt divinæ ſeveritati, ſed Afrorum ſceleri deputandum: gravi enim eos, antequàm illuc pergerent, ac longa iniquitate traxerunt.*

Salvian. lib. 1. de Provid. Dei.

13 Et ad hanc cauſam (non ad Aſtrorũ vim, ſyderumque influxus) mutationes & declinationes Regnorum referendas eſſe, piè & doctè, Noſter elegantiſsimus Fr. Ioannes Marquez animadvertit, & Simon Maiolus in ſuo colloquio de bellorum eventibus, quem Andræas Canonherus ſequitur, & tranſcribit, dum habet: *Cum ergo cauſas periodorum, & mutationum in Imperijs quærimus, non procul vagemur animis, nec ad ſydera evolemus, ſed quid in Eccleſia, politijs, & œconomijs fiat, cõſideremus. Si regnant in Eccleſia falſæ, impiæ, fanaticæ, blaſphemæ opiniones, aut idola, & conflictantur inter ſe docentes: ſi in politijs impunè graſſantur tyrannides, ſeditiones, latrocinia, impoſturæ, fraudes; & licet cuilibet quodlibet; ſi diſsident coniuges, & vagis ac prohibitis libidinibus contaminantur œconomiæ, & adulterantur familiæ: non dubitemus impendere triſtes, atroces, & propinquas pœnas.*

Marq. in Gubern. Chriſt. lib. 2. c. 26. pag. 318.

Maiol. 3. to. coll. 2. Canonher. in Aphoriſm. 1. to. pag. 641.

14 Iuſtus etiam Lipſius idem tradit, & Deum in Regnis, Regnorumque mutationibus, hæc ſupplicia exercere: *Præſertim ſi ij, qui peccant, velut digniora quæ iam membra ſunt, ut Reges, Principes, Magiſtratus.*

Lipſ. de Conſt. lib. 2. cap. 15.

15 Quos, ſi ſua Regna gubernare neſciant, nec ea defendere, vel perdita recuperare, vel iuſtitiam adminiſtrare, Regum nomẽ, & ius amittere, illiſque curatorem dari poſſe, concors eſt Doctorum ſententia

Cap. Scelus 2. q. 1. Archid. in cap. Regum officium 23. q. 5. Innoc. per textum ibi in cap. grãdi, de ſup. negl. Greg. Lop. in l 5. tit. 1. par. 2 Aviles in cap. 1. Præt. ver. *Regimiento*, fol. 15 num. 11. & 12.

ali-

aliquorum iurium auctoritate ſuffulta,quam ſecurè ex NoſtrisGregorius Lopez,& Avileſius referunt,& ſequuntur.

Ita tamen intelligenda , ut nemo præſumat,hac de cauſa Nos inſi- 16
nuare velle,licitum eſſe populis, vel privatis,à ſuis Regibus, legitimè Regna poſsidentibus,rebellare,vel in eorum vitam,aut honorem aliquid machinari.Nam licèt aliud agens Seneca Tragicus dixerit:

Senec.in Hercul. Fur.

----- Victima haud ulla amplior
Poteſt, magiſque opima mactari Iovi
Quàm Rex iniquus.

D.Paul. ad Rom. 13.ad Tit. 3. D. Petr.1.2.

Barclai. in lib. de Regn.adverſ.Monarchomacos.

Ego 1.tom.de Indiar.iur.lib.2.cap. 14.n.48.& ſeqq.

Gordon. in Chronograph.pag.478.

Hoc peſsimi exempli eſſet,& multis Sacræ Scripturæ locis repugnãs, quibus Regibus,etiam malis & diſcolis, tanquam à Deo miſsis, obedire iubemur,& eorum Maieſtatem tanquam Sacroſanctam colere ac venerari.Circà quod plura dicere ſuperſedeo , quoniam de hoc argumento latiſsimè Guillelmus Barclaius ſcripſit , & poſt D. Thomam,
Concilium Conſtantienſe,Caietanum,Covarruviam, Gregoriũ Lo- 15
pez , Menchacam, Patrem Suarez, Patrem Marianam, Marquez , & plures alios,(quos Ego alibi diligenter recenſui,qui contrarium aſſerere hæreticum eſſe inquiunt) Iacobus Gordonus,qui cũ in ſua Chronographia,necem illatam Regi Galliæ Henrico III.à Monacho quodam,narraret, cu. ſimilis altera contigit in Henrico IV. ann.1610. ſic inquit: *Sed parce Lector quiſquis es ,facere non poſſum,ut hoc malè feriati hominis , & iniqui percuſſoris facinus temerarium, vehementer non damnem.Scribant exterarum nationum homines, quæ velint:Ego nullo unquã divino vel humano iure permiſſum puto,ſubdito privato , aut cuivis perſonæ,his artibus in Principem inſurgere, quamvis ille hæreticus foret,ne dum ſi legitimus , ſi Catholicus eſt, ſi Rex Chriſtianiſsimus. In ſcelere nulla Religio eſt, & malis artibus Divinum Numen nunquam benè colitur.*

Fileſac.1.ſelect. c. 9. *de Tyrann.* ex pag.125.lib.2.c.7. *Regia Maieſtas ſacroſancta*, ex pag. 236.&de Idol. Polit. per tot. præcipuè cap.9. Populus obſequens.

D Iſid.lib.3.Sent. cap.48.

Ioannes quoque Fileſacus , Doctor Sorbonicus , non minùs do- 17
ctus,quàm pius,lato calamo eandem ſententiam probat .& illuſtrat in ſuis ſelectarum libris , & iterum in tractatu de Idololatria Politica, ubi ultra alia benè conſiderat , propter peccata populi ſæpè contingere , ut Principes mali ſint , ac proinde patienter ab eodem populo tolerari debere,& inſignem locum D. Iſidori ad hoc adducit , qui ſic habet: *Reges quando boni ſunt,muneris eſt Dei,quando verò mali ,ſceleris eſt populi. Secundùm enim meritum plebium, diſponitur vita Rectorum , teſtante Iob.cap. 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi. Iraſcente enim Deo , talem Rectorem populi ſuſcipiunt , qualem pro peccato merẽtur.Nonnunquam pro malitia plebium,etiam Reges mutantur, & qui ante videbantur eſſe boni, accepto Regno ſunt iniqui.*

Pet.Greg.de Rep. lib.16. cap.7. Camer.in ſubceſſ.lib. 3.cap.7.in fin.

De eadem etiam re,plura tractat PetrusGregorius,à Philippo Ca- 18
merario tranſcriptus,ubi poſt alia ita concludit : *Obtemperandum quidem non eſt Principibus,ſi contra legem divinam aliquid imperent;ſed non ideò contra Regiam poteſtatem , & Regem inſurgere oportet. Et ut verè dicebat Livius,de ſubiectis contra Tyrannos,ſcutum magis,quàm gladium in eos ſumendum eſſe. Scutum dicitur id omne,quod poteſt eſſe pro defenſione: gladius pro invaſione, & offenſione accipitur.*

Ad

19 Ad quod potuit allegare illud,quod Alexander apud Curtium peroravit,oſtendere volens,multoties in ſubditos ſævitiæ,& crudelitatis Principum crimen refundi: *Regum Ducumque* (inquit) *clementia, non in ipſorum modò, ſed etiam in illorũ qui parent ingenijs ſita eſt. Obſequio mitigantur imperia, ubi verò reverentia exceſsit animos, & ſumma imis cõfundimus, vi opus eſt, ut vim repellamus.*

Q.Curt. in vita Alex.lib.8.

20 Sed quoniam ex his quos viderim, nemo, Concilij Toletani IV. meminit,quo impius hic ac pravus mos proprios Reges necandi, aut deponendi, qui fortè inter Gothos irrepſerat, graviſsimis verbis refertur & execratur, & ſevero anathematis mucrone damnatur; omninò verba eius perpetua obſervatione digna, legi debebunt, quæ quia longa ſunt valdè, hìc tranſcribere piget. Vbi poſt cauſas & rationes huius diſtrictæ diſciplinæ copioſè & elegànter commemoratas,ſemel; iterum, & tertiò (ut geminatio maiorem & enixiorem decreti vim ac voluntatem oſtenderet) ſic ſtatuit: *Quicunque igitur à nobis, vel totius Hiſpaniæ populis, qualibet coniuratione, vel ſtudio ſacramentum Fidei ſuæ, quod pro patriæ, gentiſque Gothorum ſtatu, vel conſervatione Regiæ ſalutis pollicitus eſt, temeraverit, aut Regem nece attrectaverit, aut poteſtate Regni exuerit, aut præſumtione Tyrannica Regni faſtigium uſurpaverit, Anathema ſit in conſpectu Dei Patris, Filij, Spiritus Sancti, Angelorum, Apoſtolorum, & Martyrum, atque ab Eccleſia Catholica, quam prophanaverit periurio, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Chriſtianorum alienus, cum omnibus impietatis ſuæ ſocijs, quia oportet, ut una pœna teneat obnoxios, quos ſimilis error invenerit implicatos. Neque partem iuſtorum habeat, ſed cum diabolo, & Angelis eius, æternis ſupplicijs condemnetur, unà cum eis, qui eadem coniuratione nituntur; ut par pœna perditionis conſtringat, quos in perniciem prava ſocietas copulat, &c.* Qui Canon in Concilio Toletano V. repetitur ac renovatur, ſimulq; decernitur, ut in omnibus Synodis peractis, publica voce pronuntietur.

Concil. Tolet. IV. apud Loaiſam, pag.357.& ſeqq.

Concil. Tolet. V. cap.7.

21 Et hæc quidem hactenus de munere Regio, inhærentibuſque illi curis,oneribus,laboribus ac vigilijs. Quæ ſanè efficiunt,ut carmen illud, in quo Iob Gigantes ſub aquis gemere inquit, D. Gregorius de Principibus aptiſsimè explicet, qui his vigilijs, & angoribus ſui muneris preſsi,dolent, & gemunt. Quæ etiam animo recogitans Ottho huius nominis Imperator, dicere ſolebat: *Se magis mori velle, quàm imperare.*

Iob cap.26.ubi D. Gregor.cap.27.

22 Eandemque vocem,alijs,ex intimo pectore excidere, Seneca refert, dum inquit: *Potentiſsimis, & in altum elatis hominibus excidere voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis præferant. Cupiunt interim ex illo faſtigio ſi tutò liceat deſcendere: nam ut nihil extra laceſſat, aut quatiat, in ſe ipſa fortuna ruit.* Idem docet ipſe Seneca, ſive eius Pater, dum in Thieſte, ait:

Senec. de brevit. vitæ cap.4.

Senec. in Thieſt. Act.2. in fine.

Stet quicumque volet Potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies.

Obſcuro poſitus loco
Leni perfruar ocio:
Nullis nota qui ritibus
Ætas per tacitum fluat, &c.

Idem ibid. Act. 3.

Et iterum paulò poſt:

Mihi crede falſis magna nominibus placent.
Fruſtra timentur dura: dum excelſus ſteti,
Nunquam pavere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris: O quantum bonum eſt,
Obſtare nulli, capere ſecuras dapes;
Humi iacentem ſcelera non intrant caſam,
Tutuſque menſa capitur anguſta cibus.
Venenum in auro bibitur, expertus loquor.

Athen. lib. 12.

Fulgoſ. lib. 1. tit. de Relig. cap.

Haſque cogitationes de vita quieta etiam habuit Ptolomæus Philadelphus, teſte Athenæo, qui cum podagra infeſtaretur, atque aliàs etiam vel ſolo Regni munere, ſe occupatum ſentiret, conſpiciens in prato otiantes, & ludentes ſine ulla cura Ægyptios, & in arena proiectos, in hunc modum exclamavit: *O miſerum me, qui non unus de horũ numero factus ſum.* Quo dicto innuere voluit, privatorum vitam eſſe multò optimam & quietiſsimam, Regiæque præferendam, ut & etiam apud Nos ſuo exemplo oſtendit Ramirus Aragonum Rex, dum Regnum relinquens, ad Monaſticam vitam, à qua invitus evocatus fuerat, repedavit, ut latiùs, poſt alios, Baptiſta Fulgoſus enarrat. 23

Senec. de vita beata, Petrarc. de vita ſolitar. & de remed. utr. for. Dial. 95. Maiol. in colloq. Aula & Caula Camerar. 3. ſubciſ. cap. 91. & 92. Polician. omninò legẽdus, in Ruſtico, Lipſ. in 1. cẽt. Epiſ. Miſcel. Epiſ. 8. Heresb. de re ruſt. in princ. Natal Com. in ſua Mytol. ex pag. 711. ubi de vita privata, & Muſis dedita, & Fileſac. in Euripo. c. 9. Ego ex n. 91. ad 99.

Qua in re, quoniam à multis paſsim tractata, & illuſtrata, non eſt cur amplius immorer, & de ea extant alia elegantiſsima carmina Angeli Politiani, Iuſti Lipſij, & Heresbachij, & Ego etiam aliqua non contemnenda congeſsi in ſyntagmate de muneribus honorarijs. 24

Sed omnium vice, aut loco videre ſufficiet nobile illud Encomium de ruris laudibus, quod Mapheus Barbarinus, poſteà Vrbanus VIII. fœlicis recordationis P. R. ſcripſit, & inter eius Poëmata extat ex pagina 158. Qui & idem iam morti proximus aliud non minùs elegans exaravit. Quo villam, ſeu amœnum Turris novæ ſeceſſum, quem optabat, & cogitabat, eleganter deſcribit, & poſt alia ait: 25

Aprice collis an tuo lare excipi
Mihi licebit, otioque perfrui?

Senec. epiſt. ad Lucill.

Senecæ illud, ut apparet, animo verſans: *Magnam potentiam ambit inexpers, ſed odit expertus.*

(⁂)

Ex lex Grex, ubi non eſt Rex.

EMBLEMA XX.



Diſperdit ſata pervolans locuſta,
Regalem inſcia ferre corrigentem.
At componit Apis favos tenaces,
Quin flori noceat: Regit quidem illam
Dux examinis: Ecce ſtat bilanci
Fauſtæ, vel miſeræ ſtatus Coronæ,
Abſit munere, ſive Rector adſit:
Si Grex dirigitur, regatvè ſe ipſum.

COMMENTARIVS.

1 REGVM quidem nomen, ac munus, ſi ut oportet, qui illud poſsident, exequantur, iuxta ea, quæ in ſuperioribus obſervavimus, non in terris natum cogitatumvè, ſed cœlitus demiſſum videri, rectè Paulus Æmilius, & alij, poſt Homerum, Calimachumque conſiderant. Quod & Tacitus docuit, dũ inquit: *Principes enim Imperium à Deo habent; eoſque inſtar Dei eſſe*; & appoſitè Tertullianus: *Inde eſt Imperator, unde & homo, antequam Imperator. Inde poteſtas illi, unde & ſpiritus.*

Paul. Æmil. hiſt. Franc. lib. 8. Plato, Homerus, Callimach. & alij apud Lipſ. lib. 2. Polit. cap. 2.

Tacit. 3. Annal.

Tertul. in Apol.

2 Parens enim rerum Deus, cum genus humanum condidiſſet, ſummum quidem in illud Imperium, iuſque penes ſe retinuit; ſed ut mẽte

in eum ſublimes ferremur, ut illum cupidius quæreremus, ut ſpe, ut votis incederemus, idcircò in terris ipſe palàm degere, oculiſque intereà noſtris obſervari noluit, Regeſque inſtituit, qui eius vice munereque fungerentur, cum non aliter ſocietas humana coniuncta, conſpiranſque teneri poſſet, niſi aliquod caput eſſet, quod ſua Sapientia, Fideque & auctoritate, iuris pudorem, legum reverentiam, bonorũ præmium, malorum ſupplicium curaret, ſceleratiſque terror, potentioribus frænum, humilioribus præſidiũ eſſet, & domi foriſque ſuos in pace, & æquo libramine contineret.

Proverb. 10. 14. ubi Salazar ex Nazianz. & alijs.

Niloxen. apud Eraſm. in Adag. *Scarabeus Aquilam*, pag. mihi 719.

Natta li. 3. de Principe.

Vnde in Proverbijs Salomon, inquit: *Vbi non eſt Gubernator populus corruat*; quem locum pluribus Salazarius noſter exornat. Et Niloxenus ille Sapiens, rogatus, quid inter mortales eſſet utiliſsimum? Reſpondit, REX: ad has, quas dixi, utilitates reſpiciens, & id eſſe proprium veri Principis indicans, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, proſit omnibus, ſeſeque totum in populi ſui commoditates impẽdat. Cuius dicti memor fuiſſe videtur Natta dum dixit: 3

Nil Rege melius eſt bono mortalibus.

Et licèt poſteà in alio ſenariolo tradat:

Nil Rege peius eſt malo mortalibus.

Tacit. lib. 1. Hiſt.

Talis tamen ac tanta huius muneris neceſsitas eſt, ut Politicorũ Princeps verè dicere potuerit: *Melius eſſe, ſub malo Principe degere, quàm ſub nullo.*

D. Chryſoſt. in homil. ad pop. Antioch.

Ant. Perez in Laurea Salm. cert. 5. n. 20. pag. 273. Ego 1. tom. lib. 2. cap. 9 n. 66. Matth. Scholaſt. de vero, & Chriſtian. Princip. lib. 1. cap. 1.

Quod ſequutus, aut imitatus videtur D. Chryſoſtomus, inquiens: *Præſtat Regem Tyrannum habere, quàm nullum.* Et pluribus ornat Eruditiſsimus noſter D. Fr. Antonius Perez, ex Benedictino Monacho, poſteà Abulenſis Epiſcopus, in Relectione quam typis mandavit, *De hominum præfectura*, docens, humanũ genus, ipſo cõmuni omnium gẽtium iure ita dictante, imperijs Regi, præſtãtique aliqua auctoritate & poteſtate moderari neceſſe eſſe, indeque infimæ notæ in Sacris Litteris haberi, qui Regibus non parent, & iugum ſocietatis Politicæ non patiuntur; & quòd hac de cauſa dicuntur *Belial*, id eſt, inutiles, temerarij, & iugi ac diſciplinæ expertes. 4

Ariſtot. de Hiſtor. anim. lib. 9. c. 7.

Et hoc nimirum eſt, quòd noſtrum hoc Emblema indicat, & figurat, argumento, & exemplo ex Apum, & locuſtarum natura nõ ineptè, ut arbitror, mutuato. Ariſtotele quippè docente: *Omnis ratio brutorũ magnam refert vitæ humanæ ſimilitudinem: magiſque in minori genere, quàm in maiore videre licet intelligentiæ rationem.* 5

Proverb. 30. 27.

Plin. lib. 11. c. 29.

Ecce enim turmatim volantẽ graſſantemque locuſtarum examen, vel agmen, de quibus Salomon in Proverbijs dixit: *Regem locuſta non habet, & egreditur per turmas ſuas.* Et quãvis in hoc inter ſe concordiã atque ordinem ſervent, ob id ipſum tamẽ quòd Rege carent, totum illarum opus, & ſtudium in paſcuorum ac ſegetum damnum, & perniciẽ dirigitur, & convertitur, & ad nihil aliud valent, vel utiles ſunt, quod naturæ humanæ conducat. Quin potius, ut Plinius inquit: *Deorum iræ & peſtis eſſe videntur. Namque & grandiores cernuntur, & tãto volant pennarum ſtridore, ut aliæ alites credantur, Solemque obumbrant,* 6

ſoli-

ſolicitè ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras. Sufficiunt quippè vires, & tanquam parum ſit maria tranſiſſe, immenſos tractus permeant, diraque meſſibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morſu erodentes, & fores quoque tectorum.

7 De qua etiam edaci locuſtarum, ut & murium pernicie, meminit Arnobius: *A locuſtis* (inquiens) *& muribus, omne genus excinditur, atque arroditur frugum.* Et Ius Civile in pluribus locis, in quibus de ſterilitate, ob hoc damnum proveniente, agit, & an ſit ſufficiens ad petendam remiſsionem locati fundi mercedis, vel penſionis? Maiolus item, pluresque alij Auctores, de earum damnis latiſsimè agunt, & de exorciſmis, quibus Eccleſia ad eas abigendas uti ſolet, & an ſuſtineri poſsit conſuetudo, quæ in aliquibus provincijs percrebuit, ipſas, & ſimiliter mures, proceſſu prius formato, excommunicandi, & anathematis ſententia feriendi, niſi à damni illatione deſiſtant?

Arnob. lib. 1. l. excepto, C. de locat. l. ex conducto, §. ſi vis, l. ſi merces, §. vis maior, D. locat. ubi Bud. & Gothof.

Maiol. colloq. 5. & 7. Medic. de fort. caſib. 2. p. q. 6 Carroc. de locato, tit. de remiſſ. merced. q. 2. Caſſan. latiſsimè conſ. 1. per tot. Durãt. Coſſel. lib. 2. var. cap. 10. Noſter D. Ioan. de Quiñones in ſuo tract. de las lãgoſtas, & Gaſpar. Navarrus in tract. de ſuperſt. diſp. 32.

8 Vnde & in Sacra Scriptura frequens eſt tranſeuntis militaris exercitus, cum locuſtarum examinibus comparatio, & quidem aptiſſima, cum & locuſtæ, quaſdam veluti militum galeas in capite portent; quamobrem à Columella *Galeatæ* appellantur. Et exercitus, loca per quæ tranſitum faciunt, non ſecus ac locuſtæ vaſtare ſoleant; ut ex aliquarum legum ſerie, & bonorum Auctorum teſtimonijs latè & doctè Iacobus Rævardus, & Radulphus Fornerius obſervant.

Iudith 1. Ierem. 46. Amos 7. Nahũ 3.

Colum. apud Salazar d. c. 30. verſ. 27.

9 Et de locuſtis, quibus Divus Matthæus tradit Sanctum Ioannem Baptiſtam in Eremo paſtum, eſt videndus Divus Iſidorus Peluſtota, qui non de his animantibus, ſcarabeis ſimilibus, accipiendum putat: ut imperitè multi opinantur: *Sed de herbarum, plantarumvè ſummitatibus*, quod alijs diſcutiendum relinquo.

L. damnus, C. de locat. d. l. ex conducto, verſ. *Idemque*. Rævar. lib. 3. conicct. c. 6. Radulf. Forn. lib. 1. conicct. cap. 29.

10 Quæ tamen omnia, quàm ſe aliter in Apibus habeant, hoc etiam, ut vides, Emblemate denotamus. Nam quia Regem habent, cui parent, quemque gregatim ſequuntur, ubi de ſuis alveis excedunt, nullum nocumentum fructibus, & frugibus inferunt, quas ſuis delibant roſtris, & ex quibus ſua mella conficiunt, & humano generi in pluribus commodant. Atque ideò cum à multis, in multis, paſsim operoſus, laborioſus, ac fructuoſus Apum grex laudari extollique ſoleat, in hoc tamen, quòd Regem habeant, illique mirum in modum pareant, & obediant, & pro eius ſalute tuenda propriam vitam exponant, præcæteris commendantur, ut pulchris verbis, latè earum naturam ſcribens, Plinius oſtendit; & pulchrius Virgilius, ſic poſt alia ſcitu digna, quæ de eiſdem commemorat, canens:

Peluſiot. epiſt. 132.

Plin. lib. 11. c. 17.

Virg. 4. Georg.

Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant: Rege incolumi mens omnibus una eſt:
Amiſſo rupere fidem; conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.

Idem ipſum deſignat Claudianus, ſic inquiens:

Claudian. in 4. Cõſul. Honor.

Stridula ductlurum pratis examina Regem
Naſcentem, venerantur apes, & publica mellis
Iura petunt, traduntque favos.

Seneca lib. 1. de Clem. cap. 19.

Neque abeſt Seneca, qui vel ex hoc exemplo infert, quàm ſit natu- 11
ralis, & antiqua Regum inter homines conſtitutio: *Natura* (inquiens) *commenta eſt Regem, quod & ex alijs animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum regi ampliſsimum cubile eſt, medioque, & tutiſsimo loco. Mutis gregibus, aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſsima: non præcedit armenta degener taurus: elephantorum gregem excelſiſsimus ducit. Idem in ovibus, in avibus, & alio genere congregum animantium, eſt videre.*

D. Ambroſ. 5. Hexam. c. 21. & 25.

Et quòd magis mirere, de eiſdem apibus D. Ambroſius addit, quòd 12
ipſæ ſe mulctant, & mactant, ſi fortè ſuo Regi non obedierint, verba eius hæc ſunt: *Apes illæ, quæ non obtemperaverint legibus Regis, pœnitẽti condemnatione ſe mulctant, & immoriuntur aculei ſui vulnere: quod Perſarum populi hodieque ſervare dicuntur, ut pro commiſsi pretio, in ſe propriæ mortis exequantur ſententiam. Non Indi, nõ populi Sarmatarum tantam quantam apes reverentiam devotionis obſervant. Amiſſo Rege ſidem ſervandi muneris derelinquunt, atque ipſæ ſua mella diripiunt, quòd is qui Principatum habuit muneris mortuus eſt.*

Geopon. de Apib. lib. 11.
Ælian. lib. 15. de hiſt. anim. c. 11.

Hoc etiam latè plures Auctores, & præcipuè Geoponicus, ſcrip- 13
ſere, ſed præſtat Ælianum audire, qui ad Emblematis noſtri intentũ magis accedens, ſic habet: *Quoad Rex vivit, tamdiu examen apum pace fruitur, omnique ordinum perturbatione caret: fuci ſuis cellis libenter ſe continent, ſeniores ſuum locum habent, natu minores etiam ſuum. Rege extincto, omnia perturbantur.*

Ovid. 3. Faſtor.

Vnde iam vel à mutis & minutis hiſce animalculis diſcere poſſu- 14
mus, quàm ſit exiſtentia, præſentiaque Regis in Republica hominum utilis, & neceſſaria, cum iuxta ſuprà relata, & illud Ovidij:

Amiſſo dubiè Rege vagentur apes.

Seneca epiſt. 114.
Sup. Embl. XIII.
Idẽ lib. 1. de Clem. cap. 4.

Quod Seneca ad animum, ſive caput humanum (cuius officium in Reipublicæ corpore Regem præſtare ſuprà probavi) ſic elegantiſsimè tranſtulit: *Quo incolumi cætera hominis manent in officio, parent & obtemperant: ſi ille vacillat, nutant omnia.*

Sup. d. Emb. XIII.

Et iterum, eodem apum exemplo, cum Virgilio utens, in alio 15
loco, cuius iam ſuprà verba retulimus, prudentiſsimè docens, non ſine ratione populis urbibuſque hunc eſſe conſenſum, ſic protegendi amandique Reges, & ſe ſuaque iactandi, quocumque deſideraverit Imperantis ſalus, cum hæc utilitas ſui ſit, ſuamque in ea incolumitatem ament: *Ille eſt enim vinculum per quod Reſpublica cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur:*

------ Rege incolumi mens omnibus una,
Amiſſo rupere fidem.

Hic caſus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in rui-

nas

nas aget. Tamdiu ab iſto periculo aberit hic populus, quamdiu ſcierit ferre frænos. Quos ſi quando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos, reponi ſibi paſſus non erit, hæc unitas, & hic maximi Imperij contextus in partes multas diſsiliet: idemque huic urbi dominandi finis, qui parendi fuerit.

16 Et ut hoc ipſum non ſolùm exemplis, & doctrinis, ſed experientia quoque, (quæ optima rerum magiſtra ab Ariſtotele dicitur) Perſæ manifeſtarent, in more habuerunt, ut Suetonius, Stobæus, & alij teſtantur, Rege mortuo, per dies quinque (vel octo, ut Germanus tradit) permiſſa licentia, iudicijs, legibuſque populum ſolvere, quibus deſtituti, incerto rerum ordine iactabantur, & ita cognoſcebant, quanto tutius atque commodius ſub legibus, & Regibus verſarentur.

Ariſt. 1. Metap. 1. & 2.

Suet. in Calig. c. 5. Selinus apud Stob. ſerm. 42. Cerd. ad Virgil. ſuper pag. 510. n. 7. Coning. in Polit. 2. p. cap. 2. pag. 14.

17 Neque in obſcuro idem ipſum Sacræ Litteræ reliquerunt, in quibus multoties, ad exulceratiſsimum, valdèque calamitoſum Reipublicæ ſtatum deſcribendum, & lamentandum, nihil magis exprimitur, & defletur, quàm quòd in ea non ſit Princeps, nec Dux, nec Doctor, nec Propheta, nec holocauſtum, quaſi his deficientibus, reliqua quoque deficere, & peſſum ire neceſſe ſit; homineſque tanquam feras vagari, qui cum ſuapte natura frequenter in multas feras degenerent, & ut cum Divo Chryſoſtomo loquar, tanquam aſini recalcitrēt; laſciviant ut tauri; tanquam equi poſt mulieres hinniant; ventri velut urſi indulgeant; & ut mulus carnem impinguent; & malam memoriam teneant, ut cameli; rapiant item ut lupi; ut ſerpentes iraſcantur; feriant, ut ſcorpiones; ſint ſubdoli, ut vulpes, nequitiam verò tanquam aſpides habeant; & ceu vipera venenum ſervent, & ſicut ille malignus dæmon fratres impugnent, nullo alio modo, quà in legum ac Regum fræno in his vitijs temperari, & cōprimi poſſunt; eoque vel ſpreto, vel deficiente, in illa omnia facilè prolabentur.

Paralip. 15. Daniel. 3. 28.

D. Chryſoſt. in homil. ad pop. Antioch.

18 Quia ſecundùm aliam eiuſdem ſancti Patris doctrinam: *Sicut ſi Gubernatorem à navi ſeparaveris, ſcapham ſubmerſiſti, & ſi Ducem ab exercitu abducas, victos hoſtibus tradidiſti milites, ita ſi Principes, ſeu Magiſtratus de civitate abſtuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitam inter nos mortales, & nos devorantes, pauperiorem potētior, manſuetiorem audacior.*

Idem Chryſoſt. in Exod. hom. 6.

19 In quam eandem ſententiam reſpiciens Habacuc, homines crudeles, & pauperes devorātes, piſcibus & reptilibus comparat, apud quos hoc in uſu: *Quia non habent Principem.* Et Iſaias, civitatis miſerum ſtatum prius deplorat, quæ vel Principes non habet, vel infideles habet, ſocios furum, munera diligentes, ſequentes retributiones, pupillis nō iudicantes, & ad quos viduarum cauſæ non ingrediuntur. At poſteà, cum horum malorum miſertus Deus, eis medicamen adhibere dignatus fuit, ſubdit: *Et reſtituam iudices tuos, ut fuerunt prius, & Conſiliarios tuos, ſicut antiquitus: poſt hæc vocaberis Civitas iuſti, urbs fidelis, &c.*

Habac. cap. 1. 13.

Iſai. 1. 23. & ſeqq.

20 Qua utriuſque temporis ſivè ſtatus civitatis collatione, ſatis apertè deficientium Principum damna, & præſentium, ſuamque munus rectè gerentium, utilitatem, & neceſsitatem oſtendit, neque aliter iuſtum, & fidelem Reipublicæ ſtatum conſiſtere poſſe, prout latiùs docet idem

D.Chryſoſt.ſuper Iſai.cap.16.

D.Chryſoſtomus illum locum exponens,& ſic inquiens: *Vehementiſſimi morbi ſignum eſt, & obliquæ perverſitatis, quando hi, quorum eſt ex officio mederi, inferunt morbos. Principum enim eſt licentioſam, & inconditam populi rebellionem comprimere, & in officio continere, ut ad legum formulam obſequentes reddant. Iam quando iſti deprebenduntur primi in prævaricatione legum, quonam pacto alij poſſunt eſſe Doctores?* Et infrà: *Vnde reliquam inſuper medelæ ſpeciem addidit, neque intempeſtivè, videlicet, adminiſtrationem, ſeu Præfecturam probatorum Principum, & Conſiliariorum copiam, qui boni ſint, & partes civitatis ad priſtinam redaät ſanitatem, dum obſequenter parent medicamētis, Medicique adſunt quàm optimi. Beneficij non mediocris loco babendū eſt, ſi contingat nanciſci Principes bonos.*

Plin.Iun.in Paneg. ad Trajan. in prin.

Quod ultimum Plinius Iunior, licèt Ethnicus, etiam præſenſit, dū 21
dixit: *Quid præſtabilius eſt, aut pulchrius Deorum donum, quàm caſtus, & ſanctus, & Dijs ſimillimus Princeps? Ac ſi adhuc dubium fuiſſet ſorte caſuque Rectores terris, an aliquo numine darentur; Principem tamen noſtrum liqueret divinitus conſtitutum, non enim occulta poteſtate fatorū, ſed ab Iove ipſo coram, ac palam repertus, electus eſt.*

Thom.Morus in Epigr.

Vnde reiiciendus eſt Thomas Morus, qui poſtquàm in examē vo- 22
cavit, an Reſpublica melius per Regem, vel per Senatum regatur, prius quærendum definiendumque eſſe inquit, an tales Rectores habere expediat? Et cordarius loquutus videtur Baptiſta Mantuanus, qui valdè his quæ diximus cohærenter, ſic cecinit:

Mantuan.lib.1. Sylvæ.

Nil optare poteſt unquam Reſpublica peius
Rege malo: nil Rege bono præſtantius, omnis
Diſsipat omne bonum ſine lege licentia Regum
Vt Boreas frondes, glacialis & hordea grando.
Libertas eſt ſumma bonis ſub Principe iuſto
Fœlices igitur populi, quos vivere Divi
Concedunt ſub Rege pio.

Et ex hac doctrina deſcēdit alia, quā prudentes quiq; Politici pro- 23
bant, nempè non niſi raro, & ex magna cauſa debere Reges extra ſuū Regnum abeſſe ac peregrinari. De qua, quia pluribus egit P. Ioann. Antonius Velazquez, ad eum Lectorem remitto, & ad ea, quæ inferius adducā, & quæ plenè, & doctè Guillermus Barclaius, Ioannes Baricabus, & alij, adverſus Bucchananum, Brutum, Boucherium, & alios Monarchomachos ſcripſerunt.

Velazq. de Opt. Princip. lib. 3. annot.10.ex pag.356

Infr.Emblem.

Sa-

Sapientia Principis, Salus Populis.

EMBLEMA XXI.



Larga capillis cernis Apollinem
Vnda natantem. Gramina dulcia
Funduntur: Affert hæc ruina
Gentibus innumeris ſalutem.
Prudens Apollo Rex populi erit,
Pluant habenæ ſi Sapientia,
Effundent addictis profuſè,
Et Panacæa fluens, & aurum.

COMMENTARIVS.

SI talis ergo ac tanta eſt Regis cuiuslibet, etiam minus
1 benè morati, utilitas & neceſsitas, ut in præcedēti Emblemate vidimus, ſatis iã liquere videtur, quanto erit utilior, qui Regio nomini, boni quoque, prudentis ac ſapientis, ſuique populi amantis, titulos & effectus adiungat. Quod, licèt Scurra ille à Vopiſco relatus; difficilè iudicavit, dum dixit: *In uno annulo bonos Principes omnes ſculpi poſſe.* Sentiens, eſſe quidem magnum eorum numerum, ſed in his per paucos bonos repertos fuiſſe: Adhuc tamen, qui à Deo in huiuſmodi faſtigium evehuntur, conſternari non debent; ſed pro virili conari, ſe

Vopiſc. in Aurel.

dignos tanti muneris miniſtros exhibere, & maiorem gloriam ducere, ſi vel inter illos paucos numerari meruerint, & ab illa generali malorum regula excipi.

Callim. in hymnis, vide Cruierium in hortu virt. ſive Cētur. quæſt. Politic. cap. ult.

Quò præſens hoc noſtrũ Emblema dirigitur, ex Callimacho, Græ- 2
co Poëta, deſumtum, qui in ſuis ad Apollinem hymnis, illum mirum in modum celebrat, quaſi Panacæam hominibus de cœlo ex crinibus irrorantem, ſic fœlicem eſſe civitatem inſinuans, ac veluti præſentiſſimo pharmaco ab omnibus damnis, & vitijs immunem, in quam ipſius Moderator & Rector, Apollinis inſtar, qui & Medicinæ, & omnigenæ Sapientiæ pater à veteribus colebatur, eiuſmodi guttas, & ſalutares ſuæ gubernationis effectus emiſerit, & in commune bonum inſtillare curaverit.

Plin. lib. 25. cap. 3.
Dioſcor. li. 3. c. 51.

Eſt autem Panacæa, ſive Panax, herba quædam, cuius ſuccus *Oppo-* 3
ponax vocatur, à ſanandis omnibus morbis, adeò ut vel ipſo nomine omnium morborum remedia promittat, ut, poſt Plinium, tradit Dioſcorides, qui eius folia admodum odorifera eſſe dicit, & ad eam alludens Virgilius, ſic ait:

Virgil. lib. 12. Æn.

Ambroſios ſuccos, & odoriferam Panacæam.

Lucan. lib. 9. Pharſ.

Et Lucanus:

Et Panacæa potens, & Theſſalla Centaura.

Cerd. in d. loc. Virgil.
Ariſtinet. lib. 1. Epiſtolar.

Vnde & fabulæ aiunt, (ut doctè Cerda noſter animadvertit) hãc herbam, & aliam *Iaſſon*, à Medulla dictam, filias fuiſſe Æſculapij; & Ariſtinetus, Medicum quendam, ***Panacion*** vocavit, ſubdens: ***Suo verè nomine dignum Medicum.***

Pined. de reb. Sal. pag. 112. Sancta-Mar. in Polit. Chr. pag 20. & ſeqq.
Patric. de Regn. lib. 2. tit. 3.
Sueton. in Claud. cap. 16.

Quod etiam nomen Regibus dari ſolitum, quia ſunt vel eſſe debent, veluti ſuæ Reipublicæ Medici, pluribus Sacræ Scripturæ, & Sã- 4
ctorum locis Patres Pineda, & Sancta-Maria probant, & proſequuntur: quibus Patricius quoque Senenſis arridet, Reges vocans, & faciens, *Vniverſales Medicos ſuæ Reipublicæ.* Et hoc munus veluti agnoſcens Claudius Druſſus, quintus Romanorũ Imperator, ut Suetonius in eius vita commemorat, uno die viginti edicta propoſuit, quorum altero monebat, ut ubere vinearum proventu benè dolia picarentur; Altero, nihil æquè facere ad viperæ morſum, quàm taxi arboris ſuccum.

Claud. in 3. Paneg. Stilic.

Et cum noſtra Panacæa ex Apollinis capillis pluente, convenit, 5
quod non diſsimili ratione Antiqui fabulabantur, nempè Pallade, de Capite Iovis naſcente, Rhodi magnam auri vim pluiſſe. Quò reſpicit illud Claudiani:

Auratos Rhodijs imbres, naſcente Minerva,
Indulſiſſe Iovem perhibent.

Forcat. de Gall. Imp. & Philoſoph. lib. 1.

Nam ubi naſcitur Sapientia, & Prudentia, quæ per Minervam repræſentatur, non poſſunt non populis opes, & animi, & corporis copioſè parari, ut valdè ad rem noſtram Stephanus Forcatulus explicat.

Themiſt. orat. 9. Sineſ. lib. 1. de Provid.

Quorum ſalus ita Deo eſt curæ, ut Themiſtio, & Syneſio teſtanti- 6
bus, non ſolùm Panacæam, vel aurum, ſed heroicas quaſdam, ac divi-

nas

nas animas certis temporum vicibus ad eorum bonum, & meliorem gubernationem è cœlo in terras mittere ſoleat, quod & Eccleſiaſticus ſentit, dum dixit: *In manibus Dei Poteſtas terræ, & utilem Rectore ſuſcitabit in tempus ſuper illam.* Ecclеſ.10.4.

7 Quinimò ſæpè quoque legimus contigiſſe, Deum Opt. Max. Principes bonos, quos ad Regium culmen evexit, privilegio facultateque ſanandi varios ſubditorum ſuorum morbos ægritudineſque donaſſe, ut de Alexandro Magno, Octavio Auguſto, Pyrrho, Veſpaſiano, Hadriano, & alijs, Stephanus Forcatulus, Didacus Valdeſius, Andræas Laurentius, Philippus Camerarius, & alij plures ſcribũt. Inde ad ſtrumarum, ſive chæradum (vulgò *lamparones*) curationem deſcendentes, quam ſibi Chriſtianiſsimi Galliæ Reges peculiarem eſſe volunt, cùm tamen & Angli eandem habuerint, & glorioſiſsimi Hiſpani noſtri habeant, ſimul cum chariſmate dæmones expellendi, ut latiùs, pluribus relatis, Ego alibi animadverti, & noviſsimè proſequitur Theodorus Hopingus, alia quoque ſubiungens, quæ ad hunc articulũ pertinent, & perpetua nota digna eſſe videntur.

Forcat. ubi ſuprà, pag. 125. Valdes de dig. Reg. Hiſp. cap. 16. Laurẽt. in tractat. de curat. ſtrum. Camer. 3. ſubceſſ. c. 42. Bias in Sylva Regia, & eius comment. & latè Hopping. ſtatim citandus.

Ego 1. tom. de Ind. gubern. lib. 2. c. 25 num. 30. & ſeqq. Theod. Hoping. de iure inſign. cap. 18. §. 7. per totum, ex pag. 904.

8 Nos noſtri filum repetentes, in Rege bono Beneficum illud ſydus conſideramus, ad quod certatim (ut alibi cum Seneca diximus) populi advolant, & ex quo ſalutis ac lætitiæ cauſas urbes ſubditique recipiunt, cuiuſque conſpectu, non aliter recreantur, quàm ſolent nautæ conſpectis illis gemellis fratribus, qui cum navibus inſederunt:

------Tumida æquora placant,
Collectaſque fugant nubes, Solemque reducunt.

Seneca lib. 1. de Clem. cap. 3. Ego ſup. Embl. XII.

9 Talem quidem ſuum Agamemnonem pingit, & laudat Homerus à Xenophonte perpenſus, quòd non ſuam, ſed ſuorum utilitatem fœlicitatemque curaret: Talem ſuum Stiliconem Claudianus; dum inquit:

Xenophon. lib. 3. memorab. Socrat.

Claudian. lib. 3. de laud. Stilic.

Non ſic virginibus flores, non frugibus imbres,
Proſpera non feſsis optantur flamina nautis,
Vt tuus aſpectus populo: nec numine tanto
Litora fatidicas attollunt Delia lauros,
Venturi quoties effulſit Apollinis arcus.
Nec ſic aurifero Pactoli fonte tumeſcit
Lydia, cum domitis apparuit Evius Indis.

10 Quo circa non indigna eſt prudentum conſideratione illa loquendi formula, quæ Fortunam publicam à Principe accerſit, ipſiuſque auſpicio hominum fata metitur. Sic enim inter exquiſitas laudes, quas Auguſto ſui tribuebant, ſive verè, ſive per adulationem, inquit Suetonius, quòd dicere ſolebant: *Per illum ſe vivere, per illum navigare, libertate atque fortunis per illum frui.* Sueton. in Aug.

11 Quod & Virgilius de eodem loquens, latiùs expoſuit atque expreſsit, ſic inquiens: Virgil. Eclog. 4.

---------- Hoc ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo.

Et poſtea:

At Tibi prima puer nullo munuſcula cultu
Errantes hæderas paſsim cum baccare tellus,
Miſtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blando ſundent cunabula flores.
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet, Aſsyrium vulgò naſcetur amomum.
Molli paulatim flaveſcet campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella, &c.

Horat. Od. 5. lib. 4

Quem ſequutus Horatius, luculentius adhuc, eundem Auguſtum reducem in urbem deſiderat, & bona perpendens, quæ illius adventus eidem urbi allatura erant, ſic ait: 12

Lucem redde tuæ Dux bone patriæ.
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit, populo gratior it dies,
Et Soles melius nitent, &c.
Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas:
Paccatum volitant per mare nautæ:
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nefas
Laudantur ſimili prole puerperæ
Culpam pœna premit Comes, &c.

Homer. in Odiſſ. Vide Saaved. in Id. Polit. Empreſ. 13. pag. 88. & Lipſ. in Monit. Polit. lib. 2 cap. 9. de Iuſtitia, in princip.

Et uterque in hoc Homerum imitatus videtur, qui hos, & ſimiles alios bonos effectus ex bonis, & rectis Principibus promanare, his aperit verbis: 13

Sicut per celebris Regis, qui numina curat
In multiſque probiſque viris iura æqua miniſtrat.
Ipſa illi tellus nigricans, promta atque benigna
Fert fruges, ſegeteſque, & pomis arbor onuſta eſt;
Proveniunt pecudes, & ſuppeditat mare piſces;
Ob rectum Imperium populi ſors tota beata eſt.

Gomara Hiſt. Ind. part. 1.

Quod veluti agnoſcentes Mexicani quondam Indi, alioqui Barbari, in ſuorum Regum, ſive Motezumarum inauguratione, ut Gomara refert, eos iurare cogebant, vaſſallos non opprimere, in bellis ſe fortiter gerere, Solem ſuum curſum ſplendoremque conſervare facturos, nubes pluere, amnes fluere, terramque abundanter ſuos fru- 14

fructus proferre, quaſi hæc omnia ex Regibus pendeant, vel certè eiſdem cœlitus concedantur, ſi iuſtè ac piè, ut debent, in commiſſo ſibi ſe munere gerant.

15 Neque eſt mirum hoc Barbaris opinatum, cum Pacatus Drepanius, impio licèt palpo, auſus fuerit dicere, Deum participem eſſe Maieſtatis Imperatoriæ, & inſuper addat, non minus adulatoriè: *Illud dicã, quod intellexiſſe hominem, & dixiſſe fas eſt, talem eſſe debere Imperatorẽ, qui à Gentibus adoratur, cui toto orbe terrarum privata, vel publica vota redduntur, à quo petit navigaturus ſerenum, peregrinaturus reditum, pugnaturus auſpicium.* Et iterum: *Nullam maiorem eſſe Principum fœlicitatem, quàm feciſſe fœlicem, & interceſsiſſe inopiæ, & fortunam vicis, & dediſſe homini novum fatum.* Leo etiam Imperator, interdum naturæ iniuriæ affectæ auxilium præſtare Principes dixit, & Caſsiodorus: *Sub clementia Boni Principis nihil conſtat licere fortuitis, quando ſiniſtros caſus corrigunt, qui præſtare proſperrimè conſueverunt.*

Drepan. in Paneg. ad Theod.

Leo Imp. in Novel. de pœn.

Caſsiodor. lib. 12. epiſt. 7.

16 Et ſunt adhuc magis ad rem verba alia Ferdinandi Perecij de Guzman, dum inquit: *Ca mi grueſſa, i material opinion es eſta; que ni buenos temporales, ni ſalud, no ſon tanto provechoſos, i neceſſarios al Reino, como juſto, i diſcreto Rei, porque es Principe de Paz, &c.*

Fern. Perez en ſus Claros Varones, cap. fin. in fin. poſt hiſt. Reg. Ioan. 2.

17 Quod ſi, quis, qualiſvè eſſe debeat hic Princeps, quem BONVM vocamus, & optamus, inquiras? Eius perfectam Ideam Xenophon in ſuo Cyro, & Plutarchus in ſuo Ageſilao ſcriptam reliquerunt; & Nos in antedictis ſatis expreſsimus; legẽdique erunt D. Thomas, Ægidius Romanus, Lælius Cæchus, Cagnolus, Fracheta, Ribadeneira, Oſſorius, Bellarminus, Tympius, Matthæus Lopez Brabus, Marcus Antonius Perilius, Ioannes Antonius Velazquez, & innumeri alij, qui tum noſtris, tum antiquis temporibus, de Regum officio, & inſtitutione peculiares tractatus ediderunt.

Pined. de reb. Salom. pag. 112. & ſeqq.

18 Et ſanè Veterum Philoſophorum Apophthegmata, quæ hanc eandem quæſtionem concernunt, & latè à Lycoſthene, & Beyerlinchio congeruntur, eò tendunt, ut Bonum Principem faciant, ſanctitas domi, in armis fortitudo, utrobique prudentia, in Iram, Venerem, propriosque alios affectus, imperium & temperatio, cauta credulitas, in cives proprios clementia & benevolentia, & ut verendus ſit illis, magis quam metuendus; ita ut metuant non ipſum, ſed pro ipſo, patriæ legum uſus & obſervatio, iuſtitiæ cultus, ab alienis abſtinentia, & denique ut intelligat, Rempublicam non eſſe ſuam, ſed ſe Reipublicæ, nec perpetuo in Imperio duraturum.

Lycoſt. in Apophth. verb. *Princeps*, ex pag. 702. Beyerl. in The. eod. verb. pag. 618. & ſeq.

19 Sed quoniam nemo ex his, quos viderim, plenius aut melius Boni, Politici, ac Perfecti Principis partes, & epitheta, quàm Iulius Pollux ad Commodum Cæſarem ſcribens, expoſuit, placet illius verba iuxta Eraſmi Roterodami verſionem, inſerere, quæ ſic habent. Regem laudato his titulis: *Pater, mitis, placidus, lenis, providus, æquus, humanus, magnanimus, liber, pecuniæ contemtor, haud obnoxius affectibus, ſibi ipſi imperans, dominans voluptatibus, ratione utens, acri iudicio, perſpicax, circumſpectus, valens conſilio, iuſtus, ſobrius, Numinum curã agens, hominum negotia curans, ſtabilis, firmus, infallibilis, magna cogitans, au-*

Iul. Pollux in Onomaſt. pag.

iboritate præditus, induſtrius, confector negotiorum, ſolicitus pro his, quibus imperat, ſervator, promptus ad beneficentiam, lentus ad vindictã, certus, conſtans, inflexibilis, propenſus ad iuſtitiam, ſemperque attentus ad id quod de Principe dictum eſt, libræ in morem, facilis aditu, comis cõgreſſu, commodus alloqui volentibus, blandus, expoſitus, curam agens ſuo parentium imperio, amans militum ſuorum, qui ſtrenuè quidem bellum gerat, ſed qui bellum non affectet, pacis amans, pacis conciliator, pacis tenax; appoſitus ad emendandos populi mores, qui Ducem agere norit ac Principem, qui leges ſalutares ſciat cõdere, notus ad benè merendum, divina ſpecie. Sunt autem multa, quæ oratione dici poſsint, ſingulis vocabulis explicari non poſsint. Hactenus Iulius Pollux, cuius aurea verba exametro carmine donata reperio apud Iodocum Damhouderium.

Damhoud. in praxi crim. pag. 70.

Eiſque Seneca Tragicus, & Claudianus mirè conveniunt, in locis à Me iam ſuprà citatis. Dignus quoque eſt, ut ſilentio non involvatur Guntherus, qui ſub occaſione electionis Imperatoris Friderici I. ſic habet:

Sup. Embl. XVI.

Gunther. in Ligur. lib. 1.

Nobilitate viget, claroque hinc ſanguine Reges,
Inde Duces contingit avos: facundia dulcis,
Forma nitens, animuſque ſagax, manus impigra, ſollers
Conſilijs, belloque ferox, & pace modeſtus,
Mente ſenex, ætate puer, prudentia rerum,
Certus amor, robuſta fides, conſtantia mentis
Nec frangenda malis, nec ſuſtollenda ſecundis.
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
Tranquillus placidis, iuſtis pius, aſper iniquis,
Fortis ad inſtantes caſus, prudenſque futuri,
Præteritique memor, ſocijs bonus, impius hoſti, &c.

Et Moralis ille Civiliſque Sapientiæ Præceptor dum inquit:

Præcept. moral. Sap. lib. 2. Monit.

Qui cæde gaudent, Regiamque rem putant
Sævire, longè Regia errant via:
Cum ſit verendo Rege dignius nihil,
Quam iuris, atque moris humani memor
Clemenſque pectus. Inde Maieſtas trahit
Sublime lumen. Nec magis potentiam
Vis ulla firmat, atque Parentum favor
Virtute partus; proximè itur ad Deum
Bonos beando; non habet maius bonum
Fortuna Regum, quàm ſalutem plurimis,
Quod fas habent donare, quod lethi metu
Levare cives. Hæc adorea, hic honos
Præſtat triumphis, omnibuſque laureis, &c.

Extant etiam inter Monoſtica Throcaica à Iano Grutero edita, quæ-

dam

dam ſeriè Alphabeti digeſta, quæ optimi Regi conditiones exprimũt; quæ hic indicaſſe ſufficiat, cum plus æquo prolixa videantur.

21 Sed quorſum ultra in ſalutaribus effectibus probandis immoror, qui per bonos Principes populis impertiuntur, cum ſatis hoc vel ex ſola Eccleſiaſtici doctrina firmetur, apud quem legimus: *Iudex Sapiẽs iudicabit populum ſuum, & Principatus ſenſati ſtabilis erit; & civitates inhabitabuntur per ſenſum Potentium.* Quo loci Religioſus pariter ac doctus Noſter Pater Ioannes de Piña, plura alia Sacræ Scripturæ loca ad idem diligenter expendit, & eſt valdè ſuprà dictis cohærens illud Proverbiorum: *Rex iuſtus erigit terram; vir avarus deſtruet eam:* & quod in libro Sapientiæ dicitur: *Rex Sapiens ſtabilimentum populi eſt*, nimirum propter bonos effectus, qui ex bonorum ac iuſtorum Regum adminiſtratione, & gubernatione reſultant. De quibus etiam eruditè agit Pat. Ioannes Pineda, hinc multis Salomonem extollens, quod Sapientiam ſolam à Deo poſtulaverit, quaſi hoc Donum ad benè & iuſtè adminiſtrandum Regnum ſibi conceſſum, & ſubditos beatos reddendos, potiſsimum eſſe cognoſcens: prout & Plato fecit, cũ examinans ſuum illum perfectum Principem, gubernandæ civitati præfectum, Amatorem quidem civitatis illum requirit, in voluptatibus, doloribuſque probatum, ſincerum, incorruptum, & tanquam aurum in igne examine comprobatum: id tamen ſuper omnia deſiderãs, ratumque haberi volens: *Optimum Philoſophum*, id eſt *Sapientem* eſſe debere. Cuius doctrinam ſequens, longaque oratione illuſtrans Themiſtius, poſtquam, veluti ad rorem Panacææ noſtri Emblematis reſpiciens, Reges, quos Muſæ reſpexerint, alumnos Iovis appellat, & ex illorum lingua ſuaviſsimum rorem diſtillitarum in vaſſallos confirmat, non quidem illos ex corporis ſtatura, oriſvè pulchritudine, aut alijs modis riſu dignis, quos aliquæ nationes introduxerunt, probandos, eligendoſvè eſſe concludit; ſed ex Sapientia & Philoſophia, quæ ipſa cum primis ſubditos præſtantiores effectus communicat: & Reges prætereà ipſos, magis quàm Tyara, & aureus Acinaces ornat, & magis ſecuros, quàm lictores, ſatellites, ſpeculatores, aut perpetuus quidam morientium militum numerus reddit.

Eccl. cap. 10. verſ. 1. & ſeqq.

Pat. Piña ſup. Eccl. pag. 528. to. 1. etholog. 114. per tot.

Proverb. 29. 4.

Sapient. 6. 26.

Pined. de reb. Salom. pag. 111. & ſeqq.

Plat. Dialog. 6. de Repub.

Themiſt. orat. 11 & 14.

Vm-

Vmbra mali Principis.

EMBLEMA XXII.



Exitiale malum, fera dum Nux explicat umbram,
Æger in afflicto ſtipite languet ager.
Ætherea Reges pariter virtute carentes,
Subiectis populis, ut Nucis umbra nocent.

COMMENTARIVS.

VTILITATES, bonoſque boni, & Sapientis Regis effectus, quibus ſuum populum beat, lætificat, & amplificat, ut in proximo Emblemate vidimus, malus, inſipiens, & ſtultus ex adverſo, ſua malitia, & inſipiẽtia corrumpit, & perdit, & quod ille ſtabilit, hic peſſumdat. 1

Eccleſ. 10. 1. & 3. Sap. 6. 12. 13. 26.

Quam doctrinam ex Eccleſiaſtico diſcere poſſumus, ubi unus alteri his contraponitur verbis: *Iudex Sapiens iudicabit populum ſuũ, & Principatus ſenſati ſtabilis erit Rex inſipiens perdet populum ſuum : & civitates inhabitabuntur per ſenſum Potentium.*

Prover. 29. 2. & 4.

Et idem non minùs apertè in Proverbijs docemur, ubi Salomon inquit: *In multiplicatione iuſtorum lætabitur vulgus, cum impij ſumpſerint Principatum, gemet populus. Rex iuſtus erigit terram : vir avarus deſtruit eam.*

Iſai. 3. 6.

Quem etiam repetitis verbis Ruinam Populorũ Iſaias appellat, cuius verba latiùs expendens Noſter Pineda, rectè concludit,

Pined. de reb. Salom. pag. 112. col. 2

quòd quemadmodũ Sapientia Principis, Regni ſtabilitas, & baſis exiſtit; ita Ruina Regni èx Principis ſtultitia contingit.

Ea-

2 Eademque contrarietas, & repugnantia in utriuſque electione conſiderari poteſt; nam Boni Reges, ut ſuprà tetigimus, ut eximium bonum ac donum concedi à Deo populis ſolent, mali autem in pœnam & ſupplicium graviſsimorum ſcelerum permittuntur, iuxta illud Iobi: *Facit Deus regnare hypocritam propter iniquitatem populi*; ubi ſubintelligitur, *Puniendam vel vindicandam*, ut Hugo Laurentius, & Archidiaconus animadvertunt, celebrem illum Textum Divi Hieronimi interpretantes, ubi iudices, & Principes iniquos, non per Dei arbitrium dari, nos docet, ſed prout noſtra merita depoſcunt, & veluti per extortam à Deo voluntatem, non ſpontaneam, ut in Saule contigit, & in Nembroth, de quo in Geneſi legitur, robuſtum venatorem coram Domino fuiſſe, quod interpretatur, id eſt, *Hominum oppreſſor permittente Domino*, ut Ego alibi dixi, & plurium Sanctorum Patrum auctoritatibus comprobavi.

Iob cap. 34.
Hug. Laur. & Archid. in c. coacter 18. q. 1.
Cap. his itaque 6. diſt. Ego 1. to. lib. 2. cap. 11. n. 17.

3 Quò & reſpiciens Anterus Papa: *Ex merito* (inquit) *plebis, nonnunquam Epiſcopi depravantur, quatenus proclivius cadant, qui ſequuntur. Capite langueſcente, cætera corporis membra inficiuntur*. Cui ſimilis eſt Divus Gregorius in Moralibus, ab Antonio Gorrutio relatus, & magis ad rem noſtram faciens Divus Iſidorus, ſic inquiens: *Reges quando boni ſunt muneris eſt Dei, quando verò mali ſceleris eſt populi*. Et Theodoretus dum ait: *Sicut civitates & Reſpublicæ iuſtitiæ miniſtros, & carnifices alunt, quorum opera parricidas, latrones, & id genus facinoroſos, iuſtiſsimo afficiunt ſupplicio; non quòd laudent, quæ ſibi carnifices peragenda munia deſumſerunt, ſed tamen ad neceſſarios uſus eorum miniſteria tolerant: ita præpotens Deus patitur Tyrannos eſſe, ſeu quoſdam carnifices, ut per eos ab impijs, & ſceleratis hominibus pœnas exigat. Quos tamen non multò poſt, graviſsimis addicat ſupplicijs, quia non ut Dei Miniſtri, ſed ſuæ ipſius malignitati ſervientes, eiuſcemodi damna hominibus intulerunt.*

Anter. epiſt. unic. in cap. ex merito 6. q. 1.
Gorrut. de provid. Dei, lib. 6. cap. 7.
D. Iſidor. de ſum. bon. lib. 3. cap. 48.
Theodor. lib. 6. de Cur. Græc. affect.

4 Atque his quidem conſonant alia, quæ, ultra Sacrorum librorum in dictis locis Expoſitores, latè & doctè Ioannes Fileſacus, & Philippus Camerarius ſcribunt. Nos autem, ut noxiam hanc & exitialem populis influentiam, malorum, & Tyrannorum Regum ac Principum inſinuemus, præſens Emblema cudimus, quo eoſdem Nuceæ arbori ſimiles facimus, cuius umbra. ſecundùm Plinium, Theophraſtum, & alios, ita malignantis naturæ eſt, ut humano capiti gravis admodum ſit, & omnia, quæ ſubtus eam ſeruntur plantanturque, vitiet ac perdat, nec ſuccreſcere, virere, florereve patiatur. Quod in cauſa fuit, (ut probati linguæ Latinæ Auctores advertunt) ut à *Nocendo* Nuci nomen imponeretur, necnon, ut Veteres, hanc arborem procul à ſatis omnibus eliminarent, ne eis maciem perniciemque cauſaret, ut diſertè, prætet alios, oſtendit Ovidius, dum dixit:

> *Me, ſata ne lædam, quoniam ſata lædere dicor,*
> *Imus in extrema margine fundus habet.*

Fileſac. 1. ſelect. titul. 9. de Tyrann. ex pag. 225. & de Idol. Pol. cap. fin.
Camer. ſubceſ. lib. 3. ex pag. 71.
Plin. lib. 17. cap. 12
Theoph. lib. 2. c. 7. & lib. 3. c. 8. Varro lib. 1. Colum. lib. 5 cap. 10.
Rob. Steph. Calep. Funger. & alij ver. *Nux*.
Ovid. in Eleg. de nuce.

Piña in Eccleſ. cap. 10. ver. 3. Etholog. 113. pag. 525.
Ierem. 1.
D. Chryſolog. ap. Piñam ſup.

Et eadē ratione Sancti Patres, & alij graves Auctores, impios, crudeles Tyrannoſvè Principes ac Prælatos, qui, quos protegere deberent, deſtruunt, vel iniurijs afficiūt, nuci & alijs arboribus, quæ virulentam habent umbram, meritò comparare ſolent, ut Pater Ioannes de Piña animadvertit, addens virgam illam vigilantem, quam ſe vidiſſe Ieremias refert, & illam aliam Aaronis ex nuce fuiſſe. Sed apertius cæteris hac comparatione uſus fuit D. Petrus Chryſologus, ſic inquiens: *Sicuti infecunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus umbram, inimica non ſolùm ſibi, ſed etiam palmitibus fit fecundis; ita etiam homo deſes, ignavus, ſi præſit populis, non ſolùm ſibi noxius, ſed multis, dum ſequentes ſe, ſuo vitiat, & perdit exemplo.* 5

Xenoph. in Ageſil.

Et plane ſic ſe res habet, ut ſemper, vel hac de cauſa, quòd peccata Principum, tanquam mala umbra ſubditis nocent, graviora, ſeveriuſque punienda, quàm privatorum, ab omnibus reputentur, ut præclarè apud Xenophontem monuit Ageſilaus, privatorum hominum errata modeſtè ferens, Principum verò maxima exiſtimans; iudicanſque ab illis pauca, ab his mala multa conſtitui. Quemadmodum enim cum nauta errat, modicum affert navigantibus nocumentum: cum verò ipſe Gubernator, totius efficit navigij perniciem; ſic & in civitatibus, ſi quis ex ſubditis peccet, non tam Rempublicam, quàm ſeipſum lædit, ſi verò ipſe Princeps, univerſæ infert Reipublicæ detrimentum. 6

Cominæus lib. 10. ad finem.
Idem Comin. lib. 3. pag. 373.

Philippus quoque Cominæus multus eſt in damnis, quæ exceſſus & vitia Principum afferunt, deplorandis, ea præſertim de cauſa, quòd nullus ſit, qui de eis quæſtionem habeat, vel accuſationem inſtituat, pœnaſvè irrogare poſsit, quod ſecus in privatis contingit. Statim tamen hæc verba ſubiungit, quæ ob ſui pondus tranſcribere volui: *Certè querimoniæ, & lacrymæ miſerorum hominum, quos crudeliter vexarunt, item viduarum, & pupillorum gemitus atque ſuſpiria, quos parentibus atque maritis inhumanè ſpoliarunt, breviter eorum, quos afflixerunt, & fortunis omnibus denudarunt, lamentationes, atque plangor, erunt accuſationis loco, quam illi coràm Supremo Dei Tribunali ſiſtent. Qui magnitudine ſcelerum offenſus, non ſemper concedit diuturniorem impunitatem, ſed illos aliquando verberat præſentibus pœnis, ita quidem evidenter & clarè, ut dubitari non poſſit, ipſum eſſe iuſtiſsimum impietatis noſtræ ultorem, &c.* Et in alio loco ſic habet: *Nulla igitur maiori clade populum Deus affligere poteſt, quàm ſi Principem, & præficiat ſtolidus & imperitum: neque enim dici poteſt, quàm multa hinc oriantur in commoda, &c.* 7

Reg. lib. 1. cap. 18.

Sed de his alius ſe offeret opportunior dicendi locus, nunc ut malam mali Principis umbrā cognoſcamus ſatis erit verba Sacræ Scripturæ referre, quibus Samuel illam deſcribit, ſic inquiens: *Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis, facietque ſibi Equites, & Præcurſores quadrigarum ſuarum, & conſtituet ſibi Tribunos, & Centuriones, & Aratores agrorum ſuorum, meſſores ſegetum, & fabros armorum, & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi unguentarias, & focarias,* 8

& panificas. Agros quoque veſtros & vineas, & vineta optima tollet, & dabit ſervis ſuis: ſed & ſegetes veſtras, & vinearum reditus addecimabit, ut det Eunuchis, & famulis ſuis. Servos etiam veſtros, & ancillas, & iuvenes optimos, & aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit: voſque eritis ei ſervi, & clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petijſtis vobis Regem.

9 Quo in loco, licèt quidam malè feriatus Scriptor, propriũ veri Regis typum, & ius contineri probare contendat, certius longè eſt, non niſi de Tyranno, & iniquo tractari, eiuſque mores, & pravas actiones, & exactiones à Samuele deſcribi, Iſraelitas redarguente, quòd ab eo ſibi Regem dari petijſſent; qui more gentium & nationum ſibi imperaret. Nam ubi mores, & proprietates Boni & Iuſti Principis, & non à populo, ſed à Deo electi, eadem Scriptura in Deuteronomio depingit, prædictis in omnibus contrariatur. Talemque eſſe debere inquit: *Vt populum non gravet, ſed ſublevet, neque uxores plurimas, neque argenti & auri immenſa pondera habeat, ſed legem Dei ſemper ſecum portet, atque cuſtodiat, & diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filij eius ſuper Iſrael.*

Vvaremũd. in tract. de fœderib. lib. 1. ex cap. 1.

Deut. 17. 14. & ſeq.

10 Quam veriorem ſententiam, poſt plures alios, Petrus Gregorius, Magiſter Marquez, Baſilius Pontius, & Alij plures benè defendunt, quos Ego alibi ſequor. Eique favet, in Samuelis deſcriptione omnia contineri, quæ in deſcriptione Tyranni Ariſtoteles, Plutarchus, & alij Authores paſsim tradere ſolent, quorum copioſam nomenclaturam etiam apud Me videre licebit. Nimirum quòd omnia ad ſe attrahere cupiat, & alienis invideat, & inhiet, cum tamen contrà is, qui iuſtè rectèque dominatur, magis ſubditorum commodis, quàm proprijs ſtudeat, ut in ſuperioribus diximus.

Petr. Greg. de reb. lib. 7. c. 19. Marq. in Gubern. Chriſt. pag. 87. Pontius in relect. 1. de mut. man. Ego 1. tom. lib. 8. c. 8. n. 23.

Ego d. 1. tom. lib. 2. cap. 12 n. 9.

11 Vnde lex noſtra Iuris Septemparti, Tyranni nomine donat, nõ tantùm eum, qui Regni Solium violenter, & illegitimè occupat, verùm & illum, qui legitimè occupatum, malè & iniuſtè regit & moderatur, & Regis a Samuele effigiati proprietates, aut verius perverſitates obſervat; ſic enim in ultima ſui parte cõcludit: *Otroſi dezimos, que maguer alguno ovieſſe ganado Señorio del Reino, por alguna de las dichas razones, que diximos en la lei antes de eſta, que ſi èl uſaſſe mal de ſu poderio en las maneras que de ſuſo diximos en eſta lei, que le pueden dezir las gentes Tirano, è tornarſe el Señorio, que era derecho, en Torticero, aſsi como dixo Ariſtoteles en el libro que fabla del Regimiento de las Ciudades, è de los Reinos.*

L. 10. tit. 1. par. 2.

Ariſtot. 8. Æthic. cap. 10. D. Thom. de regim. Princip. lib. 1. cap. 1.

12 Et hac propter meritò illa Thomæ Mori differentia inter Tyrannum, & Bonum Principem celebratur:

Legitimus immaniſsimis
Rex hoc Tyrannis intereſt;
Servos Tyrannus, quos regit;
Rex, liberos putat ſuos.

Thom. Morus inter ſua carmina, pag. mihi 212.

Claud. in 4. Conſ. Honorij.

Et Claudianus, dum pium & iuſtum Principem inſtituit, in illud elegans carmen prorupit: 13

Tu civem, patremque geras, tu Conſule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota:
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe licebit
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti, &c.

Idem de bello Gildonico.

Oroſ. lib. 7. cap. 56 Diac. lib. 13. Blōd. lib. 1. Decad. 1.

Cum verò illum deſcribere voluit, qui iniuſtè & tyrannicè dominatur, nihil ex illis omiſiſſe videtur, quæ in Samuelis deſcriptione panduntur. Sic etenim inquit, de Gildone Tyranno, ſub Africæ proſopopeia agens, qui in eadem provincia rebellarat, & Maſcezelis fratris ſui filios necaverat:

------------- Pars tertia mundi
Vnius prædonis ager. Diſtantibus idem
Inter ſe vitijs cinctus. Quodcunque profunda
Traxit avaritia, luxu peiore refundit.
Inſtat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obſcænus adulter.
Nulla quies: oritur, præda ceſſante, libido,
Divitibuſque dies, & nox metuenda maritis.
Quiſquis vel locuples, pulcra vel coniuge notus,
Crimine pulſatur falſo: ſi crimina deſunt,
Accitus conviva perit. Mors nulla refugit
Artificem. Varios ſuccus ſpumaſque requirit
Serpentum virides, & adhuc ignota novercis
Gramina. Si quiſquam vultu præſentia damnet
Liberiuſvè gemat, dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.
Fixus quiſque thoro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, & intentos capiti circumſpicit enſes.
Splendet Tartareo furialis menſa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, ſuſpecta veneno.
Vt vino calefacta venus, tum ſævior ardet
Luxuries; mixtis redolent unguenta Coronis.
Crinitos inter famulos, pubemque canoram
Orbatas iubet ire nurus, nuperque peremtis
Arridere viris. Phalarim tormentaque flammæ
Profuit, & Siculi mugitus ferre iuvenci,
Quàm tales audire choros. Proturbat avita
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos,
Exilijs diſperſa feror, &c.

His

His carminibus alia ſimilia,& relatu non indigna, Regis mali,& inſipientis paradigmata deſcribens; contexuit Matthæus Agricola, quæ proligitatis vitandæ gratia hic inſerere ſuperſedeo,& ea Lector,ſi velit,apud Beverlinchium legere poterit.

Beverl. in Theatro verb. Rex, pag. 335.E.

14 Sed quoniam nullus latius meliuſque hanc Tyrannorum, & malorum Principum umbram, de qua agimus, & nocivos eius effectus expreſsit, quàm Iulius Pollux, eſt re erit eius verba ſubnectere,in quibus,poſtquam virtutes, & epitheta cõnumeravit, quibus bonus Princeps laudari poſſet, quorum in præcedenti Emblemate memini, ad ea tranſiens, propter quæ malus vituperari poſsit, & debeat, ſic habet: *Malum Principem vituperabis ad hunc modo: Tyrannicus, crudelis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum: & quod verbum eſt apud Platonem, pecuniarum cupiens, rapax, & quod dixit Homerus, populi devorator: ſuperbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congreſſum, incomis ad colloquium, malè iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum ſervus, intemperans, immoderatus, inconſideratus, inhumanus, iniuſtus, inconſultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconſtans, & qui facilè decipiatur, malè facilis, immitis, affectibus deditus, incorregibilis, contumelioſus, bellorum author, gravis, moleſtus, incoercibilis, intolerabilis.*

Iul. Poll. in Onom.

15 Ad quæ quidem verba omnes Tyranni, & mali Principes definitiones reduci poſſunt, quæ varij Authores latè proponunt,& præſertim Stephanus Iunius Brutus, qui diſtincta officia,& proprietates Regum, & Tyrannorum peculiari commentatione proſequitur. Quod ſi Polluci, homini Ethnico, tam apertam, & ſinceram veritatem apud Commodum Imperatorem, Ethnicum etiá, & vitioſiſsimum, palam profiteri licuit, cur non, & Chriſtianis Scriptoribus,& cum Chriſtianis Principibus Sermonem habentibus,idem licere debebit? Eiſdemque ob oculos, utramque bonorum, & malorũ Regum effigiem (ſicuti Nos facimus) ponere, ut videant; quæ ſequi, quæ fugere debeant, & ex bonorum imitatione æternam ſibi famam, ac gloriam, ex malorum perpetuum dedecus & pœnas manere, quas Tragicus eis comminatur in loco, cuius ſuprà in fine Emblematis XVI. retulimus.

Polianth. & Theatrum verb. *Tyrannus*, Canonh. in Aphor. 1. to. ex pag. 801. vbi proſequitur differentias Regis Boni, & Tyranni, & quæ damna hic, quæ commoda ille Reip. generet.

Senec. in Octav.

Ego ſup. Embl. 16.

Regum error, Populis exitialis.

EMBLEMA XXIII.



Errore primæ cernite lampadis,
Dum luminoſam deſcrit orbitam,
Mæſtos & afflictos timere
Iam validam populos ruinam.
Eſt error alti quàm malè Principis
Infeſtus altis gentibus, illicèt
Cernuntur in præceps labare,
Dum Domini radij laborant.

COMMENTARIVS.

QVO magis cognoſci queat, quàm ſit, inſipiens, ma- 1
lùs, vitioſuſvè Princeps, ſuis populis exitialis, ſupe-
riori Emblemati præſens, velut auctarium ſubiicio,
ex Solis Eclypſim patientis imagine, & ſimilitudi-
Saaved. Empr. 13. ne ſumtum. Quàm licet iam alij præoccupaſſe vi-
pag. 85. deantur, eò tamen reſpexerunt, ut Principes vel ex
eo à vitijs cohibeant, quia omnium cenſuræ patent, & tunc præcipuè
cum delinquunt, plurimos ſui habent ſpectatores, ut in Sole etiam per
Eclypſim obſcurato contingit, ut Plutarchus in moralibus, & Eraſmus
in ſuis ſimilibus tradunt.

Nos vero in id tendimus, ut agnoſcant, quod quemadmodum te- 2

nuis

nuis hic, & inculpatus, ac ſæpè momentaneus Solis defectus, plures in rebus humanis perturbationes, bella, peſtes, Regum Regnorumque miſerabiles caſus, & alias calamitates, occulto ſenſu naturæ præſagire, & per plures etiam annos influere ſolet, ut Plinius, Seneca, Virgilius, Manilius, & alij paſsim Auctores (huius rei cauſas, & exempla tradentes) oſtendunt; ita Principum vitia, & exceſſus ſuis Regnis, imò & in univerſum reliquis alijs, maximum nocumentum, & exitiũ protendere generareque ſolent.

Plin. lib. 2. cap. 10. & 30. Senec. lib. 5. de benef. c. 6. Virgil. 1. Georg. Manil. 1. Aſtron. D. Ambroſ. & alij in Theat. verb. *Eclypſis.*

3 Quam ſimilitudinem, à Plutarcho prius rectè perpenſam, Eraſmus, (eo non relato) inter ſuas, his verbis ſcripſit: *Vti Solis defectus magnam mortalium perniciem trahit: ita Regis error, etiam levis, magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem.* Idemque ipſum alibi latiùs expoſuit, ſic inquiens: *Quemadmodum corpora cœleſtia, ſi vel paululum tumultuentur, aut à recto curſu divarient, non ſine gravi rerum humanarũ pernicie id faciant: id quod palàm videmus in defectibus Solis ac Lunæ. Ita ſummi Principes, ſi quid aberrent ab honeſto, aut ſi quid ambitione, ira, ſtultitiavè peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim ulla unquam eclypſis ſic afflixit hominum genus, ut Iulij Pontificis, & Lodovici Gallorum Regis diſsidium, quòd nuper & vidimus, & flevimus.* Et iterum: *Nullus Cometes, nulla vis fatallis ſic afficit res mortalium, ut vita Principis rapit ac transformat mores, & animos civium.*

Plutarc. in Apoph. Eraſm. in ſimilib. fol. mihi 58.

Idem Eraſm. in lib. de Regis inſtitut.

4 Quam conſiderationem præ oculis habuiſſe videtur Cornelius Tacitus, dum Tiberium inducit filijs ſuis dicentem: *Ita nati eſtis, ut bona malaque veſtra ad Rempublicam pertineant.* Et Plinius Iunior, dum ſignatiſsimè dixit: *Vtque in corporibus, ſic ex Imperio, graviſsimus eſt morbus, qui à capite diffunditur.* Quod non tantùm propter exemplum, verùm & propter damna, quæ Reſpublica ex delictis Principũ ſentit, dictũ mihi videtur. Etenim licèt Divini & humani iuris regulæ doceãt, ut peccata ſuos teneant Auctores, & nemo alterius odio prægravetur, ſæpèſæpius tamen contingit, ut ob Regum exceſſus Deus, iuſtis ſuis iudicijs, etiam populos puniat, ut multis Sacræ Scripturæ locis oſtendit Oliſiponenſis Mendoza, in illo tandem Oziæ deſinens, ob cuius in peccatis uſque ad mortem perſeverantiam, Deus, toto tempore, quo ille Regnum tenuit, populum Iſraeliticum Prophetarum viſionibus, & revelationibus, alijſque cœleſtibus myſterijs, carere voluit, ut D. Chryſoſtomus & Hieronymus tradunt.

Tacit. 4. Annal. c. 8

Plin. Iun. lib. 4. ep. 22. in fine.

Ezech. 18. Exod. 23. L. ſancimus, C. de pœn. cap. non debet, de regul. iur. in 6. cum alijs.

Mend. in Prooem. ad lib. Reg. ann. 3. ſect. 7. pag. 147.

D. Chryſoſtom. de verb. Iſai. hom. 4. Hieron. ad Damaſ. epiſt. 142.

5 Quod egregiè declarans Iuſtinus Martyr, hac ratione ab iniuſto defendit, quòd ſicut homo ex anima & corpore conſtituitur; ita Regnũ ex Rege, & eis, qui reguntur, coagmentatur, & quemadmodum ſi homo manibus peccatum committens, tergo pœnas pendat, non iniquè, qui in eum animadvertit, agit: ita non iniuſtè Deus facit, Principum delicta, populi pœna coercens.

Iuſt. Mart. q. 138. ad Orthod.

6 De quo & extat in Sacris Litteris aliud memorabile exemplum graviſsimæ peſtis, qua triduo ſeptuaginta millia virorum perierunt, ob id quòd David contra Moſaicæ legis edictum, Ioab Ducem populum Iſrael cenſere iuſsiſſet. Nec ceſſavit peſtis, donec David Rex,

2. Reg. 24. Paralip. 1. 21. Ioſeph. 7. antiq. 13. Reg. 4. cap. 2.

delicti ſibi conſcius, conſtructo in area Iebuſæi altari, cilicium indutus, pronus cadens in terram, ſupplex culpam deprecaretur. Ob ſcelera quoque Achab Regis & Iezabel, Iſraëlitæ triennali fame afflictati ſunt, & ab Elia Propheta audire meruerunt: *Non Ego is ſum, qui conturbo Iſrael, ſed Tu, & domus patris tui.*

Regum 3. cap. 18.

7 Homer. in Iliad. Et, ſi ſacris licet miſcere profana, ſimiliter ob Agamemnonis culpam, ſolvit pœnas univerſus Græcorum exercitus, cum Apollo intulit ei peſtem inſignem, propter filiam Sacerdotis Chryſæ ab Rege violatam. Vnde veluti in Proverbium tranſijt illud Heſiodi:

Heſiod. in Ergis.

Principis iniuſti gens omnis crimina præſtat.

Sive ut alij vertunt:

Vt Populus luat pœnas ob ſcelera Regum.

Qui & alibi dixit:

Sæpe numero tota civitas luit noxam hominis mali,
Qui peccat, & perniciem in omnes machinatur.

8 Horat. lib. 1. epiſt. 2 ad Lolium. Quem ſequutus Horatius, belli Troiani damna ob raptum Helenæ cum Homero deſcribens, & qualiter propter diſcordias, & ſcelera Regum, tot Græci perierint, & tandem totum Ilium ſive Troia, funditus exciderit, illud celebratiſsimum carmen effudit, quod etiam inter Adagia refertur:

Eraſm. in Adag. pag. 730.

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Quorum etiam tota claſsis, eodẽ Homero tradente, naufragio perijt:

Homer. in Iliad.

Vnius obnoxam, & furias Aiacis Oilei.

9 Pauſan. in Phoc. Et Pauſanias tradit, idem Miletis contigiſſe, ob libidinem & fœdos amores Hiſtiæi Mileſij; & Lidonibus, ob Philomeli Principis ſui Delphicum ſacrilegium. Thebani quoque cum multis malis affligerentur, & Creon eorum, Rex Tireſiam de cauſa conſuleret, hoc apud Euripidem reſponſum legimus accepiſſe:

Eurip. in Phæneſis.

Ægrotat hæc terra dudum, ò Creon, ex quo
Creavit liberos Laius invitis Dijs,
Maritumque creavit matri infœlicem Oedipum.

10 Dion. in Cõmod. Flagitioſæ item vitæ Commodi Imperatoris, Dion Caſsius totam Romanam urbem pœnas tuliſſe, ſcriptum reliquit. Nam Capitolium fulmine ictum, una cum egregia Bibliotheca, maiorum cura parata, concrematum eſt: Ædes quoque in proximo ſitæ, eandem calamitatem ſenſere. Exortum eſt deinde aliud incendium, quo & ædes Veſtæ, & Palatium, bonaque pars urbis exuſta eſt, & ſolo æquata.

11 Nicephor. lib. 10. cap. 35. & 37. Et Nicephorus memorat, quòd cum Iulianus Apoſtata rerum potiretur, novis, & horrendis prodigijs totus orbis fuit diverſis in locis exagitatus, terræmotibus, eluvionibus, exuſtionibus, monſtris, ita ut ipſa rerum natura talem belluam abominari videretur.

12 Sed quid amplius in exemplis eiuſmodi referendis immoror, cum eorum pleni ſint libri, & Noſtra Hiſpania illud VVitizæ & Ruderici Regum, præter alia, ſuppeditet; ob quorum ſcelera, Divinam Maieſtatem ad vindictam graviter provocantia, terram iniquitate repletam,

&

& tandem à Mauris vaſtatam,& occupatam,Rodericus Toletanus,& alij paſsim Scriptores referunt & lachrymantur. Roder. lib.3.c.16.

13 Quinimò & noſtrum iſtud, quo hæc ſcribimus,tempus, ſatis (heu) idem oſtendit, eiuſdem Hiſpaniæ, & Galliæ florentibus anteà populis,miſerè vaſtatis,conflictatis,& in ſolitudinem ferè redactis, ob ſupervacua & ambitioſa bella, quæ Reges, qui ſe Chriſtianiſsimos vocant,à malis Conſiliarijs ſeducti,vel verius obſeſsi, abſque vlla iuſta, vel fructuoſa,cauſa attrahere ac movere voluerunt. Quorum damna iam vel ipſi ijdem Galli agnoſcunt,deflent,& execrantur,&Nos alio forſitàn loco commodius recenſebimus. Marian.de rebus Hiſpan. Extat de hoc liber ſatis elegans, cui titulus: *Francia luctuoſa*. Infr.Embl.90.

14 Interim,ad rem de quà agimus,Horatium adduxiſſe contenti, qui hanc punitionem populorum propter Maiorum delicta, licèt ipſi eam non mereantur,his verbis expoſuit:

Delicta maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædeſque labantes Deorum, &
Fœda nigro ſimulacra fumo,&c.

15 Vbi diligens eius Scholiaſtes Gualterus Chabotius in diſquirenda ſimilium pœnarum iuſtificatione vexatur, cum, ut iam tetigi, peccata ſuos debeant tenere Auctores,nec ulterius progredi ſupplicium, quàm reperiatur commiſſum.Quæ difficultas adeò Theognidem preſſit,ut vix ab ea ſe expedire potuerit. Sed tandem benè idem Chabotius reſolvit,hoc ex Divino iudicio pendere, cuius inſcrutabiles ſenſus ac motus humanum comprehendere nequit. Præſertim cum nunquam ita ſoli peccent delinquantvè Reges, quin plures ex ſuis,vel in eiſdem,vel in alijs peccatis complices habeant; & ſaltim propter ſocordiam puniri non poſsint, vel ex ſola Dei voluntate, apud quem, (quod eſt multò admirandum magis) ne infans quidem unius diei immunis ac purus dici poteſt; neque iniuſtitiæ imputari, ut in libro Sapientiæ docemur: *Si perierint nationes, quas ipſe fecit*, ubi rectè addit pius & eruditus Pater Ioannes Lorinus, cuius etiam alibi memini, *Poſſe iuſtè Deum gentes,quas ipſe fecit,perdere cum mereantur: poſſe id ipſum quoque,licèt nulla præcederent demerita, vel hoc nomine duntaxat, quia dominium abſolutum habet*. Quibus rationibus, ſi illam,quam ſuprà ex Iuſtino Martyre adduxi, coniungas, ſatis Theognidis querelæ factum eſſe videtur. L. crimen, D.de pœn. cum alijs ſuprà relatis. Sapient.12.12. Lorin.d.loco Sap. Ego 1.tom.de Ind. iur.lib.2.c.2.n.29.

16 Porrò,quòd Reges in hoc Emblemate Soli ſimiles fecerimus,probari illuſtrarique ſatis poteſt,ex his,quæ alio iam loco tradidimus, & noſter Pineda notat in illud Iob,quo ſe ſummo manè egredi dixit,ad iudicandum populum in portis civitatis, inquiens,& probans Principes Solis inſtar ſuis populis eſſe,atque eſſe debere. Quod & expreſſius docuit Plutarchus, dum inquit: *Vt Deus in cœlo pulcherrimum ac iucundiſsimum ſimulacrum conſtituit Solem: ſic in Republica Principem, qui prudentia,iuſtitia,benignitate ſe erga omnes repræſentat*. Et Agapetus Diaconus,qui ſimiliter ait; quòd *Sicut Solis profectò partes ſunt, illuſtrare radijs orbem: Principum ita virtus eſt, egenorum miſereri*. Porro Sup.Embl.XII. Iob 29.7. Pined.2.tom.pag.529. Plutar.in Moral.

nis clarior eſt Imperator, qui pius eſt, ille namque cedit ſuccedenti nocti. Hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgere quicquam, ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.

Ælian. de var. hiſt. lib. 14. cap. 11.

Et ad has peſtes, aliaque damna, quæ vitioſi & errantes Principes 17
ſuis populis, ut Sol Eclypſim paciens, inferre ſolent, pertinet etiam illud, quod Philiſcus, prout Ælianus refert, ad Alexandrum aliquando dixiſſe narratur: *Ad gloriam incumbe, verùm ea cõditione ne ſis peſtis, vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſuavitas.* Quod eodem Æliano docente, perinde fuit, ac ſi diceret, per vim & ſævitiam expugnare civitates, populos excindere, peſtilentiam eſſe; ſanitatis verò, ſalutiſque ſubditorum habere rationem, ea pacis, & boni lucentiſque, & nõ obſcurati Principis commoda eſſe.

Sup. Embl. XXI. & XXII.

Dið Pruſæus orat. 1. de Regno.

Quò ea etiam tendunt, quæ de differentia boni & mali Principis iã 18
ſuprà retulimus, & lata & elegãti oratione Diõ Pruſæus proſequitur, Bonos Reges Iovis actiones & operationes imitari debere inquiens, & appellationibus gloriari, quæ omnes ad ſalutarem ſubditorum gubernationem ſpectant: cum contrà, qui ſecus ſe habent, eiſdem æquè damnoſi, ac vituperabiles ſint, & inconſulti Phaëtontis calamitates populis inferant. Ad quod probandum, hæc Homeri carmina relatatu digna, perpendit:

Qui crudelis & ipſe eſt, & crudelia patrat
Huic omnes homines vivos mala multa preeantur,
Quin etiam infamant illum poſt funera cuncti.
Et contra, quicunque eſt inculpabilis ipſe,
Inculpabilia atque patrat, famam iſtius amplam
Multus terrigenas circumfert hoſpes ad omnes,
Atque virum inde bonum dicunt, laudantque frequentes.

Schoonh. Emb. 71.

Extat quoque apud Florentium Schoonhovium Emblema quod- 19
dam, quo, ex eiuſdem Homeri Cyclope exemplum mutuatus, *Regem ſine prudentia Regni peſtem eſſe*, in lemmate ait, & his carminibus ornat,

Privatus charo Polyphemus lumine, nullo
Conſilio errantes iactat ubique manus:
Haud aufer Reges, ratio quos nulla gubernat,
Omnia perverſo turbine ſemper agunt.

Deus quos erigit, dirigit.

EMBLEMA XXIV.



Erudit ingenuas Regnandi Iuppiter artes.
Murice conſpicuos, quos propè ſtare vides.
Scilicet indomitas Regni, qui flexit habenas,
Regibus hic tantùm dogmata firma dabit.
Diſcite Regnantes ſummi Documenta Magiſtri,
Pergite quà moſtrant Regibus Aſtra viam.

COMMENTARIVS.

1 QVAMVIS adeò difficilè & laborioſum Regũ munus eſſe in ſuperioribus diximus, non ideo tamen, quos Deus ad illud evexerit, animo cadere debent, ſed quo maximè poſsint conari, ſe illo dignos efficere, quia ut benè monuit Salluſtius: *Vigilando, agendo, benè conſulendo omnia eveniunt.* Et, quod præcipuum eſt, cor, actioneſque ſuas Deo reverenter ſubmittere, qui pecularibus ſemper donis, atque auxilijs hæc Magna culmina illuſtrat, & Principes quos erigit, dirigit; ubi ipſi ex ſe ſe obicem aliquem non opponunt. Verum enim eſt, quod vulgo iactatur. Salluſt. in Catil. in princip.

Numen adeſt iuſtis, & fortia facta ſecundat.

2 Et cum Principibus & Magiſtratibus loquens Sapiens, hoc ipſum

ad-

Sapient.cap.1.

admonuit, dum inquit: *Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent illum. Perverſæ enim cogitationes ſeparãt à Deo: probata autem virtus corrigit inſipientes: quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperveniente iniquitate, &c.*

Pſalm.2.12. — Pſalm.102.7.

Adeoque pronus & liberalis in hac diſciplina, cœleſtibuſque auxilijs Regibus communicandis, eſt Deus, ut David, (qui & ipſe Rex, & quidem præſtantiſsimus fuit) eoſdẽ hortetur, ne rebelles ſint lumini, ultro in illorũ oculos, & animos incurrenti: *Apprehendite* (inquiens) *diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta.* Quaſi tota Regis, & Regni ſalus in eo conſiſtat, ut Rex à Deo inſtillatas accipiat ſalutares gubernandi rationes, quæ deinde à Rege in populum deriventur, iuxta illud eiuſdem Davidis: *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſrael voluntates ſuas.* 3

Proverb.21.1. Epiſt inter claras, C. de ſum. Trinit. — Salazar. in Prov. d. cap. 1. Pineda de reb Salom. cap. 6. num. 6. pag 99.

Vnde & in Proverbijs habetur: *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud*; Quo, ut graves Authores exponunt, perinde eſt, ac ſi diceret, Docili, & Obedienti Regum cordi, Deum ſemper adſiſtere, & quocumque expediens fuerit, illud inclinare, Sapientiaque divina affluẽter implere, quæ in bonum populi, ſicut diviſiones aquarum redũdare debeat, & veluti fons quidam dulcis aquæ pleniſsimus, ſuorum ſubditorum animas irrigare, & ex illis herbeſcentem rerum omnium pulcherrimarum atque optimarum viriditatem elicere. 4

Reg.3.1.9 Sapiẽt. 8. & 9. — Reg.3 13. Pined. in Salom. lib. 3. c. 8. 9. & ſeq.

Quo in ſe Salomon cumulatiſsimè expertus fuit; nam quia hoc cor docile à Deo ſummis precibus poſtulavit, & eius de cœlo aſsiſtricem Sapientiam, in enixis illis, & repetitis ex totis præcordijs orationibus, quæ in Regum, & Sapientiæ libris reperiuntur, ita gratus Domino extitit, ut puer adhuc, infuſam Sapientiam & intelligentiam, & Sancti Spiritus communicationem habere meruerit, qua dum in divina gratia perſeveravit, omnes qui uſquam fuerunt, futurique ſunt mũdi Reges excelluit, ut in eiſdem libris habetur, & latè Ioannes Pineda proſequitur. 5

Matth.2. — [illegible] — Paradin.pag.20. Strada in Symbol. pag.37. Petr.Sãcta pag.395. — Mirçus de Ordin. Equeſtrib.pag.129

Et ad divinam hanc Regum directionem reſpiciens, ſumtaque ſimul occaſione ex nova illa & fulgida ſtella, quę tres illos Magos Sapienteſque Reges ad adorandum Chriſtum Dominum recens natum, in Bethlehemiticum præſæpè deduxit, Ioannes Rex Galliæ, huius nominis Primus, ut Claudius Paradinus, Octavius Strada, & Sylveſter Petra-Sancta recenſent, pro Symbolo eandem Stellam deſumiſit, fulgentes radios in ſupra ſtantem Regiam Coronam vibrantem ſeu dirigentem, circumpoſito lemmate, *Moſtrant Regibus Aſtraviam*, Sydereorumque Equitum novum Ordinẽ inſtituit, idem ipſum ſymbolum pro inſigni in galero geſtantium, de quo etiam mentionem fecit Aubertus Miræus. 6

Et ad hanc Stellam alludit illa alia, quam Regibus benè ſe geren- 7

tibus

tibus Divus Ioannes Dominum promittere inquit, in illis verbis: *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & dabo illi ſtellam matutinam*. Necnon & illa Iulio Cæſari à Virgilio dicata, ob Cometem, qui ſe poſt eius mortem oſtendit: D.Ioã.Apoc.2.28. Virgil.Eclog.9. v.47.

Ecce Dionei proceſsit Cæſaris Aſtrum:
Aſtrum quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

Noſque in idem ſymbolum ſic alibi luſimus:

Æthere quàm nitidum ſydus præfulget amœnum,
Ignita certum cuſpide ſemper adeſt:
Quære Polum Princeps, dumque hæres Aſtra repoſce,
Ipſa nec aufugiunt, en tibi ſydus, age.

Nec abeſt aliud Maximiliani Primi, Romanorum Imperatoris, ab eodem Strada relatum, qui cor, in medio laureati circuli pinxit, cum hac inſcriptione: *In manu Dei Regis eſt*, ad locum Proverbiorum, cuius modo meminimus alludens, & qualiter illud dirigat, & quocunque voluerit inclinet. Strad.pag.18.

8 Nunc autem, his relictis, ne rem ab alijs actam, agere videamur, in eundem quidem ſcopum, ſed diverſo Emblemate intendentes, hoc, quod vides, confingimus, ex Homeri diſciplina deſumtum, quem patrem totius eruditionis Imperator Iuſtinianus appellat, qui graviſsimè (ut omnia) Reges, & eos qui latè dominantur, Dei immortalis diſcipulos, & velut ex eius ludo ad rerum adminiſtrationem prodeũtes, facit, ut omnes intelligant, Principes, non tantùm vocatu Dei, ad rerum publicarum gubernacula accedere: ſed maximè omnium hominum ad curam, & providentiam maximi illius Numinis pertinere. Homer. in Iliad. Iuſtin. in Procem. Digeſt. §.fin.

9 Neque ignoro Petrum Coſtalium eadem Icone in ſuis Pegmatis uſum, ſed in alium tamen finem, nempè quòd Deus propriùs iudicaverit, quos ad ampliſsimæ dignitatis gradum evexit, ijs conſtantiæ, magnanimitatis, cæterarumque virtutum ſeminaria largiter conferre, ut ex ſubiectis eiuſdem hiſce verſibus conſtat: Coſtal.in Peg.pag. 65.

Neſcis in mentem magno quid venit Homero,
Diſcipulos Reges, dum putat eſſe Iovis.
An quòd eos nulli voluit virtute ſecundos,
Queis ſunt à ſummo credita Regna Deo.

10 Nos verò, licèt hoc certum quoque eſſe agnoſcamus, & cum dicto Cyri apud Plutarchum convenire, qui neminem imperare debere dicebat, qui ſubditis ſuis melior, & virtute præſtantior non eſſet, Homeri tamen ſenſum commodius ad divinam Regum inſtructionem, & directionem, de qua agimus, referendum eſſe cenſemus, cùm Dione, & Themiſtio, qui idem ſenſerunt; & hac de cauſa illos Iovis alumnos, congerrones, & confabulones appellant. Quòd Achilles quoque Bochius per Aquilam bicipitem Imperatori aſſiſtentem, & veluti Plutar. in Cyro. Dion Pruſ. orat. 1. & 54. Themiſt. orat. 11. Achil. Boch. Symbol. 21. pag. 46.

eiuſdem Iovis alitem, ei altero capite divinam, altero humanam mẽtem ſuggerentem, ſignificavit, ſub titulo, *Sapientia immortalis*; & de D. Carolo Noſtro V. loquens, quod efficit, ut eius carmina gratius referre, audireque debeamus, quæ ita habent:

Imperio Auguſtus, pietate Auguſtior alma es,
Maior enim in te omni eſt Imperio Pietas.
Quin etiam Imperio Auguſtum, & te Carole vincis,
Qui Regis arbitrio fataque, teque tuo.
Quid ſibi vult inſigne biceps Iovis armiger ales?
An quia dat duplex Iuppiter Imperium?
Inde animi humana, hinc mentis divina poteſtas,
Qua tibi quæ fuerint, ſintque futura, patent.
Iuſtitia hinc, animi & robur, prudentia, viſque,
Quæ docet humano quid ſat in officio eſt.
Talibus auſpicijs duceris ad alta beatus
Sydera, fructurus nectare, & ambroſia.

Plut. in lib. ad Princip. in erud.

Et cum propoſito à Nobis themate, aut lemmate mirè conſonat illa alia eiuſdem Homeri apud Plutarchum animadverſio, dum Minoem Cretenſium Regem, Iudicemque & Legislatorem valdè ſeverum, Iovis Oariſtam, id eſt diſcipulum facit: *Non enim* (inquit Plutarchus) *privatos homines, otioſoſvè, Deorum voluerunt eſſe diſcipulos, ſed Reges, qui ſapientiam, & virtutes animi conſequuti, ea eſſent ad utilitatem omnium converſuri.* Idemque graviter expoſuit Caſsiodorum, dũ ſub Theodorici nomine, Magnatem quemdam ad eius aulam ac præſentiam evocans, ſic concludit: *Deſiderat enim aula noſtra præſentiam bonorum: dum neſcio quo pacto, quicquid Regali ſapientiæ gratum eſſe cognoſcitur, & divino iudicio comprobatur; quia ille, qui corda noſtra regit, ipſe etiam quid debeamus ſentire concedit.* 11

Caſsiod. lib. 7. form. 34.

Idem Caſsiod. lib. 8. epiſt. 9.

Quod, idem ipſe Auctor, alibi adeò certum eſſe oſtendit, ut etiam Regibus, adhuc pueris, huiuſmodi præcocis Sapientiæ, & intelligentiæ Divina auſpicia cœlitus inſtillentur, ſic enim inquit, cum Tolonico viro Patricio loquens, quem Athalaricus Rex in ſuum Conſilium promoverat, & vocaverat: *Licèt ad Regendos populos idoneos efficiant, quos ad Auguſtum culmen divina provexerint, quando nec ætas impedit, ubi ſe ſe potentia cæleſtis infudit, &c.* quo loci videtur illud Ovidij ſequutus: 12

Ovid. lib. 1. de Arte amand.

Cæſaribus virtus contigit ante diem.
Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgit, &c.

Euſeb. in Theop. par. 2. lib. 1. cap. 1. pag. 325.
Iſaiæ 45.

Quinimo, quod plus eſt, malis etiam & improbis Regibus cœleſtia hæc auxilia ſolet Deus interdum communicare, vel ob id tantùm, quòd Regium occupet Solium, ut benè Euſebius Noriembergius animadvertit, in id Iſaiæ locum expendens, quo de Cyro loquens, alio- 13

qui

qui auri & cruoris avido, Chriſtum Domini eum appellat,& dextram eius apprehendiſſe inquit. Quod perinde eſt ac ſi diceret, amicè & fideliter eidem affuiſſe,& cœleſtibus afflatibus beaſſe. Eaque propter debere Reges in ſuo munere gerendo circumſpectiores eſſe, benè monet Euphrades orator, ab eodem Euſebio relatus, quia cum eorũ cor & animus in manu Dei, ut diximus, cuſtodiatur, providendum eſt eis, quantum immineat periculi, ſi ad agendum aliquid, quod alienum ſit à Deo ferantur, cuſtodienteque ſe ſe Dei manu, tandem excidant, & occaſionem præſtent, ut ipſorum vel in agendo, vel in loquendo errores atque peccata, in incorruptam illius manum inſcribantur. Euphrad. orat. 3. Euſeb. ſup. pag. 327. & ſeq.

14 Idemque efficit, ipſo eodem Euſebio monente, ut quilibet hominum Rector ac caput, rem Sacroſanctam putare ſe debeat, nec magis adorari colique permittere, quàm ſe coli, ſe ſuſpicere, venerandum ſibi. Tantumque credat excellere hominibus, quantum homines brutis. Artificem intelligat ſe communis boni, arbitrum fœlicitatis gentium, collegam fortunæ, ſpirantem divinitatis ſtatuam, ſpiritum vitalem Reipublicæ, expreſsiſsimum & aureum ſimulacrum Numinis, Prodeum & Vicarium Divinæ Providentiæ, excubias generis humani, Angelum ſingulorum, iam multis Angelis ſuo excellentem munere.

15 Philippus etiam Cominæus, ſatis prudens Scriptor, agnoſcit quidem nullum eſſe Principem tam prudentem, qui non aliquando, imò ſæpè numero, erret, & labatur, ſi longior ei vita contingat, ſtatim tamen addit, in remedium humanæ huius fragilitatis: *Deum in primis interpellandum atque rogandum, ut quod optimum eſt Nobis ſuggerat. Nam ab eo cuncta dependent, ut & Scripturæ teſtimonijs, & ipſo rerum uſu doceri poteſt.* Cominæus lib. 8. pag. mihi 563.

16 Quibus adiicere poſſumus, non ſolùm Conſiliorum, rerumque agendarum directionem Divina largitate Regibus impertiri ſolere, verùm ipſorum quoque vitam ſalutem ac protectionem ab eodem Deo ſummè curari, illoſque veluti peculiari ſua tutela clientelaque donare, ut ipſe idem Homerus alijs carminibus apertè docuit, dum inquit: Homeri Iliad. 1.

Quin & Mulcibero fabros ſacrare ſolemus,
Milite Mars gaudet, celeri tunicata Diana
Venatore; Lyra Phœbus, doctiſque Poetis
Ex Ioue ſunt Reges, quo nihil diuinius uſquam.

17 Et fabuloſis his delirijs relictis, Deus ipſe in perſona Abrahami idẽ teſtatur, dicens: *Noli timere Abrahã, Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis:* Et Regius Pſaltes, dum de ſe ipſo loquens, hanc Protectionem varijs in locis agnoſcit, quibus plura alia addit Martinus Magerus, & miraculoſa ſimul eiuſdem exempla adducens Philippus Camer. Inter quæ notandũ eſt illud Maximi noſtri Cæſaris ac Regis Caroli V. quem Italus quidã, Romæ, ex ſummitate Panthei præcipitẽ agere cogitavit, quod tamẽ, deterritus maieſtate, & auctoritate Cæſarea, vel verius Deo ipſum Imperatorem cuſtodiente, facere deſtitit. Geneſ. 15. 1. David Pſ. 26. 2. 32. 20. 58. 6. 70. 7. Mager. de iure protect. cap. 3. ex n. 6. Camer. 1. ſubciſ. cap. 30.

Qui

Lipſ. in exemplis Polit. c. 7. Strada lib. 1. de bell. Belg.

18 Qui & idem, eadem protectione confiſſus, ſæpè aliàs, tum maximè in bello Germanico ad Ingolſtadium (ut præter alios Iuſtus Lipſius, & Famianus Strada recenſent) denſiſsima glandium nube è perduellium caſtris ipſum circumvolitante, nec locum, nec ſtatum, nec vultum mutavit. Quin potius monentibus illum amicis, ut ſibi, atque omnibus in ſe parceret, dixit: *Conſiderent, neminem Imperatorem tormenti ictu periiſſe.*

Panorm. dedict. & fact. Reg. Alfonſ. lib. 1.

19 Nec diſsimilis fiducia in Alphonſo I. Aragonum Rege, reperta fuit, Antonio Panormitano teſtante, dum impavidè librum Titi Livij, ſibi ab hoſte miſſum, accepit, aperuit, evoluit, & attentè perlegit, Medicis licèt, & alijs Aulicis, propter ſuſpicionem latentis veneni, ne id faceret, inſtanter monentibus, illiſque his verbis, quæ mirum in modum ad noſtrum inſtitutum reſpiciunt, reſpondens: *Regum quidem animas non privatorum libidini ſubiectas eſſe: ſed ſub Dei tutela & cura Sacras lætaſque agere.*

Eraſm. in Apoph. lib. 8.

20 Quæ ſanè verba ſimilia illis Veſpaſiani Imperatoris videntur, qui imperterritus, gladios obtulit duobus clariſsimi Ordinis viris, quorũ ſe inſidijs appeti certo certius cognoverat, & inter illos medius conſedit, tanquam provocans ad id quòd moliebantur. Illis autem perculſis, & animi præſentiam admirantibus: *Videtis ne* (inquit, ut Eraſmus tradit) *Principatum fato dari, fruſtraque tentari facinus, potiundi ſpe, vel amittendi metu.*

Sucton. in Domit. cap.

Cauſin. in Polyſt. Symb. lib. 2. c. 47. pag. 97.

Ecphãtes in lib. de Regn.

21 Neque aliud ſenſiſſe videtur Domitianus (alioqui peſsimus Imperator) dum Suetonio teſtante, Iovi cuſtodi templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit, quòd ipſum in ſeditione Vittelliana a furore hoſtium conſervaſſet. Quod templum ſumi poſſe pro ſymbolo ad ſignificandum, *Auxilium divinum,* tradit Nicolaus Cauſinus, ſubiiciens, omnes quotquot ſunt mortales, ſed maximè Reges, in ſinu Dei Parentis iacere, cuius providentia ſervantur, & locum præclarum Ecphantis ad idem probandum adducens, cuius verba ſic habent: *In terra optimam ſanè ingenium præ cæteris animantibus homini datum eſt. Divinior autem inter homines Rex eſt, ut qui multum ſupra communem naturam emineat. Corpore reliquis non diſsimilis, utpotè natus ex eadem materia; ſed ab optimo Artifice factus, qui fabricavit ipſum, archetypo ex ſe ſumto. Idcircò peculiari cura Reges, quaſi Patres populi protegit.*

Daniel. cap. 10. ubi omnes Patres D. Thom. 1. p. q. 113. art. 8 latè Becan. tom. 5. p. 1. tract. 3. de Angelis.

Beſſold. in diſſert. de Ang. Imp. Maiol. colloq. de Angel. Mager. d. c. 3. n. 16. Camerar. 3. ſubciſ. cap. 13.

22 Imò & eiſdem, ob hanc cauſam, duplicem Angelum cuſtodem aſſignari, vel, ut alij volunt, tot, quot ſunt Regna, vel Provinciæ ſibi cõmiſſæ, Divus Thomas, poſt alios plures ex ſanctis Patribus docet. In quibus recenſendis immorarer, niſi iam hoc Chriſtophorus Beſſoldus, Simon Maioius, Martinus Magerus, Camerarius, & Alij, diligenter præſtitiſſent, qui, ubi opus fuerit, conſuli poterunt.

Edu-

Educationis vis.

EMBLEMA XXV.



Regis Spartani videas canes,
Stirpe pari, munere diſpari.
Hic doctus nemoris fuit;
Alter ferre faſces conſcius exijt.
Tantum prima crepuſcula
Vitæ haurire valent: Figite Principes
Rectam Infantibus indolem,
Diſciplina eſt animorum melior parens.

COMMENTARIVS.

1 QVAMVIS Principes iuſtè Regnantes, multum ſibi de Divinis auſpicijs & auxilijs promittere poſsint, & debeant, ut in præcedenti Emblemate vidimus; non ideò tamen parentes, vel præceptores, quibus ipſorum cura in teneris annis incumbit, ab omni ſtudio & diligentia deſiſtere debent, quo, quavè eorundem mores animumque, iam etiam ab illa ætate, & primis, quod aiunt, incunabulis, Sceptro, ac Solio, quod eos manet, dignos atque idoneos efficiant, & Regijs monitis, ſalutaribuſque præceptis ac documentis informent.

2 Etenim cum in omnibus quidem hominibus, tenella, & nova pue-

Plut. de educ. lib. Xenoph. in Cyripæd. lib. 1. cap. 3. & ſeqq. Ioã. Caſus in Theſ. œcon. lib. lib 2. c. 2. Cardin. Sadolet. in lib. de educ. Ego, qui plurimis alios cito 2. tom. lib. 1. c. 26. ex n. 63. & noviſsim⁹ Schomborn. lib. 1. Polit. c. 8. de educatione.

rorum ingenia, hanc ſeveræ diſciplinæ, & educationis curam legemq; deſiderent, ut latiſsimè Plutarchus, & alij, qui de hoc peculiares tractatus ſcripſerunt, ediſſerunt, ne aliter ætas iſta, ceræ haud multũ abſimilis, ardore voluptatis facilimè liqueſcat, citiſsimiſque paſsibus in malorum morum perniciem ac ruinam prolabatur.

In Principibus quidem, quò maior & excellentior eorum dignitas 3
eſt, quo que nocentior eſſe poterit, ſi in malum degenerent, eò plus cautionis adhibere oportebit, ut paſsim iura nos admonent, & uno pariter ore Auctores omnes, qui de inſtitutione Principum agunt. Inter quos Ioannes Caſus rectiſsimè inquit, quòd ſi educatio in Principe negligatur, *Infinita malorum monſtra naſcuntur in civitate; licentia morum, iactura rerum, familiarum ruina, ſentina vitiorum omnium, denique malorum quaſi gehenna.*

Cap. ubi periculũ, de elect. lib. 6. l. 1. §. ſed etſi, D. de car bon. ed. cum alijs.

Ioã. Caſus ubi ſup.

Eraſm. in lib. de inſtit. Princ. ap. Canõher. in Aphoriſ. 1. tom. pag. 445.

Et Eraſmus, eadem mala, quæ à neglecta bona eorundẽ educatione 4
procedũt latius exaggerãs, ita habet: *Quid enim boni efficere poteſt ille Princeps, qui ab ipſis ſtatim incunabulis, ſtultiſsimis inficitur opinionibus, enutritur inter ſtultas mulierculas, adoleſcit inter laſcivas puellas, inter colluſores perditos, inter abiectiſsimos aſſentatores, & inter ſcurras, & mimos, inter combibones, & aleatores ac voluptatum architectos, iuxta ſtultos ac nequam, inter quos nihil audit, nihil diſcit, nihil imbibit niſi voluptates, delicias, faſtum, arrogantiam, avaritiam, iracundiam, tyrannidem; atque in hac ſchola mox adhibetur ad Regni gubernacula.*

Oſſor. de Reg. inſt. lib. 2. & 3. per tot.

Hieronymus etiam Oſſorius multus & elegantiſsimus eſt in ea- 5
dem bona educatione Regiorum Filiorum deſideranda, & in ſequioris malis, & ærumnis enumerandis, quæ eos, inquit, molles, languidos, alienæ virtutis invidos, ſtultos, crudeles, arrogantes, avaros, laboris impatientes, & ad omnem luxum ac libidinem proclives reddit. Et poſt alia concludit, quòd cum duæ virtutes, nimirum animi magnitudo, & pudoris ac modeſtiæ concinnitas, omnibus ingenuis hominibus ſint neceſſariæ: *Neceſſe maximè erit, ut ſic educentur Regum filij, ut fortiſsimi ſimul, atque modeſtiſsimi diſciplina fiant: aliter enim omnia corruent, atque funditus interibunt.*

Et ad hanc vim & poteſtatem bonæ vel malæ à teneris animis in- 6
ſtitutionis, & educationis ſignificandam, & Regum mentibus inſinuandam, præſens hoc noſtrum Emblema dirigitur, ex vulgata quidem, ſed ſemper magni facienda, Lycurgi Spartanorum Regis, ſive Legiſlatoris hiſtoria deſumtum, quam Plutarchus, Valerius Maximus, Suidas, Cœlius Rhodiginus, Eraſmus, & alij ſuis ſcriptis referunt, & extollunt. Hic enim, cum inter alia documenta, quibus conatus fuit ſuos Lacedæmonios à moribus præſentibus ad temperatiorem vivendi rationem traducere, eoſque virtutis & honeſti ſtudioſos reddere; eximiam hanc curam rectæ filiorum æducationis, ut valdè neceſſariam, pluribus commendaſſet, ad eos magis in hoc ſuadendos, & accendendos, duos educavit catulos, eodem patre matreque progenitos, quorum alterum paſſus eſt domi lautioribus veſci cibis, & ut addit Rhodiginus ore lucernas ferre, alterum eductum venatibus exercuit. Dein civibus ſuis ad hoc convocatis, am-

Plut. in Lycurg. & in Apoph. lacon. Valer. Max. lib. 2. cap. 6. Suid. verb. *Lycurg.* Rhodig. lib. 20. cap. 2. Eraſmus lib. 1. Apoph. & in Adag. *Annus producit non ager*, pag. mihi 219. ubi quod educatio naturam vincit.

bos

bos apud multitudinem in forum produxit, poſitiſque illic ſpinis piſcium, & alijs gulæ irritamentis, mox emiſit leporem, quo fugiente, cũ uterque ex canibus ad aſſueta ferretur, lucernarius quidẽ ad eſcas acceſsit; at venaticus alter, & qui generoſos ſpiritus alunt, laboribus innutritus, leporem invaſit, & cepit. Quo facto Lycurgus ad ſuos converſus: An non videtis, inquit, duos catulos cum eiuſdẽ ſint generis, tamen ob diverſam educationem admodũ diſsimiles inter ſe evaſiſſe, pluſque ad honeſtatem momenti habere exercitationem, quàm naturam. Proinde ne nobis quidẽ, ò cives nobilitas, quam miratur vulgus hominum, ductumque ab Hercule genus profuerit, niſi ea geſſerimus, per quæ mortalium omnium ille nobiliſsimus & generoſiſsimus evaſit, ac per omnẽ vitam, quæ honeſta ſunt, & diſcamus, & exerceamus.

7 Ad quam etiam hiſtoriam reſpiciens Battilius Labæus, poſt hæc ſcripta à Me viſus, aliud Emblema ſimile huic noſtro confinxit, & his carminibus enucleavit: Batilius Labæus Emb. 36.

En quàm diverſi, nati tiambo parentibus ijſdem,
Diverſa hìc animi dant documenta canes.
Venandi ad ſtudium teneris formatus ab annis.
Immiſſam inſequitur dum celer ille feram;
Hic alter contrà deſes nutritus in aula,
Proiectos rapido dum petit ore cibos.
Sic genus excolitur ſtudijs, ſic degener exit
In vitium incultæ nobilitatis honos.

8 Quod Lycurgi Apophthegma, ſecutus videtur Horatius, dum monuit: *Adoleſcentium mentes aſperioribus ſtudijs eſſe formandas*, quia Horat. epiſt. 2 li. 3.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervavit odorem
Teſta diu.

Et magis ad rem alibi inquiens: IdemHorat. quem etiam vide lib. 3. od. 2. ubi latè Chabotius.

------------- *Venaticus ex quo*
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in ſylvis catulus.

9 Et quemadmodum tractanda eſt cera cum moliſsima eſt, & virga, ſi curva ſit, dum virga eſt, in eam formam flectenda, quam ei perpetuã eſſe velimus, alioqui frangas citius, quàm corrigas, cum iam in pravum induruerit. Quo reſpicit illud Ovidij, ex quo in rem noſtram Schoonhovius aliud Emblema deduxit: Ovid. in lib. de remed. amand. Scohonh. Embl. 46. pag. 139.

Quæ præbet latas arbor ſpaciantibus umbras
Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli,
Nunc ſtat in immenſum viribus acta ſuis.

Ad quod citare potuit Caſsiodorum, eleganter idem ipſum his verbis prætereuntem: *Leve fit opus, quod in teneris arboribus adhibetur. Nã quæ nunc virgulta ſunt, erunt, ſi negligantur, & robora. Iſta enim quæ* Caſsiod. lib. 5. epiſt. 38.

inudo facili avulſione dirimuntur, poſteà vix ſecuribus icta ſuccumbunt.
Ita præcipuus labor iam inde à teneris, liberorum correctioni, & 10
rectè educationi impendendus eſt, hæc enim bona, bonos efficit; ma-
la, malos. & ſi ſerò adhibeatur, vitijs iam in naturam, & morem con-
verſis, nihilum proficiemus, & ut ait Horatius:

Horat. lib. 2. ſaty. 2

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

Cum ex adverſo nihil ſit, quod non rudibus adhuc & vacuis animis 11
imprimi poſsit, ut egregiè noſter D. Didacus Saavedra, poſt alios a-
nimadvertit, pictoria tabella raſa, ſeu alba, ut dicũt parma, propoſita,
cũ lemmate, *Ad omnia*, ſic oſtendens, inſtitutione nõ deficiente, pueros
omniũ eſſe capaces; verèque dicere potuiſſe Platonẽ: *Ex hoc poſſe cog-
noſci animas immortales eſſe, atque divinas, quòd in pueris mobilia ſunt in-
genia, & ad percipiendũ facilia.* Et Senecam: *Omnibus natura fundamẽ-
ta dedit, ſemenque virtutum, omnes ad iſta omnia nati ſumus, cum irrita-
tor acceſsit, tunc illa animi bona, velut ſopita excitantur.*

Saaved. in Id. Polit. pag. 8. Emp. 2.
Plat. de anim.
Senec. epiſt. 10.

Quibus magis adhuc congruit illud Antiſthenis apud Laertiũ, qui 12
cum filium cuiuſdã ſuſcepiſſet erudiendum, rogatus à parente, quibus
rebus opus eſſet, libro, inquit, novo, novo ſtylo, nova tabella. Sic in-
nuens, rudibus & vacuis adhuc ingenijs, ut ceræ vacuæ, & molli, & nec-
dum exaratæ, quidlibet facilè imprimi poſſe.

Laert. lib. de vit. Philoſoph. in Antiſthen.

Teſtatur hoc Seneca, ſic aptiſsimè inquiens: *Educatio maximã dili-* 13
*gentiã, plurimumque profuturam deſiderat: facilè eſt teneros adhuc annos
componere, difficulter reſcinduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt. Nihil
magis facit iracundos, quàm educatio mollis & blãda, ideò unicis, quò plus
indulgetur, pupilliſque quò plus licet, eò corruptior eſt animus. Nõ reſiſtet
offenſis, cui nihil unquam negatum eſt, cui lacbrymas ſollicita ſemper mater
abſterſit.* Et iterum alibi: *Altius præcepta deſcendunt, quæ teneris impri-
muntur ætatibus. Si præcepta nihil adiuvarent, omnis inſtitutio tollenda
eſt, ipſa natura contenti eſſe debemus. Erras ſi exiſtimas nobiſcum vitia
naſci, supervenerunt, ingeſta ſunt.*

Senec. lib. 2. de ira, cap.
Idẽ Senec. de Cõſol. ad Helv. c. 16. & in epiſt. 94.

Teſtatur & Ariſtoteles, ſeriò monens, educatos rectè à parentibus, 14
per ſanctos & iuſtos mores, bonos meritò evaſuros, & Plutarchus, qui
non contẽtus plura circa hoc in libro de educatione liberorũ dixiſſe,
agens alibi de Themiſtocle, inquit: *Themiſtocles, quoniam adoleſcens fe-
roci mutabilique ingenio videbatur, mirantibus mutatos mores, dicere ſo-
lebat, aſperos, & indomitos pullos, in bonos equos evadere, ſi quis illis ad-
hibeat diſciplinam, rectamque inſtitutionem.*

Ariſt. lib. 2. œconom.
Plut. in vita Them.

Quibus conſentiens Apuleius (ut interim plures alios omittã) aſſe- 15
rit, hominem, nec perfectè bonum, nec malum naſci, ſed utriuſque ſe-
mina ei à natura indita, quæ inſtitutione in hanc vel illam partẽ emi-
cant. Et Eraſmus huc refert Adagium, *Annus producit, non ager*, quaſi
recta à teneris inſtitutio, ipſi naturæ, & geniture præponderet, & illud
Hecubæ apud Euripidem expendit, & explicat:

Apulei. in Apol. 1.
Eraſm. in Adag. pag. 219.
Eurip. in Hecub.

Rectè educari, ſcilicet non nullam habet
Rationem honeſti.

Et melius in ſimilibus, educationem, agrorum culturæ comparat, 16

quæ ſi abſit, omnia in eis ſata necantur, & purgamenta pro frugibus pariunt, & alias etiã præclaras ſimul ſimilitudines adiecit, quæ dignæ mihi viſæ ſunt, ut hic ad litteram inſerantur, ſic enim inquit: *Vt nõ ſatis ſoli bonitas, niſi accedat & cultus idoneus & ſemina: ita non ſufficit ingenij fœlicitas, niſi accedat Doctor, & inſtitutor egregius, & præcepta idonea. Vt terra quo melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita recta ingenia, niſi rectè excolantur, quo ſunt fœliciora, hoc pluribus vitijs obducuntur. Eſt terra quædam aſperior duriorque, quæ tamen culta protinus ferax reddatur: ſic ingenia duriora natura, inſtitutione manſueſcunt. Nulla ferè eſt arbor, quæ non ſterileſcat, ac tortuoſa ſit, ſi cultura deſit. Ita nullum tam fœlix ingenium, quod non degeneret citra rectam educationem. Nullus equus rectè ſeſſori paret, niſi arte domitus. Ita nullũ ingenium non ferox, niſi præceptis cicuretur, & educatione. Nulla tam fera bellua, quæ non manſueſcat cura. Ita nullum tam agreſte ingenium, quod inſtitutione non miteſcat. Vt molli materiæ facilè ſigillus imprimitur, ſi dureſcat, non item: ita puerorum ingenia facilè quamvis recipiũt diſciplinam, ſin ætate dureſcant, non item. Vt agricolæ vallos apponunt arbuſculis, quo rectè creſcant: ita qui inſtituit, addit monita, & præcepta ingenijs ſalubria, ne devaricent in vitia.*

17 Sed quorſum in profanis hiſce teſtimonijs adducendis diſtineor, cum nihil ferè ſit in Sacris Litteris, & libris Sanctorum Patrum, quod frequentius admoneamur. Ecce enim in Proverbijs habemus: *Ne ſubtrabas puero caſtigationem, cum percuſſeris eum virga non morietur. Tu virga percuties eam, & animam eius à ſepulchro eripies.* Et iterum: *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* Et in Eccleſiaſtico: *Filij tibi ſunt? Erudi illos, & curva illos à pueritia illorum. Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera eius dum infans eſt; ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Proverb. 23. 13. 14

Proverb. 22. 6.

Eccleſ. 7. 21. & 30. 12. 13.

18 In quæ loca reſpiciens D. Hieronymus: *Non eſt* (inquit) *parvi apud Deum meriti, benè filios educare. Difficulter eraditur, quod nudi animi perbiberunt; lanarum conchilia, quis in priſtinum candorem revocet.* Et D. Cyprianus dum ait: *Quod ſemel imbibimus, difficulter deponimus: nec propoſitum noſtrum facilè mutatur.* Qui & ipſe alibi, quanta ſit vis bonæ inſtitutionis & diſciplinæ, his verbis graviter exprimit: *Diſciplina cuſtos Spei, retinaculum Fidei, dux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentũ bonæ indolis, magiſtra virtutis. Hanc ſectari ſalubre eſt, averſari autem ac negligere, lethale.*

D. Hier. in epiſt. ad Salv. & in epiſt. ad Lætam 15.

D. Cyprian. lib. 2. epiſt. 1.

Idem de diſcip. & hab. virgin.

19 Quem ſequutus D. Bernardus, non minùs appoſitè ait: *O quam compoſitum reddit omnem corporis ſtatum, necnon & mentis habitum, diſciplina? Cervicem ſubmittit, ponit ſupercilium, componit vultũ, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frænat gulam, ſedat iram, format inceſſum.*

D. Bern. epiſt. 113.

20 Et hac propter Diodorus Siculus latiſsimè Charondæ Thuriorum Regis legem recenſet, & laudat, dum iuſsit, liberos civium omnes, in ipſo ludo, & in primis litterarum rudimentis, inſtituendos tradi, conductis ad id mercede, & ære publico præceptoribus. Perſpexerat

Diodor. Sicul. lib. 12. quem ad longũ tranſcribit Camerar. lib. 3. ſubceſs. cap. 47. pag. 168.

namque multis iam pridem exemplis admonitus, pleroſque vel optimo natos ingenio fore, qui rei familiaris anguſtia preſsi, dum privatim mercedem præceptoribus ſolvere non valerent, ob eam, ſingulari, & tam opportuna privarentur inſtitutione.

Xenoph. in Cyrip. lib. 3. cap. 7. & ſeq. — Spinaſ. in Polit. lib. 2. c. 5. fol. 50. Cragius de Rep. Laced. pag. 128. — L. 1. & per tot. C. de emendat. propinq.

Xenophon quoque multus admodum eſt in referendo, & laudando hoc eodem ſtudio apud Perſas & Atheniēſes, Et Albanus Spinaſatus commemorat, apud Lacedæmonios iure receptum fuiſſe, ut ſi præſens, iuniorem peccantem non reprehendiſſet, perinde ac ſi is deliquiſſet, plecteretur, & quiſquis puerorum inſtitutionem neglexiſſet, iurium civitatis expers eſſet. Et inde putat ortum habuiſſe leges Imperatorum Romanorum, quæ ſenioribus propinquis concedunt, auctoritate propria iuniores leviuſculis, & minùs capitalibus vitijs imbutos, coercere. 21

Plato in lib. de Repub. — Plutar. in lib. de educ. liber.

Plato etiam, hæreditatem filijs relinquendum dixit, quæ non grādinem, non vim, non ipſum denique Iovem extimeſcit, id eſt *Bonā inſtitutionem.* Turpe nimirum putans, rerum aliarum, ac præcipuè agrorum, & pecorum cultui invigilare, filijs autem, ut Crates aiebat, quibus hæc omnia relinquenda ſunt, nihil proſpicere. Hos enim Patres perinde agere aiebat Plutarchus, ac ſi quis de calceo ſit ſollicitus, pedē verò nihil curet. Qua in re benè dicebat Iſocrates, liberis, pudorem magis, quam aurum eſſe relinquendum. 22

Cicer. 3. Tuſc.

Et quia fortè hæc cura ſuo tempore exoleverat, meritò queritur Cicero de parentum, in re adeò utili & neceſſaria, negligentia, ſic inquiens: *Nunc autem ſimul atque editi in lucem ac ſuſcepti ſumus, in omni continuò pravitate, & in ſumma omnium perverſitate verſamur, ut penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur.* 23

Ariſteas in lib. de dictis ſapt. interp. — D. Paul. ad Tim. 5. — Camer. 3. ſubc. c. 51. in fin. Agel. lib. 12. c. 1. Hoſpital. lib. 3. carm.

Et apud Ariſtæam, (licèt eius auctoritas à Iulio Scaligero, & alijs in dubium vocetur) legimus; Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi ex Septuaginta Interpretibus interroganti, quæ eſſet maxima negligentia? Illos reſpondiſſe: *Si quis non curat liberos, nec eos educando, quàm diligentiſsimè format.* Quod dictum convenit cum illo Apoſtoli: *Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, infidelis eſt, & infideli deterior.* Et illud referens Camerarius, cum Phavorino apud Agellium, & Michaele Hoſpitalio, contra matres invehitur, quæ filios ſuos ipſæ proprio lacte non alunt, nec apud ſe domi educari patiuntur. 24

D. Nazianz. apud Schoonh. ubi ſup. — Eraſm. in Adag. pag. mihi 221.

Idem etiam ſentit, & reprehendit D. Gregorius Nazianzenus, eos, qui præſtantiſsimam liberorum ſuorum partem, animum dico, ſecuri in cultam relinquunt, non *Parentes* appellans, ſed *luti parentes*; quemadmodum enim, ut eſt in Adagio, *Lutum non fit teſta niſi tundatur*, ſic homo non eſt homo, niſi diſciplinis formetur, & ratio in eo promoveatur. 25

Scoonh. Emb 72. Plin. lib. 8. c. 26. — Ambr. & alij apud Pier. lib. 12. Petr. Sanct. pag. 357.

Ad quod alludens Scoonhovius, urſam lingua lambentem, & expolientem catulos, quos informes parit, ut ait Plinius, depingit, quæ & ipſa ob hanc cauſam à D. Ambroſio, & Pierio Valeriano, & Sylveſtro Petra-Sancta, Patrum, qui lingua filios erudiunt, ſymbolū eſſe ſolet, & ita ait: 26

En quanto ſtudio rudes catellos
Vrſa perpoliat, decentiorem
Donec imprimat ingeratque formam;
Mortales meritò rubere diſcant,
Qui, neglecto Animi nitore pulchri,
In natis modo ſunt luti parentes.

27 Extat quoque integer, & non malè dolatus Ambroſij de Morales diſcurſus, quo Hiſpana noſtra lingua, ſpretam apud Nos hanc rectæ educationis filiorum curam, graviter dolet. Inter alia graviſsimũ ſupplicium expendens, quo Heli Sacerdos, & alioqui in ſe iuſtus, divinæque legis valdè zelator, propter neglectam bonã filiorum educationem, a Deo punitus fuit, & adiciens (quod valdè notandum, ac timẽdum eſt) uſque ad univerſale iudicium has pœnas pravę educationis augeri, propter peccandi ſemina, quæ incuria in hoc noſtra, vel pravo exemplo, in liberis poſteriſque noſtris relinquimus.

Moral. diſc. 13. poſt opera Magiſtri Olivæ.
Reg. lib. 1 cap. 2.

28 Et herclè, ſi hæc in quorumlibet puerorum educatione, & inſtitutione ita ſe habent, ſatis iam (ut ſuprà tetigi) patet, quid de Regum filijs, & deſtinatis ad Imperiũ Principibus, dicere ac ſentire debeamus, qui, ut indomiti equi, poteſtatem ad quam vocantur, in tempeſtatem vertent, niſi a tenera ætate lupatis parere diſcant, & rectæ ſobriæque inſtitutionis habenis coërciti, ex eius carceribus, ad Regnũ, quod eos manet, ſtadiũ decurrendum, exiliant. Hoc enim in vita mortaliũ ferè accidit, ut cum Imperio ipſo licentia maior in dies fiat; & quo plus de Regijs ingenijs fidere licet, eò magis hac cura & cultura ipſorũ rudes adhuc animi egent. Platone namque teſtante: *Magna ingenia niſi rectè inſtituta, tantò deteriora evadunt, quantò in illis maiores igniculi extiterunt. Magna enim ſcelera, non ex vili natura, ſed generoſo ingenio, educatione corrupto, proficiſcuntur.*

Plato lib. 6. de Repub.

29 Et quamvis cum eodem Platone, & Clemente Alexandrino concedamus, Deum, illorum, quos ad Imperium vocat, meliori luto ſolere præcordia fingere, & aurum in eorum generatione admiſcere, ſicuti & argentum in illis, qui auxilium & conſilium ipſis laturi ſint; & in agricolis cæteriſque opificibus ſtannum, ferrum vel æs; ipſum tamen aurum, eadem etiam cultura polituraque eget, alioqui, ut Ennodius ait: *Fulvi nobilitatem metalli, niſi ad unguem manus ducat artificis, maternis penè hebetatur in tenebris; & ſi magiſtra politione non venuſtetur, nihil ei prodeſt ſublimitas, quam vena conceſsit.*

Plato 3. de Repub. pag. 417. Clem. Alex. 5. Stron. c. 2.
Ennod. dict. 3. in Dedicat.
Philo in exp. Decal. ad præc. 6. & 7.

30 Cuius doctrinæ veritatem, & neceſsitatem agnoſcentes Perſarum Reges, nemině, ut Philo Iudæus litteris tradidit; Regni habenas ſuſcipere permittebant, qui prius cum Magis Sapiẽtibus familiariter verſatus non fuiſſet, ipſorumque diſciplinis imbutus. Quinimò, ſi Platoni credimus, cuius verba latè recẽſent, & celebrant Petr. Crinitus, Briſſon. Coningus, & alij, poſt eximiã curã in Regijs pueris recẽs natis ſuſcipiendis, & ad decimum uſque quartũ annum educandis, adhibebãt, ubi iam ad hanc ætatẽ pervenerãt, quatuor Præceptores ex univerſo

Plato in lib. de ign. hom Crinit. lib. 1. c. 2 Briſſ. de Reg. Perſ. lib. 1. pag. 79. Coning. in The. pol 2. p. c. 21. n. 10 Salmutius ad Pancirol. 1. p. pag. 158.

Perſia deligebant, qui cæteris omnibus virtute præſtarent, videlicet, Sapientia, Iuſtitia, Temperantia, atque Fortitudine, ut ab unoquoque eorum ſummo ſtudio ſeparatim in unaquaque ex his virtutibus inſtruerentur. Et ſapientiæ nomine Magiam comprehendebant, quæ à Zoroaſtre, Oromaſi filio, profecta eſt, quæ, ut idem explicat Plato, nihil eſt aliud, quàm Deorum cultus. Qui mos etiam apud Ægyptios invaluit, ut Reges pueros, artes Magicas, tanquam ſtudia ſanctiora edocerent, ut Alexander ab Alexandro commemorat.

Alexād. 2. Genial. cap.25.

Et hinc anſam ſumſit Philippus Macedonum Rex, ſibi congratulandi, Dijſque gratias agendi, nō tam, quòd Alexander ſibi filius natus fuiſſet, quàm quòd eo tempore naſceretur, quo Ariſtolem præceptorem rectæque ſuæ inſtitutionis & educationis auctorem ſortiri, & dignus Macedonico Regno evadere poſſet, eaque de re elegantem ad ipſum Ariſtotelem epiſtolam exaravit, cuius Plutarchus, Agellius, Ælianus, & alij peculiarem mentionem faciunt. 31

Plutar. in vit. Alex. Agel. lib.9. cap.3. Ælian. de var. hiſt. lib.4. cap.19. Fulgoſ. lib.2. c.5.

Nec abſimilis Pelei gloriatio, quòd Achillem filium haberet, qui ſe præcelleret, ut cui Chironem & Phœnicem præceptores magnis præmijs adhibuerat, ad laudem ſuam accedere arbitratus, quicquid ex filij recta inſtitutione virtutis auctum fuiſſet. 32

Plaut. in Pſeudolo.

Et ſanè iuſtiſsimè, nam ut ait Plautus: 33

Probum eſſe patrem oportet, qui gnatum ſuum
Eſſe probiorem; quàm ipſus eſt poſtulat.

Laert. lib.5. de vit. Phil. cap.1.

Et ut apud Laërtium aiebat Ariſtoteles, Parentes, qui liberos ſuos rectè inſtituunt, honorabiliores ſunt ijs, qui tantùm genuerunt, quia ab his contingit vivere, ab illis autem benè vivere.

Plato in Hip., ſive de mendac. Ego de parricid. pag. 131. & 132. ubi plures allego.

Plutarc. in Apoph.

Quod etiam pro præceptoribus, & pædagogis, qui rectè hoc officio funguntur, colendis, honorandis, ac remunerandis Plato, & alij benè conſiderant, quorum dicta Ego alibi laxiori proſequor calamo. In quorum quidem electione quanta cura adhiberi debeat, optimè inſinuavit Agaſicles, cui, ut Plutarchus refert, cum quidam diceret, mirari ſe, quòd cum eſſet avidus diſcendi, non adiungeret ſibi Philophanem Sophiſtam, eo tempore celebrem, & clariſsimum; reſpondit prudenter, eorum ſe velle diſcipulum eſſe, quorum ſimul eſſet filius. Significans, non minùs intereſſe, quos nactus ſis parentes, quàm quos aſciſcas, ut bonis moribus formeris. 34

L.4. tit.7. par.2.

Quod optimè etiam monuit Rex noſter Alfonſus X. de eadem Regum educatione agens, & ita, poſt alia lectu digna, concludens: *Onde por todas eſtas razones deben los Reyes querer bienguardar ſus fijos, è eſcoger tales Ayos, que ſean de buen linage, è bien acoſtumbrados, è ſin mala ſaña, è ſanos, è de buen ſeſſo, è ſobre todo, que ſean leales derechamente, amando el pro del Reino, &c.* 35

Tacit. li.12. Annal.

Quæ omnia cum in Seneca Agripina cognoviſſet, expertaque eſſet, cum inſtitutioni Domitij Neronis filij ſui, iam ad Imperium deſtinati, præfecit, *Vt eius pueritiæ* (verbis Taciti loquor) *tali & magiſtro adoleſceret, & conſilijs eiuſdem ad ſpem dominationis uterentur.* In quo, ita bonæ electioni, & expectationi reſpondit eventus, ut primo 36

ſui

ſui Imperij quinquennio, quo Senecæ monitis paruit, optimum & laudatiſsimum Principem egerit, ut Suetonius, & alij, qui vitas Cæſarum ſcripſerunt, teſtantur. Sueton. & alij in Nerone.

37 Audiendus quoque erit Claudianus, qui ſui Honorij rectam educationem collaudans, & deſcribens, ſic ait: Claud. in 3. Conſ. Honorij.

Reptaſti per ſcuta puer, &c.
Mox ubi firmaſti recto veſtigia greſſu,
Non tibi deſidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec ſomnos genitor permiſit inertes;
Sed nova per duros inſtruxit membra labores.
Et cruda teneras exercuit indole vires:
Frigora ſæva pati, gravibus non cedere nimbis.
Æſtivum tolerare iubar, tranſnare ſonoras
Torrentum furias, adſcenſu vincere montes,
Planiciem curſu, valles, & concava ſaltu;
Necnon in clypeo vigiles perducere noctes.
In galea portare nives, nunc ſpicula cornu
Tendere, nunc glandes Balcari ſpargere funda.

38 Et poſſem quidem plura de contrarijs effectibus bonæ vel pravæ educationis in Regum filijs exempla referre, niſi prolixus eſſe vererer, & Camerarius, & alij, me hoc labore levaſſent, ſed pro omnibus illud ſufficiet, quod de Venceslao & Boleslao, Regis Poloniæ filijs, elegantiſsimè narrat ultra alios Pater Drexelius, & querela, quam de malè inſtitutis Principibus Philippus Cominæus his verbis proponit: *Qui ſunt malè inſtituti Principes, quantum ſit munus, quod acceperunt à Deo non intelligunt, & ipſorum familiares ne malam gratiam ſibi concilient, diſsimulant. Et ut ex omnibus fortè ſit unus, qui fideliter admoneat, is tamen ſuæ ſententiæ nullos habet approbatores, ac ferè ſit, ut ridiculus habeatur.* Camer. 3. ſubciſ. cap. 51. Drexel. in Trimeg. Beyerl. litt. I. pag. 147. Comin. lib. 10. pag. mihi 660.

39 Et benè hoc damnum pravæ educationis agnoſcens Dionyſius Iunior Siciliæ Tyrannus (ut Æmilius Probus recenſet) cum Dionem ſibi in Regno rivalem vereretur, nullam potiorem vindictam, ſecurioremvè ſui Sceptri ſtabilitatem invenit, quàm Dionis filium parvulũ, quem in ſua poteſtate habebat, ſic educare, ut otio, vino, epulis, ſcortiſque indulgendo, turpiſsimis imbueretur cupiditatibus, nullumque tempus ſobrio relinqueretur. Quo effecit, ut quamquam poſteà Dion rerum potitus, filium à priſtino victu deducere ſtuderet, & ad id cuſtodes apponeret, nihil proficeret, quin potius ille, uſque eo commutatum vitæ ſtatum ferre non potuit, ut ſe ſuperiore parte ædium deiecerit, atque ita interierit. Probus in Dionyſ.

(***)

Armis, & Litteris.

EMBLEMA XXVI.



Palladis hæc Icon una eſt eademq́ Minervæ,
Nomina bina duplex munus habere dedit.
Vrbibus impoſita eſt Graÿs tutela tuendis,
Lancea quas firmans, ornat, ut arma, liber:
Res decus è forti accipiet ſic publica magnum,
Litteris ornatur ſed mage pacificis.

COMMENTARIVS.

MANET ergo ex dictis in eo quod præceſsit Emblemate, rectè & ſollicitè educandos, & inſtituendos Principes eſſe. Quo verò intelligi poſsit, quibus in rebus inſtitutio hæc præcipuè verſari debeat, præſens ſubiicimus, ex Palladis imagine ſumtum, quæ eadem & armorum, & pariter ſcientiarum omniũ Dea, ſub Minervæ nomine, ab antiquis Ethnicis colebatur; cuique, hac de cauſa, urbium ſuarum præſidium & tutelam commendabant. Variè quidem illam pingentes & effigiantes, ut latè Lilius Giraldus, & Natalis Comes obſervant, ſed frequentius ita, ut haſtam clypeo innixam una manu teneret, & librum in altera, ſubiectis interdum circa pedes dracone, & noctua, ut ſic oſtenderent, tum demum urbes incolumes eſſe poſſe, cum qui earum tutelæ & gubernationi præpoſiti 1

Girald. de Dijs Gent. Syntagm. 11 Natal. in Mithol. lib.4.cap.5.

ſunt,

ſunt, arma, ubi oportuerit, tractare didicerint, & ex litterarum ſtudijs talem ſcientiam prudentiamque ſuis vigilijs, & lucubrationibus acquiſierint, ut iuſtis, & locis ac temporibus cōſentaneis legibus ac præceptis, Palladis inſtar, ſubiectos ſibi populos regere, & tam domi, quàm foris, tam in ſago, quàm in toga, prudenter tutari moderarique valeant.

2 Etenim, ut cum Horatio (licèt aliud agente) loquar: Horat. in Arte Poetic.

------------- Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Et cum in omnibus illud obtineat, quod Laertius Ariſtipo, & Plutarchus Ageſilao tribuit, ſcilicèt, ut in ijs potiſsimum adoleſcentes inſtituantur, quæ viris uſui, & decori futura ſint, ſatis apparet, eos, qui ad regendos populos erudiuntur; his potiſsimum artibus ac diſciplinis debere inſtrui, quas propoſitus nobis Palladis typus oſtendit, & Iuſtinianus Cæſar expreſsit, dum dixit: *Imperatoriam Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus, & bellorum & pacis rectè poſsit gubernari, & Princeps Romanus, non ſolùm in hoſtilibus prælijs victor exiſtat, ſed & per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam iuris religioſiſſimus, quàm victis hoſtibus triumphator magnificus.* Laertius lib. 2. c. 8 Plutarc. in Apoph. lacon. par. 1. mor. pag. 379.. Inſtinian. Imper. in Procem. Inſtit. vide inf. Embl. 66.

3 Quæ verba ferè ad litteram tranſtulit lex noſtra Partitæ, & quòd in eis Iuſtinianus, quod erat armorum legibus tribuat, & è contrario, non per incuriam factum fuit, ut benè Accurſius ibidem animadvertit, ſed ut oſtenderet, alterum alterius auxilio (ut iam tetigi) ſemper egere, & non minùs Principum robur, in rebus civilibus ac politicis, quam in bellicis & militaribus experiri. Non enim fruſtra priſci omnes Scriptores, ut Balduinus obſervat, univerſam adminiſtrādæ Reip. rationem in duplices artes ſecuere, Pacis videlicet, & Belli, quas in ſuo Auguſto laudavit Horatius, dum dixit: Procem. 3. part. Accurſ. verb. *Armis de Coratij*, ex l. 1. in princ. C. de ſuffin. Bald. d. Procem. Inſtit. num. 10.

Res Italas armis tuteris, moribus ornes
Legibus emendes, &c. Horat. lib. 1. epiſt. 2

Et in ſuo Hilperico Fortunatus Poëta, ſic canens:

Legibus arma Regis, & leges dirigis armis,
Artis diverſæ ſic ſimul itur iter.

4 Vnde vel in noſtra Pallade arma, quæ induit, & haſtam, quam manibus gerit, nihil aliud ſignificare, quàm ingenij vim & promtitudinē, apud Martianum legimus: Martian. quem citat Salmat. ad Pancirol. 1. p. pag. 292

Haſta etiam vibrans, penetrabile monſtrat acumen.

Et (quod magis eſt) apud Ovidium, ipſum Martem, veluti Palladi invidentem, eadem hæc ſtudia coniungere, ſic enim habet: Ovid. 3. Faſtor.

Nunc primum ſtudijs Pacis Deus utilis armis
Advocor, & greſſus in nova caſtra fero.
Nec piget in cœpti, iuvat hac quoque parte morari.
Hoc ſolùm ne ſe poſſe Minerva putet.

Coſtal. in Peg. pag. 132.

5 Et apertius idem docet Petrus Coſtalius, ſub eiuſdem ferè quam nos pingimus figura, ſic in eiſdem terminis inquiens:

Ius ſibi vibrandæ Tritonia vendicat haſtæ,
Et iacit intrepida Norica tela manu:
Illa tamen ſolita eſt ſcriptis palleſcere chartis,
Et pluteum innocuis cedere verberibus.
Huic benè conveniunt veterum monumenta Sophorum,
Quem iuſsit lata ſors ditione frui.

Perſ. Satyr. 1.

Steph. & Calep. in verb. *Pluteus*, interp. Perſij d. ſatyr. 1. & Iuven. ſaty. 2.

Quo loci *Pluteum innocuis verberibus cedere,* ad illud ſatyrici reſpicit: *Nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit vugues.* Plutei quippè appellantur librorum, & tabularum ſignorumque repoſitoria, & tabula præterea ipſa, qua utuntur ij, qui aliquid meditantur, conſcribuntvè, ut benè Robertus Stephanus, Calepinus, & Perſij ac Iuvenalis interpretes docent.

Plat. lib. 5. de Rep. Cicer. epiſt. 1. ad Quint. Frat. Valer. Max. lib. 7. c. 1. Agap. ad Iuſtin. Cæſarē. Polyb. lib. 12. & alij apud noſtrũ Bobad. in Polit. lib. 1. c. 9. n. 28.

6 Quod verò in ultimo Diſticho continetur, ubi philoſophandum eſſe Principibus, ait, ex celebri illo ſatiſque vulgato Platonis ſeu Socratis monito ſumtum videtur, quod Cicero, Valerius Maximus, & alij paſsim valdè commendant, dum docuit: *Tum demum beatum terrarum orbem futurum, cum aut Sapientes regnare, aut Reges ſapere cœpiſſent,* ſive ut alij transferunt: *Cum vel Philoſophi Regnum in civitatibus obtineant, vel ij, qui nunc Reges & Dynaſtæ appellantur, verè & idoneè philoſophentur.*

Syneſ. in orat. de Reg. adm. ad Arcadium, vel, ut alij volũt ad Theodoſ. Iunior.

7 Quod argumentum latiſsimè proſequitur Muſonius in oratione, *Quòd decet Principem philoſophari;* & in eodem hærens Syneſius, rectiſſimè negat, in viribus ſolis fœlicitatem Principis poſitam eſſe; eamque prædicat eſſe abſolutam omnibus numeris eorum vitam, qui prudentiam potentiæ conſociant. Quæ res coniunctæ, robur inexpugnabile conciliant, disiunctæ verò, invalidũ & inutile, quando videlicet, aut robur prudentia ſit deſtitutum, aut prudentia viribus defecta.

8 Addens, hoc Ægyptios ſignificaſſe, dum Mercurij ſimulacrum ſimul conſtituebant, alterum iuventa florentis; alterum maturo ſenio venerandi, volentes innuere; eum qui rectè Rempublicam aut Regnum ſit adminiſtraturus, coniunctam cum ſapientia & prudentia fortitudinem habere debere, quaſi alterum abſque alterius ope inutile ſit.

Iunius Emb. XIII.

9 Ex quo Symbolo Adrianus Iunius quoddam Emblema formavit, cuius lemma eſt, *Prudentia cum robore coniuncta;* & verſus ſic habent:

Viribus Cyllenius integris ſtat,
Iunctus cum ſenio gravi.
Robur invictum eſt, ſapientia ſi
Firmes: qua ſine concidet.

Horat. lib. 3. Od. 4

Qui cum illis Horatianis conveniunt:

Vis conſilij expers mole ruit ſua,
Vim temperatam Dij quoque provehunt

In

In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo moventes.

10 Quod ſanè temperamentum, iuxta Ovidij ſententiam, nulla melius via, quàm ex bonarum artium diſciplina, & inſtitutione paratur, cuius verba ſunt hæc: Ovid. 1. de Ponto, & de Arte amãdi.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Et iterum:

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt
Corpora molleſcunt, aſperitaſque fugit.

11 Et ut benè advertit Nicolaus de Cuſa, quamvis ſine litterarum ſtudio Principes aliqua ſcire poſsint, res tamen difficiles, & grandes, nequaquam; cum ſcientia creſcat per additamenta. Nam iuxta Quintiliani monitum: *Et ſi prudentia quoſdam impetus à natura ſumat, tamen perficienda doctrina eſt.* Nicol. de Cuſa in lib. Idiotæ de Sapientia. Quintil. lib. 12, cap. 12.

12 Et cum ad eos ſpectet leges condere, civium commodis proſpicere, legatos mittere, negotia gerere, fœdera inire, bellum iuſtis de cauſis gerere, quæ ſunt pacis, & belli tractare, diſtinctiones morborum, & publicorum malorum remedia ſcire, & ſexcenta alia, quæ facilius ſenſu concipi, quàm calamo exponi poſſunt, Rudis Princeps, & his diſciplinis, velut acie oculorum orbatus, in mille errorum vias abducetur, ut ait Antonius Viperanus, primum quippè doctrina prudentiã gignit, atque ut experientia ſenes, ſic eruditi homines ſunt ipſa rerum ſcientia providentes. Viperan. in lib. de Rege & Regno, cap. 10.

13 Quod Polyphemi lumine privati exemplo Schoonhovius in Emblemã deduxit, cuius iam ſupra mentionem feci; & Plutarchus etiam idem ipſum explicat, ſimilitudine à Coloſſo malè intus librato deſumta, inquienſque, tales eſſe in eruditos Duces ac Principes, qui quoniam ſapientiæ, & prudentiæ neceſſarium pondus non habent, quantumvis magni & ampli exterius videantur, & gravitate vocis, torvitate vultus, ac morum truculentia, fugaque conſuetudinis humanæ, maieſtatem, & auctoritatem Imperij ſibi videantur imitari, ſæpè numero tamen vacillant, ac ſubvertantur. Etenim cum baſi non rectè poſitæ, ſublimem ſuperſtruunt poteſtatem, ſimul cum ipſo pondere nutant, & ad ruinam inclinãtur. Quod, (ut apparet) ſequens Æneas Sylvius, inter Principem illiteratum, & marmoream ſtatuam nihil intereſſe dicebat. Schoonh. Emb. 71 quem retuli ſuprà Embl. 23. in fine. Plut. in lib. de fort. Princip. Æn. Sylv. epiſt. 4.

14 Agnoviſſe etiam huius præclarè coniunctionis, & eruditionis neceſsitatem, & utilitatem videtur, Eduardus Rex Portugalliæ, qui Tingin & Arcillam cepit, & ut recolit Octavius Strada, pro Symbolo lanceam ſive haſtam erectam ſumſit, cui ſerpens implicitus erat, cum hoc lemmate, *Loco, & Tempore*, ut ſignificaret, Principum animos armis & prudentia dotatos eſſe debere, omnemque Regnandi artem in hæc duo tempora, Belli nimirum ac Pacis, reſpicere, quæ in vita humana momenti plurimum habent, ut præter Iuſtinianum iam ſuprà Strada in Symbol. Reg. pag. 51.

cita-

Balduin. in dict. Procem. Inſtit. n. 10.& 11.p.7.

citatum, Iſocrates, Lucianus, Halicarnaſæus, Polybius, & alij teſtantur, quorum verba adducit, & ex Græco Latina facit, Balduinus, his graviſsimis optimorum Auctorum ſententijs, quæ apud eum videri poterunt, Iuſtiniani dictum illuſtrans.

Strada ſup.pag. 18
Petr. Sanct.p.224.

15 Quibus mirè item convenit Symbolum aliud, quod idem Strada & Petra-Sancta, Friderico III. Romanorum Imperatori adſcribunt, aperti nimirum libri, cui armatum humanum brachium, manu diſtrictum gladium tenens, inſiſtebat, hac Epigraphè addita, *Hic regit ille tuetur*, quaſi oſtendens, his duobus omnem Regni ſtatum conſervari, ut magis exprimunt alij, qui orbis terreſtris globum, gladio transfixum, ſuper ſimilem codicem pingunt, hac inſcriptione adiecta, *His nititur Orbis*, quæ videtur iam inde à Iulio Cæſare originem trahere, qui imaginem ſuam, mundi Sphæræ inſiſtentem, inſculpi fecit, una manu gladium, altera verò librum tenentem, & hoc titulo ſuperaddito, *Ex utroque Cæſar*; tanquam indicans, non minùs armis, quàm litteris, & prudentia, ſibi aditum ad Imperium Romanum acquirendum, feciſſe, & acquiſitum conſervaſſe. Noſque in Friderici Symbolũ collimantes, ſic alibi luſimus:

Enſiferam ſpectate manum, quæ comprimit Orbem,
Attamen in ſolo nititur illa libro.
Enſe valet Sophia, & Sophia protegit enſes,
Hi feriunt, illos iſta ferire docet.

Saaved. Emp. 4. pag. 25.

16 Et nuper in ſimile aliud noſtri D. Didaci Saavedræ incidimus, qui in eandem armorum & legum, ſeu litterarum coniunctionem intendens, tormenti bellici pictura utitur, quod vocamus, *Pieça de artilleria*, amuſi, ſive norma, quam Hiſpanè dicimus, *Eſquadra*, ori eius ad mota, & hoc lemmate, *Non ſolùm Armis*, ut ſignificet, vanam quidem & nocivam interdum eſſe armorum potentiam, niſi & hæc ſcientiæ, & prudentiæ litterarumque cognitione dimetiatur ac temperetur, ſciãtque Principes, qui rerum potiuntur, utrumque coniungere, & Alphõſum Aragonum Regem I. imitari, qui, Panormitano teſtante, dicere ſolebat, *Ex libris ſe arma, & armorum iura didiciſſe.* Et vel à Vegecio diſcant, nullum eſſe cui ſapientia magis conveniat, quàm Principi, cuius doctrina omnibus prodeſſe ſubditis debet.

Panorm. de dict. & fact. Alphonſ. lib.1.

Vegec. de re milit. in præf. ad Valent. Auguſt.

17 Quam ſententiam mirè iuvat Alphonſus Rex Noſter, & pro lege à poſteris ſuis obſervari voluit, dum ſanxit, ita eos inſtitui debere, ut vel a ſe ipſis in rebus arduis optimum conſilium capere valeant, nec conſiliariorum pediſequi ac veluti ſervi eſſe cogantur, & ſtatim ſubdens: *Acucioſo debe el Rei ſer en aprender los ſaberes, ca por ellos entenderà las coſas de Reyes, è ſabra mejor obrar. Ca ſin duda tan gran fecho como eſte de reinar, i governar, non le podria ningun ome cumplir, à menos de buen entendimiento, è de gran ſabiduria, onde el Rei que deſpreciaſſe de aprender los ſaberes, deſpreciaria à Dios de quien vienen todos.*

L.16. tit.5. par.2.

Liban. declam.28 in fine

Themiſt. orat. 16. & in alijs paſsim.

18 Hocque ipſum Libanius agnovit, qui his duabus præclaris artibus potiſsimum civitates conſervari, ſcriptum reliquit, Themiſtius, quatenus mutuam inter Imperium & Philoſophiam benevolentiam eſſe

ait,

ait,& eum qui alijs præeſt, non poteſtate ſolùm regendi ac imperandi,ſed dignitate,prudentia,ſapientiaque ſubditis antecellere convenire. Divus Gregorius Nazianzenus, hoc præclarum monitum inter ſua Tetraſticha inſerens:

Naziãz.inTetraſt.

Eſt fortè cæca tutior prudentia
Namque illa rerum eſt impetu tantùm leris:
Hæc clavus: ac nihil litteris tibi ſit prius,
Quas poſsidentes unicas opes habent.

Quod perinde eſt ac ſi diceret, quòd quemadmodum navis in mari ſapientiæ ac prudentiæ clavo regitur,atque ad portum appellitur, quia ut Titinius dixit:

Sapientia gubernator navim regit,non valentia.

Sic mens prudentiæ clavo animam gubernans ac moderans, ad ſecurum littu seam dirigit: & ſola eruditio eiuſmodi eſt, ut illam illi ſoli à quibus poſsidetur,ſibi vindicare queant; atque hæc viventibus ad extremũ uſque ſociam ſe præbeat,& vita diſcedentes comitatur.

19 Etenim,ſecundùm Platonis ſententiam, doctrina eſt laudis fundamentum,fons veræ fœlicitatis, & ut laúrus perpetuò viret, ita eruditionis fama non marceſcit. Principemque (ut Æneas Sylvius præclarè ſcriptum reliquit)non ſplendor ſuæ fortunæ, non veſtes aureæ, aut ornatus crinium,& equorum propria pompa,ita honeſtabit,quantum ipſarum decor litterarum,& fama virtutum, quarum facies, ſi videri poſſet, pulchrior eſſet, quàm Lucifer, aut Heſperus, ut Ariſtoteles tradit.

Plato lib.6.de Repub.
Æn.Sylv.epiſ.105

20 Sed omiſsis innumeris alijs ſententijs, & Doctorum ſive litteratorum Principum exemplis, quæ in hanc rem à Platone, Plutarcho, Stobæo,Valeriano,Torres,Tiraquelo,& noviſsimo PhilippoCamerario latiſsimè recenſentur, audi precor Eraſmum,qui qualiter litteræ Principes ornent,his verbis ſcripſit: *Inſani ſunt,qui exiſtimant Egregios Principes à nulla re magis abeſſe, quàm à libris, ſtudioque Philoſophiæ: perinde quaſi hæc duo ex diametro inter ſe pugnent, ſapere,& Principem agere; cum ita inter ſe cohæreant, ut ſi alterum alteri adimas,nihil iam relinquas præter inanem Principis titulum. Cenotaphiorum inſtar, quæ nomina tantùm, & ſtemmata foris oſtentant, cum intus vacua ſint.*

Plat.lib.5.de Rep. Plutar.in lib.quod Princ. Philoſoph. ſit,& ubi de princip. in erudito Stobæo Ser.46.Valer. lib.7.c.2. Torr. li. 6.Tiraq. de nobil. c.5. Camer. 1. to. c.2.per tot.è 3.to. ex pag.163.&236.
Eraſm.cẽt.8.ep.4.

21 Audi & Marcum Antonium Nattam, quem,inter plures alios,Canonherius ad idem allegat,non minùs præclarè monentem: *Quod cum veræ,& eruditæ litteræ ad quærendam laudem pectus inflament,à dedecore retrahant:cum inſtruant ſcientia,arment eloquio; quiſque,quò in altiori faſtigio poſitus, plurimorum commoda, & utilitatem ſpeculari neceſſe habet,& tueri,eò magis in illas incumbere debet,&c.*

Natt.de do Princ.lib.1. ap.Canonh. in Aphor.1. tom.pag.449.

22 Audi etiam & ex noſtris ſtrenuum illum, & nobiliſsimum Equitem D. Enecum Lopez de Mendoza, Santillanæ Marchionem, dum inquit: *La ciencia no embota el hierro de la lança, ni haze floxa la eſpada en la mano del Cavallero.* Et Hieronymum Romanum æquè verè docentem: *Que la Sabiduria tiene el primer lugar en la caſa de los Prin-*

March.Sãtillan. in Epiſt.Dedic.ſuorũ Proverb.
Roman.in Prol.ad Reſp.Mundi.

cipes

cipes prudentes; i quando ella no aſsiſte en los Palacios Reales, la prudencia falta, la juſticia ſe eſtraga, las virtudes van en declinacion, los buenos eſtan pueſtos en olvido, i no ai coſa buena. Todo lo que ſe loa en los paſſados tuvo principio del ſaber. I quando huvo poca juſticia, i tirania, robos, crueldades, fue por no tener en ſu compañia la ſabiduria. Quod etiam non malè expreſsit ille Poëta qui dixit:

Lud. Poëta apud Canonh. in Aphor. pag. 302.

Si humana iacet virtus, ut nulla ſalutis
Iudicio ſpes ſit, Coſſe, relicta tuo.
Quæ ſit cauſſa, taces, dicam tibi, cauſſa malorum eſt,
Plena quòd in doctis omnia ſunt dominis.

Sed otioſè quidem in profanis ad hoc ſententijs, & teſtimonijs adducendis immoror, cum ſacræ Litteræ nihil nos frequentius admoneant, quàm ſapientem, & eruditum eſſe debere, qui populis regendis ac iudicandis præficitur, ut ſatis oſtẽdunt loca iam à Nobis ſuprà perpenſa David dũ inquit: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram*; & Sapiens docens: *Si delectamini ſedibus, & Sceptris, ò Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis.* 23

Sup. Embl. 21.

David. Pſal. 2. 10.

Sap. c. 6. Eccl. cap. 10. & 24.

Et quia Salomon hanc eruditionem à Deo infuſam habere meruit, ſimul atque iudicium illud inter mulieres de filio diſceptantes, pronuntiavit, eam ſibi circa populum gloriam auctoritatemque comparavit, ut de eo ſacra Pagina dicat: *Audivit itaque omnis Iſrael iudicium, quod iudicavit Rex, & timuerunt Regem, videntes ſapientiam eſſe in eo, ad faciendum iudicium.* Quem locum pulchrè explicans D. Ambroſius, inquit, ipſum Salomonem ita popoſciſſe ſapientiam, ut daretur ſibi cor prudens audire & iudicare cum iuſtitia. Moyſes quoque, quia à Pharaone in Regni ſucceſſorem deſtinabatur, eadem Scriptura teſtante, eruditus fuit in omni ſapientia Ægyptiorum, quod Philo ita explicat, quaſi fuiſſet inſtructus vel edoctus omnes artes liberales. Quia apud Ægyptios ijdem & Reges, qui & ſapientes fuere, adiecto etiam Sacerdotio, unde illis appellatio *Ter maximi* contigit, ut ultra alios Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus obſervat, longa adiecta nomenclatura eorum, qui apud varias nationes, varijs ſæculis, ſimul & armis, & literis operam dantes, magnum ſibi nomen pararunt. 24

Reg. 3. c. 3. in fin.

D. Ambr. lib. 2. off. cap. 8.

Act. Apoſt. c. 7. 22

Mirand. in comm. ad ſuos Hymnos, fol. 32.

Quæ omnia ſatis oſtendunt, quid ſentire debeamus de illa quæſtione, quam latè ad partes diſputant Melchior Iunius, Reinhardus Koningus, & Beyerlinchius: *Vtrum ſcilicèt opus ſit Principibus litteras diſcere?* Etenim licèt Gothorum, & Bohemorum antiqua conſuetudo obiiciatur, qui graviter vetuiſſe dicuntur Reges ſuos litteras diſcere, quaſi exiſtimantes, illas longo ab fortitudine intervallo abeſſe, ac magnanimitate: quin item effæminari potius animos, remollitoſque ad temeritatem dilabi. Et Licinius Imperator (Aurelio Victore tradente) adeò infeſtus litteris fuerit, ut & virus, & peſtem publicam eaſdem, & præſertim forenſem induſtriam, appellaret. Necnon etiã Philippus Francorum Rex filium ſuum alijs litteris imbui vetuerit, quàm ijs, quæ ad ſubſcribendas Regias epiſtolas, diplomatavè ſufficerent; 25

Iunius 2. p. quæſt. polit. q. 10. Coningus in The. polit. 2. to. cap. 21. pag. 151. Beyerlinc. in Theat. verb. *Magiſtratus*, pag. 164. & ſeq.

Cœl. Ychod. lib. 8 c. 1. Dubrav. hiſt. Bohem. lib. 18.

Aur. dict. in Conſtantino, & Eutropius.

Paul. Æmil. de geſt. Franc. lib. 10.

ut

ut & Ludovicus XI. cum Carolo VIII.filio ſuo ſe habuit,præcipiens, ne ullis alijs Latinis litteris erudiretur,quàm his: *Neſcit regnare, qui neſcit diſsimulare.* Duplici nimirum de cauſa, altera, ne dum litterarium ſectaretur otium, Regni negotia negligeret; altera, ne hiſtoriarum cognitione ad res agendas timidus redderetur,aliorum exempla potius intuens,quàm ſuo genio obſequens.

26 Eiuſmodi tamen Amuſorum hominum voces, aſininæ à Trajano Maximiliano I. & alijs cordatis Principibus dictæ ſunt, maturius, ac rectius exiſtimātibus,illiteratos Reges eſſe quaſi aſinos coronatos, ut poſt Policraticum recēſent Æneas Sylvius, Sanſovinus, Camerarius, & alij. Quibus adridens Alfonſus Rex Aragonum I. ut Antonius Panormitanus teſtatur,cum audiret Regem quendam Hiſpaniæ dixiſſe, non decere viros Principes ſcire litteras, bovis hanc eſſe vocem dixit,non hominis;&malle ſe privatum vivere,quàm eruditione carere. Et Vladiſlaus,Rex Vngariæ & Bohemiæ I. ſecundum Æneā Sylviū, quamvis adhuc puer,cum eſſet Romæ, dicebat, non videri ſibi homines,qui litteras ignorarent. Quæ,eodem Sylvio apud noſtrum Saavedram cenſente,plebeis hominibus argentum,nobilibus aurū, Principibus,gemmæ pretioſiſsimæ ſunt,& eſſe debent.

Policrat.de nugis, Curial.lib 4. Sylv. epiſ.4. Sanſov.fol. 6. & 7. Camer.3. to.pag 185 & 242 &alij apud Bobad. in Polit.lib.1.c.10. num.6.

Panor. de dict. & fact. Alfonſ. lib.4.

Sylv.hiſt. Bohem. lib.3.

Saaved.Emp.4. pag.18.

27 De Pico quoque Mirandulano refert Petrus Crinitus,quòd dicere ſolitus erat,nullū ſe animal videre in vita mortalium ſtultius atque inſolentius,quàm divitem hominem,qui bonarum diſciplinarum ſit imperitus,à ſtudijſque liberalibus abhorreat; quoniam divitiæ illæ impudicis voluptatibus atque deſidiæ paratæ ſunt,neque in uſum hominum,aut aliquam vitæ utilitatem erogantur.

Crinit.lib.7.c.ult. pag.246.

28 Et de Romanis pariter legimus,quòd cū de Imperatore eligendo, aliquando vel ipſi armati milites agerent, Tacitum,quia litteris impensè doctus ac deditus erat,uno ore(ut Vopiſcus refert) Cæſarē acclamarunt: *Quis,vociferantes,melius quàm litteratus imperabit.*

Vopiſc.in Tacit.

29 Inter quos, plures etiam alios extitiſſe, qui magnā vitæ partē ſtudijs, & litteris applicuerint, lato calamo Coningus recēſet.Inter eos M.Antoniū Philoſophorū memorans,qui tātùm operis,&laboris ſtudijs impendit,ut corpus afficeret,atq; in hoc ſolo,pueritia eius, iuxta Iuliū Capitolinū,reprehenderetur.Quod tāti fecit Athenagoras Philoſophꝰ Athenienſis,ut cū Chriſtianorū cauſam apud ipſum & Cōmodū agere inſtituiſſet,hac ſuæ legationis inſcriptione uſus ſit: *Athenagoræ Athenienſis Philoſophi Chriſtiani legatio Imperatoribꝰ M.Aurelio,Antonio,& Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, quod autē Maximum Philoſophis.* Cognoſcēs utiq; tā doctus, quàm facūdus homo, maioris eſſe gloriæ Philoſophi nomē,quàm uſurpatum à devictis Armenis, & Sarmatis cognomentū: idq; etiā illis gratius eſſe iure debere,ad quos verba faciebat,cupiebatq; ſibi eos cōciliare honeſta nūcupatione Phi-
30 loſophi. Quantum autem in contraria filiorum inſtitutione erraverint Gothi, Athalarici Italiæ Regis ab Amalaſuentæ matris rectiori diſciplina per vim abſtracti,miſerabilis caſus oſtēdit, quē latè Carolꝰ Sigonius enarrat. Quantū etiā Ludovicus XI.in Carolo filio à bonis litteris removēdo,æquè ſignāter Philip.Cominæus,diligens,& verus

Coning.d.cap.21. pag.154.& ſeqq.

Capitol.in M.Anton.Phil.vita.

Sigon.de Imp.Occid. lib.17.poſt Suidam.

Cominæ.lib.5.in princip.

Lipſ.lib.1.civil. doct.

eorundem Regum adſecla, & hiſtoriographus memorat, cuius liber Enchiridium Principum, ut Lipſius ait, vocari meretur, referens quot damna Carolus, huius malæ educationis cauſa, pertulerit, & certò ſtatuendum eſſe inquiens: *Deum non condidiſſe Regna, ut gubernarentur ab hominibus ineptis, & ſtolidis, qui ſrivola quadam, & miſera iactatione ſolent dicere, ſe, quòd uſum litterarum nõ habeant, ſuis familiaribus, & neceſſarijs omnem actionem committere, ac deinde nulla probabili adducta ratione cur ita loquantur, totos ſeſe dedunt voluptatibus. Deumque nulla maiori clade populum affligere poſſe, quàm ſi Principem ei præficiat ſtolidum, & imperitum, &c.*

Carrocet. de dict. & fact.mem.

Ægidius quoque Carrocetus, eundem Ludovicũ hac in parte no- 31
tans & reprehendens, dignum quidem fuiſſe ait, qui metamorfoſi Nabuchodonoſoriana in ferã mutaretur, ut rationis adminiculo, nec præſentia declinare, nec futura pericula proſpicere poſſet. Expeditionẽque Neapolitanã à Carolo temerè ſuſceptã, præclaræ illius inſtitutionis primũ fœtũ, ſtultum Ludovici iudicium ſatis redarguiſſe; ut quod de Athenienſibus olim, tunc quoque de Gallis iactatum fuerit, imprudentiam illorum, divina providentia corrigi ſolere.

Bodin. lib. 3. de Rep.c.1.n.139.

Quod ſi adhuc cum Bodino obiecerit quiſpiam, litterarum cogni- 32
tionem Principibus ſæpiſsimè pernicioſam exiſtere, niſi benè à natura, melius etiam à virtutibus inſtructi, & informati ſint, quia nihil tam in Principe metuendum, quàm multa rerum abditarum cognitio, cum ſcelere coniuncta, indeque Romanæ Reipublicæ detrimentoſam magis quàm proficuam fuiſſe Tiberij, Claudij, & Neronis eruditionem. De quo ultimo hac propter dicere potuit Auſonius: *Neronis indolem non erudijt Seneca, ſed armavit ſævitiam.*

Auſon.in grat.act. ad Gratian.

Huic obiectioni facilè reſpondebitur, hoc non ex verò uſu artium, 33
ſed ex pravitate, & inclinatione naturæ inſtituendorũ, ſive iam inſtitutorum, procedere, quia deteriores ut plurimum per doctrinam fiunt homines ad malum procliv es, ut benè Gregorius Schombornerus, & Coningus animadvertunt. Nec ideò tamen à bonis diſciplinis ſuperſedendũ, quæ etſi pro varietate ſubiectorũ diverſimodè operẽtur, tamẽ per ſe, & ſua natura, mores quantũvis depravatos corrigere, & ingenium, licèt in malũ propenſum, excolere, & ad meliorẽ frugem reducere ſolent.

Schombor. 2.Pol. cap.31. Coning.d. cap.21.pag.164.

L. Attilius 27. D. de donat. vide etiã l. 3. §. idem, D. ad exhib.

Quod Attilius Regulus apud Papinianũ noſtrũ oſtẽ- 34
dit, dum fatetur, ſe Nicoſtrati præceptoris ſui eloquentia, & diligẽtia meliorẽ redditũ fuiſſe, & pluribus ornat Scipio Gentilis, & in eiſdem de quibus loquimur terminis, Cordatiſsimus Cominæus, qui, quamvis etiã verum eſſe agnoſcat, quoſdã Principes, qui ingenij ſatis habẽt, & cognitionis, plerũque propter ignaviam, & malitiã eis abuti, neque ad res honeſtas accõmodare; doctrinamque, vel meliores reddere homines, vel deteriores, pro cuiuſque natura, & inclinatione, ſtatim tamen ita ſubdit: *Sed tamen veroſimilius eſt, aliquẽ ea fieri meliorem. Nam quò quiſque magis quid ſe deceat intelligit, eò vehementius ipſum neglecti pudet officij; & etiãſi non omninò ſibi temperet à maleficio, tamen ne plane modũ excedat, cavet. Ac iſtud quidem uſu compertum habeo. Multos enim novi, quos à pravis, & illaudatis conſilijs eruditio ſola retraxit. Hac*

Gent. ad Apol. Apul.not.55.

Comin.lib.10. pag.660.

etiam accedit metus divini Numinis, quanta enim ſit peccati magnitudo, & quantopere Deus offendatur flagitijs, docti non paulò melius; quàm homines imperiti cognoſcunt, &c.

35 Idemque ipſum ſentit Vanozius, ſic inquiens: *Coloro che hanno biaſimato le letere, è deto male de buoni ſtudi, erano ignoranti, è pieni di malitia: e nel perſuadirlo à Prencipi, erano ſcelerati: ſi come erravano nel mezo dè dimoſtrarlo, con dire, che lo ſtudio guaſta il cervello. Perche trovando in uno, una buona, è natural diſpoſitione, lo ſtudio lo rende perfetto, è il buon naturale col buon accidentale, fa optima compoſitione.*

Vanoz. in monit. Polit. vol. 2. mon. 1530. pag. 520.

36 Quæ tamen omnia non eo animo à Me dicta eſſe exiſtimet quiſpiã, quaſi velim Principes omnibus artibus ac diſciplinis penitus inſtrui, vel inſtructos, eiſdem meditandis aſsiduè vacare, quod vel in privatis ſolet eſſe nocivum, & in eis planè abſonum, & impoſsibile, quos fortunæ calculus mundi gubernaculis admovit, & tractandis Reipublicæ habenis præpoſiti ſunt: ſed id tantùm cum Eraſmo, & Botero eos monitos velim, ne prorſus ab omnibus ſtudijs & libris ceu noxijs abſtineant, perinde quaſi hoc demum verè Regium ſit, nihil omninò, vel ſcire, vel agere, præter aleam, venatus, moriones, & his etiam ſordidiores voluptates. Cum quibus enim amicis libentius confabulabitur cor datus & pius Princeps, quàm cum in ijs, qui & ſemper præſto ſunt, & ſapiunt plurimum, & nihil loquuntur ad gratiam? aut quo melius otio, rerum gerendarum negotium temperabit, quàm ſi in optimis litteris per ætatem non ſegniter exerceatur, præſertim ijs, quæ ad egregium Principem gerendum, vel addunt ſtimulos, vel viã aperiunt?

Eraſm. cet. 8. epiſ. 44. & in præf. ad Sueton. Boter. de Polit. illuſtr. lib. 2. cap. 1.

37 In quibus quidem recenſendis, & peculiariter illuſtrandis, quia multi multa dixerunt, contentus ero, eis, poſt primas litteras (quas qui ignorant Idiotæ, & Analphabeti dicuntur) variarum, quàm maximè poterunt, linguarum peritiam, Logicæ, Rhetoricæ, Matheſeos, Philoſophiæ, Ethicæ, Politicæ, Iuriſprudentiæ aliqualem cognitionem, & rerum militarium exactiſsimam, commendare. Quæ omnia facilius conſequi poterunt, ſi præter multorum, bonorum tamen, librorum lectionem, Doctorum virorum interdum converſationem appetant, ex quibus, ut Coningus, & noſter Saavedra conſiderant, multa ſenſim paulatimque haurire, & ſine multo labore diſcere poterunt. Nam ut in Salomonis Proverbijs habetur: *Audiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſsidebit.*

Coning. d. cap. 21. pag. 161. Saavedra Empr. 4.

Proverb. 1. 5.

38 Sed in nihilo magis proficient, quàm ſi ſe totos hiſtorijs legendis, recolendis, exemplíſque earum, tum ſecundis, tum adverſis, memoriæ mandandis, applicuerint: quantum enim aut ætati noſtræ, aut ingenio deeſt, tantum præcedentium ſeculorum experientia, & hiſtoriæ cognitione ſupplemus. Quæ ſcitiſsimè à Marco Tullio definitur, vel deſcribitur: *Teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, Magiſtra vitæ, & vetuſtatis nuntia.* Et à Nazianzeno: *Conglobata quædam ac velut coacervata ſapientia. Hominumque multorum mens in unum collecta.*

Tullius lib. 2. de orat.

Naziãz. ad Nicob.

Teſtanteque etiam Cominæo: *Maximum monumentũ adfert hiſtoriarũ cognitio, iuvenilibus annis percepta. Nã extant in ijs pulcherrima pi-*

Comin. lib. 5. pag. 371.

cturæ, quæ clarè demonſtrant, quid in rebus præſentibus facere, quid etiam fugere debeamus.

Crinit. lib. 1. cap. 1

Cum quo conſonans Petrus Crinitus: *Nemini dubium eſt* (inquit) 39
vitam ipſam mortalium fieri multo prudentiorem, & cultiorem, ex rerum hiſtoriarumque obſervatione. Sed ea præcipuè ſunt pluris æſtimanda, quæ ad uſum magis ipſum, & vitæ rationem conducunt: ſicut exempla Antiquitatis ſunt, ex quibus ita homines ſubinde fiunt prudentiores, ut qui optimè antiquitatem calleat, is æquè & præſentia intelligit, & futura ſubinde proſpicit.

Ariſt. Rhet. cap. 5. Livius lib. 1. Bodin. & Cabre. Lipſ. lib. 1. civil. doct. cap. 8. & 9. & in monit. & exemp. Polit. c. 8.

Et ea nihil ad res civiles, & publicas deliberationes, utilius eſſe, 40
optimè etiam Ariſtoteles, Livius, & alij plures Auctores docuerunt, quos Ioannes Bodinus, Iuſtus Lipſius, & noſter Regius Chronographus Ludovicus Cabrera recenſent, in peculiaribus libris, quos de modo & methodo legendi, & ſcribendi hiſtorias typis mandarunt, & latè Baptiſta Fulgoſus, ſive P. Iuſtus Gaillardus in præfatione libri factorum, & dictorum memorabilium.

Panor. lib. de dict. & fact. Alphonſ. I. Lycoſth. poſt eum in Apoph. pag. 344

Vt interim non omittam Alphonſum Regem Aragonum I. qui cū 41
Capuæ ægrotaret, ut Panormitanus enarrat, Quinti Curtij hiſtoriarum lectione delectatus, vi morbi ſuperata, ſanitatem adeptus: *Valeat* (dixit) *Avicena, valeat Hippocrates, & vivat Curtius reſtitutor ſanitatis.*

Et Nicetam Coniatem, qui ita de eadem ſcripſit: *Quamobrem, haud* 42
ab re liber viventium appellabitur hiſtoria, rerumque geſtarum deſcriptio tubæ clangor, quo iam olim mortui, velut è ſepulchris excitati, in medium producuntur.

Plutar. in Paul. Æmil. Victor. lib. 38. var. lect. cap. 5.

Cum Plutarcho etiam Petrus Victorius enarrat, Lucium Paulum 43
Æmilium, qui devicit Perſem Regem Macedonum, in ornanda vita ſua, & omni virtute expolienda, diligentiſsimè ſolitum, tanquam in ſpeculum, inſpicere in hiſtoriam, atque ita ſtudioſè ſemper conatum eſſe imitari virtutes, & præclara facta eorum, qui illic laudati forent. Quod in Regibus potentius operari, quàm ſi illorum ſtatuas, picturaſve intuerentur, his verbis Salluſtius edocuit: *Scilicèt non æream illam, neque figuram, tantam vim à ſe habere; ſed memoriam rerum geſtarum eam famam in egregijs viris in pectore creſcere.*

Salluſt. in Iugurt.

Vannoc. tom. 1. monit. Pol. n. 493.

In quibus locis recenſendis ideò immorari volui, quòd viderim 44
iniuſtè hanc occupationem à Bonifacio Vannozio taxari, & veluti inutilem ac periculoſam cenſeri; uſque adeò nihil eſt boni, vel optimi, quod non in malam partem à quo quam verti poſsit, ſi eo minus licitè ac prudenter utatur.

Claudian. in 4. cōſ. Honor.

Sed ut videas, quantum in hoc à communi prudentium omnium 45
opinione diſentiat, ſi præcitati Auctores ad hiſtoriæ utilitatem ſuadendam, & defendendam non ſufficiunt, quam ſit maxima illius vis, vel ex Claudiani carminibus diſcere poteris, apud quem pater Honorij Imperatoris, filium ad evolvendas hiſtorias, tanquam ſtudiū magnis ſemper Principibus dignum, his verbis, non ſolùm hortari, verùm & impellere quoque videtur:

Inte-

Interea Muſis, animus dum mollior, inſtes,
Et, quæ mox imitere, legas: nec deſinat unquam
Tecum graia loqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos evolve Duces, aſſueſce futuræ
Militiæ. Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæſita placet? Mirabere Brutum:
Perfidiam damnas? Metij ſatiabere pœnis.
Triſte rigor nimius? Torquati deſpue mores.
Mors impenſa bonum? Decios venerare ruentes,
Vel ſolus quid fortis agat? te ponte ſoluto
Oppoſitus Cocles, Mucij te fama docebit.
Quid mora perficiat? Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat? oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hinc nullos meritis obſiſtere caſus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam:
Regule, ſucceſſus ſuperant adverſa Catonis.
Diſcitur hinc quantum paupertas ſobria poſsit:
Pauper erat Curius, Pyrrhi cum ſperneret aurum;
Sordida Serranus flexit Dictator aratra.
Luſtratæ lictore caſæ, faſceſque ſalignis
Poſtibus affixi, collectæ Conſule meſſes:
Et ſulcata diu trabeato rura colono,
Hæc genitor præcepta dabat, &c.

46 Nec diſsimilis fuit cura Baſilij Imperatoris, idem filio ſuo Leoni his verbis enixè commendantis: *Per veteres hiſtorias ire ne recuſa. Ibi enim reperies ſine labore, quæ alij cum labore collegerunt; & quæ illinc haurias, & bonorum virtutes, & improborum vitia: Varias humanæ vitæ mutationes, & rerum in ea converſiones: Mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus, & ut verbo complectar, malorum facinorũ pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne divinæ iuſtitiæ manus incidas; hæc amplecteris ut præmia, quæ ea comitantur, potiaris.* Baſil. Imp. in cap. Parænet. cap. 56.

47 Vnde & hiſtoria meritò hoc Encomio à Neotherico quodam donatur:

Illa ego quæ geſtis præſum cuſtodia rebus,
Digero quod caveas, quodque ſequaris iter,
Priſcaque ne veteris vaneſcat gloria ſecli.
Vivida defenſant quæ monumenta, damus:
Et ſua virtuti per me ſunt præmia, rurſum
Impia famoſis defero facta notis.
Eloquor, & ſummi quantum iactentur, & imi:
Eloquor, & cæcæ faſque, nefaſque Deæ.

Hoc cõvenit cum diffinitione Thucyd.hiſtor. Pelop. lib.1.

Quod maius Theatrum circuſque capacior, aut quæ
Doctior humanas ſcena referre vices?
Me ſine, quis prudens? Vnde experientia maior?
Qui me adijt tandem non mage doctus eat?
Omnis enim noſtro pendet prudentia ſenſu,
Ritèque nil, noſtra qui caret arte, ſapit.

Pineda de reb. Salom.lib.3.cap.17.

Scriban.in Chriſt. Polit. pag.177. & ſeqq.

P.Velazq.de Opt. Princ.lib.3.adnot. 4.pag.334.

His locis alia ex ſacra Pagina, & ſanctis Patribus eruditè petita 48
P.Ioannes Pineda addit, tradens, quàm Hiſtoriæ peritiſsimus Salomon fuerit, & non minùs doctè, elegantiſsimus Pater Carolus Scribanus, & noviſsimus Pater Ioannes Antonius Velazquez, pluribus probans, quàm ſit utilis in Principe Hiſtoriarum cognitio, ſacrarum præſertim, & deinde illarum, in quibus Regum Prædeceſſorum, & Parentum ſuorum facta, dictaque conſcripta ſunt. Quòd hæ, ut ad ipſum proximè pertineant, ita illius animum acrius ad imitationem urgeãt, & ardentius inflament.

Oven. lib.2. Epig. 167. Cõſonat illud Comici: Optimũ & tutiſsimum eſt ex alijs diſcere tibi quod ex uſus, &c.

Quæ omnia acutus, & Modernus Epigrammatarius Anglus hoc 49
quoque carmine docuit:

Hiſtorias verſando peritus id abſque periclo,
Quod docti damnis experiuntur, habet:
Nec tam multa gravis rerum experientia longo
Tempore, quàm parvo te docet Hiſtoria.

Idem Velazq. ubi ſup. annot.9. pag. 354.

Proverb.16.10.

Quinimò ſecundùm eundem Patrem Velazquez, non ſolùm in ijs, 50
quas retulimus ſcientijs, & diſciplinis, inſtructus eſſe debet, verùm ſi ſonum litteralem Salomonis attendamus, Divinatrici quoque incũbere, & in expediendis negotijs veluti præſagam mentem habere. Sic enim in Proverbijs habet: *Divinatio in labijs Regis, in iudicio non errabit os eius.*

Cic.de divin.lib.1

Quod valdè iuvat Ciceronis locus, licèt à prædicto Auctore non 51
relatus, ubi inquit: *Olim Reges præſtantiſsimi, augurijs, & prædictionibus claruerunt: & ſe ſuoſque liberos, ijs diſciplinis erudiri curaverunt. Quid Aſiæ Rex Priamus, non ne & Helenum, & Caſſandram filiam divinantes habebat? Quid Polybum Corinthium, nonnè Homerus, & alijs multa, & filio ad Troiam proficiſcenti, mortem prædixiſſe commemorat? Vt enim ſapere, ſic divinare Regale ducebant, ut teſtis eſt noſtra civitas, in qua & Reges Augures: & poſteà privati, eodem Sacerdotio præditi, Rempublicam Religionum auctoritate rexerunt.*

Plin.lib.3.cap.1.
Philo lib. de ſpecul.legib.
Pined.ſup.pag.129

Et adeò obſervarunt Reges Perſarum, & alij Orientales, ut prop- 52
ter Aſtronomiæ, & Iudiciariæ ſtudium, diceretur Magia imperare, ut, Plinius & Philo litteris tradiderunt. Et ipſe quoque Salomon Aſtrologiæ iudiciariæ valdè peritus fuit, ut Pineda multis ediſſerit.

Conſtant. Imp. in l.nemo 5.C.de maleſ.& Mathem.

D.Luc.in Act. Apoſt.cap.1.v.7.

Abſit tamen, ut Chriſtianis Principibus divinatrices artes, quæ ad 53
Magiam, aut Aſtrologiam Iudiciariam pertinent, vel inter prohibitas ab Imperatore Conſtantio recenſentur, modo aliquo ſuadeamus, nihil enim eſt, quod Deum magis offendat, qui ſibi ſoli futurorũ cognitionem ſervare voluit, ut apud D.Lucam docuit, & in Saulis puni-

tio-

tione propter conſultam Phithoniſam, & per Necromantiam evocatum Samuelis ſpiritum indicavit; rectè enim Dionyſius Cato, quamvis Gentilis, admonuit,

Quid Deus intendat, noli perquirere ſorte;
Quid ſtatuat de te, ſine te deliberat ipſe.

1.Reg.28.
Cato in diſt. lib.2.

54 Et ille Proverbiorum locus, ut ipſe Pat. Velazquez, poſt Salazarium, & alios animadvertit, varias habet expoſitiones, inter quas illæ veriſsimæ & aptiſsimæ ſunt, quòd nullo modo ad artem divinatricem reſpiciat, ſed Deum veluti certa & infallibilia reddere ſolere iudicia, quæ iuſti Reges iuſtè & conſultè pronuntiant, Salomon doceat; vel ea prudentia ac conſilio eos præcellere debere, ut quidquid de ipſorum labijs procedat, in publicis negotijs expediendis, veluti ex præſaga mente proficiſci videatur. Quo ſenſu Rex Athalaricus apud Caſsiodorum de avo ſuo Theodorico dixiſſe comperitur: *Iudicijs ſuis etiam futura prædicebat.*

Velazq. ſup. Salaz. in Proverb. 1. tom. col. 1339.
Caſsiod. lib. 8. epiſtol. 13.

55 Hoc enim eſſe proprium ſcientiæ, & prudentiæ, ex præteritis futura prædicere, ipſe Salomon dixit, ſic in libro Sapientiæ ſcribens, *Si multitudinem ſapientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat.* Et Nos ſuprà de Prudentiæ effectibus agentes, cum Marco Prætorio, & alijs tetigimus.

Salom. Sap. 8. 8.
Sup. Embl. 7. & 13.

56 Et de gravi errore ac peccato Regum, qui aliter ſentientes, Magos & Ariolos conſulunt, aliqua nuper Noſter Saavedra notavit, & ante eum plura Iuſtus Lipſius, & And. Canonherius, Camerarius, & Ioannes Fileſacus, qui inter alia illud Taciti adducit: *Quæ fato manent, quamvis ſignificata non mutantur.* Et Aurelij Victoris: *Arduum fatalia divertere, eoque futuri notionem ſuperfluam.* Quibus conſonans Quintus Curtius: *Eludant licèt* (inquit) *quibus fortè & temerè humana negotia volvi agique perſuaſum eſt, equidem æterna Conſtitutione crediderim, nexuque cauſarum latentium; & multo ante deſtinatarum, ſuum quemque ordinem immutabili lege percurrere.* Et Apuleius: *Nec conſilio prudentis, vel remedio ſagacis, divinæ providentiæ fatalis diſpoſitio ſubverti, vel reformari poteſt.*

(✱✱✱)

Saaved. Empr. 4. pag. 31.
Lipſ. in mon. Polit. lib. 1. c. 5. q. ult. pag. 175. Canoher. in Aphor. Polit. ex pag. 479. Camer. 1. to. pag. 266. & Fileſac. 2. ſelect. tract. 1. c. 9. pag. 53
Tacit. 17. Annal.
Curt lib. 5.
Apulei. 9. Mileſ.

Eloquentia Principes ornat.

EMBLEMA XXVII.



Truncum conſpiciens Atlantis forte nepotem
Hermam, quo & vultu terra Pelaſga colit.
Quæ tibi cum manibus virgam, pedibuſq́ cothurnos
Alitibus, dixi, ſuſtulit ira Deum?
Ille mihi, dum lingua manet, quid cætera curem,
Præcunctis unum Regibus Eloquium.

COMMENTARIVS.

HIS artibus & diſciplinis, quibus ornari Principes diximus, nunc Eloquentiæ curam & ſtudium adiungimus, quæ copiosè loquens ſapientia à quibuſdam definiri appellarivè ſolet. Ab alijs, virtus, qua voluntas mentem & linguam regit, ut vera, recta, Deo grata, & hominibus ſalutaria perſpicuè & ornatè dicat. 1

Cicer. in lib. de orat. quem retulit Caſsiod. lib. 6. epiſtol. 5.

Vnde eandem Euripides *Reginam* vocavit, & Ennius, *Flexanimã*; & Cicero, poſtquàm pluribus de eiuſdẽ laudibus & utilitatibus egit, conſtanter ſtatuit, Perfecti Oratoris moderatione & ſapientia, non ſolùm ipſius dignitatem, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ Reipublicæ ſalutem maximè contineri, nihilque præſtabilius eſſe, quàm poſſe dicendo, tenere hominum cœtus, mentes allicere, voluntates impellere quò velis, unde autem velis, deducere. 2

Et

3 Et Heſiodus tanti eam fecit, ut præcæteris diſciplinis exquiri debere, his carminibus, è Græco ita Latinè redditis, doceat

Quid diſciplinis dignum ut eſt in cæteris
Sudamus, atque ſingulas inquirimus?
Ac non magis ſuadelam, quæ Mortalibus
Regina ſola eſt, examuſsim exquiritur,
Datoque pretio diſcitur, quo, quæ velit
Ea quiſque perſuadere poſsit, & aſſequi.

4 Et ſanè iuſtiſsimè, cũ eodẽ Cicerone teſtante, nemo ſit qui neſciat, initio genus humanum in montibus ac ſylvis diſsipatum, prudentium conſilijs compulſum, & diſſertorum oratione delinitum, ſe oppidis mœnibuſque ſepſiſſe. Quod Veteres, vulgatis illis Amphionis, Orphei, & aliorum fabulis, qui ſui cantus & liræ modulamine animalia, aves, piſces, arbores, quin & petras ad ſe attrahebant, & infernos carceres reſerabant, denotare voluerunt, ut ſignanter Horatius, & poſt eum omnes Mytologici tradunt, quos latè noſter Bobadilla congeſſit, & ultra eos Petrus Coſtalius, Orphei Chelym pro eloquẽtia apertè deſumens, dum in ſuo Pegmate dixit:

Cicer. d. lib. de orat.

Horat. in arte, Higin. Paleſ. Nat. Comes, & alij apud Bobad. in Polit. li. 1. c. 1. n 3. & Ego in 2. to. lib. 1. c. 23. ex num. 5.

En ut Treicius numeris, & carmine Vates
Permovet aurata barbara ſaxa cheli;
Vtque arbuſta tenet cantu, platanoſque ſequentes,
Et ciet inſolitis pervia monſtra ſonis:
Circa homines tantum retinet facundia nomen,
In ſua ut invitos vota diſſertus agat.
Condidit hic hominum cœtus, & mœnia primus
Artifici poſuit non violata manu.

Coſtal. in Pegmat. pag. 315.

5 Sed ut hanc vim ſive virtutem eloquentiæ omnibus quidem hominibus utilem, Regibus tamen cæteriſque Magiſtratibus, qui Rempublicam gerunt, cum primis neceſſariam ſignificarent, varijs quidem Hieroglyphicis ad hoc uſi comperiuntur, quæ apud Pierium Valerianum, & Nicolaum Cauſinum videri poterunt, & novum quoddam, iudicio meo ſatis prolixum, prolixius comminiſcitur & explicat Camerarius.

Pier. lib 16. 20. & 26. Cauſin. de eloq. ſacra, & in Polyiſt. ſym. lib. 2. c. 2. & 7.

Camerar. ſubciſ. to. 3. c. 83. pag. 227

6 In illud tamen frequentius itum fuit, ut Ogmium illum Herculem figurarent, quem etiam Gallicum appellarunt, necnon & Tyrinthium, quòd in Tyrinthia urbe, Argis vicina, nutritus. Cultu illum conſueto effingentes, ſenori ſchemate, hilari tamen vultu, confertos hominum cœtus auribus vinctos trahentem, tenuiſsimis quibuſdam catenulis auro electroque per quam affabrè factis, quas, linguæ extimæ inſertas, moderabatur, & auditores nullo modo reſtitantes, dulci verborum illicio, in quamcumque vellet partem facilè deducentem. Vltro feſtinantes omnes, & laxatis funiculis etiam antevertere ſtudentes, perinde quaſi graviter laturi, ſi dulcibus illis vinculis ſolverentur.

Quam

Lucian.in Hercule Gallico,& in Iove Tragœdo.
Budæ⁹ ad Pand.in l.1.de ſerv.corrup.
Eraſm.in Adag. pag. 234.
Nat. Com.in Mithol. lib. 5. cap.5. pag.441. Camer. 1.ſubciſ.c.63.pag. 228.
Alciat.Emb.180.
Ovid.met.13.

Quam figuram latè proponit,& exponit, atque ad rem de qua agimus accommodatiſsimè applicat Lucianus, & Budæus, ex eaque Eraſmus in Adagium tranſijſſe ait: *Ab aure revinctos ducit*, proverbiali ſpecie,in invictæ eloquentiæ hominem, qui quò velit linguæ lenocinio auditores rapere,& traducere poſsit. Idem quoque ipſum doctè Natalis Comes, & Camerarius animadvertunt; ſed nemo præſtantius, quàm præſtans noſter Emblematariorum Anteſignanus Altiatus,hinc Emblema deſumens ad probandum, eloquentiam fortitudine præſtantiorem eſſe,ut & alibi dixit Ovidius: 7

----------- Quidque facundia poſſet,
Tunc patuit; fortiſque viri tulit arma diſſertus.

Et rem totam his elegantiſsimis carminibus explicans:

Arcum læva tenet,rigidam fert dextera clavam
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies? Non convenit illud
Quòd vetus,& ſenio tempora cana gerit.
Quidquod lingua illi levibus traiecta catenis
Queis fiſſa facileis allicit arte viros?
An ne quòd Alciden lingua,non robore Galli
Præſtantem populis iura dediſſe ferunt?
Cedunt arma togæ,& quamvis duriſsima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Boch.Symb.43. pag.92.

Hactenus Alciatus, cuius planè immemor fuiſſe videtur Achilles Bochius,dum poſt tantum virum, eandem picturam inter ſua ſymbola ponit,& pluribus carminibus illuſtrare conatur. Quam,ſi fas eſſet cum Alciato contendere, non ineptè Nos etiam quondam ſic,Otiantes,aperire conati ſumus: 8

Comprimit auratis Tyrinthius ecce catenis
Gentes,vocali,quas trahit ille,iugo.
Armiſonos ſuperat bombos facundia, dulci
Eloquio Princeps Regna ſuperba domat:
Vincitur ſed enim populus pretioſius ore,
Vincitur etſi aliàs fortius ille manu.

Nat.Com.in Mythol.lib.5.cap.5. pag.441.
Syneſ.in Dione.
Gyrald. Syntag.9. in princ. Phornut. in lib.de nat.Deor. Natal. in Mythol. pag.
Horat.lib.1.carm. Odæ 13.

Nunc verò, ut alia, non minùs aptiori, & non ita vulgari,eandem eloquentiæ vim denotemus, hanc, quam in præfixo Emblemate vides, ex Mercurij Icone deſumtam,excogitavimus, cui etiam veteres, ut Natalis Comes ſcribit,eandem catenam Herculis tribuerunt,quęque Hermam etiam logium,id eſt,diſſertum, ut Syneſius,Giraldus, & alij inquiunt, appellitarunt, eloquentiæque Patrem, ſeu Præſidem eſſe dixerunt,ut & Horatius,dum canit: 9

Mercuri facunde Nepos Atlantis, &c.

Et truncum manibus ac pedibus in trivijs,compitis,& gymnaſijs ſolo ore aperto,exponere ſolebant,ut ſignificarent, Principes viros, elo-

quen-

quentia præſtantes, nullo manuum aut pedum officio indigere, ſed lingua tantùm,& in eis illud Euripidis certiſsimum reddi:

Cuncta ſermo conficit, quæcunque ferrum efficere poſsit hoſtium.

10 Qua de cauſa,& Cyllenij nomen accepit, ſi Euſtathio, Feſto, Brodæô,& alijs fidem habemus, quod Græcè virum mancum, & pedibus truncum ſignificat, quaſi his non egeret, qui eloquentiæ Deus erat, & ipſa ſola omnia præſtare poſſet, in quibus conficiendis ſolent alij totis membris atque artubus deſudare. Teſtante quippè etiam Michaele Verino:

Euſtat. ad Homer. Feſtus verb. *Cyllenius*, Brodæ. Epig. 1. Ferdin. Perez de Guzm. ad Ioann. Menam, copla

Nil tam difficilè eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat dicti lingua diſerta viri:
Ancipiti eloquium longè penetrantius enſe,
Hoc rabiem motam ſedat, & arma movet.

Verin. in carm. de eloquent.

11 Qua etiam ratione, ſecundùm Pierium Valerianum, Ianum, ſimiliter ac Harmam, figurare ſolebant, quòd ſola ſua prudentia omnia, quæ vellet, conſequi poterat.

Pier. lib. 32.

Et in eiuſdem eloquentiæ ſignificationem idem Mercurius Deorum Caduceator dictus fuit, quaſi diſsidijs componẽdis nemo aptior, quàm qui ei præeſſet, inveniretur. Ipſaque virga, qua in his legationibus utebatur, CADVCEVM vocata, à *cadendo* nimirum, quòd eloquentia contentiones, & bella cadere faciat, ut poſt alios Calepinus obſervat. Cui & angues impliciti, ut nihil eſſe, quod nõ eloquentiæ cũ prudentia iunctæ, ſubiiciatur, ſignificarent, ut Boccacius animadver-
12 tit,& poſt Plinium D. Iſidorus, ſic inquiens: *Mercurius virgam tenet, qua ſerpentes dividit, id eſt venena. Nam bellantes, & diſsidentes interpretum oratione ſedantur.*

Calep. verb. *Caduceum.* Boccac. de Dijs Gent. lib. 12. c. 26. Plin. lib. 29. cap. 3. Iſid. lib. 8. etym. c. 11.

Quibus addo Phornutum, qui ſignanter hinc factum fuiſſe dicit, ut linguæ, victimarum loco, eiuſdem Mercurij honori olim conſecrarentur. Et Athenienſium conſuetudinem, qui Agellio referente, Oratores, *Demagogos* vocabant, quaſi populi ductores, & qui eloquentia ſua illius motus ſedarent, & quò vellent impellerent, ut de Publio Valerio, Menenio Agrippa, & pluribus alijs Valerius Maximus narrat. Et graviter Virgilius, in gravi, & eloquenti Sene, ſua oratione, & authoritate ſeditionem populi comprimente, his verbis expoſuit:

Phornut. de natur. Deorum. Agel. lib. 33. c. 13. Valer. Maxim. lib. 8. cap. 9. Beyer. in lit. M. pag. 166.

Ac veluti in magno populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Iamque faſces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat
Tum pietate gravem ac meritis, ſi fortè virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet, &c.

Virgil. Æneid. 7.

Quod etiam Xenophon, & Volaterranus in Hierone memorant con-
13 tigiſſe, qui licèt ex Duce, Siciliæ Tyrannus factus fuiſſet, orta tamen domi ſeditione, inermis in forum prodijt, blandaque oratione populum in officio continuit.

Xenoph. in Hier. Volaterr. lib. 16.

Plut. in Pyrr.

Verè enim ut auro ſapientiæ nihil eſt pretioſius: fulgore eloquen- 13
tiæ cum ſapientia coniunctæ, nihil admirabilius, qua ſola Pyrrhus, qui multos annos de Imperio cum Romanis certauit, dicere ſolitus erat, Cyneam legatum ſuum, qui erat eloquentiſsimus, plures ſibi urbes eloquentia & conſilio comparaſſe, quàm ipſe ſuis armis domuiſſet. Et Poliænus de Philippo Macædonum Rege ſimiliter narrat, non minores res oratione, quàm prælio confeciſſe; & quòd magis ſibi placebat, ſi quam verbis adeptus eſſet victoriam, quàm ſi quos armis in poteſtatem redegiſſet. Horū enim partem ſibi milites vindicare dictitabat, illam verò ad ſuam unius gloriam pertinere.

Poliæn. lib. 4.

Proverb. 21. 22.

Quò & ſpectans Salomon dixit: *Civitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiducia eius.* Et Marcus Tullius: ***Eloquentia multæ urbes ſunt conſtitutæ, & plurima bella reſtincta.*** 14

Tull. lib. 1. Rhet.

Ioſeph. de Ruſticis in Præf. ad Vitam Papin.

Et cum Sapientes Athenienſes poſt longam diſceptationem nihil 15
inter homines difficilius eſſe definijſſe legamus, quam eorundem hominum diſſentientes animos conciliare, alioſque ad ſui votum allicere; idque, ut vidimus, ſola eloquentia, & dicendi (quam appellant) arte, præſtetur, planum planè redditur, hanc, nullis magis, quàm Regibus ac Magiſtratibus convenire, qui ſubditorum ſuorum non minùs animis, quam corporibus imperitandis, & in vota ac deſideria ſua iuſtè flectendis, præcipua cura atque ſtudio incumbere debent. Vt enim hominis decus, omnium confeſsione, eſt ingenium: ſic ingenij ipſius lumen eſt eloquentia.

Cicer. lib. 1. de orat. Cauſin. de eloquent lib. 1. cap. 5. Petii. lib. 9. cap. 53. Midend. in quæſt. Polit. verb. *Rethorica*, Beverlin. ubi ſup. Camer. 3. to. cap. 63.

Qua quidem quantum plures Reges profecerint, & quanta qualia- 16
que perfecerint, pluribus Cicero, & alij paſsim Scriptores oſtendunt. Ego paucis contentus eundem Ciceronem iterum advoco, qui in libro quarto de finibus, eloquentiam, maximum eſſe Principum ornamentum ſtatuit, & Ariſtotelem, qui cum Alexandro Magno in ſua Rhetorica loquens, ipſum ſeriò monet, valdè indignam rem eſſe, ſi Princeps ſplendidis veſtibus ſe ornet præ alijs hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria eſt hominum, quàm ulla veſtis. Et Alexander ipſe, cum Philippo patre apud Dionem Pruſæum loquens, hoc verè eſſe Regium agnoſcens, ſic dixit: *Rhetorica quidem opus eſt Regi: nam tu frequenter reſcribere cogeris, & contradicere Demoſtheni Rhetori valdè vehementi, & impoſtori, atque alijs quoque, qui Athenis Remp. adminiſtrant.*

Dion Pruſ. orat. 2. de Regno.

Heſiod. in Theog.

Quem præijſſe videtur Heſiodus, dum in Theogonia de Calliope, 17
quæ eloquentiæ, & Rhetoricæ ac vocis ſuavitate præeſſe credebatur, ſcribit, eam Regum Comitem eſſe, ſic inquiens:

Quæ Reges etiam comitatur ritè verendos;
Maximi honorarint gnatæ quæcunque Tonantis,
Regibus exaltis, & amico lumine natum,
Spectarint.

Homer. Illiad. 1.

Homerus quoq; Phœnicē introducit, ſe veluti gloriantē, quòd in 18
præceptorē ſeu pœdagogū Achillis electus fuiſſet, eumq; non minori cura eloquentia, & bonis artibus, quàm militaribus rebus imbuerit,

Co-

--------- Comes, atque Magiſter
Sum datus, ut præcepta tibi rerumque bonarum
Verborumque darem, rebuſque ut fortis agendis
Eſſes, & verbis poſſes Orator haberi.

19 Et rurſus apud Cauſinum, ſuis temporibus iam inter Reges ſatis eloquentiæ ſtudium in concionibus invaluiſſe demonſtrat, dum Heroes illos antiquos ob linguæ facultatem multis laudibus effert, elegantiam Agamemnonis, artificioſam Menalai in ſuis diſcurſibus brevitatem, mellifluam Neſtoris ſuavitatem, Vlyſsis copiam, & ingenioſam Paridis facundiam extollens.

Cauſin.d.lib.1. de eloq.cap.5.

20 Quod etiam in priſcis illis Romanorum Imperatoribus æquè curæ ac laudi fuiſſe Tacitus memorat, dum in Nerone, puero adhuc, populum ſuccenſuiſſe ſcribit, quòd præſcriptam a Seneca orationem primo ſuo in Senatum ingreſſu, verbotenus recitaſſet. *Nam Dictator* (inquit) *Cæſar ſummis oratoribus æmulus, Auguſto promta ac profluens, quæ deceret Principem eloquentia fuit. Tiberius artem quoque colebat, quæ verba expenderet: nec in Claudio quoties meditata diceret, elegantiam requireres. Etiam Caij Cæſaris turbata mens, vim dicendi non corrupit, &c.*

Tacit.Annal.12.

21 Dion etiam Caſsius Hadrianum in utramque linguam impensè eruditum oſtendit, Vopiſcus, erectam Numeriano inter Oratores ſtatuam, teſtatur; & Pomponius Lætus, Conſtantinum non fuiſſe eloquentiæ expertem memorat, quamvis fuerit armorum ſtudioſiſsimus. Alijſque omiſsis, Auſonius Gallus ſuum Gratianum ab eadem eloquentia commendans, ſic habet: *Et aliqua de Oratorijs virtutibus tuis dicerem, niſi vererer mihi gratificari. Nõ enim Sulpitius acrior in concionibus, nec maioris Grachi commendabilior modeſtia fuit, nec Patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis cum incitata pronuncias; quæ inflexio cum remiſſa; quæ temperatio cum utraque diſpenſas. Quis oratorum læta facundius, facunda cultius, pugnantia denſius, denſata glomeratius, aut dixit, aut quod eſt liberum, cogitavit? &c.*

Dion in Hadr.

Vopiſc. in Num.

Pompon. Læt. in Conſtantino.

Auſon. in Paneg. ad Gratian.

22 Quas ſuorum Principum orationes, ubi pari rerum pondere, ac verborum fulgore, in Senatu recitabantur, tanti facere ſolebant Romani, ut non contenti eas auribus percepiſſe, laminis æreis atque argenteis inciderent, & ſingulis annis publicè in Senatu legi, repetique iuberent, ut ex Dione Xiphilino, Tacito, Plinio Iuniore in Panegyrico ad Trajanum, & alijs, doctè animadverſum reliquit Iuſtus Lipſius. Cui addo, noſtros quoque Iuriſconſultos, ſtatim in eaſdem peculiares commentationes, ſive gloſſemata elaborare ſolitos fuiſſe, ut paſſim in Digeſtorum libris habetur, & peculiariter Briſſonius, Kalinus, & alij proſequuntur, qui de verbis iuris ſcripſerunt, & Ioan. Roſinus, dum de Romanorum antiquitatibus agit, & Antonius Concius, quandam ſui Regis Henrici ſimilem orationem commendans, atque cõmentans.

Lipſ. ad Tacit. lib. 13. Annal. nota 11. pag. mihi 213. & ſeqq. Briſſ. & Kalin. ver. *Orationes*, Roſin. lib. 1. cap. 16. Concius ad edict. Hen. de Cland. matrim. pag. mihi 567. & ſeqq. Ego in Epiſt. Dedic. huius libri, de gravjſs. Regis noſtri oratione ſermonem faciens.

23 Caſsiodorus quoque, quanta fuerit ſub Regibus Gotthis harum elegantium orationum æſtimatio, quamvis iam tunc non per ora Prin-

Caſsiodor. lib. 6. epiſt. 5.

cipum, ſed Quæſtorum ſuorum voce pronunciarentur. His verbis oſtendit: *Nam ſi Oratoris eſt proprium, graviter, & ornatè dicere, ut poſsit animos iudicum commovere; quanto facundior debet eſſe, qui ore Principis populos noſcitur admonere, ut recta diligant, perverſa contemnant, bonos ſine fine laudent, peſsimos vehementer accuſent. Vt penè ferrata ſit diſtrictio, ubi prævalet eloquentiæ fortitudo.* Et alibi: *Habes magna quæ dicas, ſi & tu ſimili oratione reſplendeas. Fama temporum de legitima, atque eloquenti iuſsione generatur. Omnia ſiquidem bona cumulat lingua diſerta, & quod à nobis præcipitur gratia dictantis ornatur.*

Idem lib.8. ep.13.

Valer. Maxim. lib. 8 c.9. Petrarc. rer. mem. li.2. pag.415

Boch. Symb. 94. pag. 200.

Huiuſque virtutis vis tanta fuit in Pericle, ut ſecundùm Valerium 24
Maximum, & alios, liberis Athenarum cervicibus iugum ſervitutis eloquentia ſua impoſuerit. Ex quo Achilles Bochius occaſionē ſumſit formandi ſymbolum, ad oſtendendum, *Eloquentiæ vim poſſe unam omnia*, quod his ornavit carminibus:

Fulgurat ecce, tonatque, & miſcet cuncta Pericles
Vt rutilans perterricrepus, & penetrabile fulmen:
Vtque imitata ipſum fulmen bombarda triſulcum
Munitas arces, immenſa repagula, turres,
Oppida, & horribili evertit concuſſa fragore
Mœnia lata ſolo. Non illi cominus audent
Siſtere ſe fortes turmæ, ingenteſvè manipli:
Non clypei, non ulla queunt obſiſtere tela;
Denique cuncta ruit peditumque equitumque per auras
Horrendum dictu glomeratos disiicit artus:
Abſterretque adeò aerias diſploſa volucres
Quum boat, & penitus conceptos evomit ignes;
Sic oratoris ſummi admiranda facultas,
Cum ſeſe ipſe refert totum à cœleſtibus illis
Rebus ad humanas, excelſius omnia certè, &
Magnificentius eloquitur, ſentitque movetque
Fortius, ut valeat prorſum nil ſiſtere contra,
Ignivomo fatuos propulſans ore ſophiſtas.

Valer. Max. & Petrarc. ubi ſup. Volaterr. lib.18. Petr. Greg. de Rep. lib. 17. cap.2. n.9.

Et Piſiſtratus dicendo tantum valuit, ut ei ijdem Athenienſes Re- 25
gium Imperium oratione capti permitterent, cum tamen ex contraria parte amantiſsimus patriæ Solon niteretur. Sed alterius (ut Valerius inquit) ſalubriores erant conciones, alterius diſſertiores, quo evenit, ut alioqui prudentiſsima civitas, libertati ſervitutem præferret.

Petrarc. d. pag. 414

Marcus etiam Tullius, & ex eo Petrarcha (quod magis mireris) e- 26
narrant: Hegeſiam quendam Cyrenaicum fuiſſe tam penetrabilis, ac præpotentis eloquij, ut illo, vitæ huius exponente, ſimul & deplorante, miſerias, plurimi audientium vitam ſponte relinquerent. Mirum prorſus, & inauditum, & natura ipſa valentius orationis genus,

quod

quod & vita odium, & deſiderium mortis ingereret.

27 Sed & ipſe Marcus Tullius adeò in hac dicendi facultate cæteros ſuperavit, ut Princeps Paterque Romanæ eloquentiæ dici mereretur, eique viventi Iulius Cæſar (ut Camerarius refert) hoc diploma ſecuritatis ſimul, & honoris ergò conceſſerit: *Marcum Tullium Ciceronem ob eius eximiam virtutem, & egregias animi dotes, per univerſum orbem terrarum ſalvum eſſe iubeo.* Et crudeliter ab Antonio necato, eximius Poëta Cornelius Severius his elegantiſsimis, & relatu dignis carminibus parentaverit, quæ meritò à Petro Crinito, poſt Annæum Senecam commendantur.

Camer. 3. ſubciſ. cap.63.

Petr. Crinit. lib.1. cap.8.

Oráque magnanimum ſpirantia penè virorum
In roſtris iacuere ſuis. Sed enim abſtulit omnes
Tanquam ſola foret rapti Ciceronis imago:
Tunc redeunt animis ingentia Conſulis acta,
Iuratæque manus, deprenſaque fœdera noxæ,
Patriciumque nefas: eſt nunc & pœna Cethegi,
Disiectuſque redit votis Catilina nefandis.
Quid favor aut cœtus, pleni quid honoribus anni
Profuerint? Sacris exacta quid artibus ætas?
Abſtulit una dies ævi decus, ictaque luctu
Conticuit Latiæ triſtis facundia linguæ:
Vnica ſolicitis quondam tutela, ſaluſque.
Egregium ſemper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, rituſque togæque
Publica vox ſævis æternum obmutuit armis:
Informes vultus, ſparſamquè cruore nefando
Caniciem, ſacraſque manus, operumque miniſtras
Tantorum, pedibus cuius proiecta ſuperbis
Proculcavit ovans: nec lubrica fata, Deoſque
Reſpexit: nullo luet hæc Antonius ævo:
Hoc neque in Æmathio mitis victoria Perſe,
Nec te dire Syphax, non fecit in hoſte Philippo:
Inque triumphato ludibria cuncta Iugurtha
Affuerat; noſtræ cadens ferus Annibal iræ
Membra tamen Stygias tulit inviolata ſubumbras.

28 Sed ut ad Reges redeamus, & eloquentiæ in eis utilitatem, & neceſsitatem firmioribus adhuc ſacræ Sripturæ tibicinibus roboremus, Moyſen reſpice, qui cum à Deo legationis ad Pharaonem munere, & Hebraici populi regimine donaretur, hanc excuſationem oppoſuit: *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo loquutus es ad ſervum tuum, impeditioris & rudioris linguæ ſum.* Nec prius ab hac excuſatione deſtitit, quàm ei Dominus Aaronem fratrem,

Exod.4.10.

rem, quem eloquentem eſſe ſciebat, comitem adiungeret. Sic indicans, hoc valdè Regibus convenire, atque, ut Cicero ait, nullam ſapientiam eſſe perfectam, quæ oratione illuſtri, inſigniqúe verborum luce deſtituatur.

Cicer. lib. 3. de Oratore.

Sapient. 7. 15.

29 Salomon etiam de ſe teſtatur, ſimul cum ſapientia ad populum regendum, quam à Deo ita enixè expoſtulavit, eloquentiam quoque expetijſſe, & conſequutum eſſe, ſic enim habet: *Mihi dedit Deus dicere ex ſententia, & præſumere digna horum quæ mihi dantur.* In quo loco explicando, & exornando, quoniam Pat. Pineda diligenter ſe habuit, ad alium Eccleſiaſtici tranſeo, ubi docemur: *In manu artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in ſapientia ſermonis ſui.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, quòd quemadmodum Phidiam, aut Polycletem, ſuæ eximiæ picturæ, aut ſculpturæ commendant, & ipſe illis, & illæ ipſi conciliant æſtimationem: Sic Princeps propter eloquentiam, ſibi eam conciliat, & parit, ut ibidem omnes Antiqui, & Moderni Expoſitores animadvertunt. Et ultra eos Delrius, ſacrum illud Adagium ſimiliter explicans, *Opera laudant auctorem.* Quapropter & in Proverbijs habetur: *Lingua Sapientium ornat ſcientiam, & os fatuorum ebullit ſtultitiam*; hoc eſt, ornatam, gratam, iucundam reddi ſcientiam per eloquentiam.

Pined. de reb. Salomon. lib. 3. cap. 12. ex pag. 113.

Eccleſ. 9. 24.

Delr. in Adag. ſacr. 2. tom. pag. 508. Adag. 384.

Proverb. 15. 2.

30 Exploratum enim eſt, quantum ad ſcientiæ & facultatis cuiuslibet ornatum præſtet lingua Doctoris, ut placeat, vel diſpliceat auditoribus. Et eloqui benè, idem eſt, quòd operari, ut iam ſupra ex Caſsiodoro, & alijs probatum reliquimus. Qui & ipſe Caſsiodorus alibi Theodadum Regem hoc idem agnoſcentem, & prædicantem his verbis inducit: *Nam inter cæteras artes oratoriam ſic diligimus, ut eam ornamentum omnium litterarum eſſe fateamur. Quicquid enim in qualibet diſciplina conſopitur, ab iſta ſub decore profertur. Reperiat quamvis magna Philoſophus, quid proderit ſentire, ſi laudabiliter non poſsit extollere? Naturale eſt invenire, ſed facundius decenter aſſerere.*

Caſsiod. lib. 10. epiſt. 6.

31 Quæ omnia anſam mihi præbent, advocandam in dubium conſuetudinem, quæ iam ab anterioribus ſæculis inolevit, & in noſtris, tam à Romanis Pontificibus, quàm à Magnis quibuſque Regibus, quaſi ipſorum Maieſtati dignitatiqúe decentior, & convenientior, iudicatur, pauca nimirum per ſe loquendi, & vel ex ſcripto, vel per miniſtros, quos ad id deputatos habent, & antiquitus *Quæſtores* vocabantur, reſcripta edictavè ſua proferendi; & exterarum etiam nationum legatis, & legationibus reſpondendi. De quo more agit Suetonius in Nerone, Sidonius dum inquit:

Suet. in Nero, c. 15.

Sidon. in Paneg. Maior. ad fin.

—————— Cuius dignatur ab ore
Cæſar in orbe loqui, licèt & Quæſtore diſſerto
Polleat.

Et expreſsius Caſsiodorus dum eiuſmodi quæſturæ formulam tradens, ſub ſui Principis perſona loquens: *Quæſturam* (inquit) *toto corde recipimus, quam noſtræ linguæ vocem eſſe cenſemus, &c.* Quibus in locis Guiller. Fornerius, & Hier. Savaro alia diligẽter adducũt, & poſt eos

Caſsiod. lib. 6. epiſt. 5. inform. quæſtur.

P. Ioan.

P. Ioannes Pineda. Etenim ſi ipſi ex ſe apti ſint ad animi ſui conceptus idoneè,ſuaviter,eloquenterque enuntiandos, longè magis in ijs quæ iubent,enuntiant,vel reſpondent,operabuntur,& proprius dicere poterunt,quod ſe ſentire cognoſcunt. Neque in hoc quicquam ipſorum auctoritati detrahitur, cum hæc eloquentiæ vis in eiſdem (ut vidimus) tantopere laudetur,& commendetur.

Pined. de reb. Salom.lib.3.c.9.pag. 111.

32 Et ſanè ex noſtræ Hiſpaniæ annalibus ſatis diſcere poſſumus, eius Sceptrũ tenentes,pari lingua ac manu ſuos ſubditos gubernaſſe,quouſque,cum ad D.D.Philippum I.& Carolum V. perveniſſet, cum linguam noſtram non ſatis callerent,alieno ore loqui cœperunt;vel ſtrictis conceptiſque quibuſdam formulis inſtructi,in audientijs publicis utebantur,& ſupplices ſibi homines,& libellos expediebãt,ut Sandovalius,& alij illius temporis Scriptores enarrãt.Quod non ſemper ab alijs obſervari debet,quibus & fandi,& intelligendi peritiã Deus cõcedere voluit, & ut res poſtulaverit eloqui, interrogare,replicare, & pleniorem eiuſdem notitiam mutuis colloqutionibus conſequi poſſunt.

33 Nam ut apud Stobæum Muſonius aiebat: *Hoc maximè Regium eſt, nõ ſecus oratione colloquentes,quàm armis hoſtes vincere*;Et ut benè Saavedra noſter animadvertit: *Vn Principe que ha meneſter que otro hable por èl,mas es eſtatua de la Mageſtad,que Principe.*Et Salomon,nihil Regiæ dignitati officere,quin potius multum proficere reputabat,&maiorem ſibi venerationem apud populum concitare, ſi ipſum proprio ore loquentem audiret,ſic enim de ſe ſub Sapientiæ nomine,ſcriptum reliquit:*In conſpectu Potentium admirabilis ero,& facies Principum mirabuntur me.Tacentem me ſubſtinebunt,&loquentem me reſpicient,&ſermocinante me plura,manus ori ſuo imponent.*

Stob.ſerm.147.
Saaved.Empreſ.4. pag.31.
Sapient.8.12.

34 Et hæc doctrina alteri neutiquam cõtradicit; quæ in Regibus verborum parſimoniam commendat, (quam Tacitus: *Imperatoriam brevitatem* appellat)& ut quæ neceſſario, & opportuno tempore proferuntur,nimis attentè penſatèque dicantur,ut pluribus ſacræ Scripturæ locis Pat.Ioannes Antonius Velazquez oſtendit, & apertius lex noſtra Partitæ,dum monet: *E porende todo ome, è mayormente el Rei ſe debe mucho guardar en ſu palabra, de manera que ſea acatada, è penſada, ante que la diga.Ca deſpues que ſale de la boca,non puede ome fazer que nõ ſea dicha.*Et alibi:*Ca el mucho fablar faze envilecer las palabras, facile deſcubrir las puridades; è ſi èl non fuere ome de gran ſeſſo,por las ſus palabras entenderànlos omes la mengua que ha dèl. Ca bien aſsi como el cantaro quebrado ſe conoce por ſu ſueno,otroſi el ſeſſo del ome es conocido por la palabra.*Quam comparationem ſumſit ex illo Perſij:

------ *Sonat vitium percuſſa maligne*
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.

Et ex ea nobile quoddam ſymbolum in hanc rem dictus D. Didac. Saavedra formavit,ubi alia ad idem allegat.

Tacit.lib.1.Hiſt.
P.Velazq.de Opt. Princip. lib. 2. annot.19.ex pag.304
L.1.tit.4.par.2.
L.5.d.tit.4.par.2.
Perſ.ſatyr.3.
Saaved. Empr.11. pag.72.

35 Nos enim cum Iulio Candido apud Plinium Iuniorem,& alijs,loquentiam ſeu loquacitatem ab eloquentia diſtinguimus,& illã, quia

Plin.Iun.lib.5. ep.20.
Sidon.lib.7.epiſ.2. lib.9.epiſt.9. D.Iſidor.lib.10.etym.

in multiloquio conſiſtit,fatuam,periculoſam,& Regibus haud dubiè indignam eſſe fatemur,ut Salomon idem nos admonet, inquiens: *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia ſua prudentiſsimus eſt.* Eloquentiam verò, cum brevitate coniungi poſſe agnoſcimus,breviqúe ſermoni multum prudentiæ, ut ait Sophocles,ineſſe poſſe, & hanc, eiuſque uſum in noſtro Rege deſideramus, non ignari orationis prolixitatem multa mala ſecum afferre ſolere, quæ benè Ioannes Nevizanus expendit, brevem autem prudentemque ſermonem,ut Origenes tradit, libentius,& attentius audiri, & melius memoriæ commendari.

Proverb.10.19.

Nevizan. in ſylva, 4 par. n.17.

Vnde legimus Phocionem apud Athenienſium concilium verba facturum, maiori ſtudio cogitare ſolitum fuiſſe, quid orationi detraheret,quàm quid in ea dicturus eſſet.Quod referens,& laudans Eraſmus: *Alij* (inquit) *ſoliciti ſunt,ut quàm plurima dicant, quo videantur diſerti: illi diverſa erat cura, nimirum ut quæ ad rem faciebant, verbis quam paucisſimis complecteretur, & ſententioſæ breviloquentiæ conſuleret.* 36

Eraſm.li.4.apoph. pag.mihi 306.

Et profectò, cum nihil aliud eloquentia omnis ſit, quàm ars benè dicendi:nemo quidem benè dicet,niſi qui quædam taceat,& cum miſerum ſit loqui non poſſe,peius tamen loqui,ubi tacere oportet, ſummæ verò fœlicitatis,ſed quæ paucis contingit, ex prudentiæ rationiſque ductu,& benè loqui poſſe,& benè tacere. 37

Quod melius adhuc edocuit Divus Auguſtinus,dictum Proverbiorum locum exponens,oſtendenſque,non multam ibi eloquentiam,ſed multiloquium reprehendi: *Multiloquium autem eſt* (inquit) *ſuperflua loquutio, vitium ſcilicet loquendi amore contractum. Plerumque autem loqui amant, etiam qui neſciunt quid loquantur, vel quomodo loquantur.* 38

D.Aug.lib.3. contra Creſcon. c.1.

Cæterum de hoc hæc tetigiſſe ſufficiat,& exempli loco Regis noſtri Potentiſsimi orationem,de qua ſuprà diximus, multa paucis cõplectatem. Nunc ne me aliquis,dum brevitatem laudo, longum vel loquacem appellet,contentus ero hanc commentationem Caſsiodori verbis finire,qui Amalaſuentam Italiæ Reginam laudans,ac veluti in exemplar bonorum Regum proponens, inter alia, quæ in ea eximiè commendat,hoc extollit,quòd eſſet, *In tractatibus acuta, ſed ad loquendum ſumma moderatione graviſsima; & paucis verbis ſenſum clauderet infinitum,& ſumma facilitate componeret,quod ab alijs nunc ſub lõga deliberatione formatur.* Semperque tam in Regibus,quàm in quibuſvis privatis hominibus illud Ciceronis certiſsimum erit: *Eloquentiæ ſermonis copia ſine ratione, & ſapientia nocet aliquando, rarò aut nunquam prodeſt. Sapientia verò ſine eloquentia,prodeſt ſemper,nunquam obeſt.* 39

Sup.in Epiſt. Dedicat.


Caſsiod. lib.10. epiſt.4.

Cicer. in Prolog. Rhet.

Vndi-

Vndique illæſus.

EMBLEMA XXIIX.



Quàm purum, quàm læve micat, quàm candicat altè
Hoc ſpeculum, quo nec ſiſtere muſca poteſt.
Sis tibi Rex ſpeculum, tua ſit cryſtallina vita,
Non aderit nebulo, ſi tibi nævus abeſt.

COMMENTARIVS.

1 DICET fortaſſe aliquis, multa Nos in bono noſtro Principe benè educando atque inſtituendo requirere; ſed ſi munus cui deſtinatur attendat, videbit profectò, in quolibet, tametſi multis polleat, plura deſiderari, & ita in cunctis præſtare debere, tanquàm ſi univerſa ad ſingula reduxiſſet. Verum reddens illud, quod falsò, & per lænocinationem, de ſuo Stilicone dixit Claudianus: Claud. de laudib. Stilic. lib. 1.

------------ Et quæ ſparguntur in omnes,
In te mixta fluunt, & quæ diverſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

Et talem ſe oſtendens, ut iuxta Cyri, & Alphonſi Regis Apophthegmata, non ſolùm imperio & dignitate, verùm virtutibus, & omnibus artibus Regno gerendo neceſſarijs, ſuis ſubditis præſtet, tantoque his melior & ſapientior exiſtat, quanto, loco, & honoribus Cyr. apud Plut. in Apoph. Alph. apud Panorm. lib. 4.

Pierius lib.26.fol. 190.& ſeq.Põtan. in bellar Att. 2. p. pag. 199. & plura de ſpeculis,& eius uſu, & ſymbolis Merſin. in Geneſ. ex pag.510.

antecellit.Atque (ut verbo dicam) tam ſibi, quàm ſuis, terſum adeò & lævigatum ſe ſpeculum exhibens, ut ne muſcæ quidem (quæ apud Ægyptios, & alios ſemper improbitatis, impudentiæ, & pertinaciæ ſymbolum fuerunt) & earum ſimiles nebulones,momi,zoili,ac ſycophantæ,in eo pedem figere poſsint,nec quſdquam reperire,quod iure cenſeri notarivè mereatur.

Plut. in Moral. & apud Lycoſthen.in ſimilib.pag.52.

Et hoc eſt quod præſenti Emblemate deſignamus, ex Plutarchi penu depromto,qui eadem comparatione utitur ad probandum, aliquos in triſtibus tantùm, & adverſis hærere, quam Nos melius eò deducimus,ut probemus,bonos & candidos Principes,improborum calumnijs non ſubiacere. 2

Virg.in deſcript. viri boni,poſt eius opera, quam alij Auſonio Gallo tribuunt.

Aqua non abeſt Virgilius,dum in viro bono, quem elegantiſsimè deſcribit,inter alia exigit,ut ſit, 3

Securus,mundi inſtar habens, teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per lævia ſidat.

Cui ſimile eſt illud Horatij de viro ſapiente:

Horat.lib.2. ſerm. 7.

Fortis,& in ſe ipſo totus teres atque rotundus
Externi ne quid valeat per læve morari,&c.

Strad.in Symbol. pag.55.

Et in eandẽ ipſam reſpexiſſe videtur Ludovicus Vngariæ, & Boemiæ Rex,de quo in ſuis ſymbolis narrat Strada, quòd pro Symbolo Speculum ſumſit,cum lemate: *Vndique illæſus*,ut denotaret, animi ſui candorem, ſive lævorem,nihilque ſibi conſcium eſſe, ob quod ab æmulis vel invidis morderetur. 4

Nazianz. in Apol. pag.24.

Divus etiam Gregorius Nazianzenus Chriſtianum gubernatorem eſſe vult,tanquam argentum, vel aurum undique verſatum, & in quibuſcunque temporibus ac rebus probatum,nullaque ex parte adulterinum quicquam ſonare, aut ære ad mixtum, nihilque vilioris materiæ,& dignæ ardentiore igne in ſe ipſo ferre. 5

Et quidem nihil magis Regibus ac Principibus convenit, quàm ut ſibi ipſis ſpeculum ſint, hoc eſt ſe ipſos in ſe ipſis frequenter inſpiciãt, & contemplentur,tanquam in ſpeculo,atque ita ſe noſcant, & ut cum Virgilio,ſive Auſonio iterum loquar: 6

----- Iuſto trutinæ ſe examine penſent,
Ne quid hiet,ne quid protuberet,angulus æquis
Partibus ut coeat,nihil ut deliret amuſis:
Sit ſolidum quodcunque ſubeſt,nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

Pier.lib.42.fol. 307.

Vnde Pierius Valerianus ait, eſſe quoſdam,qui ſpeculum explorationis ſignũ eſſe velint,propterea quòd & nævi,& rugæ,& uniuſcuiuſque color,& alia quæ forent incognita,indice ſpeculo deprehenduntur.EtSocrates,nihil adeò, quàm ſpeculi uſũ diſcipulis ſuis cõmẽdaſſe dicitur, utpotè in quo boni bona ſua intueri æſtimarentq; poſſent, & deformes deformia cognoſcẽtes,ea emedare curarẽt,ut latiùs Apulei[9] exponit:quẽ præivit Senec.ſic poſt alia de eiſdẽ ſpeculis inquiẽs: *Specu* 7

Apulei.Apol.1.

Senec.lib.1.natur. quæſt.cap.ult.

lum in quod aſpicimus, datum nobis à natura fuit, non ut pilos è ſuperciliјs, aut barba velleremus, non ut faciem inficeremus coloribus, non ut rugas traheremus; ſed ut nos metipſos notemus, moreſque, illius intuitu, in melius formemus, prout antiquos illo uſos fuiſſe cognovimus, &c.

8 Et in idem tendit fabula Faerni, de monito patris, cum formoſo filio, & deformi filia loquentis; & ita conſulentis: Faern. Fabul. 47.

Quotidie ſpeculo vos uti volo,
Tu formam ne corrumpas nequitia mali;
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Neque aliud docent Monaſticha illa iambica, eorundem ſpeculorum uſum ita graviter deſcribentia:

Inventa ſunt ſpecula, ipſe homo ut ſe noſceret:
Intuere ſpecula; te ipſum quid deceat ſpeculum docet.
Qui ſpeculum ſanè intuetur, officij meminit ſui.

9 Accedit his alia non minùs congrua ſpeculi cum Principe comparandi ratio, videlicèt, quòd talem ſe ſuis exhibere debeat, & ea vitæ luce candoreque nitere, ut illis ſe tanquam puriſsimum ſpeculũ præbeat, quod ſemper abſque ulla macula contueantur, & in quod pariter reſpicientes, ipſi ſuos motus moreſque componant. Quod vel ad eoſdem Principes terſiores, modeſtiores, continentioreſque reddendos, plurimum ſanè operari debebit. Eòque tendit illud David: *Oculi* Pſalm. 122. 2.
ſervorum in manibus dominorum ſuorum. Zachariæ: *Super lapidem unum* Zachar. 3. 9.
ſeptem oculi.

10 Et expreſsiùs Alfonſus Rex Noſter, quatenus in una ex ſuis legibus inquit: *Porque los omes tomen exemplo de ellos, delo que les ven fazer: è por eſto dixeron por ellos, que ſon como eſpejo en que los omes ven ſu ſemejança de apoſtura, ò de enatieza.* Et in alia, eoſdem exhortans ad bonum hoc exemplum ſubditis ſuis præſtandum, ſic habet: *E otroſi para mantener bien ſu pueblo, dandole buenos exemplos, para que fagan bien; ca non podria èl conocer à Dios, nin lo ſabria temer, nin amar, nin otro ſi bien guardar ſu coraçon, nin ſus palabras, nin ſus obras, nin bien mantener ſu pueblo, ſi es coſtumbres, è maneras buenas non oviеſſe.* Quæ ultima verba mutuata videntur ex illis Senecæ: *Si vis tibi omnia ſubiicere, ſubiicete rationi: multos reges, ſi ratio te rexerit: ab illa diſces quid, & quemadmodum aggredi debeas.*

L. 4. tit. 5. par. 2.

L. 6. eod. titulo, & part.

Senec. epiſt. 37.

11 Et propriùs, ad ſpeculi repræſentationem de qua loquimur, alludens Evagrius, ita loquitur: *Imperator non ex eo quòd alijs imperat, ſpectari debet, ſed ex eo, quòd ſeipſum ita regere, & moderari poteſt, ut nullũ abſurdum voluptatis genus ſinat in animum irrepere, ſed ita invictum ſe ab intemperantia præſtet, ut vita eius ſit tanquam imago virtutis, quàm imitentur ſubiecti eius, & ad virtutem erudiantur.* Et Paulus Manutius dum habet: *Eſt enim ita more comparatum, ut in eorum qui imperant vitam, ij qui parent, veluti in ſpeculum intuentes, dicta ſimul & facta diligenter animadvertãt: inde oritur cupiditas imitandi, inde fit, ut aut virtutes emanent, aut vitia deriventur.*

Evagr. lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 1.

Paul. Manut. lib. 11.

Iuven.ſatyr.8.

Antiquior his Iuvenalis, hanc quoque temperantiam in magnis 12
Poteſtatibus, vel ob id, quòd omnium oculis patent, ita ſuadet,

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.
Secretum divitis ullum
Eſſe putas, homines taceant, iumenta loquentur.

Senec. in Thyeſt.

Et Seneca Tragicus nullum domus Regiæ vitium in occulto eſſe poſſe, ſic ait:

Pellucet omne Regiæ vitium domus.

Ovidius ad Liviã.

Et Ovidius elegantiſsimè, Liviam; vel ex hac cauſa ad probos mores ſervandos ſuadens, ſic inquiens:

Impoſuit te alto fortuna, locumque tenere
Iuſsit honoratum Livia, perfer onus,
Ad te oculos aureſque trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi,
Alta mane, ſupraque tuos exurge dolores,
In fragilemque animum quo poteſt uſque tene.

Plutarc. in mor. in lib. de Polit.

Plutarchus etiam idem oſtendit, hac eleganti ſimilitudine utens: 13
Quemadmodum maiori ſolent haberi dedecori, notæ in facie, quàm in reliquo corpore, ſic etiam minima Principum errata notantur. Qua ipſo non relato, uſum comperio Eraſmum, & Arnoldum Ferronum, ut & illa Solis Seneca, de Nerone agens in hunc modum: *Tibi non magis, quam Soli, latere contingit. Multa contra te lux eſt: omnium in iſta cõverſi ſunt oculi. Prodire te putas? Oriris. Loqui non potes, niſi ut vocem tuam, quæ ubique ſunt gentes excipiant.*

Eraſm. in ſimil. fol. 1. Ferron. de geſt. Franc. lib. 3.

Senec. lib. 1. de Clem. cap. 5.

Quem imitatus videtur Plinius Iunior, ſic ſcribens: *Habet hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: Principum verò non modo domus, ſed cubicula ipſa intimoſque receſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat.* Caſsiodorus inquiens: *Non patitur claritas illa committere, quod poſsit mobilis turba neſcire.* Et non minùs eleganter Claudianus, Honorium Imperatorem ſic Patris nomine inſtruens: 14

Plin. Iun. in Paneg. ad Trajan.

Caſsiodor. lib. 3. epiſt. 11.

Claudian. in 4. Conſ. Honor.

Hoc te prætereà crebro ſermone monebo
Vt te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas: cunctis tua gentibus eſſe
Facta palàm: nec poſſe dari Regalibus uſquam
Secretum vitijs: nam lux altiſsima fati
Occultum nihil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & abſtruſos explorat fama receſſus, &c.

Gunth. in Ligur.

Et breviter eo verſu complexus fuit Guntherus:

Abſcondat Solem, qui vult abſcondere Reges.

Sariſb. in Policrat. lib. 3. cap. 12.
Eraſm. in Adag. pag. 118.

Quibus locis ſimilia alia addit eleganter de hoc tractans Ioannes 15
Sariſberienſis, & Eraſmus, docens, ea, occaſionem Adagio feciſſe:

Re-

Regum caſus omnes norunt. Et Philippus Camerarius, hinc meritò colligens, debere Principes, non ſceleribus, ſed virtutibus, & bono exẽplo immortale nomen ſibi parare. Teſte enim D. Gregorio: *Summus locus benè regitur, cũ is qui præeſt, vitijs potius quàm ſubditis dominatur.*

Camerar. 3. ſubcíſ. cap. 7. & cap. 66.

D. Greg. lib. 26. Moral.

16 Et cum ſecundùm ſuprà relatos, & Quintilianum, quò ad altiorem quiſque honorum gradum extenditur, magis in exemplum ſpectantibus pateat, hoc efficere debet, ut minùs ſibi quàm privatis licere cognoſcat, ut præclarè hæc omnia iungens, monuit Salluſtius, dum dixit: *Qui magno Imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorumque facta cuncti mortales novere; ita maxima fortuna, minima licentia eſt.*

Quintil. in Milit. Mariano.

Salluſt. in Catilin.

17 Et Ego hic commonendum cenſui, ut turpem illam vocem turpiũ, & depravatorum Principum procul à bonorum, & Chriſtianorum aulis amandemus, qui Regiam & Imperatoriam Maieſtatem in eo conſiſtere putant, ut nullo iuſti vel iniuſti, fandi vel nefandi diſcrimine habito, id omne ſibi licitum, quod libitum, arbitrentur, & voluntatem, voluptatemvè ſuam cum poteſtate metiantur. Quæ vox iam olim Caligulæ, & Neroni, ut Suetonius ait, excidiſſe videtur, ſentientibus, *Omnia ſibi in omnes licere*; & liberiùs Iuliæ, Caracallæ novercæ, cuius complexus cum ille ardere cœpiſſet, & ſola honeſti ratione contineretur, optareque ſibi licitos eſſe, ſignificaret, illa inverecundè, Spartiano teſte, reſpondit: *Si libet licet, an neſcis te Imperatorem, & leges dare, non accipere*; prout & in ſimili, Cambyſi, inceſtas ſororis nuptias concupienti, à Satrapis Perſarum reſponſum fuiſſe, Herodotus commemorat. Vnde Memmius apud Salluſtium pronuntiat: *Impunè quidlibet facere, id eſt Regem eſſe.* Et Calpurnius Flaccus, Regis orationem eſſe dixit, *Libuit, & licuit.* Et Seneca Tragicus ſub Tyranni perſona, Precario regnari, ubi ea tantùm quæ iuſta ſunt, Regnantibus licent. Et Philippus Auguſtus, Francorum Rex, Principibus nonnullis id ſibi perſuaſum ait: *Vt quodlibet liceat, quod liceat poſsint, quod poſsint audeant, quod audeant, faciant.*

Sueton. in Calig. c. & in Neron. cap. 37.

Spart. in Caracalla, latè Crinit. lib. 6. cap. 5.

Herod. lib. 2.

Salluſt. in Iugurtin. cap. 31.

Philip. in epiſt. ad Card. apud Fileſ. de Idololat. Polit. cap. 2. pag. 15.

18 Eiuſmodi etenim, & ſimiles voces, Tyrannorum potius, quàm iuſtorum Principum ſunt, quos Nos ſibi, & ſuis ſpeculum eſſe debere, & dicimus, & optamus. Certè enim his, non ſolùm nõ debet licere, quod lubet, verùm ne id quidem quod licet, niſi & ſimul honeſtum ſit, ut aliud agens inquit Iureconſultus, & in ipſis de quibus loquimur terminis Seneca Tragicus inquiens:

I.C. in l. non omne, de reg. iur. cum ſimil.

Senec. in Troad. Act. 2.

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Et eleganter Claudianus, ſemper præoculis habendus:

------------ Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, ſed quid feciſſe licebit
Occurrat, mentemque domet, reſpectus honeſti.

Claud. in 4. Conſ. Honor.

19 Et re vera, ille verus eſt Rex, ſeque hoc nomine, & titulo verè dignum oſtendit, cui (ut modò cum Salluſtio dixi) *In maximo Imperio minima licentia eſt*; & non deteſtandas illas voces, quas retuli, ſequitur, ſed Senecæ illas: *Minimum debet licere, cui nimium licet. Tantum quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe. Multa Tibi non li-*

Senec. Tragic. in Troad. Alter epiſ. 91. & de Coſol. ad Polyb. cap. 26.

Plin.Iun.in Paneg. ad Trajan.

ſent, quæ humilibus, & in angulo iacentibus licent. Plinij Iunioris: *Fœlicitatis eſt, quantum velis poſſe. Magnitudinis eſt velle quantum poſsis.*

Iuvenal.Satyr.4.

Et Iuvenalis, rectè docentis, nihil eſſe violentius Aure Tyranni, cui illud ſemper in promptu:

Sic volo ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Eraſm. in Adag. *Scarab. Aquilam,* pag.719.

Sup.Emb.XVI.

Cum potius vel Eraſmo (ultra plurimos alios) monente, iuſtorum Principum, ut & Philoſophorum, propria virtus, & laus eſſe debeat: *Moderari affectibus, ac rationis ductum in omnibus ſequi.* Quod qui ignorat, Rex verus verè dici non poterit, iuxta Claudiani, & aliorum documenta, quæ iam alio loco recenſui, & in hoc commodè repeti poſſunt. 20

Etenim in hac de ſe ipſis victoria, tota Regum virtus, & commendatio conſiſtit, & rectè idcircò dixit, ille qui dixit: 21

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſsima vincit
Mœnia, nec virtus altior ire poteſt.

Plato lib.1. de leg.

Horat. li.2. Od.2.

Et Plato, dum ait: *O mnium victoriarum hanc eſſe tum primam, tum propriam.* A quo habuit Horatius, quatenus uno loco inquit:

Latius regnes, avidum domando
Spiritum, quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus iungas: & uterque Pœnus
Serviat uni.

Idē epiſt. 2.lib.1.

Et in alio,

--------- *Animum rege, qui niſi paret,*
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Plaut. in Trinummo.

Mens quippè eſt ad cuius præſcriptum dirigendæ ſunt functiones animi. Quo nomine ſæpius voluntas capitur, ut & Plautus oſtendit: *Tu ſi animum viciſti, potius, quàm animus te, eſt quod gaudeas.*

Curtius lib.4. Camerar.lib.3. c.69. pag.251.

Valer.lib.4.c.3. §. 1. Livius lib.16. Gellius 6.cap.8.

Et hæc victoria, in oculorum continentia erga filias Darij, eximia pulchritudine virgines, quas captivas tenebat, magis Alexandrum Magnum, teſtante Curtio, quàm reliquæ commendavit, ut & Scipionem Africanum ſimilis alia, cum Indibilis ſponſa, de qua latiùs Valerius Maximus agit, & Plutarchus, eiuſdem per totam vitam eximiam in ſe ipſo vincendo continentiam, & fortitudinem laudans. 22

Plut. in Polit.

Proverb. 16.7.

Debent quippè, qui ſpeculum de quo agimus repræſentant, omni prorſus quantumvis levi macula carere, & undique ſe illæſos præſtare, talique candore excellere, ut ne in minutiſsimis quidem ab eo, Regiaque Maieſtatis, ac dignitatis decore degenerent, & omninò etiam in rebus minimis à mendacio vacent. Nam ut in Proverbijs habetur: *Non decent ſtultum verba compoſita: nec Principem labium mentiens.* 23

L.3.tit.4 par.2.

Baſil. Imp. in exh. ad fil.cap.29.

Quod etiam monuit Rex noſter Alfonſus X. dum in quadam ex ſuis ſeptem Partitis legibus ait: *Otroſi los Reyes que tienen el lugar de Dios en la tierra, è à quien pertenece de guardar mucho la verdad, deben parar mientes, que no ſean contra ella, diziendo palabras mentiroſas.* Et Baſilius Imperator ſic Leonem filium commonefaciens: *Maximi pen-* 24

dito,

dito, & veracem te eſſe, & veraces homines in familiaritatem tuam admittere; ita enim & firmus, & conſtans in omnibus factis, & dictis exiſtimaberis, ac veram, & non ſuſpectam tuorum erga te benevolentiam retinebis. Si autem in mendacij, & vanitatis ſuſpicionem veneris, indigna facere Imperatoria maieſtate, qua auſus es, convinceris, efficieſque, ut ſubiectiſemper formidoloſi, rerumque omnium incerti, & titubantes vacillent.

25 Divus etiam Thomas multus eſt in hoc Mendacij vitio Principibus diſſuadendo, quod Ariſtoteles ſervorum vitium eſſe dixit. Illudque ideò generoſis & ingenuis Principibus, ut venenum fugiendum, & ut adulterinam monetam: *Nam Princeps* (inquit) *mendax, parvi valoris eſt, & cum non velit unum de denarijs ſuis eſſe falſum, ſe hoc uno denario viliorem videtur habere, ſi ſe ipſum falſum, & mendacem exhibeat.*

D.Thom.de Regim.Princ.lib.

Ariſtot.li.4. Æth.

Plato lib 2.&5.de Rep. Xenoph. lib. 4. de dict. & fact. Socrat.

26 Quod ideò in præſentiarum pungere volui, quoniam multos noſtri temporis Politicos video, qui Platonis, & Xenophontis ſententiam ſequuti, Deum quidem, quia nemine eget, mendacio quoque nõ egere dicant. Principibus verò viris, cum pluribus egeant, aliquando non ſolùm permiſſum, verùm & neceſſarium mendacium eſſe videri, quatenus ad bonum commune dirigatur. Hæc enim doctrina procul a Chriſtianis Principibus eſſe debet, quorum norma Chriſtus eſt, qui, ut Divus Ioannes Apoſtolus inquit, veritas appellatur, & legem ſuã in veritatis baſe conſtituit.

Ioan.14.6. & in epiſt.1.cap.5.6.

Marq. in Gubern. Chriſt.lib.1. c.14. & lib.2.cap.7.

27 Vnde illam, tanquam erroneam, meritò pluribus rationibus & argumentis Ioannes Marquez exagitat, & noviſsimus Noſter Saavedra, docens, ſimulationem aliquando, mendacium verò apertum, nunquam Reges decere. Quod & ad ipſorum Regum legatos extendit D.Chriſtophorus de Benavente & Benavides, Comes del Fontanar, (nobis, heu, hoc quo hæc ſcribimus tẽpore, fatis ereptus) & Ego multis alibi adſtruo, ex Divo Auguſtino, & alijs copioſè probans, non licere cuiquam, etiam pro totius mundi ſalute mentiri. Indorumque ſapientibus, Perſis, & alijs, ita inſitum fuiſſe videtur, ut nihil æquè, ac mendacium punierint, & ter de eo convictos, ad nullum Reipublicæ munus admittendos cenſuerint, ut Xenophon, Diodorus Siculus, Philoſtratus, & alij teſtantur.

Saaved Emp.43. ex pag.285.

Benav. in advert. Princ.&legat.cap. 21.per totum.

Ego 1.to. lib. 2. c. 14.num.15.

Xenoph.in Cyrip. lib.3. Diodor li.3. c.10. Philoſ lib 2. Arrian.lib.3.Hera clid.de polit. lib 1.

28 Et ex his etiam colligi poteſt, quid ſentire debeamus de nefario illo Lyſandri dicto, quo docere ſolitus erat, ut Plutarc. commemorat, Reges & Imperatores non teneri ad fidem datam, vel promiſsionem etiam iureiurando munitam, obſervandam; ſi id ſibi expediens non fuerit, & ut pueros aſtragalis, vel taxilis, ita eos, quibus cum eiuſmodi fœdera feriunt, iuramentis eludere poſſe. Nam licèt hunc errorem Machiavellus etiam noſtris temporibus ſuſcitaverit, & in eundem (quod magis eſt) Hieronymus Oſſorius incidere videatur, dum conſulit, poſſe Principes ſæpè, pro Regni ſui ſalute conſervanda mentiri, & fidem datam violare, ne dum fidei gloriam quærunt, nomen ſapientiæ, & ſanitatis amittant. Contrarium tamen certius, & receptius eſt, ut pluribus Petrus Surdus, & Vincentius Cabotius, poſt alios

Plut. & Probus in vita Lyſand. Tull. 1. Off.

Oſſor.de Reg.inſt. lib.1.in fin.

Surd. multis relatis deciſ. 234. per tot.Cabot. 2.diſp. c.13.& ſeqq. Vvarem de fœderib. lib.2.ex n.165.

oſten-

oſtendunt. Nihil enim eſt quod in Principibus magis eminere debeat, quàm dictorum promiſſorumque conſtantia, & veritas, ac fides etiam hoſtibus data, & nudo verbo promiſſa, quod apud eos tantum valere debere, quantùm in alijs ius iurandum Alfonſus Aragonũ Rex dixiſſe narratur.

Panor. de dict. & fact. Alfonſ. lib. 1. & ibi Sylv. in Addit.

Cuius dictum commentans Æneas Sylvius addit, animo Principes, non alia quavis arte obſtringi poſſe, & graviter dolet, hodie certiora eſſe meretricum, quàm Regum promiſſa. Et Georgius Acacius refert D. Imper. Carolum Quintum ſimiliter dixiſſe, fidem à terris exulantem, apud Imperatores hoſpitium invenire debere. Sed præſtat Guntheri carmen ſubnectere, qui Fridericum Primum Imperatorem inducit, in hæc verba populo, qui ab eo quaſdam pactiones iurari petebat, reſpondentem: 29

Acacius de privil. iur. civil. lib. 3. c. 8.

Gunt. in Ligurino lib. 3. fol. 81.

Iuramenta petis? Regem iurare minori
Turpe reor: Nudo ius, & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet; quovis iuramine maior.
Non decet in labijs verſari lubrica Regis,
Non decet ore ſacro mendacia cudere Regem:
Sancta & plena ſuo ſunt Regia pondere verba,
Dicta ſemel nullum patiuntur iure recurſum.
Ergo quod inſtigas iurando iure paciſci,
Pone metum curæ, vel non iuratus habebo, &c.

Bald. cõſ. 327. li. 1.

In idemque tendunt vulgatæ illæ, & quotidie in Tribunalibus perſonantes Baldi ſententiæ, quòd Principibus maximè conveniunt verba illa, quæ de Deo in Sacra Pagina proferuntur, ſemel loquutus eſt Deus, quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita: & quòd Princeps debet habere unum calamum, & unam linguam, & eſſe immobilis in promiſsis, & verbis oris ſui, inſtar lapidis angularis, vel ſicut Polus in Cœlo. Quas referens, & illuſtrans Rolandus à Valle æquè affeveranter conclndit: ***Fidem fallere gravibus grave eſſe, gravioribus gravius, & viris exemplaribus graviſsimum; ideòque in Regibus, & Principibus plusquàm graviſsimum.***

Roland. conſ. 2. n. 150. lib. 1. & conſ. 1. n. 34. lib. 2.

(*⁎*)

Scep-

Sceptrorum imitatio potentiſsima.

EMBLEMA XXIX.



Diſcolor ut pecudi virga obverſata ſub undis
Vellere ſit ſoboles verſicolore facit.
Sic quibus imbueris Regalia Sceptra, colores
Imbuet exemplum plebs meditata Ducis.

COMMENTARIVS.

1 HOC Emblema ſuperioris auctarium vel conſectariũ eſſe poterit. Nam cum Principem non ſolùm ſibi, verùm & ſuis, ſpeculum eſſe debere dixerimus, eundem nunc, ut magis purum, terſum atque illæſum ſe illis præbere ſtudeat, vel ex eo admonemus, quòd nihil potentius efficaciuſque ad ſubditorum mores dirigẽdos, & componendos, quàm vita & exemplum ipſorum Principum reperiatur. Nam ut Tullius ait: *Studioſè plerique facta Principum imitantur.* Et iuxta Livij ſententiam: *Ipſi ſe homines, in Regis, velut unici exempli mores formant.* Tull.1.Offic. Livius

2 Sumitur autem ex hiſtoria Geneſis, ubi cum Iacob cum Laban ſocero deſortiendis, ſibique ſumendis maculoſis ovium partubus pepigiſſet, & alijs ſocero relinquendis, virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis ſumſit, eaſque ex parte decorticavit, detractiſque corticibus, in ijs quæ ſpoliata fuerunt, candor apparuit; illa verò quæ integra fuerant, virida permanſerunt, atque in hunc modum Geneſ.30.34.& ſeqq.

color

color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus ubi effundebatur aqua,ut cum veniſſent greges ad bibendum , ante oculos haberent virgas,& in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt,ut in ipſo calore coitus,oves intuerentur virgas,& parerent maculoſa,& varia,& diverſo colore reſperſa.Quemadmodum è contrario, nigra in totum, vel alba, quæ in contemplatione virgarum in totum albarum,vel nigrarum concepta erant.

Valles de ſacra Philoſ.cap.11. Perer. Merſer. & alij in d. loc. Gen. Levinus de occ. nat. mirac. lib. 4. A.ciat.inl.quæret, de verbor. ſignif. Theat.verb. *Imaginatio*, Camerar. 1. ſubciſ cap.54.Pet. Mex. in Sylv. var. lect.2.par.cap.8.

3 Quod,licèt quantum ad hiſtoriam pertinet, ex naturali Philoſophia fundari poſsit,quæ docet, quàm efficax ſit imaginandi vis in tempore conceptionis , tam in mulieribus , quàm in pecudibus ; de qua multi multas rationes, & exempla paſsim adducunt , & præſertim D. Hieronymus , de pulchris inde noſtræ Hiſpaniæ equis & equabus ſermonem habens.

Pint.in Ezech. cap.17.

4 Quoad Myſticum tamen ſenſum , cum varias ille locus habeat applicationes,eam Ego ad præſens Emblema formandum delegi, quam doctiſsimus Hector Pintus his verbis proponit: *Quemadmodum qualis erat color virgarum Iacob , talis erat color pecorum, quæ naſcebantur ex ovibus in aſpectu virgarum concipientibus . Quales ſunt Regis actiones, tales ſolent ſubditi cogitationes concipere. Iacob eſt Princeps, virgæ ſunt eius opera , oves ſubditi,conceptus,cogitationes.* Eandemque,Pinto nõ citato,his verbis clauſit noſter Pat.Euſebius Noriembergius: *Sceptra mihi videntur ſicut Iacobi virgæ , pro ipſarum colore induunt mores ſubditi.*

Noriemb.in Theopol.tom.2. par. 2. lib.3.pag.566.

Ierem.2.

David Pſalm.109.

Clem.Alex.1.Pædag.cap.7.

Numer.17.

Prudentius.

5 Cui Ego addo in ſacra Pagina ſæpè virgam pro Sceptro ſumi ſolere, iuxta illud Ieremiæ : *Virgam vigilantem ego video*; ubi D.Hieronymus inquit,Septuaginta Interpretes pro virga, Sceptrum, ſive baculum tranſtuliſſe . Idemque ſenſus ab omnibus interpretibus datur verbis David : *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion* , & alijs, quæ expendit Clemens Alexandrinus , & ſimiliter virgis, quas Deus accipere iuſsit Principes duodecim tribuum, quando eas diviſit.Quas omnes & amygdalinas fuiſſe conſtat,ut & illas Iacobi , eaſque cum virga Aaron reponi in tabernaculo iuſſas . Neque abeſt Prudentius dum cecinit:

Regnum per omne iuſſus
Sacram tenere virgam.

Infr.Embl.65.

Et alij , quos alibi, de virgis Magiſtratuum loquentes,adducemus ; & ad ſaturitatem noſter D. Antonius Cabrerus congeſsit.

Cabrer. de metu, lib.2. c.15. ex n.4.

Claud. in 4. Conſ. Honor.

6 Porrò ad efficaciam exempli,& imitationis Regum in populis ſibi ſubiectis : & quòd magis ipſorum facta,quàm leges,& edicta in componendis , & corrigendis ſubditorum moribus operentur, quia locus communus, & vulgatiſsimus eſt, contentus ero ex multis,quæ ad eius illuſtrationem adducere poſſem,ſelectiora aliqua recenſere . Initium a Claudiani carminibus ſumens, quæ licèt notiſsima ſint , ob ſui elegantiam omitti non poſſunt:

In commune iubes ſi quid,cenſeſve tenendum
Primus iuſſa ſubi; tunc obſervantior æqui

Fit

Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Authorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita Regentis
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Qui ultimus verſus, iam in Adagium tranſijſſe videtur, ut conſtat ex nova eorum collectione, ubi ſimilia ſunt: *Sic Reges faciunt. Novus Rex nova lex. Theramenes cothurnus, Dum caput dolet cætera membra dolent.* In quorum expoſitione Eraſmus, Cognatus, & alij, plura notarunt. Eraſm. & Cognat. in Adag. pag. mihi 518.

7 A quibus non longè abſunt illa, quæ in ſacra Pagina habentur: *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius; & qualis Rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea. Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios,* quibus in locis Expoſitores alia notarunt. Eccleſ. cap. 10. v. 2 Prover. 29. 12.

8 Et fuit nobilis, & antiqua doctrina Platonis, dum monuit: *Plerumque accidit, ut ij qui ſubſunt, mores eorum exprimant, ſub quorum Imperio degunt.* In qua tamen, illud *Plerumque,* Ego tollendum cenſerem. Nam non plerumque, ſed ſemper hoc contingere ſolet, ut Herodianus teſtatur; & D. Chryſoſt. inquiens: *Solet enim civium multitudo ſuorum Principum mores tanquam exemplar aliquod intueri, & ad illorum rationes ſe ſe effingere.* Et Caſsiodorus, dum non minùs graviter, quàm audacter ſcripſit: *Publici decoris mater eſt mens Regentis: & quale fuerit dominantis arbitrium, talem parit libertatis aſpectū. Facilius eſt quippè (ſi dicere fas eſt) errare Naturam, quàm diſsimilem ſui Princeps poſsit formare Rempublicam.* Plat. lib. 8. de Rep. Herodian. lib. 4. D. Chryſoſt. de Sacerd. ſerm. 3. c. 14. Caſsiodor. lib. 3. epiſt. 12.

9 Vnde Trajanus pro ſymbolo habuiſſe dicitur, *Qualis Rex, talis Grex.* Et de eodem agens, Plinius Iunior, hanc cenſuram perpetuam, & indeſinentem vocavit, ſic inquiens: *Nam vita Principis cenſura eſt, eaque perpetua. Ad hanc dirigimur, ad hanc componimur. Non tam imperio nobis eſt, quàm exemplo. Flexibiles quamcumque in partem ducimur à Principe, atque ut ita dicam ſequaces ſumus, huic enim chari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperaverunt diſsimiles: eoque obſequij continuatione pervenimus, ut propè omnes homines unius moribus vivamus.* Et Martialis Aulæ naturam, his verbis: Plin. Iun. in Paneg. ad Trajan. Mart. li. 9. epig. 81

Nemo ſuos, hæc eſt aulæ natura potentis;
Sed domini mores, Cæſarianus, habet.

10 Claudianus quoque eleganti comparatione uſus, ducum mores, caſtra, non minus, quàm lituos, ſequi, ſic ait: Claudian. lib. 1. de laud. Stil.

Scilicet in vulgus manant exempla Regentium
Vtque Ducum lituos, ſic mores caſtra ſequuntur.

Et Sidonius laudans Maiorianum: Sidon. Apollin. carm. 5.

----------- Sic agmina voce
Exigis, exemploque levas, primuſque labores

Aggrederis quoſcunque iubes: tunc cætera paret
Turba lubens, ſervit proprijs cum legibus auctor.

[Verrin. in Diſtich.]

Quos ſequens, ſive imitari volens, Michael Verrinus hoc, inter alia ſua, Diſtichum exaravit:

Si ſtudia & mores populi cognoſcere curas?
Res facilis: vitam Principis inſpicies.

[Oven. in Monoſt. 72.]

Quod etiam eiſdem verbis poſitum invenio inter Monoſticha Ethica Ioannis Oveni, emphaticèque Galli hoc proverbio claudere ſolent:

Les ſuites è les provinces,
Suivent les moeurs de leus Princes.

[Pint. in Ezech. cap. 20.] [Eraſm. de Princ. inſtit.]

11 Et Hector Pintus hac comparatione egregiè declarat: *Quemadmodum mare, præſertim Mediterraneum, aerem imitatur, ut ſi aer eſt trãquillus, viget maris tranquillitas, ſi procelloſus, eſt etiam mare procellis exagitatum: ſic populus Regem plerumque ſequitur: ſi Princeps eſt iuſtus, colunt ſubditi iuſtitiam; ſi verò eſt ſceleribus coopertus, ipſa ſcelera amplectuntur. Meritò igitur fuit à viris ſapientibus obſervatum, eſſe populum Principis umbram.* Cui adridet alia Eraſmi, qui ait: *Nulla vis fatalis, nullus Cometes ſic afficit res mortalium, ut vita Principum rapit ac transformat mores & animos civium.*

[Paterc. in hiſt. Ro. de Aug. Cæſ.] [Panorm. lib. 4.] [Idem Plut. in lib. de præc. coniug.]

12 Vt vel ſic appareat, quàm ſit verum id, quod Velleius Paterculus tradit, Principem ſcilicet optimum, cives ſuos rectè facere, faciendo docere, cumque ſit Imperio maximus, exemplo maiorem eſſe. Vnde inquit Panormitanus Alfonſum Aragonus Regem dicere ſolitum: *Magnum quidem eſſe adverſus hoſtem ſe Ducem Principem exhibere; ſed & illud maximum, ad omnem virtutem ſuis civibus Ducem eſſe.* Et illum Regulam ſuorum civium meritò appellavit Plutarchus, his verbis elegantiſsimis utens: *Oportet, ut quemadmodum amuſsis, cum planè recta, & minimè perverſa fabricata eſt, reliqua quibus admovetur, & applicatur dirigit: ſimiliter quoque Principem, ubi primum didicerit imperare ſibi ipſi, & animum ſuum rectè inſtituerit, & mores habuerit benè compoſitos, ita demum ſubditos regere. Neque enim cadentis eſt currere; aut incompoſit componere, aut parere neſcij eſt imperare.*

[Cicer. lib. 3. de leg.]

13 Et alibi, ob hanc ſequelam, & imitationem, inquit, quòd Reges, ſi muſicã ament, multos efficiẽt muſicos, ſi litteras, litteratos, ſi athletas, exercitationibus corporis deditos. Et Cicero, vel ex hac ratione hortatur Principes, ut à vitijs abſtineant, quia non ſolùm ſibi, (ut in privatis contingit) verùm & toti Reipublicæ peccant, dum in eam propria ſua vitia infundunt, per multoſque ſui imitatores habent, & plus exemplo, quàm peccato nocent.

[Nazianz. in Apolog. pag. mihi 24.]

14 Quem locum imitatus D. Gregorius Nazianzenus, in Chriſtianis gubernatoribus puram vitam requirit: *Sin minus* (inquit) *tanto maius erit malum, quanto pluribus præfuerit, ſi quidem maior eſt, quæ ad plures manat, quàm quæ in vno vertitur improbitas. Non enim tam facilè vel pannus indelebilem tincturam, vel tetrum ſuavemvè olorem res proprius*

ad-

admotæ recipiunt; neque tam citò pernitioſus aliquis vapor in aerem diffunditur, diffuſuſque adhæreſcit animantibus (quod ſanè peſtilentia eſt & dicitur) quàm ſolet Principum vitijs infici tota civitas. Et quidem multò facilius vitijs, quàm virtutibus, hoc enim maximè ſuperior eſt probitate improbitas, & hoc ego in primis moleſtè fero, quòd video, vitium quidē multos habere imitatores, & ſectatores, nec quicquam eſſe tam facilè, quā improbum fieri, vel nullo impellente; virtutis verò acquirendæ ſtudioſos eſſe per paucos, ac difficulter admodum poſſe quemquam ad eam pervenire, etiam ſi multi ſint, qui trahant, atque invitent.

16 Quod ultimum, optimè etiam præſenſit Seneca, dum dixit: *Citò nequitia ſubrepit, virtus difficilis inventu eſt, etiam ſine magiſtro vitia diſcuntur.* Iuvenalis: Senec. lib. 3. natur. quæſt. in fine.

Iuven. ſatyr. 14.

Quoniam faciles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus.

Et latiùs expoſuit D. Hieronimus inquiens: *Proclivis enim eſt malorum æmulatio, & quorum virtutes aſſequi nequeas, citò imitaris vitia; Quid mirum? Vitium profectò præſentibus utens voluptatibus, facilè ad ſe allicit pleroſque, virtus autem laborioſa atque ardua incedens via, paucos admodum habet ſectatores.* D. Hieron. in epiſ. ad Lætam.

17 Huic rationi illa etiam accedit, quòd vel ad conciliandam ſuis legibus, iuſsis, & edictis auctoritatem, & vigorem, neceſſe eſt, ut Princeps, quæ iubet & ſancit, prius opere compleat, & à ſe ipſo diſciplinā incohet; nam aliàs, ut Claudianus inſinuat in loco ſupra relato, frigēt iuſſa, quantumvis egregia, quæ in iubentibus virtutum ſocietate deſtituuntur, & ut præclarè inquit Plautus: Claudian. ubi ſup.

Qui alterum incuſat vitij, eum ipſum ſe intueri neceſſum eſt. Plaut. in Truc.

Et Seneca:

Rex velit honeſta, nemo non hæc eadem volet. Senec. in Thyeſt. 1. Scen. 1.

18 Vnde & Tertullianus, non minùs rectè: O*portet* (inquit) *commendationem alicuius rei adortos, ipſos prius in adminiſtratione eius rei deprehendi, ne dicta, factis deficientibus erubeſcant.* Et Caſsiodorus, tum ſæpè, tum in formula Rectoris provinciæ, illum monet, ut ſit vitæ cōtinens, ut in alios iudex eſſe poſsit, & ſignanter ſubiungit: *Prima æquitas eſt à ſe Præſules incohare, ut debeant criminoſi metuere, quem nequeūt ſimilem reperire. Nullas enim in ſe culpas timet reus, quas habere reſpexerit Cognitorem: quando agentem malè, niſi bonis moribus non æſtimat diſplicere. Suos actus nullus damnat in altero, quia natura eſt humani animi, ut nitatur potius vindicare, quod ſe cognoverit admiſiſſe, &c.* Tertull. de paciēt. lib. 1. Caſsiodor. lib. 6. epiſt. 21.

19 Et iterum ad Senatum Romanum ſcribens, ſub nomine Theodorici Regis, ſic habet: *Facilis enim recti perſuaſor eſt innocens iudex, ſub cuius prædicabili converſatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur ſcelus, cuius in ſuggeſtu gremij complicem videt? In caſſum perſonam fictæ ſeveritatis inducit, cum avarus pecuniæ ambitum diſſuadet, cum legibus parendum cenſet iniuſtus. Non habet diſtributionis gremium, cui auctoritatem libera conſcientia non miniſtrat, quoniam exceſ-* Idem lib. 1. epiſt. 4.

ſus tunc ſunt in formidine, cum creduntur iudicibus diſplicere.

Idē lib. 11. epiſ. 8.

Et alibi, adhuc magis ad rem de qua agimus, & qualiter vel Rex ipſe in ſe continentiam exhibere debeat, ut eam poſsit ſuis militibus imperare, ita loquitur: *Oſtendimus in vobis, Deo iuvante, continentiam, ut eam militibus ſine pudore imperare poſsimus. Non enim poteſt auctoritatem habere ſermo, qui non iuvatur exemplo: dum iniquum ſit bona præcipere, & talia non feciſſe.* 20

Quintil. in declamation. Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

In quam etiam ſententiam tendens Quintilianus; veriſsimè, & graviſsimè dixit: *Tacitam hanc legem, hanc conditionem Principum eſſe, ut quicquid faciant præcipere videantur.* Et Latinus Pacatus ſuum Theodoſium laudans, quòd nimium luxum in Imperio introductum, parſimoniæ ſuæ exemplo moderatus fuerit, hoc, plus longè legum minis efeciſſe inquit, nemineḿque moleſtè ferre potuiſſe, ad Principis ſemet modum coërceri, additque: *Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parſimoniæ curſus inolevit, & quieſcentibus legum minis, ſubijt quandoque privatim ſui pœnitentia. Sic eſt enim, ſic eſt: exaſperat homines imperata correctio: blandiſsimè iubetur exemplo.* 21

Clem. Alexād. lib. 1. Strom. Theodoret.

Vnde Clemens Alexandrinus eum, qui legem, quam tulit, implet, *Legem animatam, & armatam* vocavit. Et Theodoretus elegantiſsimè: *Legiſlatoris* (inquit) *exemplum, officioſa legis præceptio eſt; lex quæ obedituris friget in charta, inſtitutoris exemplo calet in opere.* 22

Oven. lib. unic. Epig. 113. pag. 113

Cum quibus convenit noviſsimum, ſed venuſtiſsimum Oveni Epigramma ad Iacobum Angliæ Regem: 23

O quanta exempli generoſo in Principe vis eſt;
Tu vitando vetas, tu faciendo iubes
Princeps principium motus: Rex regula vitæ
Circumfert cœlum ſydera, Rex populum.

Lipſ. 2. Polit. cap. Imp. inſp. Princip. fig. 62 n. 8. Piña in Eccleſ. 1. tom. pag. 122. & 525. Pined. in Iob. 1. tom. pag. 39. Torres in Phil. mor. Princip. lib. 3 cap. 14. & 15. Acacius de privil. iur. lib. 3. c. 8. Camer. 1. to. ſubciſ. c. 66. Tacit. Ann. 3. c. 55. D. Ambr. in Conc. funeb. de Valent. Iun.

Plura alia loca & exempla ad hoc idem ſuadendum & illuſtrandum Iuſtus Lipſius, & alij paſsim Scriptores allegant, ſed ego ſuprà dictis contentus, Tacitum addo, qui poſtquàm Imperatorem Veſpaſianum propter ſobrium vivendi rationem à ſe introductam, auctorem ſobrietatis appellavit, hanc egregiam doctrinam addit: *Obſequium inde in Principem, & æmulandi amor, validior quàm pœna ex legibus, & metus.* Et D. Ambroſium, qui ait, Valentinianum iuniorem, Romanos adoleſcentes, qui quandam ſcenicam ob pulchritudinem deperibant, ea ad ſe venire iuſſa, & deſpecta potius quàm adſpecta, ſua continentia refrænaſſe, & mandato, ab illa abſtinendi, maiorem vim præſtitiſſe. 24

Sanazar. in Epigr.

Extat quoque inter Sanazari Poëmata Epigramma quoddam ad Federicum Neapolitanum Regem, quo, quàm potens ſit hoc iubendi genus, ita dilucidè comprehendit: 25

Edicto nuper cum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis ſtringeret arma manu:
Depoſuiſſe tuum vel primus diceris enſem,
Et monſtraſſe palam priimus inerme latus;

Quid

Quid maius populisve tuis, Federice, vel urbi
Accidere huic noſtræ per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere poſſe tuis.
Publica nimirum res tunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium, cum Rex, quod iubet ipſe facit.

26 Certè etenim tum in alijs, tùm maximè in rebus ad corporis habitum, ac veſtitum pertinentibus, hæc Regum, de qua agimus imitatio, potentiſsima eſſe ſolet. Adeò, ut Diodorus Siculus ſcribat, Æthiopibus morem fuiſſe, ut ſi quando Rex aliqua corporis parte ex quavis cauſa debilitaretur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitarent. Turpe enim exiſtimabant, Rege claudo, non omnes eius amicos claudos eſſe, cum veræ ſit amicitiæ ex rebus adverſis amicorũ dolere, lætari ſecundis.

Diodor. Sicul. lib. 4. Bibliot.

27 Quod & ipſum in comarum ſive capillorũ tonſione, in Germania, ad imitationem Philippi Boni Ducis Burgundiæ, in Gallia ad Regis Franciſci I. in Anglia ad Regis Henrici VIII. Ioannes Bodinus, & Philippus Camerarius contigiſſe commemorant. Nam licèt aliàs hæ, ut & aliæ plures nationes, comam alere in more habuerint, & de eius prolixitate gaudere, ut idem Camerarius obſervat, & ante eum latè Hadrianus Iunius, Antonius Hottomanus, Alexander ab Alexãdro, Lælius Biſciola, & plures alij, quos Ego alibi diligenter congeſsi, ubi tamen prædicti Reges eam, ob capitis gravedinem, vel alijs de cauſis depoſuerunt, ſubditi ſtatim ſimilem morem ſequuti ſunt, prout & in noſtra Hiſpania obſervatum fuit, ad imitationem invicti Cæſaris Caroli V. quouſque viginti ab hinc annis paulatim contraria conſuetudo, ex Gallis ad Noſtros translata, ſerpere cœpit.

Bodin. lib. 4. de Repub. c. 6. Camer. ſubceſ. cent. 2. cap. 40. & cent. 3. c. 96

Iun. & Hottom. in tract. de Coma. Alex. & Tiraq. lib. 5. c. 18. Biſciol. lib. 7. ſubſec. cap. 5. Ego 2. tom. lib. 1. c. 24. num. 32.

28 Quam quidem Ego non prorſus improbarem, ſi intra debitæ moderationis metas contineretur. Nec enim ignoro quantum decoris & ornatus coma reliquo corpori addat, ut plures pluribus proſequũtur. Inter quos D. Ambroſius numeratur, dum dixit: *Comam reverendam eſſe in ſenibus, venerabilem in Sacerdotibus, decoram in adoleſcentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulchritudo flaceſcit.* Poſtquàm tamen eò res proceſsit, ut oneris ſit, quod honoris eſſe deberet, & in capillamenti prolixitate, criſpatione, & circinatione, tota quaſi dignitas & cura, non à Nobilibus tantùm viris, verùm & à plebeis & mechanicis hominibus conſtitui cœpit, iuſtè ſanè eiuſmodi exceſſus, & abuſus à Me, & doctis alijs cordatiſque viris reprehendi potuit.

Iun. & Hott. ſup. Lipſ. ad Tacit. cap. 14. & plures alij apud Me ſup. d. cap. n. 33. & D. Ant. Cabreros in tract. de Metu lib. 2. cap. 28 per tot.

D. Ambroſ. lib. 5. Hexam.

Ego ſup. ex n. 37. Navarrete in diſcurſ. polit. 14. Acuña in notis ad decret. pag. 173. & 174. Alf. Carrança in lib. cõtra los malos trajes, p. 2. per tot. & alij.

29 Et à D. etiam Ambroſio, qui alioqui comàm laudavit, reprehenſus reperitur, quatenus inquit: *Quam deforme autem virum facere opera muliebria? Ergo pariant, ergo parturiant, qui criſpant comam ut fœminæ, & tamen illæ velantur, iſti bellantur. Verum habeant excuſationem, qui patrios uſus ſequuntur, ſed tamen barbaros, ut Perſæ, ut Gothi, ut Armenij: maior quidem eſt natura, quàm patria.* Quem locum quidam

D. Ambr. cap. 22. Deuter. epiſtol. ad Iræn.

noſtri tēporis Vates non invenuſtè egregio hoc Epigrammate adumbraſſe videtur:

Si vir, ubi virtus? Nemo ſine viribus eſt vir.
Si vir, ubi virtus maſcula digna viro?
Non vir: ſed virus populi, exitiumque iuventæ,
Cur te fœmineum non pudet eſſe marem?
Cur calamiſtrator diſcis criſpare capillos?
Viribus indocilis, bellica ad arma rudis.
Pone enſem iam, ſume colum, trahe pollice fuſum
Non ſexus, ſed virtus efficit eſſe virum.

Landmet. de vet. Cler. lib. 1. part. 1. c. 6. Ego ſup. n. 44.

Extat etiam in eiuſdem vitij deteſtationem mirabile factum Godefridi, Ambianenſis Epiſcopi, apud Laurentium Landmeterum, & non minus notabile dictum in Actis Sancti Sebaſtiani. Ad cuius reformationem iuxta noſtri Emblematis monitum, nullum potentius, præſentiuſvè edictum reperiri poterit, quàm Regis, Procerumque aulæ Regiæ exemplum, ut ex ſuperioribus patet. 30

Ego 2. to. lib. 1. c. 26. ex n. 38.

Sozom. lib. 8. c. 1. Theodor. li. 5. c 29 Damaſc. in hiſtor. Barlaham, cap. 33.

Cromer. lib. 15. pag. 355.

Quod etiam, quam potens eſſe ſoleat in ijs, quæ ad materiam Religionis ſpectant, adeò, ut meritò in Adagium tranſire potuerit, quòd *Cuius Regio eſt, eius & Religio*, ſive quòd Religio eſt ſequela iuriſdictionis, pluribus Ego alibi etiā proſequor; &, ſi quid eſt, quod addere liceat; videre poteris Sozomenum & Theodoretū, qui quantū hac in re Arcadij & Honorij exemplum præſtiterit, latè commemorant. Et Sanctus Ioannes Damaſcenus, poſt Plutarchum in Numa, qui huius exemplo docet, *Quòd homines ad Religionem facillimè Principis ductu poſſunt emoliri, atque traduci.* Vt quondam Gallia vidit in ſuo Clodovæo, uxoris meritis & monitis ad capeſſendam Chriſtianam Fidē converſo, ut Robertus Gaguinus, & alij illius Regni Scriptores enarrant; & Polonia in Iabellone Lituaniæ Rege, qui referente Cromero anno milleſimo trecenteſimo octuageſimo ſecundo, cū eſſet Gentilis, & appeteret coniugium Heduvigis Reginæ Poloniæ, quæ Chriſtiana erat, promiſit, ſe pariter, & fratres, & gentem ſuam omnem Chriſtianis myſterijs initiari. Et conditionibus acceptis, ipſe baptizatus fuit, & in Baptiſmo Vladislai nomen accepit; & ſtatim populus tanta contentione Baptiſmum appetebat, quòd cum immenſi laboris eſſet, ſingulos ſacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honor habitus, reliquum verò vulgus turmatim diſtributum, luſtrali aqua, ſive ſacra à Sacerdotibus conſperſum eſt, unumque pro tunc nomen cuique turmæ, tam virorum, quàm mulierum inditum. De qua Baptiſmi forma, quid ſentiendum Ego alijs relatis ediſſero. 31

Ego d. lib. 1. c. 26. num. 39.

Magnus in Magnis.

EMBLEMA XXX.



Quam vanè Aſtrorum Divumq́ papilio Regem
Occupat, huic alas dum penecillus agit.
Ingentes animos, dignas Iove concipe curas,
Vnde ingens Princeps, quem leviora premunt?

COMMENTARIVS.

1 CVM ergo tot ſint ac tanta, quæ Reges ac Principes anxios, & ſollicitos reddere poſsint, ſi dignitati ſuæ, & orbis expectationi, ut oportet, reſpondere deſiderent, eò impenſius eiſdem enitendum eſt, ut ipſorum animus Reipublicæ potius commodis, quàm voluptatibus ſtudeat, & in ſerijs curis, ac laboribus occupatus, omni nimio luſu luxuque ſe poſito, nihil iucundius, nihil voluptuoſius ſibi habeat, ac ducat, quàm illius tranquillitatem, quàm civium mores, quàm legum auctoritatem. Hæc meditari, hæc procurare, hæc tueri, eorundem ſit alea, luſus, venatus, & amores, qui Numinis vice inter homines ſunt, ad quorum nutum, ut alibi inquit Seneca, tot hominum millia ſtringunt ferrum, & in mortem ruunt, à quorum providentia pendent tot urbes, tot regna, & quibus, hoc privilegium inter alia fortuna conceſsit, ut quodcuique mortalium datum velit, eorum ore pronuntiet, & ex eorum reſponſis lætitiæ cauſas populi urbiſque concipiant. Vnde ſecundùm

Seneca lib. 1. de Clem. cap. 3.

Idem de Conſtantia, cap. 8.

eundem Senecam, Fortunæ manus eſſe dicuntur.

Momus Alberti Florent.lib.1. Lucian.in ſimili in Icaro Menip.

Lactant. lib. 1. de falſa relig. cap. 9. Rhodig.lib.6.cap. 17.lib.9.c.19. circa fin. & lib.21. c. 33.Suidas verb. *Lucian.* Baron. ann. Chriſt.171.

Quod,ut ipſis Principibus inſinuemus, hoc Emblema præfigimus, 2
quod *Magnos in Magnis* occupari debere demonſtrat,ſumtum ex Momi,ad Luciani imitationem, mordacitate,qui, ut plures tradunt, cum vanos ſuos Deos irriſiſſet, quos de luſa Gentilium Antiquitas coluit, & quod magis dolendum eſt, in Chriſtum etiam Dominum, ac Servatorem noſtrum impio &blaſphemo ore bacchatus fuiſſet,propter quod à canibus diſcerptus ac dilaniatus interijt,ut Lactantius Firmianus,Suidas,Cœlius Rhodiginus,Baronius,& alij litteris tradunt, in quodam Dialogo Iovem induxiſſe fertur, Papilionum alas, (quos vulgò *Mariposas* vocamus) ſummo ſtudio deaurantem ac depingentem, alijs interim negotijs ac curis valere iuſsis, & in illum ironicè,*O Magnus in Magnis*, exclamat. Sic nobis anſam tribuens, ad Principes commonendos, ut à nugis abſtineant, & quos pluribus titulis ornavit fortuna, eo magis contendant, dignis ſuo munere curis occupationibuſque ſedulam operã exhibere,cum vel in ſuo illo Deo, nebulo ille,& malè feriatus Sophiſta, ſive Atheiſta, ob ſtudium ſive vacationem,quam ijs contrariam exiſtimavit,ab hac,quam dixi,ſubſannatione non abſtinuerit.

Philoſ. in vita Apoll.lib.2.cap.4.

Cui ſimilis fuiſſe videtur Apollonius Thianeus, tantopere cele- 3
bratus,cum,referente Philoſtrato,cum Damide diſputaret, cur Iupiter quandoque, diſtractis ab invicem nubibus, in eiſdem videatur, non ſolùm delineare, verùm & pingere centauros, hircones, cervos, lupos etiam, aut equos, & eiuſmodi alia, quaſi pictoris officio fungatur hic Deus,volatilique curru quandoque relicto, quo delatus divina humanaque gubernat,huiuſmodi ludibria depingens, ſedeat, ſicut pueri in arena pingere ſolent? Quo ex loco Nicolaus Cauſinus aliud Symbolum,noſtro in omnibus ſimile,delineavit, de eodem Iove, hos hircones,& Centauros, ita (ut diximus)in nubibus pingente,cum lemate,*Princeps in nugis occupatus*.

Cauſin.in Poliſth. ſymb.lib.2.c.4.

Abſit tamen ut exiſtimet quiſpiam, Nos in vero, ſummo,ac maxi- 4
mo,quem colimus,Deo,hæc opera,quæ nobis inutilia vel frivola primo adſpectu videri poſſunt,ullatenus ſuccenſere; nam in eorum quolibet,quantumvis contemtibili,ſummam eius omnipotentiam agnoſcimus,nec quidquã,ob horum curam, utilioribus alijs detrahi profitemur,Theodoreti ſententiæ adhærentes,dum ait,quod qui Deũ accuſant,quòd animalcula,ut pulices,& pediculos formaverit,ſimiles eſſe videntur his, qui picturæ ignari, id accuſant, quòd pictor renidentes colores ubique non adhibuerit, cum tamen ille congruos ſingulis diſtribuerit locis. Nec aliter faciunt, ac ſi quis propterea tragœdiã accuſet, quòd Heroes cuncti non ſint, qui in ea loqui indicantur, ſed quòd aliqui in ea,vel famulitij ordinis,vel agrorum colonus, vel ineruditus,infimæque notæ loquatur.

Theod. lib. 6. Græc.affect.

Tertul.in lib. contra Martion.tetigi ſup.Emb.1. ad fin.

A quo non procul abeſt Tertullianus, qui in eiſdem animalcu- 5
lis Dei omnipotentiam agnoſcens, ita elegantiſsimè loquitur: *Animalia minutiora maximus Artifex de induſtria ingenijs, aut viribus ampliavit. Imitare, ſi potes, apis ædificia, formicæ ſtabula, arraneæ*

retia

retia, bombycis ſtamina. Suſtine, ſi potes, illas ipſas lectuli, & tegetis tui beſtias, cantharidis venena, muſcæ ſpicula, culicis & tubam, & lanceam. Qualia erunt maiora, cum tam modicis, aut iuvaris, aut læderis; ut nec in modicis deſpicias Creatorem. Poſtremò te tibi circumfer, intus ac foris conſidera hominem, placebit tibi, vel hoc opus Dei noſtri, quod tuus Dominus ille Deus melior adornavit, propter quem in hæc paupertina elementa de tertio cœlo deſcendere laboravit; cuius cauſa in hac cellula Creatoris crucifixus eſt, &c. Accinitque Salvianus, prudenter monens, ne in his, aut alijs, qua de cauſa à Deo fiant requiramus: *Homo* (inquit) *ſum, non intelligo ſecreta Dei, inveſtigare non audeo, & ideò etiam attentare reformido. Quia & hoc ipſum genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt, ſi plus ſcire cupias, quàm ſinaris, &c.*

Salvian.lib.3.de gub.Dei.

6 Quod igitur hoc noſtro Emblemate intendimus eſt, aurum, ut eſt in proverbio, ex Momi vel Luciani ſtercore colligere, & vel hoc exẽplo (ut dixi) Principes, ne in ſimilem reprehenſionem incidant, admonere. Etenim, ſi in quovis privato homine, iuxta Ciceronis ſententiam: *Quod in rebus honeſtis, & cogitatione dignis, operæ curæque ponetur, id ſolùm iure laudabitur.* Cui concinens Æſchiles dixit: *Ne in ijs labores temerè, quæ nihil iuvant.* Plinius: *Nam diligentiam in ſupervacuis affectare, noſtrum non eſt.* Phædrus: *Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.* Et Eccleſiaſticus: *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus eius non eris curioſus.*

Cognat.inter proverb.Eraſm.pag. mihi 402.
Cic.1.de offic.
Æſch.apud Clem. Alex.lib.5.Strom. in princip.
Plin.in Procœm. lib.17.
Phædr⁹ li.1.fab.16
Eccleſ.3.24.

7 Vnde in Adagium tranſijt: *Satius eſſe otioſum eſſe, quàm nihil agere,* hoc eſt, quàm inaniter vexari, difficiles nugas habere, & quod ait Seneca: *Ingenium inter irrita exercere, & diſputationibus nihil pro futuris otium terere.* Et ſimiliter: *Aranearum telas texere,* pro eo quod eſt, in refrivola nulliuſque frugis infinitum, atque anxium capere laborem. Quod ad diſputationes dialecticas, ſæpius inanes, ex Zenone accommodavit Eraſmus, & eis non relatis, noviſsimus Schoonhovius, de hoc peculiare Emblema confingens adverſus Sophiſtas. Necnon & illud: *Milium terebrare, ſive perforare;* quod in eos dicitur, qui in re difficili, ſed prorſus inutili laborant, atque etiam aliud: *Magnus verſator in re puſilla,* ex Eudamide apophthegmate ſumtum in muſicum quemdam, qui fœliciter ceciniſſe videbatur: *Quòd exiſtimaret, operoſam eſſe ſcientiam, ſed nihil adferentem utilitatis;* quia ut benè ille alter:

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Eraſm.in Adag. *Nihil agere*, pag.mihi 323.& 336.
Senec.de brevit. vit.cap.13. & in epiſt.117.
Eraſm.ubi ſuprà pag.323.
Schohon.Emb.64
Eraſ.ſup.pag.324.
Idem pag.348.

8 Quid in Regibus, & Principibus hac in parte dicere, ſentirevè debemus? qui ut alibi ex Seneca, & alijs retulimus, cum præ omnibus ſint, pro omnibus eſſe debent, & pro ſalute ſingulorum, atque univerſorum curare, & excubare. Qui ſunt imago & exemplar Dei in terris, rerum moderatores, & arbitri. In quorum manu poſitæ opes, dignitates, vita omnium noſtrum, & de quibus Dominus apud Iſaiam dicit, *Princeps verò, ea quæ digna ſunt Principe cogitabit, &*

Sup.Embl.12. & ſeqq.
Iſai.32.8.

Eraſm. epiſt. 23. cent. 10.

ipſe ſuper Duces ſtabit. Et Eraſmus: *Verùm Regibus, ſi ſapiunt, non vacat ludere: quodque in privatis hominibus luxus, & nequitia eſt, in Principe impietas eſt.*

Xenoph. de dict. & fact. Socrat. li. 3.

Ælian. de var. hiſt. lib. 1. cap. 17.

Audiendus eſt quoque Xenophon, qui de eiſdem Principibus a- 9
gens, etiam cum teſſeris ludunt, luxui, iocis, riſui, hiſtrionibus, morionibus, & alijs voluptatibus, rebuſvè minùs ſerijs, & neceſſarijs, quamvis artificioſis, ſe dedunt, otioſos eſſe inquit, quamvis videantur aliquid facere, qui talibus vacant; liceret enim illis meliora facere, talibus dimiſsis. Vt & de illis iudicavit Ælianus, qui quadrigas fecerunt, quæ ſub muſcæ ala poſſent abſcondi: & in ſeſamo diſtichon elegeium litteris aureis inſcripſerunt: *Quorum ſanè* (inquit) *neutrum mea ſententia, nemo prudens, & virtutum ſtudioſus laudibus prædicabit; quid enim hæc aliud ſunt, quàm temporis vana perditio?*

Statius Papin. in præf. ſuor. carm.

Quis enim otioſum non fuiſſe dicet Homerum, dum murium, & 10
ranarum prælia, tanto ſtudio ſub Batrachomyomachiæ nomine elucubravit, Virgilium de Culice ita ſeriò canentem, Syneſium de laudibus Calvitij commentantem, ipſum quoque perfidum Lucianum muſcæ encomium pangentem, Antonium Maioragium, Lutum, & Anonimum Batavum, Aſinum laudantes, quamvis Statius Papinius ſimiles nugas excuſare videatur.

Suet. in Neron.

Idem in Domitiano, & Eutrop. lib. 9. c. 3. Eraſm. in Adag. *Ne muſcas quidem*, Surd. & Herod. in Commod. Sabell. lib. 5. en. 6. & lib. 10. exemp. cap. 11. Cedren. in Gratiano. Lãprid. in Heliog.

Et ut de Regibus & Imperatoribus agam, nemo non novit, quàm 11
probroſum Neroni fuerit, Imperij curas relinquere, & muſicæ, citharæ, ac ludis theatralibus inſervire, in quibus, Suetonio teſte, vocem illã audire meruit, *Vides ut citharædus digito orbem temperet.* Domitiano, & Commodo, nimia ſagittandi peritia, & ſtudium, de quo idem Suetonius, & alij mira commemorant, & qualiter ſe ſolerent in ſolario ad muſcas balliſta, vel ſtili acie configendas, recludere. Quod etiam ſagittandi ſtudium, ut nimium, in Gratiano (melioris alioqui indolis Imperatore) Cedrenus notavit, & quòd eius tela aliqui mente prædita eſſe dixerunt. Vt & in Heliogabalo Lampridius, quòd ſervis ſuis araneas per totam Romam diligenter congerere iuſſerit, quibus congeſtis, & ad decem librarum millia depenſis, vel ex hoc colligi poſſe dixit, quanta eſſet urbis Romanæ magnitudo.

Alvar. Gom. epiſt. 8. Marian. hiſt. Hiſp. lib. 22. Guzmã en el Mar de hiſtor. cap. 172. Saavedra Embl. 71. pag. 543

Pluribuſque alijs relictis, quamvis Muſicæ, & Poëſis ſtudium in 12
ſe laudabile ſit, pariter tamen ac in Nerone, vitio verti meruit Domino Regi noſtro Ioanni Secundo, quòd licèt hæc egregiè calleret (adeò ut multa poëmatia Ioannis de Mena peritiſsime emendaſſe legamus in epiſtolis Archiatri ſui Alvari Gomecij de CiudadReal) eis tamen plus iuſto vacabat, & animum impendebat, Regni curas & habenas, imò & ſe ipſum totum, aliorum gubernationi relinquens, ut Ioannes Mariana, & alij teſtantur.

Plut. in Apoph.

Ariſt. lib. 8. Polit. cap. 2. & 7.

Et certè, ut Cato Maior apud Plutarchum edocuit, ſæpiſsimè 13
contingit, ut qui in rebus eiuſmodi ludicris & nugatorijs, ſerij ſunt, in ſerijs deficiant, vel ridiculi habeantur, & ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, vile exercitium putandum eſt, & ars, & diſciplina, quæcumque, corpus, aut animam, aut mentem liberi hominis ad uſum,

&

& opera virtutis inutilem reddens. Hæcque tria ad diſciplinam ſpectari oportet, ut medium teneatur, ut fieri poſsit, ut deceat. Nemo autem iuſtè dicere poterit Regibus ac Principibus decens eſſe, quod proprium & præcipuum ſui muneris eſt, & eſſe debet, omittere, & in rebus vel diſciplinis minus utilibus tempus terere.

13 Cuius iacturam præomnibus fugiendam eſſe, cum rerum omnium in humana vita utiliſsimum ſit, meritò paſsim graviſsimi quique Philoſophi tradiderunt. Inter quos Seneca, ita ſignanter, ad Lucillũ ſcribens, effatur: *Ita fac ergo, mi Lucile, vindica te tibi, & tempus, quod adhucaut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat, collige, & ſerva. Perſuade tibi hoc ſic eſſe, ut ſcribo, quædam tempora ſurripiuntur nobis, quædam ſubducuntur, quædam effluunt, turpiſsima tamen eſt iactura, quæ per negligentiam fit. Et ſi volueris attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus, &c.*

M. Varro, Plutar. in Pericle, & in Antonio, Theoph. ap. Laer. lib. 5. Lipſius cent. 3. ad Belus, ep. 49. Petrar. dial. 15.

Senec. epiſt. 1. ad Lucil. quem etiã vide in lib. de brevit. vitæ.

14 Et hoc Monitum, ultra ea, quæ ſuprà retulimus, præclarè Regibus tradidit Rex noſter Alphonſus X. in quadam ex ſuis legibus, ubi poſtquàm oblectandi animi gratia, & labores ſerios hilarius capeſſendi, ludos aliquos, venatum, muſicæque delicias eiſdem permiſsit, hæc verba ſubiungit: *E quien de otra guiſa uſaſſe de eſtos placeres, recibiria ende grandes peſares en logar de placeres, è tornarſebia como en manera de tafureria, que es coſa de que vienen muchos daños, è muchos males, è peſa mucho à Dios, è a los omes, porque es contra toda bondad. E porende el Rei que non ſopieſſe de eſtas coſas bien uſar, ſegun de ſuſo diximos, ſin el pecado de la mala eſtanza, que le ende vernia, ſeguirlebia aun de ello gran daño, que envileceria ſu fecho, dexando las coſas mayores, i buenas por las viles.*

L. ult. tit. 5. par. 2.

15 Quam legem præoculis habuiſſe videtur Philippus Cominæus, dũ Reges taxans, qui per ignaviam, & ocium muneri ſuo deficiunt, & in calamitatem aliquam incidunt, ſic proſequitur: *Qui verò ita ſe comparant, ut maximam temporis partem ſerijs occupationibus, reliquum autem liberalibus, & honeſtis oblectationibus impendant, magnam illi ſanè laudem merentur, & ò fœlicem populum, cui talem contingit habere Principem.*

Comin. lib. 10. hiſt.

16 Et in idem tendit, ſecundùm Stephanum Guazzum, à Camerario relatum, reprehenſio Philippi Regis Macedoniæ erga Alexandrum filium benè canentem, non enim tam in Muſicæ vituperium proceſsit, quàm quòd Alexander huic ſtudio nimium intentus, quaſi Muſicam profiteri videretur, & minùs curare oſtenderet, quæ ſibi quàm maximè convenirent.

Guazz. de civil. conv. lib. 2. Camerar cent. 3. cap. 98. in fin.

17 Quod etiam congruit cum Quæſtori illius viri exemplo, qui à Domitiano Conſiliariorum ordini exemtus fuit, quòd nimio geſticulãdi, ſaltandique ſtudio teneretur, ut in eius vita Suetonius ſcripſit.

Sueton. in Domitiano, cap. 8.

18 Planè ubi res, quæ in ſe primo adſpectu parvæ videntur, ad maiorum graviorumque curam conducunt, & diriguntur, nõ eſt notandus, ſed laudandus Princeps, qui de eis etiam ſolicitus eſt, damnato errore Euripidis apud Plutarchum, dum dixit, quod *Vt Deus Rex mundi magna curat, parva relinquens fortunæ, ita Princeps nõ niſi ingra*

Plut. in Apoph. Eraſm. in ſimil.

Lycoſth. in fin. pag. 109.
D. Damaſcen. lib. 2. de imag.

vibus, & arduis negotijs exerceri debet. Nam ut benè advertit Cõradus Lycoſthenes, Euripides hìc, ut homo Ethnicus loquutus fuit, etenim Chriſtiani Deum omnia curare credimus, & fatemur, & ad eius imitationem Principes etiam in parvis ſolicitos eſſe debere, ubi ex illis ad maiora proceditur. Rectiſsimè enim à Damaſceno docemur: *Parvi enim parva non ſunt, ex quibus magna proveniunt.*

D. Hieron. in epiſ.
Liban. declam. 29.
Tacit. 13. Annal.

Quam etiam ſententiam D. Hieronymus ita ſcriptam reliquit: *Non ſunt tanquam parva contemnenda ea, ſine quibus magna conſtare nõ poſſunt.* Et in eandem conſentiens Libanius: *Optimi quique* (inquit) *Magiſtratus arbitrantur, accuratam in parvis diligentiam, maiorum eſſe conſervationem.* Et Tacitus: *Magnarum rerum curas non diſsimulaturos, qui animum etiam leviſsimis adverterent.* 19

Plut. in Paul. Æm.
Caſsiodor. lib. 1. epiſt. 43.

Quibus addere licèt celebratiſsimum illud Pauli Æmilij Apophthegma, qui teſtante Plutarcho, dicere ſolebat: *Eiuſdem eſſe ingenij, & aciem, & convivium inſtruere.* Et Caſsiodorum, qui Præfectum quendam Theodorici Regis, hoc nomine laudat, quòd *Eiuſdem Regis curas ſermonis ſuavitate deliniret, & tanta ſe animi puritate clarificavit, ut cum apud Nos mereretur aulicas dignitates, ſpectaculorum ordinatione, lætiſsimam ſibi mslitiam vindicaret.* 20

Idẽ eod. lib. ep. 45.
Rota in vita Boet.
Beyerlinch. lit. M. pag. 339.

Qui & idem in alia Epiſtola ſub nomine eiuſdem Theodorici ad Boëtium Severinum ſcripſit, ut horologia duo ad ſe deſtinaret, Burgundionum Domino tranſmittenda, addens, plerumque res parvas plus ſolere præſtare, quàm magnæ poſſunt obtinere divitiæ. Frequenter enim, quod arma explere nequeunt, oblectamina ſuavitatis imponunt: *Sit ergo* (inquiens) *pro Republica, & cum ludere videmur. Nam ideò voluptuoſa quærimus, ut per ipſa ſeria compleamus.* Et eundem Boëtium eximiè commendans, quòd cum multa eſſet eruditione ſaginatus, & in ſerijs rebus omnibus admirandus, hoc tamen ei impedimẽto non fuerit, ut artes, & diſciplinas, quas exercẽt vulgariter neſcientes, in ipſo diſciplinarum fonte potaverit. Et quaſcunque fœcunda Græcia per ſingulos viros edidit, ipſo uno auctore, patrio ſermone Roma ſuſceperit, dum faciebat aquas ex imò ſurgentes, præcipites cadere, ignem ponderibus currere: organa extraneis vocibus inſonare, urbes munire, maria ſiccare, metalla mugire, Diomedis in ære grues buccinare, Æneos angues inſibilare, aves dulcem emittere cãtilenam, & cœlum ſic imitari, ut Solem fecerit in Archimedis Sphæra decurrere. De quibus rebus præter Caſsiodorũ, Georgius Martianus, Rota, & Beyerlinchius latiùs ſcribunt, & Nos hic ob earundem admirationem memoriam facere voluimus. 21

Sic

Sic Miſce gaudia curis.

EMBLEMA XXXI.



Quid caput hic galea? Ferro quid pectora mollis
Aſperat? Et pugnax, & cytharedus erit;
Fœmineas ne crede manus: nam monſtrat Achilles,
Vt liceat bello ſubſtituiſſe chelym.
Viribus adiiciunt præfractis otia robur;
Nec ſatis ad pugnas irrequieta manus.

COMMENTARIVS.

MANEAT igitur firmum & ſtabile, quod in ſuperiori Emblemate diximus, præcipuas nimirum Regum & Principum curas,& occupationes, Regias ac ſerias, & tali tantoque munere dignas eſſe debere, & aliud eſſe Sceptrum, aliud plectrum, ut Stratonicus Ptolomæo Regi dixiſſe narratur.

Sed non tamen ideò exiſtimet quiſpiam, Nos ita prorſus his ſemper curis ac laboribus intentos eoſdem requirere, vel ita tetricos, & auſteros,ut non aliquando ſerijs ludrica poſsint intermiſcere, atque illud Catunculi monitum ſequi. Dionyſ. Cato in diſt. lib. 3.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Vt poſsis quemvis animo perferre laborem.

Quod

Horat.lib.4.od.12 Quod & idem Horatius probat, dum dixit:

Miſce ſtultitiam conſilijs brevem.
Dulce eſt deſipere ad tempus.

Ecclef.10.1. Et Eccleſiaſtes inquiens: *Pretioſior eſt ſapientia & gloria, parva & ad tempus ſtultitia.*

3 Scimus quippè ita comparatum eſſe humanum ingenium, ut non minùs interdum ludum & oblectamentum aliquod, quàm negotium ſibi quærat, & vel in Adagium tranſijſſe: *Iocandum eſt, ut ſeria agas*, quia iuxta vulgatum illud Ovidij,

Eraſm. in hoc Adag. pag.

Ovid. epiſt. 4.

Quod caret alterna requie durabile non eſt,
Hæc reparat vires feſſaque membra levat.

4 Anachar. ap. Laer. Et ut dicebat Anacharijs, animus hominis arcui ſimilis eſt, qui niſi honeſtis recreationibus remittatur, frãgitur, vel molleſcit. Ad quod alludens idem Ovidius dixit:

Ovid. ubi ſuprà.

Arcus & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si nunquàm ceſſes tendere mollis erit.

Eodemque exemplo Amaſis Ægyptiorum Rex, ſibi luſus aliquos obtrectantibus, ſatis fecit, ut Herodotus commemorat. Et Divus etiam Ioannes Evangeliſta, adoleſcenti, qui eum irridebat, quòd aliquando cum perdice ludere ſoleret, ut ex alijs Baptiſta Fulgoſius recoluit. Et idem innuit lex noſtra Partitæ, dum inquit: *Cada coſa que alguna vegada non fuelga, non puede mucho durar.*

Herodot. lib. 2.

Fulgoſ. lib. 8. c. 8.

L. 2. tit. 5. par. 2.

5 Plato de lib. educ. Neque abeſt Plato, quatenus docet: *Noſtram omnem vitam in remiſsionem atque ſtudium eſſe diviſam*; & eius diſcipulus Ariſtoteles, qui *Inter negotia magis ludis eſſe utendum* (inquit) *nam qui laboribus exercetur, is alternam requiem deſiderat, & ideò ſimul mentem & corpus laboribus fatigare non convenire, quoniam hi labores contrariarum rerum efficientes ſunt; labor enim corporis, menti eſt impedimentum, mentis autẽ corpori.*

Ariſt. lib. 8. Polit. c. 4. & lib. 18. c. 3.

6 Cicer. lib. 1. de orat. Quod adeò verum & neceſſarium reputavit Cicero, ut dicat, ſibi liberum non videri, qui non aliquando nihil agit; hoc eſt, ut Eraſmus tradit in Adagio, quod ex hoc dicto collegit, qui non interdum ſibi vacat, otio indulget, & ab operibus ceſſat. Nam ſecundùm Senecam: *Vt fertilibus agris non eſt imperandum, citò enim exhauriet illos nunquã intermiſſa fœcunditas, ita animorum impetus aſsiduus labor franget vires recipient paululum recreati. Naſcitur ex aſsiduitate laboris animorũ quædam hebetatio, & languor.*

Eraſm. in Adag. pag. 549.

Senec. de tranq. vit. cap. 15.

7 Et nihil eſt, quod hæc nõ conterat, & exedat, ſi opportuna quies, & laxatio nõ immiſceatur, ut veriſsimè & ſcitiſsimè canit Ovidius (iterũ nobis ad partes vocandus) ſic inquiens:

Ovid. lib. 1. de Põto, Eleg. 5.

Cernis ut in duris, (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus:
Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſsiduis laſſa ſeneſcit humus;
Occidet, ad Circi ſi quis certamina ſemper

Non

Non intermiſsis curſibus ibit equus,
Firma ſit illa licèt, ſolvetur in æquore navis,
Quæ nunquam liquidis ſicca carebit aquis.
Me quoque debilitat ſeries immenſa laborum,
Ante meum tempus cogor & eſſe ſenex.
Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur iſtis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.

8 Ad quorum carminum imitationem Natalis Comes hæc edidit:

Nat.Com.inMyt. pag.711.

Nam labor aſsiduus fertur domitare leones;
Hinc iubet alternæ luci ſuccedere noctem
Natura alma Parens, ſervandis provida rebus.
Hinc & Atlanteos humeros recreaſſe labantes,
Dicitur Alcides, tenuit cum pondera mundi. &c.

9 Et plurimis alijs relictis, quæ obvia ſunt, & à Valerio Maximo, Cœlio Rhodigino, & alijs collecta, uno ore docentibus: *Otium induſtriæ ſubnecti debere, non quo evaneſcit virtus, ſed quo recreatur*; audi precor Caſsiodorum, qui hanc rerum intermiſsionem, & mutationem hominibus connaturalem eſſe his verbis oſtendit: *Nemo dubitat, homines ſua varietate recreari, quia in continuatione rerum magnum mētibus conſtat eſſe faſtidium. Dulcedo mellis ſi aſsiduè ſumatur horreſcit: ſerena ipſa quamvis magnopere deſiderentur, iugiter adepta ſordeſcunt. Non immeritò, quòd cum ſit homo commutabilis, naturæ ſuæ deſiderat habere qualitates.* Qui & ipſe alibi, magis adhuc ad rem, de qua agimus, inquit: *Reges Reipublicæ conſulere, etiam cum ludere videntur. Nam ideò voluptuoſa ſequuntur, ut per ipſa ſeria compleantur.*

Valer.lib.8.cap.8. Rhodig. lib.1.c.1. Alciat. & Minoes in princ. Emblem. Caſſan. in Præf. ad Catal.glor.mund. Matienz.in proœ. Dial.relat. Caſsiod.li.7.epiſt. 36. Idē lib.1. epiſt.45.

10 Et ubi hæc inſuper non habentur, illis, intra debitæ moderationis terminos licitè & honeſtè vacare permittit, quia non videtur ab officio, & labore ei iniuncto, recedere, qui ſe aptiorem & habiliorem ad ipſum exercendum reddit. Vegetæ quippè, & ſtrenuæ mentes, quò plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt, ut in ſalmo fontis videmus contingere, cuius, ut alibi dixit Statius:

Stat. in Sylvis.

---------- ----- *Vires inſtillat alitque*
Tempeſtiva quies, maior poſt otia virtus.

11 Ex quo ſimili, ſymbolum ſumſit noſter D. Didacus Saavedra Fajardus, ad hoc ipſum monitum, de quo agimus, ſuadendum; ubi illud Ariſtotelis citat. *Otium enim tum ad virtutes ingenerandas, tum ad civilia munera obeunda, requiritur.* Et citare etiam potuit Ciceronem, eandem ſententiam his verbis tradentem: *Homines quamvis in rebus turbidis, tamen ſi modo homines ſunt, interdum animis relaxantur, ne ex nimia reſtrictione triſtitia generetur.*

Saaved.in Id. Pol. ſymb.72.pag.549. Ariſt.7.Pol.cap.9. Cic.2.Phil.

12 Nos autem, noſtro hoc (ut apparet) Emblemate, idem non minùs congruenter (ni fallimur) inſinuamus, Achillem armatum, ſimul tamē cytharæ, ſub Chironis Centauri diſciplina, deditum, depingentes.

Val Max.lib.8. c. 8.de otio laudato; poſt Hom. Illiad.9

Quod

Quod ex verbis Valerij Maximi ſumſimus,qui Homerum ſequens, & referens,ita inquit: *Homerus quoque ingenij cœleſtis vates, non aliter ſenſit, vehementiſsimis Achillis manibus canoras fides aptando, ut earum militare robur,leni pacis ſtudio relaxaret.* Quo quidem in ſtudio,herbiſque ſalutiferis cognoſcendis,&in multis alijs artibus,quibus polluit, à Peleo patre, & Thetide matre,Chironem Centaurum,qui eaſdem apprimè callebat, in præceptorem, & veluti pædagogum accepit, quem hìc quoque hac de cauſa depingimus, ut latè ultra Homerum, Ovidius,Statius Papinius, & alij commemorant,ſimul etiam tradentes,qualiter Achilles Agamemnoni iratus, & ob amiſſam Briſſeidam triſtis,animi dolorem cytharæ pulſu,& cantu muſicæ deliniret.

Homer.in Illiad.
Ovid.2.&6.Memorph.
Stat.2.Achilleid.
lateNat.Comes in Mythol.lib.4.cap. 12.pag.377.

Quibus Ælianus,eandem ſive hiſtoriam,ſive fabulā tangens, hæc 13
addit: *Videtur autem mihi Achilles etiam in Iliade cum accinit cytharæ, veterumque res geſtas cantando ſibi ipſi in memoriam accerſit, furorem & indignationem ſopire. Etenim cum eſſet muſicus, ex ſpolijs hoſti ereptis, primam arripuit cytharam.*

Ælian.lib.14. c.23

Sed & ultra ferocis Achillis exemplum, quem Natalis Comes ad- 14
dit à Chirone non lacte,ſed leonum viſceribus,aprorumque, & urſorum medullis enutritum,paſsim ſuppetunt alia clariſsimorum,doctiſſimorumque virorum,& Principum, qui ſimilibus oblectamentis,modeſtiſque facetijs,animorum vigorem recreare, & ſic ad honeſtos labores ſe alacriores reddere conſueverunt. Nam Pythagoram legimus,cythara quoque,ut Achilles,ſe excitare ſolitum, ubi èvigilaſſet; quo ſcilicet eſſet ad functiones obeundas, & diuturna munia expeditior; & cum ſomnum peteret, rurſus teſtudine mentem leniebat, quò affectus redderet ſedatiores. Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum. Cum pueris Socrates,Seneca teſte,ludere non erubeſcebat,& quidem in arundine equitando,ut Valer.Maximus addit.

Natal.ubi ſup. lib. 9.c.12. pag.1001.
Senec.de Tranq. anim.c.15.ad fin.

Cuius & illud dictum laudatur: *Otium poſſeſsionum omnium optimam* 15
eſſe. Otium autem ſenſit,non ignaviam,ſed à tumultuoſis negotijs, & cupiditatibus,animi tranquillitatem vitiantibus,remiſsionem.

Xenoph. de dict. &fact.Socrat.
Stob.ſerm.28.

De Scipione quoque,& Lælio, poſt Ciceronem,idē Valerius Ma- 16
ximus, & alij paſsim enarrant,qualiter rerum publicarū cura defeſsi, conchas, & umbilicos ad Caietam & Lucrinum legere, & ad omnem animi remiſsionem ludumque deſcendere conſueverunt. Quo reſpicit Horatianum illud:

Cic.in lib.de orat.
Valer. d.lib.8.c.8.
Eraſm.in Adag. *Conchas legere.*
Horat.lib.2.ſaty.1

Quin ubi ſe à vulgo & ſcena in ſecreta remorant
Virtus Scipiadæ,& mitis ſapientia Lælij,
Nugari cum illo,& diſcinctis ludere,donec
Decoqueretur olus ſoliti.

Qui idem Scipio dicere etiam ſolebat: *Se nunquā minùs otioſum, quàm cum eſſet otioſus, nunquam minùs ſolum, quàm cum eſſet ſolus.* Innuens nimirum,ſe tunc vel recreatione, vel meditatione, ad res ſerias & graves diſponere,& præparare,& eiuſmodi otium non otioſum, ſed negotioſum(ut ſuprà diximus) eſſe cenſendum.Cum contra,ut prudenter dixit Ennius ab Agellio laudatus:

Ennius apud Agel. lib.19. cap.10.

Otio qui neſcit uti plus negotij habet,
Quàm cum eſt negotium in negotio.

17 De quo loco, & alijs ad otij deteſtationem pertinentibus, alibi fuſsius agemus, nunc ad Auguſtum Cæſarem tranſeuntes, qui licèt laudatiſsimus fuerit Imperator, aleæ aliquando indulgebat, ut Suetonius refert, notabilem eius ad Tiberium epiſtolam addens, de modo, quo ſe hoc in ludo habere ſoleret, ut hilaritatem, & animi ſui liberalitatem oſtenderet, qua etiam intentione & imitatione Prudentiſsimum Regem noſtrum Philippum II. eidem ludo indulſiſſe, Paſcaſius Iuſtus eſt Auctor.

Infr. Embl. 77.
Suet. in Aug. c. 71.
Paſchaſ. lib. 1. de alea.

18 Ipſe etiam Tiberius, ut Tacitus narrat, quamvis Imperio, & Imperij artibus attentiſsimus, hoc ſe & alijs ludis oblectari ſolebat, & magnus ille Ageſilaus ab Æliano, & alijs memoratur, cum Infante filio arundinem equitaſſe, poſtquàm diuturnam operam publicis rebus multa cum laude impendiſſet. Vnde emanavit illud Horatij.

Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Tacit. lib. 6. Annal.
Ælian. lib. 12. c. 15.
Horat li. 2. ſaty. 3.

19 Et ſunt ſexcenta alia ſimilia antiquorum, & recentiorum exempla, quæ Alexander ab Alexandro, Franciſcus Petrarcha, & alij recenſent. Quibus addere licet Marcum Antonium Philoſophum Imperatorem, qui Imperij mole, & Philoſophiæ ſtudiorum aſsiduitate defatigatus, animum iam laſſum, aut pila, aut pictura recreabat. Altera enim corpus exercebat; altera, immutato cogitandi genere, una cum corpore, ut Fulgoſus tradit, ſpiritum renovabat. Prout & Alexander ille, re licèt, & nomine Severus, qui ut Lampridius, & Cuſpinianus ſcribunt, facundia Græca excellens, muſicæ valdè deditus erat, lyraque, tibia, & organo ac tuba canere, ad graviorum curarum intermiſsionem ſolitus fuit, ſed poſt Imperium adeptum, nunquã alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus.

Alex. lib. 3. cap. 21 Petrarc. lib. 1. rer mem c. 1. de otio, noviſs. Souterius de ludis, lib. 3. cap. 1. & 3. Theat. verb. *Ludus*, & verb. *Ludrica*.
Fulg. ib. 8. cap. 8.
Lampr. & Cuſp. in Alex. Severo.

20 Quod etiam de Rege ac Domino noſtro Philippo IV. quem Deus ſoſpitet, Saavedra, teſtatur. Quem tamen ſcimus, & experimur, nunquam ita huic, vel alijs oblectamentis intendere, ut maiores curas a ſe abdicet, ut idem Auctor alibi de Dom. Rege Ferdinando Catholico, poſt Marianam, & alios, ſcriptum reliquit, & ab omnibus cordatis Regibus obſervari debere in quadam ex ſuis legibus præcep. Rex Alfonſus X. ubi poſtquam de muſica, & alijs permiſsis delectationibus egit, inquit: *E maguer, que cada una de eſtas fueſſe fallada para bien, con todo eſſo non debe ome de ellas uſar, ſino en el tiempo que conviene, è de manera que aya pro, è non daño. E mas conviene eſto a los Reyes, que à los otros omes, ca ellos deben fazer las coſas mui ordenadamente, e con razon.*

Saaved. Emp 6. pag. 37.
Idem Empr. 72. pag. 552.
L. 21. tit. 5. par. 2.

21 Muſicam porro fuiſſe, & eſſe decentiſsimum, & præſentiſsimum Regum oblectamentum, & aliarum curarum levamen, ſatis ab Eccleſiaſtico ſuademur, dum dixit: *Vinum & muſica lætificant cor, & ſuper utraque dilectio ſapientiæ.* Atque adeò a magnis viris, & Principibus plurimi habitam, pluribus teſtimonijs, & exemplis, Policraticus, Camerarius, & Beyerlinchius oſtendunt, & extat elegantiſsimum eius

Policr. de nug. curial. lib. 1. c. 6. & li. 8. c. 12. Camer. 1. ſubc. c. 16. & lib. 3. c. 97 pag. 365. Beyerl. in The. verb. *Muſica*.

e-

Caſsiodor.lib.2. epiſt.40.

Eoban. Heſsius in Epigramm.

encomium Caſsiodori in Epiſtola, quam ſub Theodorici Regis nomine ad Boëtium ſcripſit, rogans, ut cytharedum deligat, quem ad Regem Francorum mittere poſsit. Sed præſtat verſus Eobani Heſsi in laudem veræ tempeſtivæque muſicæ ſubtexere, qui ita habent:

Quem non blanda iuvant varij modulamina cantus,
Huic iecur, & renes ægraque corda ſtupent:
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulciſonum refovet, triſtia corda melos.

Quod etiam non malè expreſsit ille, quiſquis fuit, qui muſicam, de 22
ſe ipſa, his carminibus loquentem induxit:

Vinco, flecto, rego, cantu, dulcedine, plectro,
Dira, cruenta, feros, tartara, monſtra, viros:
Languentes relevo, morituros excito, mæſtos
Erigo, pallentes munio, vinco Deos.

Cauſin. in Poliſtor. ſymb. lib.5.c.32.

Quibus tamen non obſtantibus, Henricus Magnus Galliæ Rex, ut 23
Cauſinus narrat, dicebat, nihil vetare quominus Regum liberi, muſicorum audirent acroamata: muſicam autem diſcere, aut fidibus canere nolebat; cum præſertim hæc ars, nihil ijs præterquam ad amatorias illecebras ſit pro futura. Peſsimum documentum, & quod perverſa naturæ contagione, celeris irrepuit animo, quàm magiſtri præceptis egeat. Regum quidem propria in pace inſtrumenta, ſceptrum eſſe, & manum iuſtitiæ, in bello gladium: hæc ijſdem regiè tractanda, hæc utroque tempore uſurpanda prædicabat. Prudentiæ, iuſtitiæ, fortitudinis, cæterarumque virtutum temperiem, Regiam planè cantilenam eſſe, muſicis legum numeris illigatam, quam quiſque quadripartito ſolus canere poſſet. Cum quo conſonat illud Gelonis apud Plutarchum, qui, in convivio, cum lyra circumferretur, cæterique ordine canerent, (nam id apud Græcos honeſtum habebatur) equum iuſsit adduci in convivium, facilèque, ac leviter in illum inſilijt, ſignificans, hoc eſſe regalius, quàm lyra canere.

Plutarc. in Lacon.

Cæterùm, ut ad rem redeamus, non ſolùm licitum ducimus, Prin- 24
cipes ſub hac, quam diximus, moderatione, animum demulcere, & Regias curas atque anxietates pauliſper deponere, verùm & ipſis, quos regunt, populis, aliquando otiari, & feriari permittere debent, & ludos, ac feſtivitates publicas, quibus oblectentur, & exhilarentur, cõcedere, & citharedum imitari, qui neque nervum intendit, ne abrumpat, nec remittit ultra modum, ne harmoniæ concentum lædat. Vel Deum potius, qui, ut D. Chryſoſtomus ait: *Nec in remiſsione continua, nec in longa tribulatione noſtram conſtituit animam, ſecundùm ſuam prudentiam utrumque faciens. Non ſinit nos continua potiri remiſsione, ne ſegniores fiamus: non autem rurſus ſinit in continua verſari tribulatione, ne concidamus, nevè deſperemus.*

D. Chryſoſt. in homil.4. ad popul. Antioch.

Quod monitum, iuris gentium non malè appellari poteſt, cum 25

nulla fuerit gens, quæ ſuo modo moreq́ue aliquos ludos non inſtituerit, ut poſt alios noviſsimè Bullengerus, Souterius, Pantoja, Meurſius, Beyerlinchius, & alij demonſtrant, & graviter oſtendit Seneca eoſdem, dummodo moderati ſint, commendans, nam frequens uſus omne animi pondus eripiet, addenſque, *Legum conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.*

Bulleng. Meurſ. Sout. Pantoja in tractat. de ludis Theat. Beyerlin. verb. *Ludus*.

Senec. de Trāquil. cap. 3. & 15.

26 Quod & plures leges Romani iuris oſtendunt, iubentes, ut populis lætitia reddatur; & non tam in Regibus voluntarium, quam neceſſarium, docet Caſsiodorus, dum poſt multa relatu digna de ludis Circenſibus, & alijs, eorumque laude & utilitate, ſic finit: *Hæc nos fovemus neceſsitate populorum imminentium, quibus votum eſt ad talia convenire, dum cogitationes ſerias delectantur abiicere. Paucos enim ratio capit, & raros probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remiſsionem conſtat inventum. Expedit interdum deſipere, ut populi poſsimus deſiderata gaudia continere.*

L. unic. C. de maium. l. 2. eod. tit. in Theo. l. 4. C. de pagan. l. 1. & 5. C. de ſpectac.

Caſsiodor. lib. 3. epiſt. 51.

27 Qui ſanè locus, & alia, quæ ſupra retulimus, ſatis cōducūt ad reſolutionem quæſtionis, tum ſæpè aliàs, tum maximè his diebus in examen magno ſtudio vocatæ, an Comœdiæ, & theatrales, quas vocamus repræſentationes, populis (ut fieri aſſolet) concedendæ, vel in totum à Republica exterminandæ ſint? Certè enim, licèt Chriſtianis moribus magis cōveniat, eiuſmodi oblectationem interdicere, propter exceſſus, abuſus, & peccata, quæ inde oriri cognoſcimus, in quibus referendis, & exaggerandis latè Mendoza, & alij calamum extenderunt. Adhuc tamen plures rationes pro illius continuatione, (ſi abuſus reformētur, & aliæ cautiones adhibeantur) exiſtunt, de quibus alibi ſe ſe Nobis offeret opportunior dicendi locus, & interim videnda erunt, quæ non ineruditè noſtri D. Franciſcus de Amaya, & D. Didacus de Saavedra de hoc argumento, poſt alios à ſe relatos, litteris prodiderunt.

Mendoz. quodlibeticis.

Amaya lib. 3. obſerv. c. 5. n. 67. & ſeqq. Saaved. Emp. 73. pag. 553. & 554.

Virtutis ſonus, Principum honos.

EMBLEMA XXXII.



Fertur Achilleam Paridis lyræ ad arma ruentem
Quondam Pellæum præpoſuiſſe Ducem:
Scilicet illa ſuis Venerem moderatur in hortis,
Hæc rabidi furias Martis, & arma canit.
Si elegiſſe datur forſan ſolatia, Princeps,
Semper Achillæam dicito malo lyram.

COMMENTARIVS.

EMBLEMA hoc ad maiorem antecedentis explicationem dirigitur, Principeſque hortatur & admonet, ut vel in ipſis ludricis rebus, & ad remiſsionem animi comparatis, ſemper honeſtum, & decorum attendant, & virtutis publicique ac communis boni viam eligentes, à vitijs abſtineant, & in bivio poſiti, bona potius, quàm turpia, & probroſa aliorum exempla ſibi imitanda proponant. 1

Ælian.li.9. de var. hiſt. cap.38. Stob. ſerm.7. Lycoſt. in Apoph.pag.305.

Sumiturque ex hiſtoria Alexandri Magni, cuius Ælianus, & alij mentionem fecerunt. Qui cum Ilium veniſſet, & omnia ſtudioſè contemplaretur, quidam Troum ei lyram Paridis oſtendit. At ille: *Pluris* (inquit) *hac, lyram Achillis facerem, ſi eam mihi oſtendere poſſes.* Deſiderabat nimirum fortiſsimi Ducis inſtrumentum, quo uſus erat in præſ- 2

tantium bellatorum laudibus celebrandis, non effœminati, qui nihil aliud, quàm infames amores, & adulterijs accommodata carmina cecinit, & fœminis captandis demulcendiſque convenientia.

3 Fuit enim Magnus hic Imperator, ſummus in omnibus Achillis imitator, cuius & ſepulchrũ videre geſtijt, multiſque floribus, coronis, & unguentis, Plutarcho teſtante, donavit, & quòd Homerum rerum ſuarum laudatorem habuerit, invidit. Magni enim momenti res eſt, ut Author quidam hæc memorans addit, vel intueri veſtigia ſaltem, vel cineres, aut ſaxeas moles eorum oculis contemplari, quorũ virtutes, & res geſtæ olim tantæ fuerunt, ut in hodiernum uſque diem mille verborum elogijs decantentur, diſciplinæque adeò, & exemplo ſint alijs. Plut. in vit. Alex.

4 Quod nulli fœlicius, quàm Achilli contigiſſe videtur, cum eius nomen poſteris ad ſtrenuos bellatores, & inſigni fortitudine homines, pertranſierit, & quicquid præclarum extat, excelſo eſt animo, ingenuamvè nobilitatem toto corporis filo moribuſque præſefert, proverbiali figura, *Achilleum ſpirare dicatur*, ut poſt Agellium, & alios, tradit Eraſmus, & Martialis Commentatores in illud Agel. lib. 2. cap. 11. Eraſm. in Adag. pag. 90. & 258. & ſeqq.

Laudat Achilleos, ſed ſine fine pedes. Martial. lib. 2. Epigr. 14.

5 Eſſe autem hanc Alexandri Magni inter has duas cytharas electionem, eius ingenio ſpirituque dignisſimã, illud quoque confirmat, quod Dio Pruſenſis, ſive Chryſoſtomus, eundẽ, Philippo patri reſpõdiſſe narrat, cum ab ipſo ſciſcitaretur, cur tantopere librorũ Homeri lectione delectaretur? Reſpondit enim, quòd non quævis Poëſis Regẽ deceret, cũ parum habeant utilitatis, voluptatis plurimum, & nihil in eorum lectura proficere poſsit is, qui præſtare velit cunctis, atque imperitare: *Homeri autem* (inquit) *Poeſim ſolùm video ingenuam eſſe, & magnificam, & verè Regiam. Cui animum advertere decet eum virum, qui maximè quidem imperaturus ſit omnibus, & futurus, ut idem Homerus ait, Paſtor populorum.* Dio Pruſ. in Orat. de Regno.

6 Similis quoque Alexandro Cæſar Auguſtus, ut Xiphilinus cõmemorat, cum per Alexandriam iter faceret, & ei Alexandrini oſtendiſſent corpus Alexãdri Magni, illud ſumma veneratione, & admiratione ſuſpexit, & contrectavit; ſed cum Alexandrini ultra procedere vellet, ad oſtendendum etiam corpora Ptolomæorum, hoc recuſavit, inquiens: *Regem cupivi, non mortuos videre.* Apim quoque adire noluit, quòd ſe Deos adorare, non bovem, conſueſſe diceret. Xphil. in Aug.

7 Nec valdè differt aliud Caroli VI. Francorum Regis exemplum, à Roberto Gaguino relatum, qui cum eſſet Molduni, ubi armamentum patris erat, & magna ſupellectilis pars. Paterque, oblata illi corona, & caſside, quam mallet? interrogaret, caſsidẽ optavit, ſic bellici ſpiritus, quem poſtmodum detexit, ſpecimen præbens, & arma Regno, Regniique divitijs anteponens. Gaguin. hiſt. Frãc. pag. mihi 168.

8 Sed antiquius his, & ad Bivium Virtutis, & Voluptatis, de quo agimus, magis aptum exemplum ex Prodicio Hercule ſumi poteſt, ſic dicto ex eo, quòd Prodicus Philoſophus omnium primus hanc de eo fabulam commentus fuerit, ut Philoſtratus, Themiſtius, & latiùs cæ- Philoſt. lib. 6. c. 5. Themiſt. in orat. de Amicitia, Tyrius diſſer. 4.

teris Maximus Tyrius ſcribunt, nimirum, quòd vix ab Ephebis egreſſus, ſed viriles iam tamen animos gerens, duplici in via conſiſtens, Virtutem, & Voluptatem ſibi obverſantes habuit, diverſo quidem vultu, veſtitu, ac ſermone; utramque, ut ipſam ſequeretur varijs rationibus, ſive orationibus perſuadentem. Quibus tamen auditis, ſpretis Voluptatis cōmodis, & illecebris, Virtutem arduoſque eius labores ſequi maluit, ut qui Iovis filius, & præclaræ indolis eſſet, quamvis Stephanus Forcatulus hoc ipſum de Ægyptio, ſive Gallico ſuo Hercule, Oſiride parente ſato, accipiendum eſſe, probare contendat. Cui tamen prædicti Authores adverſantur, ac prætereà Cicero & Xenophō. Niſi quòd hi, colloquia Virtutis, & Voluptatis, quæ Prodicus effinxit, omittunt, & ſolùm ſcribunt, Herculem in ſolitudines exijſſe, atque ibi ſedentem, diu ſecum multumque dubitaſſe, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alterā virtutis, utram ingredi melius eſſet. Et in hoc bivio ita cōſtitutum, amœnam primo, ac floſculis confeſtim perituris, voluptatis viam neglexiſſe, & alteram clivoſam, atque aſperam prima fronte elegiſſe, quia ad mirificas delicias, & perennes perduceret. Quem dicendi fingendique modum ſequutus videtur Petrus Coſtalius, ex eo unum ex ſuis Pegmatis formans, & his verſibus ornans:

Forcat. de Gall. Imp. & Phil. lib. 1.

Cicer. Xenoph. lib. 2. memor.

Coſtal. Pegm. fol. 42.

Dum vitam primum ingreditur Tyrinthius heros,
Valdè animi pendens, conſtitit in trivio,
Hìc via ſe partes coram findebat in ambas,
Quæ dubij excruciant fortia corda Ducis.
Vna Voluptatis longo latiſsima calle,
Altera Virtutis, margine clauſa brevi:
Sed pius Alcides, nulli virtute ſecundus,
Arctum Virtutis ſe dedit in gremium.
Scilicet hæc iſta eſt, ineuntis ſemita vitæ:
Nam Virtus hominem ſola beare poteſt.

Schoonh. Emb. 35 pag. 108.

Ad Prodici autem figmentum reſpexit noviſsimus Schoonhovius in quodam Emblemate ex eo conſtructo, cuius lema eſt, *Lubricum iuventutis*, eiuſque carmina in ſe habent: 9

Dum tener, & nondum fundarat in orbe columnas,
Monſtraque delerat Amphitrioniades
Apparent illi Virtus hinc, inde Voluptas,
Et ſtudet in partes flectere quæque ſuas.
Blanda Voluptatis, Virtutis dura videtur
Semita, dum primo limine quamque notat.
Hanc tamen invictæ ſubiens, certamine mentis,
Ad ſuperos tandem viſibi ſtravit iter.
Alcidæ ſimiles homines ſunt, dum levis ætas,
Et peragit curſus cæca iuventa ſuos;

Fœlix qui rectum potuit ſervare tenorem
Integer, & nullo crimine tactus obit.

11 In eandem quoque ſententiam tendit divina lyra Maphæi Cardinalis Barbarini (poſteà Vrbanus VIII. Pontifex Opt. Max.) præſtantius omnibus, Virtutis, & Voluptatis rationes, quibus Herculem ad ſe attrahere contendebant, exponens, cuius verba brevitati conſulens non tranſcribo, ſicut nec alia Silij Italici, quorum ſuprà mentionem feci, qui quod Prodicus de Hercule finxit, ad Scipionem Iuvenẽ trãſferens, deliberantem an poſt patris, patruique obitum belli Punici in Hiſpanijs curam contra Haſdrubalem ſuſcepturus eſſet, Virtutem, & Voluptatem ad eum accedentes, invicemque confligentes, inducit. Card. Barbarin. in Od. ad Frãc. Card. Barbar pag. Silius Italic. li. 15. vide ſup. Emb. 7.

12 Semper etenim, vel Heſiodo teſtante: Heſiod. in operib. Pined. Menand. & alij, ap. Cabociũ in Horat. lib 1. ſatyr. 9. pag. 106.

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam,
Arduus eſt ad eam longumque per ardua callis.

Sive ut alter dixit:

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Quod & ipſe Salvator Servatorque noſter Chriſtus Dominus apud Matthæum monuit, dum dixit: *Contendite intrare per anguſtam portã, quia lata porta eſt, & ſpecioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam, quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.* Matth. 13. 7. & ſeq.

13 Sed hic tamen labor honoris, & gloriæ præmio, quod eius aſſeclas manet, ubertim reponderatur; ut Romani oſtendere voluerũt, Virtutis & Honoris templis in edita rupe à Marco Marcello extructis, ſibique ita mutuò coniunctis, ut ad Honoris, non niſi per Virtutis templũ ingredi fas eſſet. Vnde Symmachus: *Benè & ſapienter Maiores noſtri* (inquit) *ædes Honoris, atque Virtutis gemellas iunctim locarunt: commiſti ibi eſſe præmia honoris, ubi ſunt merita virtutis.* Et latiùs D. Auguſtinus ſic loquens. *Via virtus eſt, qua nitimur tanquam ad poſſeſsionis finem, id eſt ad gloriam, honorem, imperium. Hoc inſitum habuiſſe Romanos, etiam Deorum apud ipſos ædes indicant, quas coniunctiſsimas conſtituerunt, Virtutis & Honoris, pro Dijs habentes; quæ dantur à Deo. Gloriam ergo, honorem & imperium, quæ ſibi exoptabant, & quò bonis artibus pervenire nitebantur boni, non debet ſequi virtus; ſed ipſa virtutem. Neque enim vera virtus eſt, niſi quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis, quo melius non eſt, &c.* Symmac. lib. 1. ep. 20. vide etiã Alex. ab Alex. lib. 4. c. 16 D. Aug. de civitat. Dei, lib. 5. cap. 12.

14 Eandem quoque ſignificationem, & monitionem, quòd per anguſta ad auguſta per rumpatur, mandato & exemplo ſuo Deus Nos apud Michæam; & D. Paulum edocuit, & Antiqui hoc ipſum biviũ, de quo agimus: in littera Pythagore. Y. inſinuari tradiderũt, ut eleganter oſtendit Virgilius, hoc carmine eam deſcribens, quod licèt vulgatũ ſit, abſque piaculo hìc omitti non poteſt, & ſic habet: Michæ. 2. 13. D. Paul. Epheſ. 1. 18. & 19. 20. 1. Pet. 3. v. ult. Virg. in Append.

Littera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſsis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter in via lata, ſed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudem decuſque parabit.
At qui deſidiam luxumque ſequetur inertem
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis inopſque ſimul, miſerabile tranſiget ævum.

Perſ.ſatyr.3.

Perſius quoque eadem ſimilitudine utitur, inſtruens nobilem adoleſcentem, ut circa litterarum ſtudia ſe ſedulum præſtet, eumque à virtute commendat, his verſibus: 15

Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtrabit limite callem.

Lactant. lib. 6. de vero cultu, c. 3.

Et apertius Lactantius Firmianus, in hunc modum: *Dicunt humanæ vitæ curſum. Y. litteræ eſſe ſimilem, quòd unuſquiſque hominum, cum primùm adoleſcentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit, partes ubi ſe via findit in ambas, hæreat nutabundus, & neſciat in quam ſe partem potius inclinet. Si Ducem nactus fuerit, qui dirigat ad meliora titubantem, honeſtam ac copioſam vitam diſputant peracturum, ſi verò Doctorem frugalitatis non invenerit, in ſiniſtram viam, quæ melioris ſpeciem metiatur, incedere, id eſt, luxuriæ, inertiæque ſe tradere, &c.*

Oræus Icone 27.

Ipſumque idem bivium exponens Henricus Oræus ſub Icone Herculis Prodici, & lematè, *Intrate per anguſta*, ſic habet: 16

Per duros caſus dextrum petit ardua Callem
Virtus, & tandem laudis honore beat.
Tramite ſed lævo crudeles itur ad umbras,
Omni vincit ubi gaudia parte malum.

Horat. lib. 1. epiſt. 2. ad Lilium.

Ornarique adhuc magis poteſt Vlyſsis exemplo, qui, ut Horatius canit, prudentia, & virtute ſua aſpera multa pertulit, & obturatis ad Sirenum voces auribus, & Circes pocula labijs, tandem fœlix evaſit: 17

Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet, turpis & excors
Vixiſſet canis immundus, & amica luto ſus.

Ovid. lib. 1. Faſt.

Et egregijs Ovidij carminibus, qui eorum fœlicitatem, & beatitatem, qui ſciunt reprobare malum, & eligere bonum, hoc eſt vitijs, & voluptatibus res ſuas habere iuſsis, rectum & exactum vitæ iter agnoſcere, & arripere, & per mundanas haſce vanitates, ad eas virtutes tendere, quibus omnem vitam tueri poſsint, ſic canit:

Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit:
Credibile eſt illos pariter vitijſque iociſque
Altius humanis exercuiſſe caput.
Non Venus, aut vinum ſublimia pectora fregit
Officiumque fori, militiæque labor:
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco
Magnarumvè fames ſollicitavit opum;
Sic petitur cœlum, &c.

18 Cum è contrario, vitiorum, ac voluptatum nigra ſit cauda, ut eſt in proverbio, lachrymabilis exitus, & certiſsimus comes, dolor, ac pœnitentia, ut rectè agnovit Plautus, dum dixit: Eraſm. in Adag. pag. 516. & 415.

Plaut. in Amphit.

Ita comparatum eſt in ætate hominum,
Ita Dijs placitum, voluptati ut mæror Comes conſequatur.

Et Boetius ſic inquiens: Boet. lib. 3. Met. 7.

Habet hoc voluptas omnis
Stimulis agit fruentes.
Apiumque par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quam ſententiam adhuc gravius oratione libera idem Auctor ibidem expreſsit, & Divus Auguſtinus exclamans: *O voluptates, quàm faciles aditus habetis, dum ſuadetis; quàm verò difficiles habetis exitus: dum ſuadetis inungitis, ſed poſtquàm ſuaſeritis, uſque ad mortem animæ pungitis.* Vnde rectè monet Horatius, cum quo huic commetationi finem inponam,

D. Aug. de contr. cord. cap. 4.

Horat. lib. 1. epiſt. 1. ad Lolium.

Sperne voluptates nocet emta dolore voluptas.

In Nimis deditos Venationi.

EMBLEMA XXXIII.



Vides ut artus turba canum ſecet
Actæoneos; corripit improbum vulgus
Doloſum cervum, & odit
Quos malè nutrit ille morſus.
Diſperdit altos immoderatior
Diana Reges; tempus, opes, ſalus
Hinc dilabuntur. Nimium omne cave.

COMMENTARIVS.

CVM Regibus, viriſque Principibus laxandi animi cauſa aliquas oblectationes permitti dixerimus, è re eſſe videtur, ut quid de venatione ſentiamus, paucis pertractemus. Et herclè negari non poteſt, quin hæc, præcæteris, à prudentiſsimis graviſsimiſque Scriptoribus, non ſolùm Regibus concedatur, verùm & ſummopere commendetur, utpotè in qua, ultra animi laxationem, corpus quoque exerceatur, & ad ſurgendum diluculo, frigoraque & calores, alioſque labores perferendum, conſuefiat, & bellorum præliorumque progymnaſma quoddam, in ea repræſentetur, quorum diſciplina, & ſcientia, nullis magis, quàm Regibus eſt neceſſaria. 1

2 Quæ omnia,& alia,quæ huc ſpectant, latiſsimè proſequitur Xenophon,Dux & Philoſophus præſtantiſsimus, in elegantiſsimo libello, quem de venatione compoſuit, & in ſua Cyripœdia, addens, his de cauſis Perſarum Regibus hoc venationis ſtudium gratiſsimum, & uſitatiſsimum fuiſſe.

Xenoph. in Cyripœd lib. 1. & in .i. de venatio. de qua etiã ſcripſerũt alij quos refero. Tiraq. de nobil. cap. 37. num. 143.

3 Divinus quoque Plato illud Heroicum eſſe inquit, & vel lege ſanciri debere,ne quis ullibi eodem prohibeatur,his verbis: *Sola & quidẽ optima venatio eſt quadrupedũ,quæ equis,& canibus,&corporis viribus peragitur. Quibus enim Heroica fortitudo curæ eſt, ij quadrupedes omnes curſu,volucribus,teliſque manu propria,venãdo, ſuperare debent. Lex autem ita ſtatuitor,ſacros hos Venatores ubicunque,& quando venari voluerint,nemo prohibeto.*

Plato de legibus, dial. 7. in fin. Vide Saaved. Empreſ. 3. pag. 24. & latè Cerd. 9. Æneid. verſ. 605. & plures alios apud D. Ant. Cabreros in tract. de metu, lib. 2. c. 37. ex n. 2. Scõborner. li. 3. polit. c. 46

4 Iulius Pollux, Platonis(ut apparet)pediſequa,venationem pariter vocat: *Studium Heroicum Regiumque, & ad corporis animique bonã conſtitutionem conferens,ac tam placidæ fortitudinis, quàm militaris audaciæ ſpecimen.* Et Olaus Magnus,eiſdem veſtigijs inſiſtens,cõmemorat, Viriatum Luſitanũ, cum paſtor eſſet, militarem diſciplinã ex ſola venatione didiciſſe,cui operam dedit;& à venatoribus (inquit) Dux factus,cum nulla generis,aut maiorum commẽdatione clarus eſſet, univerſum Hiſpaniæ exercitum magna cum laude contra Romanos integro decennio duxit.

Iul. Poll. in onom. ad Commod. Cæſ. lib. 5.

Olaus lib. 18. c. 42.

5 Horatius etiam ad Lollium ſcribens,& de venatione loquens, eximiè laudat: ---------- *Pulmenta laboribus eruta*

Romanis ſolemne viris,opus utile famæ,
Vitæque & membris.

Horat. li. 1. epiſ. 18

Ovidius Veneris ſe dandæ remedium in eadem conſtituit,inquiens:

Vel tu venandi ſtudium cole, ſæpè receſsit
Turpiter à Phœbi victa ſorore Venus.

Ovid. de remed. amor. lib. 1.

Ad quod alludens Schoonhovius(Ovidio tamen non citato) Emblema fecit,ſub titulo, *Labor amoris domitor*, his ſubiectis carminibus:

Schonh. Embl. 31.

Omnia parva puer Veneris iuſtiſsima proles,
Telorum duro cum premis Imperio,
Sola Diana tamen veſtri vim deſpicit arcus,
Dum ſequitur fortes fortior illa feras:
Otia ſi tollas perijt veſana libido,
Quam labor aſsiduus,duraque vita domat.

Et Statius Papinius Achillem illum bellatorum maximum,venationẽ à Chirone didiciſſe tradit, eiuſque armorum præludia, & venationes recenſens,ſic ait:

Stat. Papin. lib. 1. Achilleid.

--------- *Quid nunc tibi prælia dicam*
Sylvarum, & vacuos ſævo iam murmure ſaltus?
Nunquam ille imbelles Oſſæa per avia lynces
Sectari,aut timido paſſus me cuſpide damas
Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus urſos

Fulmineoſque ſues, & ſicubi maxima tygris,
Aut ſubducta iugis fœta ſpelunca leænæ.
Ipſe ſedens vaſto facta expectabat ab antro:
Si ſparſus multo remearem ſanguine, nec me
Ante, niſi inſpectis admiſsit ad oſcula telis.

Tiraq. de uobil. c. 37. ex num. 138. Theat. verb. *Venatio*, ex pag. 17.

His plura alia teſtimonia, Regumque, & Imperatorum exempla addi poſſunt, qui nimis venationi dediti fuerunt, & plenè à Tiraquello, & alijs commemorantur. Sed nobis ſuperiora tetigiſſe ſufficiat, & celebrem noſtri ſeptem Partiti iuris Conſtitutionem, quæ de his venationis utilitatibus agens, illaſque veluti in compendium reducens, ita inquit: *E para eſto, una de las coſas que fallaron los ſabios, que mas tiene pro, es la caça, de qualquier manera que ſea, ca ella ayuda mucho à mēguar los penſamientos, è la ſaña, Lo que es mas meneſter al Rei que à otro ome. E ſin todo aqueſto dà ſalud, ca el trabajo que en ello toma, ſi es con meſura, faze comer, è dormir bien, que es la mayor coſa de la vida del ome. E porende los Antiguos tovieron que conviene eſto mucho à los Reyes, mas que à otros omes, por alegrar ſu vida, è ſu ſalud. E porque la caça es arte, è ſabiduria de guerrear, è de vencer, de lo que los Reyes deben ſer mucho ſabidores, &c.* 6

L. 20. tit. 5. par. 2.

Plin. Iun. lib. 1. epiſt. 6.

Cui legi ſuffragatur Plinius Iunior, niſi quòd venationem, non ad minorandas ſedandaſvè cogitationes, ſed ad ipſas excitandas, utilem facit. Sic enim ſcribit: *Nam & ſylvæ ſolitudo, ipſumque illud tempus quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta ſunt.* 7

Sed licèt hæc ita ſe habeant, & ſolido veritatis fundamento nitātur, ita tamen intelligenda, & temperanda ſunt, ut venationis ſtudiū & oblectatio, non tam à Regibus, & Principibus (quibus cum præcipuè loquimur) in officium, frequenſvè exercitium, ſed in aliorum laborum curarumque levamen, raro, & ſine magno in hanc rem ſumtu, & apparatu ſumatur, ut & de reliquis alijs animi laxamentis in ſuperioribus diximus. Alioqui enim, non laudabilis, ſed vituperabilis erit, illiuſque exercitium in exitium tendet, damnoſumque eſſe incipiet, quod in ordine ad meliorem negotiorum expeditionem permittebatur, ut ipſi ijdem Auctores agnoſcunt, quos pro venatione citavi, præſertim Plato, ſic inquiens: *Venationem legislator, & laudare, & vituperare debet, ad iuvenum labores, & ſtudia reſpectu habito. Eamque quæ animos iuvenum meliores reddit, laudare: quæ contrà vituperare.* Et dicta lex noſtra Regia, quæ poſt verba ſuprà relata, ſubiungit: *Pero no debe meter en eſto tanta coſta, que mengue en lo que ha de cumplir, nin uſe tanto de ella, que le embargue los otros fechos.* 8

Plato d. Dialog. 7.

Petrar. derem. utr. fort. lib. 1. dial. 32. Patrit. de Regn. li. 3. c. 6. Amirat. Arniſæus Scōborner. & plures alij apud Aſcaff. in tract. de ærario, pag. 653. & 898. quem vide, & Seb Medic. in trac. de venat. 1. p. q 41 & ſeqq. & Iunium orat. 8. de venat. & Cabrerus d. c. 37.

Idemque ipſum Franc. Petrarca, & omnes Politici docent, & Nos præſenti Emblemate deſignamus, & inſinuamus, ſub Actæonis fabula a proprijs canibus inter venandū occiſi, quam pupugiſſe ſufficiet, utpotè pueris (quod aiunt) & tonſoribus notam, & ab Ovidio, & alijs pleniſsimè decantatam. Neque obijciat aliquis Nos actum agere, cum de eadem Alciatus iam aliud Emblema formaſſe reperiatur. Nam licèt in pictura nobiſcum conſentiat, in Mythologia tamen, & 9

Ovid. 3. Metam. Eurip. in Bachid. Apollod. lib. 2.

Alciat. Embl. 52.

ap-

applicatione differimus. Ille enim hac fabula receptatores ſicariorū, latronum & paraſitorum ſignificari innuit, qui tandem ab eis devorantur,& conſumuntur,Phavorinum nimirum apud Stobæum,&alios Auctores ibidem à Claudio Minoe relatos,ſequutus,qui eandem explicationem,ſive applicationē tradiderunt,ut & alij alias plures,quas Natalis Comes lato calamo retulit.

Stobæus ſerm. 12. Anul⁹ in pictaPoëſi. Minoes ad Alciat.pag.227.

Nat.Com.in Mythol.lib.4.cap.24. pag.673.

10 Nos verò planiorem hanc ſequimur, & exprimimus, quæ multis itidem placuit, ut ſcilicèt ad Venatores referatur,qui tempus & ſalutem in venando abſumunt,ut ille alter Horatij:

Orat.lib.1.od.1.

---------- Manet ſub Iove frigido
Venator,teneræ coniugis immemor:
Ceu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

Vel Thomæ Mori:

Thom. Morus in carminib.

Venator defeſſa thoro quum membra reponit:
Mens tamen ad ſylvas,& ſua luſtra redit.

Aut etiam in venandi luxu,inutili admodum, & ſumtuoſo, ſuas opes miſerè dilapidant. Hi enim à canibus,quos aluerunt,ut & noſter Actæon à ſuis,tandem,ultione divina, quaſi membratim dilaniantur, & devorantur.Eòque iuſtius ac gravius illi, qui hanc ob cauſam iuſtiores,& graviores curas, atque occupationes, honeſtaſque alias actiones ſibi iniunctas, inſuper habent, & omnem temporis uſuram in aucupijs,& venationibus terunt.

11 Quo etiam ſentiendi modo huius fabulæ moralitatē exponit Cognatus, & ante eum Policraticus, ſive Ioannes Saliſberienſis, ſic inquiens: *Dux Thebanus viſa nuditate illius, quàm in ſylvis ſemper coluerat, cum ab errore pedem ſui revocarent affectus, ſub humano ſenſu ſe in beſtiam obſtupuit transformatum;cerviſque conformis,cum domeſticos canes voce, & vultu niteretur abigere, vitio pravæ conſuetudinis, totius ſubſtantiæ ſuæ diſpendio,eorundem morſibus patuit.*

Cognat.lib.2.narrat ex Ovid. Metamorph.

Policr.decur.nug. lib.1.cap.4.

12 Noviſsimus etiam Antonius Burgundia, eodem ſenſu,eandem fabulam explicat, & ad nudæ Dianæ conſpectum Actæonem ſtatim in cervum verti, & à ſuis canibus dilaniari, nihil aliud ſignificare ait, quàm venatores, qui nudum præda nemus,multa cincti indagine viſitant,mora nulla,quaſi feram inter feras indui,& ſtudio venationis, ac ſumtibus, hinc inde diſtractos,totos abſumi.

Burgund.in lapide Lydio mūdi, cap. 33.pag.95.

13 Vt omittam plura vitæ pericula, atque diſcrimina,in quæ temerarij,& inconſulti venatores incidere ſolent, quæ reſpiciens Xenophō, ſuum Cyrum,huic ſtudio valdè deditum, monet, ne ad urſos ac leones, pardos, aproſvè appropinquaret, qui olim complures homines dilaniarunt. Et adhuc Cyrus ipſe, cervum inſequens, non tam propter eius feritatem,quàm quod nullam locorum rationem habuit,equo cadente,cecidit,& eius propèmodum cervices confractæ ſunt.

Xenoph.in Cyripœd.lib.1.

14 Idem conſilium Venus apud Ovidiū Adonidi puero,quem deperibat,quique venatione nimis delectabatur,his verbis dedit:

Ovid.lib.10. Metamorphoſ.

Hos tu, chare mihi, cumque his, genus omne ferarum,
Quod non terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,
Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.

Et poſtea latè referens Hippomenis, & Atalantæ fabulam, & quàre, & qualiter in leonem & leænam converſi fuerint, & ut ab his, & alijs atrocioribus, & pugnacibus belluis ſibi caveret, addit, eundem Adonidem poſt diſceſſum veneris iſta monita, vel oblitum, vel non curantem, aprum à canibus excitum audacter aggreſſum, iaculo transfixiſſe, eiuſque morſu interijſſe. Naſonis verba ſic habent: 14

Illa quidem monuit, iunctiſque per aera cygnis
Carpit iter: ſed ſtat monitis contraria virtus.
Fortè ſuem latebris veſtigia certa ſecuti,
Excivere canes, ſylviſque exire parantem
Fixerat obliquo veniens Cinyreius ictu.
Protinus excuſsit pando venabula roſtro
Sanguine tincta ſuo: trepidumque & tuta petentem
Trux aper inſequitur: totoſque ſub inguine dentes
Abdidit, & fulva moribundum ſtravit arena.

Cabrerus d.c.37. num.25.

His addi poteſt alia aliorum Mythologia apud noſtrum Cabrerũ, qui Actæonis cornua ob uxorem à Procis ſtupratam, dum ipſe, eius oblitus, nimis venationi indulgebat, proceſsiſſe, his carminibus prodũnt: 15

Actæon pleroſque canes fit pauper alendo,
Coniugis oblitus, cui caret igne focus.
Per nemus ipſe feras ſequitur: nuptamque procaces:
Namque cicur paſſa eſt, ſæpè rogata capi.
Fama malum pernix fabellæ præbuit anſam
En miſer Actæon corniger eſca canum.
Texet nupta domi, bos ruri, aſinuſque laborem,
Ite ſepulcrales, vos procul ite canes.

Fulgoſ. lib.9.c.12. Rhodig. lib 23. c. 2. Theat. verb. *Venatio*, pag.23.&24 Oræ° in virid. Hieron. Gliph. Maiol. in colloq. de plantis, in princip.

Mariana de rebus Hiſpan. lib.7. c.3. ad finem.

Sed quid fabulas loquimur, cum hiſtoriæ ſimilibus caſibus paſsim ſcateant, quos plenè Baptiſta Fulgoſus, & alij cõmemorant, & Nos ſuprà Emblemate IX. Maximiliani Cæſaris in prærupta rupe periculũ, ob venandi ſtudium tetigerimus. Et noſtrum Favilam Regem Pelagij filium, ab urſo necatum, & in glorie ſepultum legamus, quòd venationi, relictis alijs regni curis, nimis deditus eſſet, ut his verbis, valdè noſtri Emblematis monito conducentibus, Ioannes Mariana recenſet: *Pelagij filius Favila à patris obitu Regnum, nemine repugnante obtinuit. Regnavit duobus annis, infœlici exitu, & morum levitate magis nobilis, quàm clarus. Venationi enim nimio plus deditus, cum tantum belli eſſet in manibus, novumque Regnum imbecillitate magis hoſtium & perturbatione, quam noſtrorum virtute ſtaret: Reipublicæ curam negligere viſus, privataſque voluptates rebus communibus potiores arbitrari, ab* 16

urſo,

urſo, quem inter venandum avidius inſequebatur, dilaniatus eſt, nulla neque vitæ neque mortis gloria, &c.

17 Prout etiam Neroni vitio verſum fuit, ut Suetonius tradit, quòd non tantùm piſcatui, venationibus, & aucupijs deditiſsimus fuerit, ſed quòd etiam aureis ad id retibus, & prodigo nimis, ac ſumtuoſo apparatu fuerit uſus, & Adriano, alioqui inter bonos Imperatores numerato, apud Suetonium, Dionem, & Cuſpinianum, quòd venandi ſtudio, ad inſaniam, & periculum tenebatur: nam inter venandum diſtracto humero, & crus penè confregit, & inſidiæ ipſi ſunt ſtructæ. Fatentur tamen ijdem Auctores, illum, ob hanc cauſam, nihil eorum neglexiſſe, quod ad adminiſtrandam Rempublicam, & Imperij commoda pertineret, prout & de Rege noſtro Ferdinando Catholico, poſt Marianam, Saavedra teſtatur, inquiens: *Que era tan aprovechado en los divertimientos, que en ellos no perdia de viſta los negocios. Porque quando ſalia à caça, tenia los oìdos atentos à los deſpachos que le leìa un Secretario, i los ojos al vuelo de las garças.*

Sueton. in Neron. cap.

Sueton. Tranquil. Dio Caſs. & Cuſpinian. in Hadr.

Saaved. Empr. 72. pag. 552.

18 Intempeſtivum etiam venandi ſtudium taxat in Vero Imperatore Capitolinus, & in Leone Decimo, Romano Pontifice, Paulus Iovius. Et Antonius Panormitanus, de ſuo Rege Alphonſo Aragonum Primo commemorat, quòd *Venatione uti ſolebat, cum aliquando relaxare animum à negotijs vellet, qua non ſolùm adoleſcentes, ſed grandiores etiam natu, militiæ labores tolerare pulcherrimè diſcunt*. Vbi Æneas Silvius in notis, de Imperatore Alberto, ſic protulit: *Venatum vilem eſſe, ſaltationem mulîebrem, ſeque voluptate quavis alia carere poſſe, venatione non poſſe.*

Capit. in vero Imper.

Iovius lib. 4. hiſt. Leonis X.

Panor. lib. 4.

19 Vnde iam ſatis liquet, quomodo, & ad quem finem venationi danda ſit opera, & quicquid ab eo diſcedit, vel excedit, meritò vitij nomen mereri, & in gravem reprehenſionem Ioannis Sariſberienſis incidere, qui ſemiferos eſſe, & Centauros eos redolere ait, qui nimis venationibus oblectantur, & poſt plura in huius exceſſus deteſtationem latiſsimè tradita, regulas quaſdam metaſvè conſtituit, quas intra hoc ſtudium contineri debeat, acquieſcendo mandato Comici, *Ne quid nimis*, ut & Nos in noſtro carmine dicimus. Nam & ſecundùm Horatium:

Sariſb. in Policrat. lib. 1. c. 4. per tot. omnino legendus.

Terent. in Andr. Eraſ. in hoc Adag. pag. 507.

Inſani ſapiens nomen feret, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Horat. lib. 1. epiſt. 6. & lib. 1. ſatyr. 1.

Et, ut idem ait, ſi quis immoderatè: — Idem in Arte Poet.

Gaudet equis canibuſque, & aprici gramine campi,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,

In illud alterius incidet à Burgundia relatum: — Burgund. ubi infr.

Imprudens capitur dum captat hiantia Cancer
Oſtrea: ſylvarum prædo, ita præda canum eſt.

20 Et ſanè illud certum eſt, ut latè probat Sariſberienſis, venationem — Sariſb. ubi ſup.

nulli

nulli ex ſanctis Patribus, neque ex benè moratis Regibus placuiſſe; & hæc eſt cauſa, cur in iure Canonico in totum Epiſcopis, & Clericis prohibita ſit, licèt in piſcatione non ita: cuius differentiæ rationem, poſt alios, reddens Rainaldus Corſus, inquit: *Venationem fieri cum maiore ſumptu, beſtiaſque comedere, quod Chriſti pauperes alere deberet, contra illud Evangelij. Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. Ex quo vel apud ipſos Poëtas omninò profanos, datus eſt locus fabulæ Actæonis, qui à ſuis canibus propterea dicitur fuiſſe dilaceratus.*

21 Ad quod potuit allegare notanda verba Concilij Matiſconenſis à Cardinali Baronio benè perpenſa, & exemplum illius Epiſcopi Venatoris, qui à diabolo in lacum ob hanc cauſam immiſſus, ibique ſuffocatus fuit, quod apud Rigaltium in vita Caroli Magni legitur. Sed pius eſt, & ad monendos Reges accommodatius illud, quod Munſterus, & alij de Amedeo Sabaudiæ Duce recenſent, qui rogatus à quibuſdam Oratoribus, qui apud eum aderant, an etiam haberet canes venaticos? annuit, & poſtero die ad eos videndos redire iuſsit. Cumque rediiſſent, Amedeus è pergula à latere ædium ingentem mendicorum multitudinem eis oſtendit, una diſcumbentium. Atque hi ſunt, inquit, canes mei, quos alo quotidie, quibuſque cœleſtem gloriam me ſpero venaturum.

22 Ob eamque cauſam Claudius Minoes piè in eos invehit, qui erogant invictum canum, quod commodius poſſent egenis, & paupertè preſsis conferre, & ante eum Cicero, eos quaſi prodigos his verbis reprehendit: *Prodigi, qui epulis, & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam, aut brevem, aut nullam ſunt omninò relicturi.* Et eſt videndus noviſsimus Antonius Burgundia, qui pluribus eandem venatorum ſtultitiam ridet, & ex dicto cancri & oſtreæ carmine ſuprà relato, ſymbolum ſumit, & lepidam hiſtoriam addit, de quodam Lunatico Mediolanenſe, Equitem nimis venationi deditum, irridente.

Toto tit. de ſagittariis, & balliſt. ubi Abaunza, cap. Eſau 86. diſt. cap. quorundam 1. diſt. 34.

Corſus lib. 2. in dag. c. 14. & plures alij apud Cabreros de metu lib. 2. cap. 37. ex n. 21.

Matth. 15. 26.

Conc. Matiſcon. c. 13. Baron. 5. to. ann. 588.

Munſt. lib. 2. Coſmog. Marlian. in Theat. Polit. pag. 257. Poliant. verb. *Eleemoſyna*, col. 935. in fine.

Minoes ad Alciat. Embl. 52. fol. 227.

Cicer. 3. offic.

Burgūd. in Lapid. Lydio mūdi, pag. 94. de venandi ſtudio.



Propria virtus in Regibus commendatior.

EMBLEMA XXXIV.



Dat clypeum Pallas: curvat mihi Delius arcum
Enſis Mercurij, munit honore latus.
Clava tamen mihi ſola decus: Gentilia dona
Abnuo, nam eſt maior gloria parta manu.
Nec ſic Principibus plauſus blanditur avitus,
Atque ſuo plaudit robore natus honor.

COMMENTARIVS.

1 DOTIBVS ac virtutibus, quas in Regibus requiri retulimus, non parum ſplendoris adiicient fumoſæ famoſæque Maiorum ſuorum imagines, retroque ab Heroicis Principibus per longa temporum curricula derivata propago. Semper quippè apud omnes gẽtes, Turcica excepta, Nobilitas in omnibus, ſed præcipuè in Regibus commendari ſolet, eoque maior, quo antiquior, (ut latè Tiraquellus, & alij tradunt) exiſtimari. Sive quòd Parentum virtutes egregiaque facinora præclaros quoſdam, & generoſos impetus ad æmulandam eorum laudem poſteris ingenerant: ſive quòd Auguſta illa priſcaque nobilitas, inſito naturæ præiudicio, auctoritatem exiſtimationis Principibus apud populos conciliat ac parit.

De hoc Turcarum more latè Bellon. Cenomanẽſ. lib. 2. obſ. cap. 95. Camerar. 3. to. pag. 157.

Tiraq. de nobil. c. 19. per tot. Alciat. & Minoes Embl. 136. Turturet. de nobil. cap. 9.

2 Quia fortes fortibus ſolent creari iuxta vulgatum illud Horatij,

Orat. od. 4. lib. 4.

&

Caſsiod. lib. 2. epiſ. 15.

& ſecundùm Caſsiodorum origo neſcit deficere, quæ conſuevit radicitus pullulare; ferturque curſu perenni fontium vena vitalis; & hãc conſuetudinem ſuſtinent cuncta manantia, ut ſapor, qui conceſſus eſt origini, niſi per accidentia fuerit fortè vitiatus, neſciat rivulis abnegari.

Idem lib. 3. epiſ. 12

Quod iterum his verbis repetijt: *Laudabilis vena ſervat originem, & fideliter poſteris tradit, quæ in ſe glorioſa tranſmiſsione promeruit*. Et

Idẽ lib. 9. epiſt. 23.

rurſus: *Rerum cauſæ ſemper in ſemine ſunt, fructus editus prodit auctores, & quicquid à divinitate meremur, de fœlici prole colligitur.*

D. Hieron. epiſt.

Cui conſonans D. Hieronymus, de Nebridij filijs ſermonem ha- 3
bens: *Scintilla* (inquit) *paterni vigoris lucet in filijs, & ſimilitudo morũ per ſpeculum carnis erumpens, ingentes animos anguſto in corpore verſat.*

Ariſt. 1. Polit. c. 4.

Et his antiquior Ariſtoteles, ex communi placito docet, ſicut ex hominibus hominem, ex beſtia beſtiam, ſic ex bonis bonũ generari, parque eſſe, ut meliores ij, qui ex melioribus, iudicentur.

Proverb. 17. 6.
Eccleſ. 10. 17.

Vnde in Proverbijs Salomon dixit: *Gloria filiorum patres eorum.* 4
Et Eccleſiaſtes: *Beata terra cuius Rex nobilis eſt*. Quem locum, & ſi plures ad Regem proprijs factis, & virtutibus nobilem, referant. Alij tamen, ut Gloſſa Interlinearis, Vivianus, & Montanus à Pineda noſtro ibidem relati, non aliam videntur eo loco nobilitatem agnoſcere, quàm ex præclaro genere, ſtirpeque Regia, ut ſit omni ex parte fœlix provincia, Princeps

Pined. in Eccleſ. pag. 1028.
Vivian. ibidem.

In qua, deducta numerans à ſtirpe vetuſtos
Iactat avos, mores cui caſti, & candida corda.

Quod & efficit, ut antiqua Rhetorum diſciplina ſit, ab avis & ata- 5
vis, & omni retrò nobilitate ornare quem laudant, ut ramorum ſterilitatem radix fœcunda compenſet, & quod in fructu non teneas, mireris in trunco. Quam ſequens Statius Papinius, laudes Criſpini ſic exorditur:

Statius 5. Sylvar.

Non te ſeries inhonora parentum
Obſcurum proavis, & priſcæ lucis egentem,
Plebeia de ſtirpe tulit. Sed præcedente tuorum
Agmine.

Claudian. de laud. Serenæ.

Et Claudianus Serenam efferens, ait:

Quod ſi nobilitas cunctis exordia pendit 1
Laudibus, atque omnes redeunt in ſemina cauſæ,
Quis venerabilior ſanguis, quæ maior origo
Quàm Regalis erit? Non te privata dedere
Limina, nec tantum poterat contingere nomen
Anguſtis laribus: Patruo te Principe celſam
Belli potens illuſtrat avus, &c.

Idem in 4. Conſ. Honorij.

Et iterum de Honorio agens:

Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti
Vlpia progenies. Et quæ diademata mundo

Spar-

Sparſit Ibera domus: nec tantam vilior aula
Promeruit ſeriem gentis. Cunabula fovit
Oceanus. Terræ dominos pelagique futuros,
Immenſo decuit rerum de Principe naſci.

6 In hocque reſpiciens Rex noſter Alfonſus X. inter alia, pro quibus ſe Deo gratias agere debere, commemorat, hoc cum primùm recenſet: *E otroſi, la mui grande merced que nos Dios fizo, en querer que viniesſemos del linage onde venimos, è el lugar en que nos puſo, faziendonos Señor de tan buenas gentes, &c.* Quo loci Gloſſa ſubnotat, donum maximum Dei eſſe, naſci ex nobiliſsima progenie, & ad id probandum aliqua iura perpendit, & Nos, licèt plura poſſemus, ea, ut in re non minùs certa, quàm trita, cumulare ſuperſedemus.

Alfonſ. Rex in Prooem. Partit.

Gregor. Lop. dict. Prooem. verb. *Del inage.*

L. 1. & l. Senator, C. de dig lib. 12. l. Senatoris filiũ, D. de Senat. cũ aliis.

7 Ad Noſtri Emblematis propoſitum accedentes, quod eò tendit, ut Principes, qui ſe hoc nomine dignos reddere geſtiunt, commoneamus, iuſtiſsimum quidem eſſe, nobilitatis Gentilitiæ donum plurimi facere; cæterum cum hoc ipſorum proprium non ſit, ſed ut Diogenes dixit à Fortuna conceſſum, longè pluris virtutes proprias æſtimare debere, rebuſque per ſe ipſos præclarè geſtis eniti, ut non ſolùm ſe maioribus, in quibus gloriãtur, dignos efficiant; ſed ſi fieri poteſt, valdè præſtantes, ita ut lucem iſtam Nobilitatis, inde uſque à primo familiæ capite diffuſam, & ex uno in alterum perpetua quadam ſeriè deinceps derivatam, ſemperque nitentem, quaſi per manus poſteris traditam, ipſi ſplendidiorem ſuis ſucceſſoribus derelinquant. Herculem, quem hìc pingimus imitantes, qui, ut Apollodorus, & alij litteris produnt, tametſi ob egregias eius virtutes, corporiſque, & animi dotes, ab Apolline arcu, & ſagittis, à Mercurio gladio, ſive acynace, & à Minerva ſcuto donatus fuiſſet, hæc quidem munera magni pendit, cæterum Clavam, quam ipſe proprijs manibus efformavit, ſemper potiorem precioſioremque habuit ac duxit. Eaque ad labores omnes, quos ſubijt, aggrediendos, & ſuperandos, uſus fuit, quos mirabili verborum compẽdio, ultra alios, ex Auſonio poſt Virgil. & alios, ſic audi:

Diogen. ap. Laert.

Apollod. lib. 2. de natura Deor.

Virgil. in Append.

Prima Cleonei tolerata ærumna leonis.
Proxima Lernæam ferro, & face contudit hydram.
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto;
Threiciam ſexto ſpoliavit Amazona balteo.
Septima in Augæis ſtabulis impenſa laboris.
Octava expulſo numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Gerione extincto decimam dat Iberia palmam.
Vndecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum;
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

Auſon. epigr. 139. & alij apud Vinet. in eius notis.

Vnde

Macrob.5.Saturn. Eraſm.in Adag. pag.mihi 168.

8 Vnde & factum eſt, quod ſemper cum Clava ipſa, & leonis exuvijs, Hercules depingatur, propriumque ipſius, & non alterius, ea decertare, legamus, ſicut & ſolius Iovis, fulmina contorquere, ut Macrobius animadvertit, & poſt eum Adagiographus, ſic vetus Proverbiũ exponens, *Clavam extorques Herculi.*

Pauſan.lib.2. Nat. Comes lib 7. Mytol. cap.1. pag.694. Nat. Comes ubi proximè. Virgil.2.Georg.

9 Quam etiam Clavam, fama eſt, eundem Herculem, poſt partam è Gigantibus victoriam, Mercurio, cognomento Polygio, conſecraſſe, eamque Pauſanias, & alij, ex Oleaſtro fuiſſe dicunt, & repullulaſſe, actiſque radicibus, inſignem arborem factam fuiſſe. Quod, ut addit Natalis Comes, fortè poſſet mirabile non videri, quippè cum dicat Virgilius oleas, vel ſiccas pullulare:

Quin & radicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Plutarc.in Romul. Saaved. Empreſ. 67. pag. 650.

Et Romuli venabulum ab eo in aprum contortum, in Palatino monte radices etiam egiſſe, apud Plutarchum legamus, ex quo Noſter Saavedra aliud Emblema deſumſit:

10 Neque longè ab hoc facto Herculis abeſt, Lyſippi in Apellis picturam reprehenſio, qua Alexandrum Magnum Iovis radios manibus veluti iaculantem, peritiſsimè delineavit, dixiſſe enim fertur multò prudentiorem fuiſſe, ſi eundem proprio gladio haſtaque figuraſſet, cũ his ille victorias gloriaſque comparaverit, quibus Magni cognomen promeruit, & in templum famæ ſibi aditum reſeravit.

Ovid. in epiſt. ad Piſon.

11 Certum quippè, æquè ac vulgatum eſt, aliena laudare, qui genus laudat ſuum, propriaque virtute decere, non ſolùm ſanguine niti, miſerumque eſſe alienæ incumbere famæ. Nam ut rectè monuit Ovidius:

---------- *Quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis*
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti
Profuerint ſi vita labat? Perit omnis in illo
Gentis honos, cuius laus eſt in origine ſola.

Iuven. ſatyr. 8. per tot.

Cui ſimilis Iuvenalis latè & eleganter hoc aſſumtum per integram ſatyram proſequens, inquit:

Tota licèt veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Et poſt alia:

Malo tibi pater ſit Therſites, dum modo tu ſis
Pelidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

Horat.1. ſerm. ſatyr.6. Tiraq. de nobil. cap.4. per tot. Idem eod. cap. n.5. Eurip. in Dyct.

12 Horatius quoque ad Mecænatem ſcribens, eidem hæret ſentẽtiæ, & plures alij, quos Tiraquellus copioſè, ſuo more, recenſet. Et inter eos Cicero, in integra illa epiſtola, quam contra Salluſtium ſcripſit, qui eum contemtim novum hominem, & ignobilem Arpinatem vocarat. Quem tamen Ciceronem, ipſe idem Tiraquellus nobiliſsimum fuiſſe, & à Tullo Rege originem trahere, probare contendit, quod

quia

quia paradoxum videtur, hic adnotandum exiſtimavi. In ſuperiorum confirmationem Euripidem addens, ſic inquientem: Euripid.in Dyct.

Pauca quidem de nobilitate poſſum honeſtè dicere,
Vir enim bonus mihi nobilis videtur.
Sed qui non eſt iuſtus, quamvis patre præſtantiori natus
Quam ipſe Iupiter ſit, mihi ignobilis videtur.
Namque ab animo ſtrenuos,
Iuſtoſque, quamvis orti ex ſervis ſient,
Stirpe ante ire vulgò nobiles puto.

Et Plinium Iuniorem, qui ita habet: *Mirè cupio ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum, niſi imagines habeant.* Plin.Iun.lib.5. epiſt.17.

13 Nam ut non minùs benè docet Apuleius: *Si laudas aliquē quia generoſus eſt, parentes eius laudas: ſi verò quia dives, fortunæ hoc debet. Sed ſi eum laudas, quia bonis moribus, & artibus doctus eſt, & valdè cruditus, quantum homini licet, tunc ipſum virum laudas, quia nec à patre hæreditarium, nec ætate mutabile, nec à corpore caducum.* Quod fortè ſumſit ex Seneca, ita in eandem ſententiam inquiente: *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt, animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſuprà fortunam licet ſurgere.* Apulei. de Socrat. Senec. epiſt.44.

14 Et ſecundùm Philoſtratum, ad Maiorum gloriam confugere, eorū eſt, qui propriæ laudis iacturam fecerunt, quod & ſenſit, & elegantius expreſsit nobilis Poëta noſter Ioannes de Mena, qui iure optimo a Franciſco Tarrafa inter celeberrimos ſui temporis numeratur, dum in quodam ex ſuis Hiſpanis Rithmis, ſic inquit: Philoſtr de vit. Sophiſt.in Dionyſ. Ioan.de Mena in ſuis Rithm. Tarrafa de Regib. Hiſpan.in Ioā. II.

De mui gran tinicbla ofuſca
Las leyes de gentileza,
Quien no haze la nobleza,
I en ſus paſſados la buſca.
I quien de ſangre coruſca
Se ſocorre, i haze falla,
Que es qual quien ubas no halla,
I anda cogendo rebuſca.

15 Et Rex Alfonſus Aragonum I. qui, ut narrat Panormitanus, cum illum quidam maximè à nobilitate laudaret, quòd ſcilicèt eſſet Rex, Regis filius, Regis nepos, Regis frater. Rex, hominem interpellans, dixit, nihil eſſe quod in vita minùs ipſe duceret, laudem enim illam nō ſuam, ſed Maiorum ſuorum eſſe, ſeque magis optare à proprijs ornamentis, ſi quæ haberet, quàm a mortuis iam patribus collaudari. Panorm.de dict. & fact.Alf.lib.2.

16 Plutarchus etiam de Antigono Secundo Imperatore commemorat, adoleſcenti cuidam, qui patrem habuerat fortem, quamquàm ipſe non admodum videbatur bonus miles; poſtulanti, ut pro patris meritis ſtipendiū ſolveretur, reſpondiſſe: *At Ego adoleſcens, non ob patrias, ſed ob proprias cuiuſque viri virtutes mercedem, & munera dare ſoleo.* Plutarc.inApophi.

Plut.in Thim. Etenim, ut præclarè monuit idem Plutarchus,in id præſertim re- 17
cordatio, & gloriatio nobilitatis à maioribus tractæ tendere debet,
ut in nobis velut ignem accendat,ad eorum virtutes imitandas, & ut
poſteri,tanquam in ſpeculo,vitam ſuam ad eas ornent,atque compo-
nant.Quod monitum in ſacra Machabæorũ hiſtoria Mathathias mo-
Machab.1.2.52. riens, filijs ſuis his verbis commendaſſe narratur: *Mementote operum*
Patrum, quæ fecerunt in generationibus ſuis: & accipietis gloriam mag-
Velazq. de Opt. Princ. pag.334. & ſeqq. *nam, & nomen æternum*; alijſque ſacræ Scripturæ locis inſigniter or-
nat P.Ioannes Antonius Velazquez.

Plin.lib.31. natur. hiſt. c.2. & de his atrijs latè Lipſ. 1. elect.cap.29. Et Plinius,ad ipſum refert cauſam,cur Romani in ſuarum domorũ 18
atrijs,maiorũ ſtatuas ponere conſueviſſent,ſic elegantiſsimè inquiẽs:
Eratque hæc ſtimulatio ſumma & ingens, exprobrantibus tectis quotidie
imbellem Dominum intrare in alienum triumphum.

Quod Valerius etiam Maximus,de Manlio Torquato loquens, a- 19
Valer.Max. lib.5. cap.8.exemp.3. pertiſsimè tradit, & uterque à Salluſtio ſumere potuit,qui ita habet:
Sæpè audivi Quintum Maximum, P.Scipionem, præterea civitatis præ-
claros viros, ſolitos ita dicere, cum Maiorum imagines intuerentur, ve-
Salluſt.in Iugurt. *hementiſsimè ſibi animum ad virtutem accendi: ſcilicèt non ceram illam,*
neque figuram,tantam vim in ſe habere, ſed memoriam rerum geſtarum, eã
flammam egregijs viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quàm vir-
tus eorum famam atque gloriam adæquaverit.

Ovid.1.Faſtor. Eodemque animo Ovidius Auguſtum Cæſarem conſulit, ut eaſ- 20
dem ceras inſpiciat,& numeret,inquiens:

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras
Contigerant nulli nomina tanta viro.

Senec.1.controv. cap.6. Et Seneca hæc omnia elegantiſsimè complexus,hæc in verba proru
pit: *Quidam avitas paternaſque imagines flagitijs obruerunt; quidam ig-*
nobiles nati,fecere poſteris genus.In illis non ſervaſſe quod acceperant,ma-
ximum dedecus: in his quod nemo dederat feciſſe,laudabile.Si poſſent homi-
nes ſibi ſortem fecere naſcendi,nemo eſſet humilis, nemo egens, unuſquiſque
fœlicem domum invaderet.Sed quamdiu non ſumus,natura nos regit,& in
quemcunque vult caſum nos mittit.Hinc ſumus æſtimandi,cum ſumus no
ſtri.Quis fuit Marius? &c.

D.Nazianzenus orat.18. Divus quoque Gregorius Nazianzenus,tunc demum duplici nobi- 21
litate aliquem condecorari poſſe ait, cum ingenitæ,propriam oppo-
nit,& veluti cum ſuis maioribus contendens, non ſolùm eorũ merita
& laudes æquare,verùm & longo,ſi poteſt,intervallo ſuperare cona-
tur. Eius verba ſic habent: *Qui nobili loco natus eſt, probitatem morum*
generis ſplendori opponet,atque ex adverſo ſpectandam producet. Ita du-
plici nomine clarus erit,nempè & maiorum imaginibus,& propria virtu-
te,ac privatim inſpectus. Et Anglus Epigrammatarius hunc ingenio-
Ovenus li.1.epig. 33. ſum annulum pro Equitibus fecit:

Nobilitas aurum, virtus tua gemma ſit: uſque
Verſetur digitis Annulus iſte tuis.

Cauſin. in Polyſt. ſymb.lib.5.c.78. Idemque docet Cauſinus,ex Dione Chryſoſtomo referẽs,apud The-

ba-

banos familiam quandã Spartanorum fuiſſe, qui, hæreditario quodã iure, lanceæ ſpeciem, corpore à natura inuſtam, gererẽt, qua qui carerent, pro ſpurijs & illegitimis habebantur: addenſque hoc ſtagma eiſdem ad virtutis Maiorum incitamentum proficere debuiſſe. Eraſmus quoque, illos Silenos Alcibiadis, in his verificari poſſe inquit, qui generis claritate gloriantur: *Nam ſi nihil* (inquit) *accedat aliud, ridiculum prorſus eſt, & inane nomen Semideus habetur, qui ſanguinis ſeriem ad Codrum Athenienſem, aut ad Brutum Troianum (qui haudſcio an unquã natus fuerit) aut ad fabuloſum Herculem referre poſsit, & obſcurus eſt, qui ſibi litteris & virtute famã paravit? Illuſtris eſt, cuius tritavus in bello ſtrenuum præſtitit homicidam: & plebeius eſt, atque imaginibus caret, qui bonis animi profuit Orbi? &c.*

Eraſm. in Adag. Sileni, pag. 654.

22 De qua etiam colluctatione Saavedra noſter aliud Emblema, ſymbolumvè formavit, ſumta ex duabus purpuris ſimul iunctis ſimilitudine, quarum certiſsimum iudiciũ, ut eſt in Adagio, ex collatione naſcitur, & Principem noſtrũ commonefaciens, quos ſibi ex ſuis glorioſis Progenitoribus imitãdos, vel excedendos proponere debeat. Caſsiodoro quippè teſtante: *Similitudinem ſuorum fœlix vena cuſtodit; quandò pudet delinquere, quia ſimilia nequit in ſuo genere reperire.*

Saaved. Empr. 16. pag. 103.

Eraſ. in Adag. *Purpura iuxta purpuram*, pag. 430. Vopiſc. in Aureliano.

23 Et ut Rex noſter Alfonſus X. rectiſsimè præcipit, de noſtræ Hiſpaniæ Nobilibus agens, quos *Fidalgos* vocamus: *Porende ſon mas encargados de fazer bien, è de guardarſe de yerro, è de mal eſtança. Ca non tan ſolamente quando lo fazen reciben daño, è verguẽça ellos miſmos, mas aquellos onde ellos vienen. Ca pues el linage faze que los omes ayan la Nobleza aſsi como herencia, deben mucho guardar los que han derecho en ella, que non la dañen, nin menguẽ, è non debe querer el Fidalgo, que èl aya de ſer de tã mala ventura, que lo que en los otros començò, è heredò, mengue, ò recabe en èl. Eſto es quando èl menguaſſe en lo que los otros acreſcentaron.*

Caſsiod. lib. 3. epiſt.

Alfonſ. Rex in l. 2. & 3. tit. 21. par. 2.

24 Quæ quidem verba abſque dubio præ oculis habuit Ioannes de Mena, iterum à nobis, & ſemper cum elogio, citandus, ita ea oratione ligata, ſive copulata, tranſcribens:

Ioan. de Mena ubi ſuprà.

Pues por aqueſta ocaſion
Al buen linage conviene
Que mueſtre quien es, do viene,
Con obras de preſuncion.
I que reciba ambicion
De la ſu progenie antigua,
Eſta razon lo teſtigua,
Pues tu no huyes razon.

Quieres ſaber el provecho
Que de Nobleza ſe ſiga,
Es contrato que te obliga
A ſer bueno de Derecho.
Si no reſponde tu hecho,
Ni tus vicios tu no domas,
Lo que tu por honra tomas
Se convierte en tu deſpecho.

25 Quod ſanè ipſum, mirè conſonat verbis Valerij Maximi, dum pariter monuit: *Generoſiſsimarum imaginum fœtus, in aliquod devoluti dedecus, acceptam à maioribus lucem in tenebras convertunt.* Necnõ etiam cum celebri illa Marij apud Saluſtiũ oratione, qua Maiorum gloriam poſteris quaſi lumẽ eſſe inquit, & neque bona eorũ, neque mala in occulto eſſe pati. Indeque, quanto vita, Maiorum præclarior, tãtò poſteriorum ſocordiam flagitioſiorem eſſe, ſi ab illorum virtute degenerẽt; Quod argumentum, & veram Nobilitatis originem, ita latè & elegã-

Valer. Max. lib. 3. cap. 8.

Saluſt. in Iugurt.

ter in tota illa oratione proſequitur, ut eius ſola lectio pro integro huius Emblematis commentario ſufficere poſſit.

Plaut. in Trinum.

Sed adhuc in ſuperpondium aliam Lyſitelis apud Comicum ſubiſ- 26
cere libet, ubi quendam Iuvenem reprehendens, quòd amore captus famam ſibi à Maioribus traditam, ſuis flagitijs perderet, atque honori poſterorum ſuorum vindex fieret, eadem hac, de qua agimus, conſideratione, ad meliorem frugem reducere tentat, ſic inquiens.

Tibi pater atque avus facilem fecit, & planam viam
Ad quærendum honorem. Tu feciſti ut difficilis foret,
Culpa maximè & deſidia, tuis & ſtultis moribus
Præoptaviſti amorem tuum, ut virtuti præponeres.
Nunc te hoc pacto credis poſſe obtegere errata.
Capeſſis virtutem animo, & corde expelle deſidiam
Is eſt honos homini pudico meminiſſe officium ſuum, &c.

Idem in Mercat.

Idemque ita alibi ait: *Qui bono ſunt genere nati, ſi ſunt ingenio malo, ſuaptè culpa à genere capiunt genus, ingenium improbant.*

Caſsiod. li. 9. epiſ. 22.

Athalaricus etiam Rex apud Caſsiodorum, Paulinum Conſulem 27
eodem maiorum exemplo his verbis ad virtutem hortatur: *Hæc Nos exēpla ſummonendo ſemper accendūt: quia magnus verecūdiæ ſtimulus eſt, laus parentū: dū illis non patimur eſſe impares, quos gaudemus Auctores.*

Ennod. in vita S. Antonij.

Et non minori elegantia Ennodius Ticinēſis Epiſcopus, de D. An- 28
tonio agens, verā eius nobilitatem in eo conſtituit, quòd maximam, quam à maioribus acceperat, ſuis virtutibus ſuperavit, ſic inquiens: *Qui quāvis de ſplendore nataliū conſcientiæ iubar hauſerit; tamen fulgorē ſtirpis præcipuè morū radijs obumbravit, vincens decorē ſanguinis ingenij claritate, dū coruſcantem generis ſui lampadem, actuū ſerenitate tranſcendit, & factus eſt victor ſtemmatis ſui, per quod pleroſque mortalium naſcendo ſuperavit, &c.*

Ex quibus fit, quòd cùm ſola Virtus gloriā pariat, Heroum filij Re- 29
ges & Principes, ad hanc præcipuè contendere debent, poſteris ſuis laudes cumulatiores reddere procurātes, quas ipſi à Maioribus acceperunt, neq; ita de ſola eorū fama, ſanguine, fumoſiſvè imaginibus cōfidentes, aut præſumentes, ut ipſorum nihil præter colorem ſimile habeant, ut benè, Piſonē accuſans, Cicero dixit.

Cicer. in orat. in Piſon.

Quod quia multi ſecus faciunt, & deſidiæ tibicines, nequitiæque velamenta inde deſumunt, unde incitamenta virtutū ſumere debuiſſent, parum animadvertētes non illum qui ſuccedit eſſe Principem, ſed qui ita ſe gerit, ut non tam ex Principe, quàm Principatui natus videatur, frequenter contingere ſolet, ut in eis Horatianum illud verificetur:

Horat. 3. car. od. 6.

Ætas parentum peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Eraſm. in Adag. pag. mihi 162.

Et Adagio locus fiat, *Heroum filij noxæ.*

Idē quippè Ariſtoteles, ex quo ſuprà, ex bonis bonos generari ſole- 30
re retulimus, ſtatim ſubiūgit: *At hoc natura quidem ſæpè efficere vult,*

non

non tamen poteſt. Et hoc ita certum eſſe Ælius Spartianus exiſtimat, ut auſus fuerit affirmare, *Neminem propè magnorum virorum, utilem filium reliquiſſe.* Multis exemplis declarans, ita ferè uſu veniſſe, ut viri ſeu virtute, ſeu litteris, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omninò liberos habuerint, aut tales reliquerint, ut magis ex uſu rerũ humanarum fuerit, ſi abſque liberis deceſſiſſent.

Spartian. in Sever.

31 Quod, quaſi quadam vi fatorum contingere Demoſthenes dixit. Alij autem alias Phyſicas, naturaleſque rationes, ſimul cum exemplis comminiſcuntur, quorum copioſam nomenclaturam ad Tiraquellum, Chabotium, & noviſsimum & ultra ætatem eruditum Divũ Hieronymum Altamiranum remittimus, pro Coronide eos, qui Gentilitia nobilitate tument, pariterque qui ea carent, ad Senecam relegantes, qui, poſt Platonem, omnes homines, ſi ad primam originem revocentur, ex Dijs eſſe ait, & *Nullum Regem non ex ſervis eſſe oriundum, nullum non ſervum ex Regibus. Omnia iſta longa varietas miſcet. Erigamus itaque animos, & quidquid in medio ſordidi iacet tranſiliamus, expectat nos in ſummo magna nobilitas.*

Tiraq. de pœn. tẽper. cauſa 51. n 44. Chabotius ad Horat. lib. 4. od 4. pagin. 339. Altamir. de filijs official. li. 1. cap. 6. ex n. 120.

Senec. epiſtol. 44. quem omninò lege.

32 Quot illuſtres olim fuere familiæ, quarum hodie, vel memoria ipſa obſcura eſt? Confuſa nempè, (ut noviſsimus Antonius à Burgundia prudentiſsimè ait) in tanta vetuſtate ſunt omnia, & perplexi ſucceſsionum rivuli, quibus ad quoslibet, hæc clari ſanguinis unda profluxit. Vnde rectè dixit ille qui dixit:

Burgundia in mũdi lapis lidio, c. 9. pag. 32.

Turbidus ille, hic clarus, & una eſt omnium origo.
Optimus eſt ſanguis, qui ſanus, cætera nugæ.

Et Divus Hieronymus ad Celantiam ſcribens, poſtquàm apud Deũ, & in Chriſtiana Religione, omnes æquales eſſe docuit, & ſolidam nobilitatem in Virtute conſiſtere, nec intereſſe qua qui conditione natus ſit, cum omnes in Chriſto æqualiter renaſcamur, ſic ſubdit:

Nam etſi obliviſcamur, quia ex uno omnes generati ſumus.
Saltem id ſemper meminiſſe debemus, quia per
unum omnes regeneramur.

(*⁂*)

Deliciæ nimiæ Rempublicam perdunt.

EMBLEMA XXXV.



Ecce Sybaritæ, gens delicioſa, choreas
Ad numerum docuit ducere prorſus equos.
Non latet hoſtiles ars ingenioſa phalanges,
Quoque ſono Sonipes ſaltet, & hoſtis habet.
Protulit en ſonitum, ſaltant de more iugales,
Abiicit & Dominum quiſque perarva ſuum.
Exue delicias, Veneri ne crede fugaci,
Non Marti, at Morti proderit iſta Venus.

COMMENTARIVS.

Horat.lib.1. epiſt. 1.ad Mecænat.

PRÆCLARE, ut ſolet reliqua, monet Horatius: 1

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitia caruiſſe.

Lactant.lib.6.c.5.

Quem nimis laudans Lactantius Firmianus. *Virtutem eſſe* (inquit) *quod non eſt vitium, bonum, quod non eſt malum, ſapientiam, quod non eſt ſtultitia, coercere iracundiam, cupiditatem domare, libidinem reprimere, denique non peccare.*

Vnde cum in Regibus Heroiciſque Principibus, virtutum omniũ 2
ſatellitium, mirabilem nexum, ſuavemque concentum deſideraverimus, è re eſt, ut de vitijs, à quibus cavere debent, aliqua ſubtexamus.

Et

Et in primis immoderatas delicias, ac vivendi luxũ, tam in ſe, quàm in his quos regunt populis, cohibendum eſſe conſulimus, quo nomine, nõ ſolùm exceſſum in re Venerea, qui proprius & ſtrictius *luxuria* appellatur, ſed in veſtitu etiam, epulis, unctionibus, alijſque delicijs cõprehendimus, quas ut compendio congeram, D. Gregorium Nazianzenũ allegare ſufficiet, qui Chriſtianum populum inſtruens, qualiter feſtũ Natalis Dominici diem celebrare deberet, nõ ea quæ ad infirmitatẽ pertinent, ſed quæ ad ſanitatem, non ea quæ ſunt formationis, ſed quæ reformationis, peragere monet; idque, inquit, ea ratione aſſequemur: *Nempè ſi non ædium veſtibula coronemus, nõ conſtituamus choros; nõ exornemus plateas, nõ oculos paſcamus, non aures permulceamus tibiarũ ſonis, non effæminemus odoratum, nõ lenocinemur guſtui, nõ deſerviamus tactui, proclivibus ad vitium vijs, & aditibus peccati, non veſtibus emolliamur mollibus, ac circumfluentibus, & quarum pulcherrima quæque eſt maximè inutilis, non gemmarum fulgore, non auri ſplendore, non colorum fucis, qui naturalem emenciuntur pulchritudinẽ, & contra imaginem ſunt reperti, non comeſationibus, & ebrietatibus, quibus ſcio cubilia & impudicitias connexa eſſe, quandoquidẽ malorum præceptorũ malæ ſunt diſciplinæ, vel potius pravorum ſeminum pravæ ſegetes, non altos ſternamus toros vitri, ea, quæ ad delicias attinent, extruentes, non vina odorũ ſuavitate fragrãtia, non fucoſas coquorum conditiones, non pretioſas unguentorum compoſitiones in honore habeamus, non terra, & mare honoratũ nobis ſtercus largiantur, ſic enim ego honorare didici delicias; nõ contendamus alter alterũ intemperantia ſuperare: intemperantia enim, mea quidem ſentẽtia, dici poteſt, quicquid eſt ſupervacaneũ, ac minùs neceſſarium, præſertim cũ eſuriãt atque egeant alij, ex eodem luto, eademque temperatione facti, &c.*

D. Nazianz. in orat. de natali Dom. pag. mihi 129.

3 His enim qui immoderatè ſe dedunt, ſuamque voluptatem, & fœlicitatem in rebus eiuſmodi collocant, non tam Reges, ac Principes dici merentur, quàm

---------- *Epicuri de grege porci.*

Vt Horatius ait, qui divinam curam, & providentiam in rebus humanis negabant, & civilem adminiſtrationẽ, indignam ſapiente cẽſebant, ſummum bonum in voluptate collocantes, ſpemque futuræ vitæ procaciter irridentes:

Sit tantùm benè genio calenti,
Convictus ſatur, ebriæque menſæ;
Sint blandæ veneres, ioci ſaliſque.
Sit Bacchus pater, & mater voluptas.
Sit venter Deus, & Rhamnuſis errans.

Horat. lib. 1. epiſt. ad Tibul.

Poëta ap. Theatr. vitæ hum. litt. E. pag. 92.

4 Quorũ pernicioſam ſectam quiſquis ſequutus fuit, vel in poſterum ſequi voluerit, haud dubiè & ſibi, & ſuis præſentiſsimas calamitates adduxit, & adducet, ut pluribus exemplis probare poſſem, quibus varij Auctores varijs in locis ſuas paginas implent. Sed præſtat vice omnium, hoc, quod de Sybaritis, eorumque internecione, præſenti Emblemate deſignamus, Mundi Proceribus ob oculos ponere, & iuxta probatorum Scriptorum relationem breviter explicare.

Theatr. verb. *Luxus*, & verb. *Voluptas*, latè Scōborn. lib. 7. Polit. cap. 9. Aſcaff de ærario, pag. 900. & ſeqq. qui alios adducit.

Herod. lib.5. Stephan. de urbibus, Plin.lib.3. cap.11.

Suid. verb. *Sybaritæ.*

Eraſm.& Iunius in Adagijs pag. 378. 416.460.465.470 475.747.761.

Hi enim à Sybari urbe ſic dicti (quam Herodotus libro quinto Crotoni vicinam facit, Stephanus in Italia conſtituit, aitque poſteà Thurion appellatam) in voluptatum omnium, ac deliciarum architectura operoſiſsimi fuerunt, & adeò ventri, Veneri, corporis cultui, otio, plumæ, choreis, muſicæ, convivijs, & alijs vitijs, & blanditijs, adhuc his peioribus, dediti, ut Suida, & alijs teſtantibus, quicquid effæminatum, quicquid molle, quicquid accuratum, aut ambitioſa luxuria paratum eſſet, id vulgò *Sybariticum* diceretur, & *Sybariſſare*, pro molliter incedere, loqui, ſcribere, aut lauta & opipara menſa uti, ut ex pluribus Adagijs conſtare poterit, quæ in Eraſmi; & Iunij Chiliadibus continentur.

Aphton. in princ. ſuor. progym.

Ovid. in lib. de Triſtib. ad Aug. Martial. lib.12. epig.97

Quibus & aliud de *Sybariticis fabulis*, ex Aphtonio addere licebit, quæ illis Æſopi ſimiles erant, at aniles, & parum pudicæ, ut Suidas tradit, propter nimium luxum, & libidinem Sybaritarum, apud quos nugæ, ac obſcœnæ voluptates in pretio; frugalitas odio fuit. Vnde Ovidius: 5

Nec qui compoſuit nuper Sybaritida fugit:

Et Martialis:

Muſæi paticiſsimos libellos;
Qui certant Sybariticis libellis.

Athæn. lib.12.

Ælian. de var. hiſt. lib.9.

Tantaque eis mollicies, ut fodientem ſpectare non poſſent, nec ullũ opificium in civitate admitterent, (ut Athenæus teſtatur) quod cum ſtrepitu exerceretur, atque adeò ne gallum quidem gallinaceum, ne quid eſſet, quod illis ſomnum interrumperet. Et ut unus ex illis, Smindarides dictus, Æliano teſtante, quodam tempore in roſarum folijs decumbens, ſomnumque in ijs carpens, expergefactus dixerit, ſe tubera ex nimia lecti duricie inflicta habere.

Plin. lib.8. cap.42. Athæn. lib.12. c.6. Suid. verb. *Sybaris*, Tyrius ſerm.3 de volup. Politian. lib.1. Miſcel. c.15. poſt African. in Ceſtis, Camer. 1. ſubceſ. c. 30. & lib.2. cap.30.

Inter quas delicias, eam tandem invenerunt, & exercuerunt, quæ ipſis ultimum excidium attulit, ut poſt Plinium, Athenæum, Suidas, & Maximus Tyrius, & poſt Africanum, elegantius cæteris, Angelus Politianus, & noviſsimus Camerarius litteris tradiderunt. Equos enim in convivia introducebant, ita inſtitutos, ut audito tibiarum cantu, ſtatim ſe tollerent arrectos, & pedibus ipſis prioribus, vice manuũ, geſtus quoſdam, chironomiæ, motuſque ederent ad numeros ſaltatorios. At enim tibicen quidam ex ipſis, ab eiſdem cõtumelia affectus, tranſfugit ad Crothoniatas hoſtes, paulò ante prælio ſuperatos à Sybaritis: Et quod è Republica foret illorum, pollicitus fuit, (ſi fidem modò habeant) ſua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipſorũ venturos poteſtatem. Credita res, & belli Dux creatus à Crotoniatis tibicen, convocat omneis quotquot eiuſdem forent in urbe artis, artificium modulamentumque eis indicat, atque ut viſum tempus, procedere in hoſtem iubet. Sed enim Sybaritæ faſtu præturgidi, quòd equitatu ſuperabant, cunt contra, prælium conſerunt. Hic autem repentè dato ſigno tibicines uniuerſi conſpirant. Ecce tibi igitur conteſtim, modulamine agnito, cantuque illo vernaculo, tollunt, erigunt-que ſemet in pedes equi Sybaritarum, ſeſſoribus excuſis, & quod tri- 6

pu-

pudium domi didicerant,etiā in acie exhibent.Ita capti omnes equites,ſed humi iacentes,omnes equi,ſed tripudia repræſentantes.

7 Cui hiſtoriæ adſtipulatur,& Strabo,qui Sybaritas omni ſua fœlicitate propter delicias luxumque ſeptuaginta ſolis diebus fuiſſe narrat à Crotoniatis exturbatos, ſic verùm noſtri Emblematis thema lemmaque reddentes: *Deliciæ nimiæ Rempublicam perdunt*. (Strabo lib.6. Geograph.pag. 263.)

8 Quod non illis dumtaxat contigiſſe videmus, cum ſimilia fermè exempla de Cardianis,& Capuanis,Colophonijs, & Bachiadis, ſimili aſtu victis,& ob nimium luxum,nimiaſque delicias, à ſuis adverſarijs deletis,Athenæus,& alij Scriptores commemorent. Et de Sardanapalo legamus, apud Iuſtinum, & alios, quòd poſtquàm Aſſyriorum Monarchia per 1300. annos duraſſet, hic apud eos poſtremus regnavit,vir muliere corruptior,& omni luxui,ac luxuriæ perditè deditus: quem videre cum ægrè obtinuiſſet Arbaces, ſeu Arbactas,Præfectus militum eius, & eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem inveniſſet, & muliebri habitu,mollitia corporis, & laſcivia eas oculorum anteeuntem, penſaque inter virgines dividentem; indignatus, coniuratione facta cum militibus, eum obſeſſum ſuſtulit, & Imperiū in Medos tranſtulit, eo tantæ laſciviæ præmio huic miſero derelicto, ut quoties effœminatum,& molliſsimum hominē, adeòque ſtupris,& ſegnitie perditiſsimum ſignificare volumus, Adagij loco *Sardanapalum* dicamus, & ut teſte Plutarcho, Cicerone,& alijs, ſepulchro eius hos verſus incidi meruerit: (Athæn.d.lib 12.c. 6.Camerar.d.cap. 30. 2.to. pag.126. & 127.) (Iuſtin. lib. 1. Suid. verb. *Sardanapalus*, Oroſ.lib 1. c. 19.Athe.lib.12 c. 12.Diodor. Sicul. lib.2.cap.7.) (Eraſm.in Adagijs, pag. mihi 409. & 467.) (Plutarc. orat.1.de Alex Fort Cic.5. Tuſcul. Eraſm. d. pag 409. Rhodig. lib 9.cap.11.)

Hæc habeo,quæ edi,quæque exaturata libido
Hauſit:At illa iacent multa & præclara relicta.

9 Quod epitaphium bovis magis quàm Regis ſepulchro dignū, meritò Cicero, poſt Ariſtotelem, dicere potuit, & Henricus Oræus ex hac hiſtoria hoc monitum ſumere: (Cicer.ubiproxim.)

Sit Cereri Bacchoque modus.Venerique petulcæ. (Oræus Icone 54.)
Luxus iners omnis fons & origo mali eſt.
Hoc docet exemplo Rex Sardanapalus abundè,
Qui ſe cum Regno perdidit,atque ſuos.

10 Sed quid barbara,& exotica exempla commemoro, cum de Romanis,rerum dominis genteque togata,ipſi ijdem eorum Scriptores fateantur,peſſum ire cœpiſſe,ubi proſperis victorijs elati, & ditati, à parſimonia veterum diſceſſerunt, & Aſiaticum luxum, aliarumque devictarum gentium delicias,in ſuam Republicam invexerunt. Inter quos Iuvenalis, id canens, vel lugens per integram ſatyram, ſic finit: (Livius, Plutarch. & alij apud Eraſm. verſ. *Aſiaticus*,D. Auguſtin. Luxus Pet fol.1. ſemeſ. pag. 94. Ego 2.to. lib.1.c 16.ex n.67)

Nunc patimur longæ pacis mala:læuior armis (Iuven.ſatyr.6. per tot.)
Luxuria incubuit,victamque ulciſcitur urbem;
Nullum crimen abeſt,facinuſque libidinis,ex quo
Paupertas Romana perijt:Hinc fluxit ad Iſtros
Et Sybaris colles,&c.

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſæcula luxu.

Luc Flor. epitom. hiſtor. Rom. li. 3.

Et Lucius Florus ſic inquiens: *Quæ enim res alia furores civiles peperit, quàm nimia fœlicitas? Syria primùm nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni Regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere ſæculi mores, merſamque vitijs ſuis quaſi ſentinam, Rempublicam peſſum dederunt.*

Ovid. 2. Faſt. eleg. Proper. lib. 3 eleg. 2. Lucan. 1. Pharſal. Petron. in ſatyr. ibi: *Orbem iã totum.* Sil. Ital. lib. 15.

11 Idem æquè graviter ac dolenter Ovidius, Propertius, Lucanus, Petronius, & alij Poëtæ paſsim deplorant. Inter quos Silius Italicus:

----------- *Inde aſpice latè*
Florentes quaſdam luxus, quas verterit urbes.
Quippè nec ira Deum tantum, nec tela, nec hoſtes,
Quantum ſola noces animis illapſa voluptas.

Claud. de laud. Stilic. lib. 3.

Et Claudianus plurium Regnorum ob hanc cauſam excidium ita recenſens:

---------- *Nam cætera Regna*
Luxuries vitijs, odijſque ſuperbia vertit,
Sic malè ſublimes fregit Spartanus Athenas
Atque item Thebis cecidit, ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes;
Subiecit Perſen Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis, hæc augurijs firmata Sybillæ.

Salvian. de provid. Dei, lib. 7.

Arch. Tolet. lib. 3. cap 16. cuius & Polyb. verba vide apud Me 1. to. pag. 751.

12 Quod & Hiſpaniæ noſtræ contigiſſe a Vandalis ob eundem luxum vaſtatæ, ſatis oſtendit, & luget Salvianus; & poſtea à Mauris, ſub Roderico, Archiepiſcopus Toletanus, inquiens, hanc cladem ſubijſſe: *Quoniam humani generis inimicus ſeminavit in poteſtate ſuperbiam, in Religione accidiam, in pace diſcordiam, in abundantia luxuriam, in ſolertia ignaviam, &c.*

Trajan. Boccal. cẽtur. 2 raggual. 90. Capellon. lib. 3. c. fin. Saaved. in ideis polit. ex pag. 528.

13 Nec deſunt, qui noſtris (heu) etiam temporibus doceant, ac doleãt, in eandem propter acceſsionem Indiarum, & divitias, quæ ex ijs aſportantur, ſimilem luxum irrepſiſſe, atque adeò plus damni, quàm cõmodi, ex hac acceſsione ſibi paraſſe, ita ut in ipſa Propertiana illa carmina impleri videantur:

Proper. li. 3. eleg. 2

Certa quidem tantis cauſa eſt manifeſta ruinis,
Luxuriæ nimium libera facta via eſt.
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha Erycina Salo.
Et Tyros Oſtrinos præbet Cadmæa colores,
Cinnamon, & multi paſtor odoris Arabs.

Laert. lib. 7. cap. 1.

14 Et alijs omiſsis, hanc cladem fuiſſe, futuramque eſſe communem & inevitabilem, omnibus urbibus, ac Regnis nimio luxui indulgentibus, Pythagoras apud Laertium admonuit, inquiens: *In civitatis primum irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatem, deinde violentiã, poſtremò exi-*

tium. Cuius doctrinam ſequuti Ariſtoteles, & M. Tullius, idem axioma generale fecerunt, & apertius Seneca, hanc inter præcipuas, & frequentiores cauſas connumerans, ob quas florentiſsimæ etiam urbes, & potentiſsima Imperia ad interitum vergunt: *Alias* (inquit) *deſtruent bella, alias deſidia, paxque ad inertiam verſa, conſumet, & magnis opibus exitioſa res luxus.* Ariſt. 5. pol. c. 4. & 8. Cicer. 2. off. Senec. epiſt. 71.

15 Quod, ſi in Monarchijs ita contingere ſolet, ſatis Monarchæ ipſi, ſummique Dynaſtæ proſpicere poterunt, quantum ſibi damni ex eiſdem vitijs immineat, qui iuxta illud Ageſilai monitum, quod, ſecundùm Plutarchum, aſsiduè in ore habere ſolebat: *Non mollicie delicijſvè, ſed temperantia, ac fortitudine privatis debent hominibus antecellere.* Et tunc demum ſe Reges, ac liberos reputare, cum eiuſmodi delicijs, ac voluptatibus dominantur, ut cum Seneca, Claudiano, Boetio, & alijs alio loco probavi, & præclarè docuit D. Auguſtinus, cuius ſoluta verba D. Proſper eius diſcipulus, ita ligavit: Plutar. in Apoph. Lacon. ubi de Ageſilao. Sup. Embl. 16. D. Aug. apud D. Proſper. epig. 53.

Solus peccator malè ſervit, qui licèt amplo
Vtatur Regno, ſat miſer eſt ſervus.
Cum mens carnali nimium dominante Tyranno,
Tot ſervit Sceptris dedita, quot vitijs.

16 Vnde & Cicero, omnes leves, omnes cupidos, omnes luxui, & luxuriæ deditos, omnes denique improbos, etiam ſi in ampliſsima familia nati ſint, ſervos eſſe concludit, & Seneca graviter in eodem argumento diſcurrens: *Qui ſectatur* (inquit) *voluptatem, omnia poſtponit, & primam libertatem negligit, ac pro ventre dependit, nec voluptates ſibi emit, ſed ſe voluptatibus vendit, &c.* Cicero Parad. 5. Senec. de vit. beat. cap. 14. & 15.

17 Quorũ veſtigijs inhærens nuperus quidã Emblematarius, ſub Sardanapali typo, inter ſcorta fila ducentis, miſerrimam ſervitutem eſſe oſtendit, ſervire voluptati, ſic inquiens: Schoonhov. Emb. 8. pag. 25.

Imbelli digito dum carpis fila, columque,
Fœmineos inter Sardanapale greges;
Servus es infamis, quid enim ſervilius illo,
Quem premit Imperijs fœda libido ſuis?

18 Hadrianus etiam Iunius eidem monito inſerviens, aliud Emblema formavit, ſub figura hominis in lecto cum ſcorto recumbentis, opiparèque convivantis, quem Gloria averſata relinquit, & pernicibus alis ab eius domo diſcedit, ſub hoc lemmate, *Venter, pluma, Venus laudem fugienda ſequenti*, & his quæ ſequuntur carminibus: Hadrian. Iun. Emblem. 52.

Quò fugitiva ruis, quemvè averſata relinquis
Gloria clara virum?
Deſero ſuffultum pluma, Venerìſque miniſtrum,
Mancipiumque gulæ.

Addens, Inertiam, Gulam, Venerem, tres eſſe capitales veræ laudis, ac honeſtis omnis hoſtes, tres exitiales peſtes. Haſque nimirum eſſe pellaces illas Sirenes, quibus ſapientiæ adumbrator, Vlyſſes aures

ob-

obſtruxerat. Has veras Gorgones, torporem menti induſtriæque cõciliantes: has ipſiſsimas Harpyias, animorum pabuli de peculatrices, quæ patria, hoc eſt mentis, bona comedunt, ratione exuũt, animique lumen excæcant.

Quod vel Herculis exemplum ſatis nobis oſtendit, cuius aëream gloriam, cœloque tenus tot laboribus, & virtutibus ſublimatam, luxus in Lydia, & cæcus amor Omphales deturpavit. Cui inermi, leonis pellem conceſsit, & clava pro colo relicta, inter pediſſequas eius, fœmineo habitu indutus, ut alter Sardanapalus, ſedentariam artem exercuit, & Adagio *Hercules in Lydia*, originem præbuit, de quo poſt Ariſtotelem, & Tertullianum, Eraſmus, & Natalis Comes mentionem fecerunt; & ut Ovidius, ita de eo canere potuerit, effecit: 19

Ariſt. & Tertul. apud Eraſm. in Adag. pag. 466. Nat. Comes in Mythol. pag. 709.

Ovid. in Deianira.

Non pudet Alcidem victricem mille laborum,
Raſilibus calathis impoſuiſſe manum.
Craſſaque robuſto deducis pollice fila,
Æqua formoſæ penſa rependis heræ.
Diceris infœlix ſcuticæ tremefactus habenis,
Ante pedes Dominæ pertimuiſſe minas.

Valer. Max. lib. 9. cap. 1.

Hannibalem quoque, & eius exercitum, tot victorijs adverſus Romanos glorioſum, Cãpania, luxuria illecebriſque ſuis complexa, vincendum militi præbuit. Illaque (ut ultra alios Valerius Maximus tradit) vigilantiſsimum Ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris uſu laſciviore, ad ſomnum, & delicias evocavit: ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Sẽplaſia, & Albana caſtra eſſe cœperunt. Vnde valdè ad rem, de qua agimus ſtatim ſubiungit: *Quid autem his vitijs fœdius? Quid etiam damnoſius? Quibus virtus atteritur: victoriæ languèſcunt: ſopita gloria in infamiam convertitur: animique pariter & corporis vires expugnantur: ut neſcias ab hoſtibus ne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit.* 20

Senec. epiſt. 51. ad Lucil.

Quo etiam exemplo utens in eandem rem Seneca, inter alia ita monet: *Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum, quàm longiſsimè profugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul dubio abſtrahendus. Vim Hannibalis hyberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum, enervaverunt fomenta Campaniæ. Debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ ſæva quoque ad ſe ingenia rapuerunt.* 21

Athen. lib. 12. c. 19 Camer. 1. to. c. 19. & 20. & 2. to. ſubceſ. c. 30. Crinitus li. 24. c. 12. Theat. verb. *Luxus*, & verb. *Voluptas*, & litt. I. pag. 77. & ſeqq.

His facilè plura alia addere poſſem, quæ ſimilem exitum in luxu ſimili generarunt, & ab Athenæo, Camerario, & alijs pleniſsimè recẽſentur; ſed ſufficiat illud Heliogabali tetigiſſe, qui ultra alia, quæ referri honeſtè non poſſunt, eo vecordiæ luxuriæque proceſsit, ut teſte Lampridio, in Colle Quirinali mulierum Senatulum fecerit, cui ipſe præſidebat, & in quo ridicula quædam Senatus conſulta de legibus matronalibus facta ſunt: Quò reſpiciens Petrus Coſtalius quoddam Pegma formavit, ſub titulo, *Senatus Heliogabali*, & his carminibus: 22

Lamprid. in Heliogab.
Petr. Coſtal. in Pegmat. pag. 1.

Qui

Qui decreta vides muliebribus edita iuſsis,
Totaque fœmineos per fora ſtare greges:
Hæc Phœnix quondam poſuit monimenta Sacerdos,
Inter conſcriptos addita ſcorta Patres.

Et non contentus peſsimus hic Imperator totam vitam exquiſitis luxurijs, delicijs, ac laſcivijs deturpaſſe, etiam in morte, quam pro eis meruit, atque prævidit, ut ea pretioſa, & ad ſpeciem luxuriæ eſſet, illa inſtrumenta paraverat, quæ iam, aliud agens, ſuprà recenſui. Sed tandem hoc quoque ſolatio privatus, à Prætorianis in eum conſpiranti bus, in latrinis inventus, & immerſus, multis pugionibus transfoſſus, interijt, ſic non minùs obſcœnam, & ſpurcam mortem, quàm vitã fortitus, & illud Claudiani, exemplo ſuo, certiſsimum reddens: Sup. Embl. 16. Claudian. de laud. Stilic. lib. 2.

Luxuries per dulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine ſenſus.
Membraque Circeis effæminat acrius herbis.
Blanda quidem vultu, ſed qua non tetrior ulla.
Interius fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros,
Illa voluptatum multos intexuit hamos.

23 A quibus quidem nulli magis, quàm Reges & Principes cavere debent, cum hæc vitia magna & excelſa faſtigia præcipuè impetere ſoleant, ita ut meritò de ijs Tragicus dixerit: Senec. Tragic. in Hippoly. act. 1.

Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Pluitque luxu ſemper inſolita appetens.
Huic illa magnæ dura fortunæ Comes
Subit libido, non placent ſuætæ dapes.
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus.
Cur in penates rarius tenues ſubit
Hæc delicatas eligens peſtis domos?
Cur ſancta parvis inhabitat in tectis Venus
Mediumque ſanos vulgus affectus tenet,
Et ſe coercent modica? Contrà divites,
Regnoque fulti, plura quàm fas eſt petunt?
Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.

24 Et plus exemplo, quàm peccato noceant, niſi omni ſtudio laborẽt, omnem luxum ac luxuriam in ſe cohibere, & Rempublicam ſuam ſimilibus moribus, ac virtutibus venuſtare, & ſplendidam facere, potius quàm opulentia, ædificijs, alijſque delicijs, quæ peſtifero ſui abuſu, omnium, ut dixi, malorum altrices exiſtunt. Quod egregiè monuit Divus Auguſtinus, ſic inquiens: *Perverſa, & adverſa corda mortalium fœlices res humanas putant, cum Rectorum ſplendor attenditur, & labes* D. Aug. epiſt. 5.

non

*non attenditur animorum: cum theatrorum moles extruuntur, & effo-
diuntur fundamenta virtutum: cum glorioſa eſt effuſionis inſania, & opera
miſericordiæ deridentur: cum ex his quæ divitibus abundant, luxurian-
tur hiſtriones, & neceſſaria vix habent pauperes: Cum Deus, qui doctrinæ
ſuæ publicis vocibus, contra hoc malum publicum clamat, ab impijs blaſ-
phematur.*

Tacit. 3. Annal.

Et ſanè licèt Tiberius Imperator, ut Tacitus memorat, auſus non 25
fuerit, ſumtuarias leges, quæ oblivione, vel contemtu abolitæ, ſecu-
riorem luxum fecerunt, ſuis edictis renovare, & in priſtinam obſerva-
tionem reducere. Satius eſſe ducens, omittere potius prævalida & a-
dulta vitia, quàm hoc aſſequi, ut palam fieret, quibus delictis impar
eſſet. Ipſe tamen Tacitus ſtatim ſubiungit, exempla ad hoc validiora
eſſe, quam leges, & ſub Veſpaſiano, quia adſtrictum morem obſerva-
bat, & antiquo ipſe cultu victuque utebatur, totum populum in eius
obſequium, & æmulationem à luxu in veſtibus, epulis, & rebus cæte-
ris abſtinuiſſe. Et Latinus Pacatus idem de ſuo Theodoſio ita ele-

Pacat. in Panegyr. Theodoſ.

ganter, & ad rem noſtram aptè, recenſet, ut pro Commentario noſtri 26
Emblematis ſufficere poſſet, tradens qualiter hic Imperator modera-
tum luxum in omnibus ſervaverit, & ad ſui exemplum omnē Roma-
num orbem deduxerit, qui perditè nimis ad omnia immoderata (ibi-
dem miro verborū ſplendore expreſſa) tranſierat, & tandē concludēs:
*Sic eſt enim, ſic eſt, exaſperat homines imperata correctio: blandiſsimè iu-
betur exemplo.*

Agell. lib. 11. c. 2.

Sed adhuc, veluti ſuperpondium, Agellium adiicio, qui priſcis Ro- 27
manis omnem lautiorem luxum, & veſtitum ornatiorem, vitio verſum
eſſe tradit, & hunc exceſſum *Elegantiā*, eoſque qui in his excederent,
Elegantes, vituperij cauſa appellatos, licèt poſtea hæ voces pro amœ-
niore ingenio, & locutione uſurpatæ fuerint.

Burgund. in Mundi lapide Lydio, cap. 15. ex pag. 59.

Et noviſsimum Antonium Burgundiam, qui ad luxum & varieta- 28
tem veſtimentorum noſtri temporis, tam in viris, quàm in fœminis
reſpiciens, eundem eleganter deſcribit, & reprehendit, & infamem
gloriam eſſe probat, in his gloriari, & ab exteris (ut quotidie facimus)
nationibus, in Patriæ noſtræ perniciem, & effœminationem, tot no-
vas, & plerumque indecoras togarum, laciniarum, horacum, fœmora-
lium, & caligarum formas advocare. Quod maximè in fœminarum
veſtibus dolendum & deplorandum eſt, quæ iam tam manifeſtis hia-
tibus uberum, & ſcapularum, carnes proſtituunt, ut macelli ianuam
cenſeas, aut certò proſtibuli, in hac ſola nuditate gloriantes, & hye-
mis frigora non timentes, cum ſic ignem ſpirent, ſic urant acrius, &
incautos, dum retibus, tot plicis complicibus implicatis, has partes
adornant, velut ex inſidijs gravius feriunt. Sed hæc his, qui clavū Rei-
publicæ tenent, iudicanda & emendanda relinquo, qui ignorare non

Tacit. 3. Annal. vide Carrançā, Patonem & Careagam in lib. contra los malos trages.

poſſunt, mutationem habitus morum ruinas trahere, aut iam inclina-
tos mores ſequi, & benè Tacitum admonuiſſe: *Sexum natura in-
validum deſeri, & exponi ſuo luxu cupiditatibus
alienis, non licere.*

(·.·)

In

In gluvies in Regibus vituperabilis.

EMBLEMA XXXVI.



In ventris ſpacio cor ſibi condidit
Infœlix Aſinus,qui mare permeat.
At culpans homines,quos gula deprimit,
Vecordes vocitem nunc ſine pectore,
Venter,non animus,ſi ſuus imperat.

COMMENTARIVS.

1 QVAMVIS quæ ſuperius, de immoderato luxu in omnibus à Regibus excuſando,retulimus,nimiæ quoque edacitatis, & lautarum ſplendidarumque menſarum, dapaliumq; cœnarũ,frequens ſtudiũ comprehendãt. Adhuc tamẽ,quò magis vitium hoc ab eorum animis arceamus,aliqua in præſenti ſeparatim in eius deteſtationẽ addere deſtinamus,quoniã in eo præcipuè excedere plurimi ſolent,ita ut vel in proverbium trãſierit,hunc maximè luxum *Regalem* appellare,& *Menſas Regales*,quæ extructiſsimæ,lautiſsimæ, aparatiſſimæque ſunt,iuxta illud Virgilij, Virgil. 1. Æneid.

At domus interior Regali ſplendida luxu
Inſtruitur.

Et iterum:

Idem 6. Æneid.

Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ,
Regifico luxu.

Plaut. in Perſ.

Vbi noſter Cerda plura notavit, & Lambinus, Taubmanus, & alij in illud Plauti: *Baſilicè agite Eleutheria. Baſilico accipere victu.*

2 Cum tamen, qui rectè ſentiunt, & ſe tanto munere dignos reddere volunt, longè magis Regium cenſere, & habere debeant, ſobrietatem ac frugalitatem amplecti, ſanctamque illam & elegantem ſentētiam Socratis ſequi, quæ docet: *Edendum eſſe, ut vivamus, non autem vivendum, ut edamus*; quam exemplo Catonis, & aliorum, Aurelius, Alexander, & Alij commendant.

Aurel. Alex. in diſcurſ. polit. ad vitā Imp. Alex. Severi, pag 126. & ſeqq. Alcaff. de ærario, pag. 194.

3 Hac enim una & eadem ratione, bonæ valetudini ac rei familiari conſulitur, libidinis fomes extinguitur, & nedum Reges, verùm & cæteri ratione præditi homines, a reliquis animantibus ſeparantur, quæ, ut Salluſtius ait, natura prona, atque ventri indulgentia finxit.

Salluſt. in princ. Catil.

4 Regium quippè Diadema, eiuſque dignitas & ſplendor, non in vētre, menſarumve pompa, ut apud Lampridium dixit olim Alexander Severus, ſed in mente ſtare præſtareque debet, & in frugalitate potiùs, quàm in ingluvie, quæ ſecundùm Feſtum Pompeium, a Gula nomen accepit, & *Ingluvioſos*, nimis edaces appellari fecit. Quos etiam Glutos, Gulones, Gumias, Helluones, Epulones, Lurcones, Manducos, Manſutios, Phagones, & ſimilibus alijs nominibus, non tam vocare, quàm infamare Romani Græcique ſolebant, ut Eraſmus tradit in Adagio *Manducus.*

Lamprid. in Alex. Severo.

Feſtus de verbor. ſign. hoc in verbo.

Eraſm. in Adagijs, pag. mihi 148.

5 Et Alciatus *Curculiones* appellat, quaſi vermi, qui frumentum arrodit, quem nos *Gorgojo* dicimus, ſimiles ſint, Emblema quoddam in eos effingens, ſubiectis his, quæ ſequuntur carminibus:

Alciat. Embl. 90.

Curculione Gruis, tumida vir pingitur alvo,
Qui Laron, aut manibus geſtat Onocrotalum.
Talis forma fuit Dionyſi, & talis Apici.
Et Gula quos celebres delicioſa facit.

6 Quam ſimiliter reprehendens noviſsimus Burgundia, ſymbolum fecit, quo lautam famem nihil aliud eſſe, quàm Vermium penum oſtendit, & enumeratis exquiſitis ientaculorum ſeu eduliorum formis, quibus hodie culinæ fumant, & Principum ac Potentiorum menſæ inſtrui ſolent, in nihil aliud hæc proficere tradit, quàm ut parſimoniæ fructus profundantur, & quod ſtultius eſt, qui ita ſaginantur, ſibi tremulas manus, lippientes oculos, purulentas gingivas, vacillantes dētes, cretatos pedes, graveolentem ſpiritum, pectori phthiſin, hydropem ventri, mortem corpori, infernum animæ, immodicis ſumtibus ambiant, & comparent, ut è cadavere ſuo vermes & producant uberiùs, & lautiùs educent.

Ant. Burgund. in lapid. Lydio, cap. 11. & 13. & pleniꝰ Senec. epiſt 95. quem vide.

7 Nos, & ſi debitam quidem lautitiem, & munditiem Regias menſas decere fateamur, exceſsivam tamen crapulam, & in gluviem ab eiſdē exulare debere, depicto (ut vides) Aſſello, marino piſce, ſuadere conamur, qui, ut Ariſtoteles, Plinius, & alij tradunt, ſolus inter reliqua

Ariſt. de hiſt. anim. lib. 8. cap. 5. Plin. lib. 17. c. 16. Athenæ. lib. 7. c. 31 latè Geſner. in lib. de piſcib. pag. 84. qui aliter ſentit.

terreſtria, aquatiliavè animantia cor in ventre habere comperitur. Vnde Simon Maiolus, eandem hiſtoriã recolens, aptiſsimè infert, tales eſſe homines, qui abiectis virtutibus, omne ſtudiũ ventri adhibẽt.

Maiol. colloq. de piſcib. pag. mihi 197.

8 Quod luculentius ante ipſum dixerat Clemens Alexandrinus, dũ poſt plura, in deteſtationem nimiæ, & exquiſitæ guloſitatis exactiſsimè perorata, illum Paralypomenon locũ expendens, in quo legimus, qualiter David in ſua civitate, in medio tabernaculo Sanctam Arcam collocans, facta omnibus, qui eius ditioni parebant lætitia, corã Domino diſtribuit omnibus copijs Iſraëlis, à viro uſque ad mulierẽ; unicuique tortam panis, & panem ſubcineritium, & laganum ex ſartagine, ſic ſubdit: *Hoc eſt ſufficiens nutrimentum Iſraeliticum: Gentile autem quod eſt, ſuperfluum. Qui autem eo utitur, nunquam ut ſit ſapiens laboraverit, ut qui mentẽ in ventre infoderit, admodũ ſimilis piſci qui onos, hoc eſt Aſellus dicitur, quem quidem dicit Ariſtoteles ſolum ex omnibus animalibus habere cor in ventre. Hunc Epicharmus Comicus Eutrapelon vocat; hoc eſt, qui diſcedit à communi ventris conſuetudine. Tales ſunt ij homines, qui in ventrem crediderunt. Quorum Deus venter eſt, & gloria ignominia ipſorum, qui quæ ſunt terrena cogitant, eis non bona prædixit Apoſtolus, dicens: Quorum finis eſt interitus.* Quem quidem interitũ, de æterna damnatione explicat ibidẽ Gẽtianus Hervetus, diligẽs Clemẽtis Paraphraſtes, & reliqui Patres, qui dictũ Apoſtoli locũ expoñũt.

Clem. Alex. in Pœdagog. c. 1. in fin.

1. Paralyp. 16.

D. Paul. ad Philip. 3. 19.

9 Quibus Ego addo, ad temporalẽ etiam referri poſſe, cum certũ ſit, ut iã ſup. cũ Seneca, & Burgundia commonui, ex crapula, & ebrietate, alijſque eiuſmodi libinoſis corporis voluptatibus, plures morbos, perpetuoſque dolores generari ſolere, ut idem Clemens ſubnectit, & æquè certum quod à Medicis traditur, & à Philippo Camerarió, & alijs paſsim, ac veluti proverbij vice refertur, plures nempè eſſe, quos ingluvies, ac crapula perimit, quàm quos enſis, & inedia.

Camer. 1. ſubceſs. c. 94. & 10. 3. c. 34. Aſcaff de ærario, pag 892 Eraſm. in Adag. pag 468.

10 Quod cum illo Ciceronis conſentit, dum ait, vitium ventris, & gutturis, non ſolùm ætatem minuere, ſed etiam auferre, & cum Horatió, qui ſic pulchrè in ſatyris cecinit:

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque ſecum
Afferat, in primis valeas benè: nam variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſsis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis.
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoquẽ tumultum
Lenta feret pituita; vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia, quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs, animum quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulum auræ.

Cicer. in orat. pro M. Cœlio.

Horat. ſatyr. 2. lib. 2 latiſs. Lud. Cornar. in tract de vitæ ſobr. commod. Leſs. in higiaſtic. & Canonher. in Aphoriſm 1. to. pag. 48. & ſeqq.

11 Neque aliud indicare voluit Anacharſis Scytha, cum ſtatuis, atque imaginibus ſuis inſcribi iuſsit, linguæ, ventri, & pudendis temperandum. Quoniam hæc maximorum malorum cauſæ eſſe ſolent, & homines brutis ſimiles reddere.

Aſcaph. ubi ſup.

Quæ vel ſola ratio abſtinentiam,& frugalitatem noſtram excitare 12
deberet, ne corda ventri (ut noſter aſſellus) ſubdamus, vel proni,illi
Ovid. 1. Metam. inſerviamus,quibus Deus os ſublime dedit:

-------------Cælumque videre
Iuſsit,& erectos ad ſydera tollere vultus.

D. Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 3. Vt benè monuit D. Ambroſius, ſic inquiens: *At tu reſpice corporis tui formam, & ſpeciem celſi vigoris aſſumes: ſi ſola animalia prona paſcuntur, cur te in edendo ſternis ipſe, quem natura non ſtravit? Cur eo delectaris, in quo naturæ iniuria eſt? &c.* quem legiſſe videtur Ioachimus Camerarius, dum in uno ex ſuis Emblematis, cui titulus, *Neſcit gula modum,* ſic ait:
Camer. in Embl. cent. 1.

Qui plenas lautaſque dapes ſectatur,& ambit,
Hunc ſimilem brutis, vel ſuperare reor.

Plin. lib. 26. cap. 8. Et in idem tendit elegans illa, non minus quàm vera accuſatio, qua 13
Plinius ventrem,& in eo etiam nimis ventri, & gulæ deditos, his verbis proſequitur: *Plurimū negotij hominibus alvus exhibet, cuius cauſa maior pars mortalium vivit. Aliàs enim cibos non tranſmittit, aliàs non continet, aliàs non capit, aliàs non conficit. Eoque mores venerunt, ut homo maximè cibo pereat. Peſsimum corporis vas, inſtat, ut creditor, & ſæpius die appellat. Huius gratia præcipuè avaritia expetitur, huic luxuria cōditur, huic navigatur ad Phaſin, huic profundi vada exquiruntur. Nemo vilitatem eius exiſtimat Conſummationis fœditate. Ergo numeroſiſsima eſt circa hanc medicinæ opera.*

Quo in loco, quod de navigatione ad Phaſin memorat Plinius, ad 14
denotandam eorum luxuriem, ac prodigalitatem dirigitur, quorum
Pacat. in Panegyr. ad Theodoſ. gulæ, ut Pacatus ait, anguſtus erat Romanus orbis, neque appoſitas dapes ſapore, ſed ſumtu æſtimabat, illis demum cibis acquieſcēs, quos extremus Oriens, aut poſitus extra Romanū Colchus Imperium, aut famoſa naufragijs maria miſiſſent.

Clem. Alex. ubi ſuprà. Quod Clemens etiam Alexandrinus copioſè proſequitur,& per- 15
ſequitur, inquiens: *Atque mihi quidem venit in mentem eorum morbi miſereri: ipſos autem non pudet ſuas decantare delicias, cumque ſunt in freto Siculo, murænas anxio, & ſolicito animo perquirentes, & Mæādri anguillas, & qui in Melo ſunt hædos, & qui in Scyatho mugiles, Pelori conchas, & Abydena Oſtrea, nec Mænas quæ ſunt in Lypara prætermittentes, nec rapum Mantinicum, nec bætas quæ ſunt apud Aſcræos, & pectines Methymnæos exquirentes, & ſoleas Atticas, & turdos Daphnios, & Caricas Chelidonias, propter quas infœlix Perſa cum quingentis millie millibus in Græciam eſt profectus. Phaſidias aves præterea coementes; Attagenas Ægyptias, Medicum pavonem. Hæc condimentis immutantes, ij qui ſunt gulæ dediti, obſonijs inhiant, quæcunque tellus, & profunda Ponti, immēſaque alit latitudo aeris, ingluviei ſuæ ea comparantes.* 16

Lucan. 4. Pharſ. In idemque tendunt illa Lucani carmina:

----------- O prodiga rerum
Luxuries: nunquam parvo contenta paratu.

Et

Et quæſitorum terra pelagoque ciborum
Ambitioſa fames,& lautæ gloria menſæ,&c.

Iuvenalis, qui latè per duas ferme ſatyras in eodem argumento vagatur,& inter alia inquit: Iuven.ſatyr.1.& 4 & 9.

Intereà guſtus clementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretijs obſtantibus,interius ſi
Attendas,magis illa iuvant;quæ pluris emuntur.
Ah miſeri;quos noſſe iuvat,quid Phaſidis ales
Diſtet ab hyberna Rhodopes grue:quis magis anſer
Exta ferat,cur Tuſcus aper generoſior Vmbro?
Lubrica quæ recubent conchylia mollius alga.

Et,ut alios præteream,Petronius,qui poſtquã de mutatione, ſeu perverſione Romani Imperij, ob nimium in rebus omnibus luxum, exactiſsimè cecinit,ita de Romanorum gula ſcriptum reliquit; Petron.in ſatyr. in carm. de bello civit.

Ingenioſa gula eſt,Siculo ſcarus æquore merſus,
Ad menſam vivus perducitur,inque Lucrinis
Eruta littoribus, vendunt conchylia cœnas,
Vt renovent per damna famem.Iam Phaſidos unda
Orbata eſt avibus: mutoque in littore tantùm
Solæ deſertis adſpirant frondibus auræ.

17 Quod verò de fœditate conſumationis, quarumlibet etiam lautiſsimarum epularum, ſubiicit Plinius, idem ipſum eſt, quod Divus Nazianzenus expreſsit,eaſdem, *Honoratum ſtercus* appellans. Honoratum quidem (ut eius Interpres explicat) ob ſummum ſtudium, pretium,& lautitiem, quo ab initio expetuntur, comparantur, & condiuntur; ſtercus verò, quia ubi fuerint digeſtæ, in ſtercus excernuntur. D.Naziãz.in orat. de nati.Dom.pag. mihi 130.

18 Vt vel hinc cognoſcere poſsimus, quid dicendum ſentiẽdumvè ſit de Dionyſijs,Apicijs,Aſinijs,Pollionibus,Mœcenatibus,Nomentanis,Galonijs, Æſopis, Clodijs,Albiniis,& ſimilibus alijs, qui in exquiſitis cibis quærendis,& abſumendis,omnem ſuæ vitæ curam,&fœlicitatem collocabant,divitiaſque omnes ſuas expendebant. Quorũ, & aliorum inſignium Gulonum,& Phagonum, copioſum Catalogum Athenæus,Plinius,& alij Scriptores fecerunt. Athæ.lib.1. cap.3. Plin.lib.9.cap.17. Theat.verb.*Gula*. Pontan. in bellar. 2. to. pag. 177. & ſeqq.

19 Certè Seneca inter has,quas hi delicias,& voluptates reputabant, non tam vitam beatam conſequi, quàm ſibi parentare, meritò cenſuit,& ſepulchrales epulas funereaſvè parare, cum non tam convivari, quàm iuſta ſibi facere viderentur. Eandemque inſaniam in Aſinio Celere conſulari viro reprehendit Macrobius, quòd mullum unum ſeptem millibus nummuum mercatus eſt, & eo quidem tempore,quo Plinius negat facilè mullum repertum, qui duas pondo libras excederet,licèt hodie longè maioris ponderis reperiantur;ut Iuvenalis etiam oſtendit, ſimilem exceſſum in Criſpino, & alijs ſuis in ſatyris taxans: Senec.de vit.beat. cap,11.& epiſt.12. & 122. Macrob.li.3. c.16 Plin.lib.9. cap.17. Iuven.ſatyr.

--------- Mullum ſex millibus emit,
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

> Sueton. in Caio Iul.Cæſar. c.38.
> Plutarc in Anton. Macrob lib.3. Satur.cap.17.

20 Sed,ut qui cum Regibus agimus,Regum etiam & Imperatorum exemplis utamur;quis Iulij Cæſaris illud convivium non novit, & reprehendit,quo,ut Suetonius ait,plus dicitur erogaſſe, quàm integro anno totius ærarij Romani reditus pendere potuiſſent?Quis Antonij & Cleopatræ luxurioſas pariter,ac prodigas,& ad æmulationem lautiſsimas cœnas,in quarum una, margarita illa a Cleopatra uno hauſta abſorpta eſt, quæ ſine contentione centies ſeſtertium valorem ſuperavit,ut a Plutarcho,Macrobio,& alijs refertur.

> Suet.in Ner. c.
> Idem ibid.cap.30.

21 Nero quoque Imperator,Suetonio teſtante,& ſuccenſente,epulas è medio die ad mediam noctem protrahebat, tanto quidem ſumtu & apparatu,ut cuius & illa fuit vox ſecundùm eundem Suetonium: *Divitiarum & pecuniæ fructum,non alium reputare,quàm profuſionem: ſordidos & deparcos eſſe, quibus ratio expenſarum conſtaret; prælautos verèque magnificos,qui abuterentur,& perderent.*

> Sueton. in Vittel. cap.13.Dio lib. 65. in princip.
> Cauſin. in Poliſt. ſym.lib.3. cap.56. pag. 385. ex Olao Mag.lib.18.c.5.

22 Deteriorque hoc Vitellius,eodem Suetonio,& Dione referentibus,totum ſui Principatus tempus ebrietati, & comeſſationibus impendit,idque adeò immodico ſumtu, ut ſi diutius vixiſſet, menſarum pretio Romani Imperij opes abliguriſſet.Maximè cum ea quæ voraverat,ſtatim vomere cōſueſſet, quò avidius novis ſe epulis traderet, (heu cœli terræque pudor)in hoc,ut Cauſinus,ex Olao recenſet,animali quod *Gulo*,dicitur,ſe ſimilem faciens,quod voraciſsimum eſt, & ubi corpus nimio cibo, inſtar tympani extenſum ſentit, anguſtias,inter petras,vel arbores quærit,ubi ſe reſtringens,quod voraverat,egerat,ut ſtatim ad cadavera redeat.

> Sabel. lib.5. Enea. 7.Alex.lib.5.Gen. cap.20.
> Lampr. in Heliog.

23 Ælius quoque Severus,Geta,Victorianus,& alij Antiquiores,& Iuniores Cæſares,in hoc perditiſsimi,& luxurioſiſsimi fuiſſe perhibētur,& omnium in eodem vitio,ut & in alijs, peſsimus, Heliogabalus, adeò,ut referente Lampridio,vulgò dictus ſit *Apicius*,& miras novaſque inventiones ad augendas conviviorum expenſas excogitaverit, amaveritque ſibi pretia maiora dici earum rerum, quæ menſæ parabantur,orexin in convivio hanc eſſe aſſerens.

> D.Paul.ad Eph. 5. 18 Aug. Dom. 1. in Quadrag. ſerm. 1. Hier. epiſt. 22. ad Euſthoc.

24 Cū ergo hi,& his ſimiles Reges,& Cæſares,qui ſe ventri & abdomini manciparunt, ita malè ſemper apud omnes audierint, ſatis Prudentes,& Chriſtiani Principes cognoſcere poſſunt,contraria ſibi via, ſi gloriam humanam,& divinam cupiunt,gradiendum eſſe,& virtutes, & bonam mentem,ad quas contendere debent,non in comenſationibus,& compotationibus, quæ luxuriæ aliorumque vitiorum,& malorū genitrices ſunt,ut D. Paulus, Auguſtinus,& Hieronymus docent, ſed in parſimonia, & frugalitate conſiſtere, quam & Natura nos admonet,quæ,ut Lucanus ait: *Parvo eſt contenta paratu.*

> Lucan lib.4.
> Ovid de Arte amand.lib.2.

25 Et hanc primæ ætatis homines adeò ſectabantur,ut glandibus tantùm,herbiſque contenti,lætiſsimam vitam tranſigerent,eòque meliorem,ac ſalubriorem,quò frugaliorem,ut Ovidius cecinit, inquiens:

Tunc quoque cum Solem nondum prohibebat & imbrem

Tegula, ſed quercus tecta cibumque dabat
Sylva domus fuerat, cibus herba, cubilia frondes.

Et rurſus in Metamorphoſi: Idem 1.Metam.

Contenti cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus montanaque fraga legebant.
Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iovis arbore glandes.

26 Concinit his Petronius, qui Deum hominibus neceſſaria omnia, ſi his contenti eſſe velint, promtè ſubminiſtraſſe, & reliqua ad gulã pertinere, ita elegantiſsimè protulit: Petroñ. in fragm.

Omnia quæ miſeras poſſunt finire querelas
In promtu voluit candidus eſſe Deus.
Vile olus, & duris hærentia mora rubetis,
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit; & riget Euro,
Cum calidus tepido conſonat igne rogus.
Lex armata ſedet circum fera limina nuptæ,
Nil metuit licito fuſa puella toro:
Quod ſatiare poteſt Dives natura miniſtrat,
Quod docet infrænis gloria fine caret.

27 Quod & apud priſcos, & benè moratos Romanos in uſu fuiſſe Valerius Maximus his dignis relatu verbis, memorat, & extollit: *Nã maximis viris prandere, & cœnare in propatulo, verecundia non erat. Nec ſanè ullas epulas habebant, quas populi oculis ſubiicere, erubeſcerẽt. Erant adeò continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pulti uſus, quàm panis eſſet. Hæc ad humanæ mentis æſtus leniendos cum aliqua uſus ratione excogitata, cæterum ſalubritatem ſuam induſtriæ certiſsimo, ac fideliſsimo munimento tuebantur. Bonæque valetudinis eorum, quaſi quædam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantiæ, & ab immoderato Veneris uſu averſa.* Valer. Max. lib. 2 cap. 5. §. 5.

28 Eundem quoque morẽ, eiſdem prope rationibus à Chriſtianis omnibus in primitiva Eccleſia obſervatum, ex Tertulliano, & Minutio Fœlice ſatis apparet. Et licèt in Perſarum Regibus ſplendidarum mẽſarum luxus in uſu fuerit, Cyrus tamẽ adeò ſobrius fuiſſe perhibetur, ut iter faciens, cum ab hoſpite rogaretur, quid in cœnã apparare deberet? Panem ſolum reſponderit, ſperare enim ſe iuxta fontem limpidum cœnaturum. Tertull. in Apol. cap. 36. Minut. in Octav. Ammian. Marc. li. 21. Eraſm. lib. 8. Apoph. pag. 698.

29 Et quod magis mirere, Seneca, licèt valdè dives ac præpotens fuerit, abſtinentia, ceu voluntaria quadã paupertate ſe ſe munijt, ut laborati luxus diſcrimina vitaret, & magnas inter opes inopiam amans, non contentus docuiſſe, quòd qui habet aquam & placentam poteſt cum Iove de fœlicitate contendere, ad minima ſe ſe redigens, ſpontè naſcentibus, & aqua victitavit. Quod licèt Tacitus tradat, ab eo factum, ne dolis ingruentium pateret, & venenum ſibi aliquo- Senec. epiſt. 18. & 110. Tacit. 15. Annal.

Senec. epiſt. 108.

aces Neronis ulla propinatum effugeret. Idem tamen ſerio in quadã ex ſuis epiſtolis narrat, Attali Philoſophi oratione audita, in vitia, in errores, in mala vitæ perorantis, ſibi, certa animi inductione, hanc abſtinentiæ legem indixiſſe, inde oſtreis boletiſque in omnem vitam renuntiaſſe; inde in omnem vitam unguẽto abſtinuiſſe, quoniã optimus odor in corpôre, eſt nullus. Inde vino ſtomachũ caruiſſe, inde in omnem vitam balneum fugiſſe. Decoquere corpus, atque exinanire ſudoribus; inutile ſimul delicatumque credidiſſe.

Inter epiſt. Mund. Procer ædit. Venet. pag. 215.

Platonis quoque elegãs ália circumfertur epiſtola, ad propinquos 30
Dionyſij Siciliæ Tyranni, qua Syracuſarum menſarum luxuriem, & lautitiem, quæ a multis beata ferebatur, nullo modo ſibi placuiſſe inquit: *Nec bis quem in die ſaturũ fieri*. Qui & pro miraculo ſuis Græcis hoc annũtiavit, ut ex Plutarcho Lonichius ſcribit, & alijs relatis Frãciſcus Patricius, & Camerarius, pluribus ſimul oſtendentes, nullam voraginẽ, nullum barathrum eſſe, quod magis abſorbeat, magis præcipitet rem, quam gula, quæ quo melius prandet, melius cœnare ſtudet: nullaſque divitias tam amplas, nullam ſupellectilem tam præclaram, nullas opes tam magnas, quæ parvo tẽpore in ventrẽ nõ demergãtur.

Lorich. de iuſtit. Princ. pag 237.

Patric. de Rep. lib. 5. tit. 8. Camerar. cent. 2. c. 30. pag. 183.

Quo circa videre debent Principes, illique cum primis, qui Chriſto 31
nomen dederunt, quãta cura & diligentia hac in parte debeant ſobrietatem, & modeſtiam amplecti, quæ ſibi, vel ab Ethnicis, tantopere commẽdatur, & firmiori Syracidis teſtimonio, quo inquit: *Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, & cuius Principes mane comedũt. Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.*

Eccleſ. 10. 16. 17.

Quem locum in vim legis ſucceſſoribus ſuis reliquit Rex noſter Al- 32
fonſus X. ſic inquiens: *En tiempo conveniente debe el Rei comer, è beber, cada que lo pud. eſſe fazer, aſsi que non ſea temprano, nin tarde. E otroſi, que non coma ſinon quando oviêſſe ſabor, è de tales coſas, que i tengan recio, è ſano, è non embarguen el entendimiento. E eſto, que ge lo den bien adobado, è apueſtamente: ca ſegun dixeron los Sabios, el comer fue pueſto para vevir; è non el vevir para el comer. E aun dixeron, que una de las noblezas que el Rei debe haber en ſi, es, de governarſe bien, è apueſtamente, è à ſu pro. E eſto dixo el Rei Salomon: Bienaventurada es la tierra que ha noble Rei pôr Señor, è lòs Mayorales della comen en las ſazones que deben, mas por mantenimiento de ſus cuerpos, que por otra ſobejania. E de los que contra eſto fazen, dixo: Ai de la tierra de que el Rei es niño, è los Mayorales della comen de mañana. E ſemejança de niño peſo, porque los niños mas cobdician comer, que otra coſa, &c.*

L. 2. tit. 5. par. 2.

Cui legi ſimile eſt monitum, quod & antè ipſam Rex Caſtellæ Sã- 33
tius Craſſus filio ſuo dediſſe legitur, in quodam libro antiquo, cuius verba refert, & meritò laudat Doctus Noſter pariter, ac Religioſus Euſebius Noriembergius, ſe in hunc modum habentia: *Para miente à todas aquellas coſas que ſon malas i feas, i lixoſas, i dañoſas para la carne; i fallaràs q̃ todas ſon malas para el alma. Mala coſtumbre para el cuerpo es comer, è beber lixoſamente, è mas de lo q̃ debes; ca aſsi como eſto es malo para el cuerpo, bien aſsi es malo pecado para el alma, &c.*

Euſeb. in Theo politic. pag. 559.

34 Et ſanè, ut tandem finiam, ſemper oportebit, ut Princeps, qui ſibi, & ſuis iuſtè ac prudenter dominari voluerit; in ſe & in illis eiuſmodi ærumnoſos gulæ exceſſus ſummo ſtudio compeſcere curet, & ad ſalutare illud D. Auguſtini documentum animum advertat: *Carnis ita habenda eſt cura, ut ne ferociat. Semper, atque ſemper caro noſtra ſubiecta ſit animæ, & ſicut ancilla famuletur dominæ ſuæ. Ne præbeamus vires illicitas corpori noſtro, ne committat bellum adverſus ſpiritum noſtrum; ſed ſemper ſit ſubiecta caro, ut obtemperet iuſsis ſpiritus ſui, neque incraſſari permittamus ancillam, ne contemnat dominam ſuam.* Rectè enim Prudentius:

D. Aug. de ſalut. docum. cap. 25.

Parcis victibus expedita corda,
Infuſum melius Deum receptant.
Hoc pactus animæ eſt, ſaporque verus.

Prudent. in hymn. poſt Cibum.

35 Quod etiam potentiſsimum præſtantiſsimumque remedium eſſe, ad vulgi ſeditiones comprimendas, Heraclitus Philoſophus nobili illo apophtegmate docuit, quod ab Eraſmo, & alijs refertur. Quadam enim exorta, rogatus, ut apud populum ſententiam diceret, quo pacto civitas redigi poſſet in concordiam, conſcenſo ſuggeſto, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inſperſit, mox de Glechone admiſcuit, id eſt vel pulegij ſylveſtris, vel leguminis genus. Dein epoto calice diſceſsit, nec verbum addidit. Hoc pacto innuens, ita demum civitatem carituram ſeditionibus, ſi repudiatis delicijs, parvo contenti eſſe aſſueſcerent. In quo Heraclitus ſuo reſpondit no-
36 mini, nam *Scotinus* dictus eſt, id eſt *Tenebricoſus*. Cui compar Epictetus Cynicæ Sectæ Philoſophus, ut poſt Agellium, & alios, Eraſmus recenſet, univerſa Philoſophorum dogmata, quæ ad humanæ vitæ pertineant fœlicitatem, quæque tot voluminibus vix cæteri explicant, duobus verbis abſolutè complexus eſt, quæ iam proverbij vice celebratur. SVSTINE, & ABSTINE. Quorum altero monemur, ut adverſa fortiter toleremus: Altero, ut ab his, de quibus loquimur, ſuperfluis edulijs, & condimentis, & à reliquis illicitis voluptatibus temperemus.

Eraſm. lib. 8. Apoph. tangit Alciat. Embl. 16. & ibi Brocenſ. & Minoes.

Agell. lib. 17. c. 19. Eraſm. in Adag. pag 748.

(*⁂*)

Vinolentia Principibus fugienda.

EMBLEMA XXXVII.



Quem pugnata colit, ſemen Iovis, India Bacchum,
En raptum Lynces, ſigna timoris, agunt,
Spernite, quos magnos finxit natura, Lyæum,
Spernite, qui brutis ducitur, atque metu.

COMMENTARIVS.

Plin. lib. 14. cap. 22 D. Baſil. in orat. de ebrietat. Clem. Alex. lib. 2. Pœdag. c. 1. Max Tyrius ſerm. de ebriet. Camer. 1. to. ſubceſ. c. 93 & 94. Tiraq. de pœn. tēp. cauſ. & plures alij apud Me 2. to. li. 1. cap. 24. ex n. 69. Canōher. in Aphor. 1. tom. pag. 785.

QVAMVIS ciborum frugalitas, quam Regibus alijſque Principibus tantopere commendavimus, potius quoque immoderati deteſtationem in ſe contineat; adhuc tamen è re eſſe arbitror, ſpeciatim aliqua de hoc vitio in præſenti ſubnectere, quod ſuperiore quidem gravius, & celſis faſtigijs fœdius, & indignius exiſtimamus. Et omiſsis pluribus, quæ de ebrietate, & ebrietatis damnis, Plinius, D. Baſilius, Clemens Alexandrinus, noviſsimus Camerarius, & plurimi alij copioſè à Tiraquello, Canonherio, & a Me alibi relati, dixerunt, ſola certè noſtri huius Emblematis effigies ad eam diſſuadendam ſufficere poſſet. 1

Euſtat. apud Rhodig. lib. 7. cap. 15. col. 303.

In qua Bacchum vides, vini auctorem ſive repertorem ab Ethnicis reputatum, & ſecundùm Euſtathium, & Rhodiginum, ab incondito ululatu ſic dictum, quo furentes Bacchæ, ſive Menades, eius pediſſequæ, perſonabant, qui thyrſum geſtans, & pampinis redimitus, curru à Lyncibus agitur, animalibus ſuaptè natura præcæteris timidiſsimis, 2

la-

laborem fugitantibus, voluptatem appetentibus, prorſuſque mollibus,& ignavis.

3 Quo veteres, ut Carolus Paſchalis ait, ſignificare voluerunt, nimio vino epoto, homines naturalem ſuam ferociam ac verſutiam amittere, pavidos, ac meticuloſos reddi, & in ſimiles belluas, ignavum atque inerme germen, degenerare. Quos inſania proximo intervallo ſequitur, ſimul & corpus enervans,& animi viribus illudens. Paſchal. in lib. de virtut. & vitijs, c. de ebriet.

4 Quæ ſanæ ratio in Lyncibus Bacchi currui iungendis, congruetior mihi videtur alia Georgij Kech, qui tradit Lynces, & Tygres Bacchi currum trahere fingi, quia ex omnibus animalibus, hæc tantùm ubas comedant; & alia Natalis Comitis, qui addit, à Pardis quoque & Pãtheris eundem currum agi ſolere,& ex harum ferarum ingenio & immanitate denotatum fuiſſe, vinum immodicè bibentibus, ipſarum naturam imprimere, eoſque furioſos efficere. Georg. Kech in Mythol. fab. c. 10. Natal. in Mythol. li. 5. c. 13. pag. 507.

5 Nam etſi non ignorem ab Ariſtotele, & alijs tradi ſolere, vinum, iocundos, audaces, furioſos, feroces, atque inſanos homines reddere, inſtar atræ bilis, eaque propter, ipſum Bacchum cornutum pingi, & appellari, à multis ſolitum fuiſſe, & à Tygris & Pantheris comitari circumque agi, frequentior tamen Lyncum pictura fuit, ut Ovidius oſtendit, dum inquit: Ariſt. in hiſt. nat. Horat. lib. 2 od. 19 ubi latè Torrent. & Cabot. & pleniꝰ ex Giral. & alijs Camerar. d. c. 93. per tot.

-------- Tu bi iugum pictis inſignia frænis
Colla premis Lyncum, Bacchæ ſatyrique ſequuntur
Quique ſenex ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, &c. Ovid. 4. Metam.

Et iterum:

Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis
Pampineis agitat velitam frondibus haſtam
Quem circa Tygres, ſimulachraque inania Lyncum
Pictarumque iacent fera corpora Pantherarum. Idem lib. 3.

6 Et adhuc tamen certius eſt, per nimiũ vini hauſtum corpus animũque langueſcere, hebetari,& debilitari. Vnde & *Temetum* dictum eſſe vinum aliqui aiunt, quòd nimirùm mentem tentet ac labefactet, & denique membra. Quò reſpexit Virgilius, inquiens: Rob. Stephan. Calep. & Funger. hoc verbo. Virgil. 2. Georg.

Tentatura pedes ſolùm victuraque lingua.

Et alibi: Idem in carm. de vino & venere.

Vt Venus enervat vires, ſic copia Bacchi,
Et tentat greſſus, debilitatque pedes.

Et Seneca Tragicus dum ait: Senec. in Hercul. furente.

Nonnè rubeſcit Bacchus effuſos tener
Sparſiſſe crines, nec manu molli levem
Vibraſſe thyrſum, cum parum forti gradu
Auro decor ſyrma barbaricum trahit.

7 Quibus aſſentit Eobanus Heſſus in pulchro ſuo carmine de ebrietate, ſic inquiens:

Turpe malum, quo non aliud damnoſius ullum,
Debilitate manet, vireſque extirpat eundo.
Parva metu primo, mox ſe ſe attollit in artus,
Ingrediturque caput, ſenſuſque obnubilat omnes.

Eccleſ.31.verſ.39 40.

Et apertius idem docet Eccleſiaſticus his verbis: *Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas impudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens ulnera.* Et D. Baſilius apud Maximum Tyriū, qui interrogatus quid eſſet ebrietas? Reſpondit: *Ebrietas eſt dæmon ſponte admiſſus in animos per voluntatem, mater malitiæ, impugnatio virtutis, ex forti timidum facit.* 8

Tyrius ſerm. de ebriet.

Paſchal. ſuprà.

Laguna ſup. Dioſcor. c. 119. fol. 450

Quod non eſt mirum ſi in hominibus accidat, cum Paſchalis referat, ſimios etiam, nimio vini hauſtu, verſutiam, & Elephantes robur amittere, & Laguna, Tauros ferociſsimos, eo inebriatos, ita manſuetos reddi, ut vel à pueris, & virgunculis ſe tractari, alligari, & quò velint, duci permittant, & in hunc modum in multis Hiſpaniæ partibus ad Eccleſiam in D. Marci veſpere duci ſolere. 9

Prout & hodie frequentius uſurpatur in oppido de las Brozas, ubi tamen multi, non vini virtutem, ſed vim divinam, in eiuſdē Sancti honorem, agnoſcunt, ſub cuius vocatione Taurus venire iubetur. Mihique fidem fecit vir quidam graviſsimus, Regiuſque Conſiliarius, qui huic ſpectaculo nuper interfuit, abſque ulla vini propinatione, aliovè fuco, vocatum Taurum, vocationi paruiſſe, & relicto aliorum grege, & paſtus uberrimo pabulo, Veſperis, & Miſſæ, ſolemnique proceſsioni, quæ ibidem in D. Marci honorem peragitur, manſuetiſsimū interfuiſſe. Quod tamen, quia ſuperſtitionem redolet, & miraculum neutiquam neceſſarium requirit, docti alij & pij viri in poſterum abolendum cenſent, & ita per Pontificium diploma Clementis VII. F. R. ad inſtantiam Epiſcopi Civitatenſis, decretum fuiſſe commemorant, quamvis adhuc dicti populi accolæ in more veteri perſeverent. 10

Moura de incātatione, ſect. 1. cap 1 n. 14 & ſect. 2. c. 2. n. 13. Ant Perez in Laurea Salmant. cert. 7. expoſ. cap. 1. n. 21.

D. Paul. ad Epheſ. 5. 18.

Patritius de Reg. inſt. tit. 26.

Plutar. in vit. Alex.

Q. Curt. lib. 8. c. 3.

Videant ergo Reges, qui præcipuè ex animi & corporis fortitudine gloriari commendarique ſolent, & debent, quàm ſit indignum, radiata capita Baccho ſubmittere, vinoque inebriari, in quo non ſolùm eſt luxuria, ut Apoſtolus dixit, ſed timiditas, & ignavia, viriumque mentis, & corporis enervatio, &, ut benè addit Franciſcus Patritius, Regiarum omnium virtutum obſcuratio, quantumvis ille maximæ ſint, ut in Magno illo Alexandro contigiſſe narrat Plutarchus, addens, quàm perditè infami huic vitio deditus fuerit, & notanda certamina, ac præmia, quæ ſuis in cœnis plus potantibus indicebat. In quarum una ipſe idem, chariſsimum ſibi ac fideliſsimum Clitum inter pocula transfodit, & poſteà ſobrius factus, facinore, quod patraverat, intellecto, præ dolore (ut latè & eleganter Quintus Curtius enarrat) ſe ipſum occidere voluit. 11

Auguſt. ad ſacras Virgin.

Et tandem vino ſuffocatus interijt. Unde de eo dixit Auguſtinus: *Innumerabiles quidem iugum dominationis diu recuſantes, vinolentia in* 12

alie-

alienum redegit arbitrium : Alexander omnium victor, a vino victus eſt. Et ante eum Seneca: *Alexandrum, qui tot itinera, tot prælia, tot hyems, per quæ victa temporum ac locorum difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, atque maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculaneus ac facilis Scyphus ſummerſit.* Quaſi diceret; *E que avia paſſado tantos rios; i tantos mares, ſe vino à abogar en vna taça de vino.*

Senec. epiſt. 28.

13 Idem vitium Mithridatem Ponticum obſcuravit. Idem Antonium Triumvirum, qui ad vomitum uſque in conſpectu Quiritum bibebat. Vittellium, qui ad perdenda vina natus dicebatur; Maximum qui ſæpè uno die totam amphoram vini bibiſſe memoratur. Bonoſum, qui tantum mingebat, quantum bibebat, qui cum laqueo gulam ſibi fregiſſet, penderetque, non hominem, ſed amphoram pendere dicebant. Dionyſium Iuniorem Siciliæ Tyrannum; qui nonaginta dies continuos bibere poterat.

De hoc vomitum Ant. vide omnino Cicer. orat. in Ant. Triumv.

14 Et relictis his, & ſimilibus alijs Imperij, imò & naturæ, opprobijs, inſignibuſque Biberonibus, de quibus Alexander ab Alexandro, Bruno Seydelius, Philippus Camerarius, & multi alij multa dixerunt, Tiberius Imperator, ita à Tacito, & alijs prudentiæ titulo commendatus; adeò vino deditus fuit, ut Suetonio in eius vita teſtante, in caſtris, tyro etiam, propter nimiam eius aviditatem, pro Tiberius, Biberius, pro Claudius, Calidius, pro Nero, Mero, vocatus fuerit.

Alex. lib. 6. cap. 20 Bruno lib. 3 de ebriet. Camer. 1. to. pag. 444.

Suet. in Tib. c 42.

15 Et quòd magis mirere, Trajanus, quem bonorum, imò & Sanctorum Imperatorum typum, Plinius Iunior, & alij paſsim facere volūt, eò etiam nomine malè audijt, ut Dio, & Spartianus commemorant, quòd ſe nimio vino ingurgitaret, indeque utrique Veneri, alijſque vitijs indulgeret, quæ latiùs eidem Hieronymus Cardanus exprobat, licèt eum ab ebrietate Lipſius excuſare conetur, inquiens, ad diluendas curas, id ab eo, ut & ab alijs magnis viris, de quibus Seneca ſcribit, iuſtiſsimè factum, & ex Eutropio addens, quod hoc vitium, quo, ut & pater eius adoptivus Nerva, tangebatur, prudentia molliverat, curari vetans iuſſa poſt longiores epulas.

Dio in Traj. Spart. in Had.

Cardan. in Apologia pro Nerone.

Lipſ. in not. ad Paneg. Plin. pag. mihi 97.

Senec. de Tranq. vit. cap. ult.

16 Planè Commodi, ſive Incommodi, Romani etiam Imperatoris, in hoc, ut & in alijs vitijs, exceſſus, ab ſcribendo refugit manus; ut benè Baptiſta Fulgoſus animadvertit, inter alia recenſens, quòd cum nimia crapula, nimioque coitu, guſtum omnem amiſiſſet, ad id furoris devenit, ut humanum ſtercus cibis immiſceret; eoſque irrideret, qui eam mixturam abhorrerent. Irriſorum duos, nudos, ſynapi totum perfuſos corpus, inmenſam in patinis ferri iuſsit, quos ſtatim muneribus locupletavit. Iulianum quoque urbis Præfectum, multis ſpectantibus, nudum ſaltare coegit, omnes, ut ipſe erat, amentes haberi cupiens.

Fulgoſ. lib. 9. c. 1. fol. 310. & 311. ex Herod. & Lamp. in vita Commod.

17 Nec ſolùm Romanos Imperatores hæc peſtis infecit; nam & Græcorum plures tenuiſſe legimus. Inter quos de Zenone tradit Nicephorus, quòd flagitioſiſsimus fuit, & cum ex ebrietate ſenſum omnem amiſiſſet, in tumulum coniectus fuit, & poſtquàm per ſobrietatem ad ſeipſum redijt, in ipſo monumento exclamavit, vitam ſe ſolùm, non etiam Imperium petere, paratumque eſſe cuivis, iure iurando inter-

Niceph. lib. 18. cap. 24.

po-

poſito,eo cedere. Neminem tamen illum, illa dicentem, miſeratum fuiſſe, propterea quòd coniux Ariadna id prohibuiſſet,quæ cum valdè odio habebat.

Æneas Sylv. in notis ad Panorm. lib. 1. cap. 17.

De Germanis plura dicere poſſem, cum hoc vitium ſit veluti illi 18
nationi cognatum;ſed ſolùm Vvenceslaum Imperatorem in medium
producam,qui,ut Æneas Silvius,& Camerarius narrant,vini tam avi-
dus fuit,ut tametſi Bohemiæ,Hungariæ,adeòque Italiæ vina haberet
generoſiſsima, Fuſtembergẽſis tamen vini Rhenani aliquot cados à
celebri civitate Germaniæ Norimbergenſi efflagitarit, quam etiam
hac propter à fide,& iuramento,quo ſibi devincta erat,abſolvit.Cre-
broque ſermone uſurpare ſolebat,ſi ſe diripiendis Italiæ urbibus ſors
præſentem dediſſet,cæterarum rerum prædam militibus impartiturũ,
vini tantùm apud ſe ſpolijs reſervatis.

Idem Æn. Silvius ubi ſup. lib. 1. c. 41

Neque eſt prætereundum, quod de Huldrico de Nova inter Bo- 19
hemiæ proceres facilè Principe, idem Æneas tradit,qui liberos ſuos
quàm primum ablactatos noverat, ad uſum vini fortioris exercebat,
eam huius facti rationem reddens,ut liberi ſui cum adoleverint,ama-
reque vina cœperint, ſecuri,quantum voluiſſent, bibere poſſent, ne-
que vino caperentur.

Et de alio Henrico Goricie Comite, qui filijs ſuis antequam pue- 20
ritiam excederent, etiam reluctantibus; vinum ingerebat; illudque
èvomentibus prolem ſuam eſſe negabat, ſic eos ad vini hauſtum ex-
plorans,ſicut aquila pulos ad Solis radios:

Claudian.

Vel quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.

Proverb. 31. 4. & 5

Cum ergo adeò damnoſum ac probroſum in omnibus, ſed præci- 21
puè in Regibus,hoc vitium ebrietatis exiſtat, meritò in Proverbijs
Salomon dixit: *Noli Regibus, ò Samuel, noli Regibus dare vinum,quia
nullum ſecretum eſt,ubi regnat ebrietas,& ne fortè bibant,& obliviſcan-
tur iudiciorum,& mutent cauſam filiorum pauperis*: & in Eccleſiaſtico,
miſera iudicatur terra, cuius Principes mane comedunt,& bibunt; ut
beata è contrario illa, ubi hoc ſuo tempore faciunt, & ad reficiendũ,
non ad luxuriandum. Et hanc ob cauſam Solon legem tuliſſe fertur
apud Laertium,ut ebrius Magiſtratus occideretur.

Eccleſ. 10. 17. vide Scomborn. lib. 2. cap. 17. in princ.

Laert. in Solone.

Alex. ab Alex. & eius Addit. Tiraq. lib 3. cap. 11. pag. 336. Strabo lib. 15.

Et Ægyptijs, referente Alexandro, omnis temulentia in Regi- 22
bus capitalis fuit, certa eis ad bibendum deſignata menſura. Et hoc
erat adeò obſervatum, ut cuilibet privato liceret Regem occidere
ob hoc crimen,& qui id faceret,in honore erat.Quod & apud Perſas
obtinuit, ut Athenæus prodit, niſi quòd hi,ſemel in anno,ut ſe ine-
briare poſſent,ſuis Regibus permittebant.

Athenæ. lib. 10. cap. 11.

L. 2. tit. 5. par. 2.

Et alijs relictis,apud nos Hiſpanos, ita per legem patriam Alfonſi 23
X.Regibus commendatur,ut in hac ſola,ea omnia, quæ ſuprà retuli-
mus,veluti in compendium redigi videantur,ita enim ſe habet: *E del
beber,dezimos,que es una de las coſas del mundo, de que el Rei ſe debe mu-
cho guardar, porque eſto non ſe debe fazer, ſinon en las ſazones que fuere
meneſter al cuerpo,è aun entonce mui meſuradamente.Ca mucho, ſeria coſa
ſin razon,que aquel à quien Dios dio poder ſobre todos los omes que ſon en
ſu ſeñorio,que dexe al vino apoderar de ſi.Ca el beber, que es ſobejano, ſa*

ca

ca al ome de las coſas que le convìene, è fazele fazer las que ſon deſaguiſadas. E por eſta razon uſaban los Antiguos, que non dieſſen vino à los Reyes faſta que fueſſen de edad; è aun entonce meſuradamente, è templado. E eſto fazian porque el vino ha gran poder, è es coſa que obra contra toda bondad. Ca èl faze à los omes deſconocer à Dios, è à ſi miſmos, è deſcobrir las poridades, è mudar los juizios, è cambiar los pleitos, è ſacarlos de juſticia, è de derecho. E aun ſin todo eſto, enflaquece el cuerpo del ome, è menguale el ſeſſo, è fazele caer en muchas enfermedades, è morir mas aìna que debia. Onde los Reyes que eſto non cataſſen, darlesye Dios en eſte mundo por pena muchas enfermedades, è peſares, è en el otro fazerlesye como aquellos que toman vida de beſtias, è dexan la de los omes.

24 Quæ omnia ſatis etiam ex Platonis comprobantur doctrina, qui ſub Cuſtodis nomine, ut ſæpè ſolet, de ſupremo Principe loquens, ita habet: *Ab ebrietate itaque omnibus diximus abſtinendum: ſed tamen cum alij, tum maximè Cuſtodi non conceditur, ut ebrietate gravatus, ubi terrarum ſit neſciat. Nempè ridiculum eſſet, Cuſtode indigere cuſtodem. De his vero quid dicemus? Athletæ quidem hi viri ſunt, & maximi quidem certaminis. Ergo dedecet ebrietas hos bellicoſos Athletas, quos velut canes inſomnes eſſe oportet, & acutiſsimè videre, atque audire.* Plato de Republ. Dial.3.

25 Neque id idem latuit Baſilium Imperatorem, dum inter capita quædam exhortatoria, quæ Leoni filio dictavit, de luxu & ebrietate, ſic ſcribit: *Refuge comeſſationes, in quibus indulgetur poculis, ebrietas enim inimica eſt prudentiæ. Vbi enim mens à vino opprimitur, idem contigit Principi, quòd imperitis aurigis, qui cum regere currum neſciant, & ſe ac ſuos equos huc, atque illuc circum agunt, & ſpectatoribus magnos riſus excitant, ac denique in præcipitia feruntur.* Baſil. Imp. in exhort. ad filiũ, c.25. quæ extat in 5.to. Bibliot. SS. PP.

26 Quibus non obſtabit ſi dixeris, multos de Vini laudibus, & utilitatibus multa dixiſſe, quos in unum Petrus Andræas Canonherius, & Proſper Rendela noviſsimè contrahunt. Inter quas Anacreon, illud ad ſopiendas ærumnas valdè conducere inquit, quem & Horatius ſequitur, inquiens: Canonh. de vino, & vini virtut. Rẽdel. de vindem. & vino.

Siccis omnia nam dura Deus propoſuit, neque
Mortales aliter diffugiunt ſolicitudines. Horat. lib. 1. carm. od. 18.

Et alibi, addens, ad excitandum ingenium, & ſcribenda carmina multum prodeſſe, & Idem lib. 1. epiſt. ad *M*ecænat.

Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſe,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Quod etiam de ſe Martialis profitetur, dum dixit:

Poſſum nil ego ſobrius; bibenti
Succurrent mihi quindecim Poetæ. Martial. lib. 11. epigr. 7.

Et ſequi videtur Alciatus in illo Emblemate, quo, ut oſtendat vino prudentiam augeri, Bacchum Palladi iungit, eodemque patre genitos fuiſſe perpendit, & his carminibus utitur: Alciat. Embl. 23.

Hæc Bacchus Pater, & Pallas communiter ambo

Templa tenent, ſoboles utraque vera Iovis.
Hæc caput, ille femur ſolvit: Huic uſus olivi
Debitus, invenit primus at ille merum.
Iunguntur meritò: quòd ſi qui abſtemius odit
Vina, Deæ nullum ſentiet auxilium.

Hadrian. Iun. Emblem. 34.

Cuius hærens veſtigijs Hadrianus Iunius, aliud de eodem Baccho 28
alato formavit, cum lemmate, *Vinum ingenij fomes*; & his verſibus:

Vviferum Bromium, volucrem, ſed præpete penna,
Quid tacitæ poſuiſtis Amyclæ;
Tollit humo ingenium Bacchus, mentem erigit altam;
Pegaſæaque velut vehit ala.

Eccleſ. 31. 15. 16. 17.

D. Paul. ad Tim. 1. 5.

Clem. Alex. lib. 2. Pœdagog. cap. 3.

D. Aug. in lib. de Hæreſ.

Plutar. in ſympoſ. Camer. 3. to pag. 441.

Etenim licèt hæc vera eſſe poſſe concedamus, intelligenda planè 29
ſunt, de mero moderatè temperatèque ſumto, quodque ingeniū exhilaret, non obnubilet, & mentis animique vigorē acuat, potius quàm terat, & obruat. Qui potandi modus etiam ab Eccleſiaſtico permittitur, & laudatur, quatenus inquit: *Vinum in iucunditatem creatum eſt, & non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ, & corporis vinum moderatè potatum. Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus.* Et idem docet D. Paulus, dum Timothæo conſulit, ut moderato vino utatur propter ſtomachum, & lex Partitæ, quam ſuprà retulimus, quæ ſolùm, etiam Regibus, ebrium, & ſuperfluum potum prohibet, non ſobrium, & mēſuratum. In quo etiam comprobando, & defendendo, latè expaciatur Clemens Alexandrinus, & in eius notis Gentianus Hervetus, & Divus etiam Auguſtinus, Manem reprehendens, qui in totum (ut poſteà Muſelmanus, ſive Mahoma) à vino abſtinendum dicebat, & illud, ut fel draconis calumniabatur. Plutarchus quoque, & plures alij à Camerario relati, modicam crapulam laudant.

Laert. lib. 1. cap. 9.

Apulei. 4. Florid.

Et Anacharſis apud Laertium, eidem hærens ſententiæ, rectè dice- 30
bat, vitem ferre tres brotos, primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium moleſtiæ. Quod dictum Apuleius celebre vocat, & ſic explicat: *Prima Cratera ad Sitim pertinet*; *Secunda ad Hilaritatem*; *Tertia ad Voluptatem*; *Quarta ad Inſaniam.*

Cap. quādo 9 diſt: 44. gloſ. in cap. 1. de homic. verb *Tēperatè*, & in dict. l. Part. verb. *Meſuradamente.*

Abb. In cap. crapula, n. 2. de vita, & hon. Cler. Gutier. lib. 2. Canonh. c. 4. n. 53. Acuña d. c. quando, n. 3.

Vnde fortè decreta Canonica profluxerunt, quæ Epiſcopis, alijſ- 31
que Presbyteris, ter tantùm in refectionem, inter prandendum, vel cœnandum, bibere iubent. Quod licèt non præceptivè intelligendū ſit, atque adeò ad mortale peccatum non obliget, iuxta ea, quæ Abbas, & Alij notarunt, ſatis tamen indicat, quanta in Sacerdotibus ſobrietas requiritur: quibus lex Levitici omninò vinum bibere prohibebat. Cuius eam rationem ibidem reddidit Caietan. *Vt in Sacerdote ad ſuum officium exercendum daretur bona diſpoſitio.*

Neque ab his diſſentit Horatius; nam licèt in locis ſuprà rela- 32
tis, & in alijs, multum Baccho deferre videatur, in alio tamen ijs, qui gratijs ſacrificant, tres tantùm cyathos haurire permittit, quamvis Muſarum cultoribus, hoſt eſt Poëtis, novenum concedat ſic dicens:

Qui Muſas amat impares,
Ternas ter Cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet ſupra,
Rixarum metuens, tangere gratia. Horat. li.3. carm. od.19.

33 Et alibi apertè fatetur, immoderatam crapulam ad omnia omnibus noxiam eſſe, & plurimis damnis occaſionem præſtare, ſic inquiens:

Nequis modici tranſiliat munera Liberi, IdemHorat. lib.1. carm. od.18.
Centaurea monet cum Laphitis rixa ſuper mero
Debellata: Monet Sithonijs non lenis Evius;
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Diſcernunt avidi.

34 Quinimo & à Poëtis, cæteriſque ſcientiarum profeſſoribus, prudentiævè amatoribus, parcè ſumēdum, ille idem Alciatus, cuius ſupra Emblema in contrarium adduxi, in ſequentibus explicat, Olivam, Minervæ arborem, uvarum racemis implicitam, pingens, & ita loquens: Alciat. Embl.24.

Quid me vexatis rami? Sum Palladis arbor
Auferte hinc botros, Virgo fugit Bromium.

35 Et rurſus, ſtatuam Bacchi imberbis, nudi, cornuti, fiſtulaque ac tympano concinentis, eius myſteria dialogiſmo elegantiſsimo explicat, qui lectu digniſsimus eſt, inter alia eandem temperationem his carminibus probans: IdemAlciat. Emb. 25.

Hoc doceo, noſtro quòd abuſus munere, ſumit
Cornua, & inſanus mollia ſiſtra quatit.
Hinc ſapit hic, liquidis, qui nos benè diluit undis:
Qui non ardenti torret ab igne iecur.
Stes intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, ſed mox ebrius inde furit.

36 Alter quoque recentior Emblematarius, Alciatum, & Iunium ſequutus, Bacchum alatum, alato etiam Pegaſo iunctum depingit, ut ſic oſtendat, vinum ingenium acuere; ſed hoc cum temperatione, de qua loquimur, intelligendum, hoc carmine oſtendit: Schoonhov. Emb. 19.

Pegaſus & Bacchus tabula iunguntur in una,
Huic latus, huic ſacrum circuit ala caput:
Mens humana calens modico perfuſa liæo,
Surgit, & ignavam deſerit ales humum.

37 Quin ipſe quoque Iunius, idem ipſum ſatis aptè ſub Emblemate Vpupæ, quæ ebrietatem cavens, adianti ramo ſe munit, his verbis cōmonefecit: Iunius Embl.15.

Pampineis criſtatus Epops, vide, ut æger ab uvis,
Munit adianti ſe virente ramulo,

Se Sophiæ monitis mens, ſerva affectibus, armat:
Temetique vires frangit abſtinentia.

Idem Iunius cent. 3.prov.1. Et iterum in Adagijs, ex Polemone tradit, tantùm ab eſſe quòd vina Muſis, & Sapientiæ conducant, quòd potius Athenienſes ſobria, ſive abſtemia omninò ſacra, Memoriæ, Muſis, Nymphiſque (quæ Sacroſancta illis erant nomina) offeréda eſſe putaverint, nullo vini uſu; ſic eius meraciore potu memoriam obnubilari, ingenij aciem obtundi, virginitatis ſecreta tentari, demonſtratione ſymbolica oſtendentes. 38

Coſtal.inPegm.1. Qua ſimiliter utens Petrus Coſtalius, Bacchum inter Iudices ſedentem effigians, nimium errandi periculum, in eo valdè obſeſsis, ſic explicat: 39

Bacche Pater, Iudex, Apiana inſignis in uva
Patritios inter dinumerate ſenes:
Diſce coronatis modicè crateribus uti,
Non eſt in multo mens benè docta mero.

Proper.lib.3.eleg.4. Et Propertius, inſignis quidem ipſe Poëta, & inter Elegiacos Coriphæus, non ſolùm non iuvari Muſam Lyæo, ſed imò illo hebetari, ſatis oſtendit, dum inquit: 40

Me iuvat, & multo mentem vincire Lyæo.

Quod, ut eius Commentator advertit, perinde valet, ac dicere, indulgere genio, & nonnunquam ad ebrietatem, uſque pervenire, quod ubi fit, mens vincitur mero, quo tanquam vinculo impedita, nequit ſatis officium ſuum facere; unde & in proverbium abijt apud Plinium, *Vino Sapientiam obumbrari.* Impedit enim curam vigoremque animi, ad procinctum tendentibus, & alia plura damna, & incommoda generat, quæ ſuprà retulimus, & idem ipſe Propertius alibi indicat, latè in vinum, vinique inventorem invehens, ſic inquiens:

Plin.lib.23. cap.1. Eraſm.in Adagijs, pag.458. Idē lib.2. eleg.33.

Ah pereat quicunque primus meracas reperit uvas;
Corrupitque bonas nectare primus aquas, &c.

Nicol. Ruding. in Epigram. Cui Recentior alter Poëta coccinit, non minùs diſſertè alijs Antiquioribus ſupra relatis, Bacchi effigiem depingens, & eius damna his carminibus detegens: 41

Bacchus cur puer eſt? Pueri facit omnia ritu.
Cur vagus? haud caſti fræna pudoris habet.
Cur nudus? nihil eſt, quod non legus ille revelet.
Cur ferus? iratis addere calcar amat.
Cur liber? ſtolidam neſcit compeſcere linguam.
Corniger eſt? Animos ebria vina parant.
Cur ſecum ſatyros habet? igne libidinis ardet.
Cur tygres? rabida plus feritate nocet.
At cur pantheras? vinum facit eſſe protervos.

Cur

Cur Bacchas? molles ducit amatque choros.
Cur Nymphas? mites ſcit mitior eſſe per artes.
Cur Vates? Phœbo fertilis ille ſuo eſt.

40 Et in eiſdem immoderati Bacchi, ſive ebrietatis vitijs, & nocivis operationibus expendendis, ultra Divum Baſilium, & alios ſuprà relatos, valdè etiam acris, & elegans eſt Divus Auguſtinus; Ebrietatem definiens, Flagitiorum omnium matrem, culparum materiam, radicem criminum, originem vitiorum, turbationem capitis, ſubverſionem ſenſus, tempeſtatem linguæ, procellam corporis, naufragium caſtitatis, amiſsionem temporis, inſaniam voluntatis, ignominioſum languorem, turpitudinem morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamiam, animæ corruptelam. Et in alio loco adhuc ſuperadiiciens, quòd ebrioſus, ſi vinum ſorbet, ab illo abſorbetur: Deo fit abominabilis; ab Angelis deſpicitur: ab hominibus deridetur: ab omnibus confunditur, conculcatur ab omnibus: confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.

D. Aug. in ſerm. ad ſacras Virgin.

Idem Aug. in lib. de pœnit.

41 Vnde paſsim in ſacra Pagina, & ab ipſis adeò divina luce deſtitutis Ethnicis, queis meliori luto finxit præcordia Titan, hocce flagitium probroſum iudicari, & graviſsimè damnari legimus. Et damnandus & reiiciendus pariter eſt Matthias Bernegerus, & alij, quos ipſe recenſet, dum in quæſtionem vocare audent, *An habenda pro broſa ſit ebrietas?* Et illam futilibus, & affectatis quibuſdam rationibus aliquando permittunt. Niſi fortè eos excuſes, quòd Germani ipſi, Germanorum hac in parte antiquam conſuetudinem, ſe immodico vino ingurgitandi, retineant; ita ut dubium ſit amplius bibant, quam evomant, atque profundant? Quod tamen nihil ipſorum prudentiæ, ſtudijs, cordatis conſilijs detrahere, officereve gloriantur. Illud Taciti proferentes: *Deliberant dum fingere nequeunt, conſtituunt dum errare non poſſunt.* Quo ſolo vade, aut præde, eiſdem in Apollinis conſiſtorio, ſuarum, quas vocant, *Sottocoparum*, continuationem permiſſam fuiſſe, venuſtè Trajanus Boccalinus confingit.

Deut. 21. 20. Proverb. 20. 1. & 31. 4. Iſai. 5. 11. Luc. 21. 34. ad Rom. 13. 13. 1. ad Corint. 6. 10. Galat. 5. 21.

Berneg. ad Tacit. de mor. Germ. q. 118.

Tacit. de mor. Germ.

Boccalin. cent. 2. ragu. 29 vide etiã Ovenũ li. 1. Epigr. 18. & Berneg. ubi ſup. q. 15.

42 His alia in deteſtationem, & exprobrationem eorum dicere deſtinaram:

Quos mox à vino iuvat indulgere Tabaco,
Eque tubo genitas, haurire, & reddere nubes.

Sed cum de Regibus, & Principibus agam, opus eſſe non arbitror, ſpurcum hoc vitium illis diſſuadere, quod vel in infimæ plebis hominibus, ipſi, (ſi quid in me eſt iudicij) prohibere deberent, ſive hæc peſtilens herba in pulvere naribus, ſive in fumo gutturi propinetur, ut latiùs alibi, pluribus in eandem ſententiam relatis, diſſerui, adducto præclaro carmine Ioannis Barclai, quo illam periti ſsimè, & penitiſsimè deſcribit, & execratur, & præter alia plura ſic habet:

Planta nocens, ò lethifero planta horrida fumo,

Ego 2. to. de Ind. gub. lib. 1. c. 8. ex n. 23. Vveſton. in Theat. vit. civil. li. 3. c. 29. Euſeb. Noriemb. de hiſtor. natur. lib. 15. c. 65.

Barclai. in Satyr. par. 2. circa fin.

Quam bona diverſis natura dimoverat oris:
Quis te, planta nocens, triſti vectare carina
Inſtituit demens, noſtriſque oſtendere terris? &c.
Quis ſordes facinuſque tuum, diroſque vapores
Explicet; & fœdo ſurgentia nubila fumo?
Planta nocens, ò lethifero planta horrida fumo.

D. Aug. ſup. Pſal. 22. & 35. & 74.

Idem in ſerm. ad ſacr. virgin.

Verùm, ut tandem huic Commentationi finem imponam, ſi quis 43
ſanctam, & bonam ebrietatem requirat, illam apud Divum Auguſtinum deſignatam reperiet, dum illud Davidis illuſtrat: *Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians, quàm præclarus eſt: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sin autem ſobrietatis commendationem, ut ſic ebrietati oppoſita, illius fructus, & huius fluctus magis appareant, eundem quoque Auguſtinum legere poterit, his illam verbis graphicè prædicantem, & extollentem: Sobrietas eſt caſtitas ſenſus, & mentis, & membrorum omnium corporis; tutela caſtitatis, pudicitiæ munimen, pudori proxima, amicitiæ paciſque ſerva, honeſtati ſemper coniuncta, criminum vitiorumque omnium fugatrix, recti iudicij, memoriæ, recordationiſque inſeparabilis amica, ſecretorum cuſtos, arcani velamen, lectionum, & doctrinæ capax, ſtudiorum, & artium bonarum diſcipula pariter, & magiſtra, ingeniorum inſtituendorum pediſequa, bonæ famæ ſemper avida, in cognitionibus ſalubris, atque utilia cauſans, virtutis ſingulare auxilum, cuncta cum ratione diſponens, in congregatione honeſtorum ſe ipſam ſemper ingerens. Sobrietas temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officijs obtemperat, ſuperbiam deteſtatur, domum familiamque cum moderatione gubernat, fidem ſibi committentibus ſervat, omnes cauſat virtutes, & omnes laudum tituli ſemper eam concupiſcunt, quia ſine ipſa ornari, aut placere non poſſunt.

(∴)



Ira animi lutum vomit.

EMBLEMA XXXIIX.



Cum mare quaſſatum ventis criſpatur in æſtus
Proiicit ad ripas mobilis unda lutum.
Comprime, Rex, fluctus animi, quos excitat ira;
Si furis incautus; quod latet ecce lutum.

COMMENTARIVS.

1 TEMVLENTIÆ vitio, de quo egimus, æquale, vel maius illud quoque eſt, quod nunc execrandum ſuſcipimus; & procul pariter à Regijs animis eſſe debere, inſinuare deſideramus. Iræ nimirum, ſive iracundiæ, quæ, ut & ebrietas: *Furor brevis*, ab Horatio, & alijs paſsim cognominatur, & corpus, animum, ac mentem, potentius ſæpè quàm illa, turbare, vincereque, & vincire ſolet, & ut cum Catunculo loquar, impedire: *Ne poſsis cernere verum.*

Horat. lib. 1. epiſt. 2. Seneca Philem. Caſsiod. & alij ap. Tiraquel. de pœn. tēp. cauſ. 1. per tot.

Cato in Diſtich. lib. 1.

2 Vnde quemadmodum Plato diſcipulos ſuos admonere ſolebat, ut ſe ebrios in ſpeculo contemplarentur. Sic enim fore, ut dum faciem ſuam furibundam, & frænetico ſimilem; intuerentur, in poſterum ab ebrietatis vitio abhorrerent: ita & Plutarchus ſcribit, ad iram damnandam, & in poſterum cohibendam, non parum prodeſſe, ut quis, dū eſt iratus, ſe in ſpeculo inſpiciat. Etenim videre tunc ſe ipſum contra naturam affectum, & conturbatum vultu, non poteſt non efficere, ut deinceps temperatior ac ſedatior eſſe procuret.

Plato apud Fulgoſ. lib. 7. cap. 2.

Plutarc. in Dialog. de cohib. ira.

Ovid.lib.3.de Arte amand.

Quod monitum prius ab Ovidio traditum fuit, Palladis ſimul exẽplo utente, quæ tibias abiecit, quando ſe in fonte, inflatis buccis, vultuque deformi, earum occaſione conſpexit: 3

Pertinet ad faciem rapidos compeſcere mores,
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſævius angue micant.
I procul hinc dixit, non eſt mihi tibia tanti,
Vt vidit vultus Pallas in amne ſuos:
Vos quoque ſi media ſpeculum ſpectetis in ira,
Cognoſcet faciem vix ſatis ulla ſuam.

Perſ. ſatyr.3. in fin.

Hanc quoque animi affectionem, ſeu commotionem, ſatis eleganter deſcribit, & reprehendit Perſius, ſic inquiens: 4

Nunc face ſuppoſita fervescit ſanguis, & ira
Scintillant oculi: dicis faciſque quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

D.Chryſoſt. hom. 25. in Ioan.

Et melius adhuc Divus Chryſoſtomus, tradens, iram, vehementem ignem eſſe, omnia conſumentem: *Quippè quæ corpus corrumpit, animam coinquinat, triſtitiam affert, turpis viſu, quòd ſi iratus ſe ipſum intueri poſſet, nulla altera indigeret admonitione. Nihil enim irato turpius. Ebrietas quædã ira, vel potius ebrietate gravior, & dæmone miſerabilior.*

Incertus Poeta in Theat. litt. A. pag. 169.

Et quòd ebrietatis ſpeciem præbeat, nec ſobriùs, qui eam patitur dici mereatur, ſatis etiam appoſitè deſcripſit ille, qui dixit: 5

Ebrietas à me procul eſt, hoc dicis in horas.
Nec nimio eſt unquam mens mea mota mero.
Quid tum; ſi pectus tenet inſaturata cupido?
Iræ ſi ratio dat tua victa locum?
Si levibus cauſis alios inceſſis, erisne
Sobrius, exigui ſis licèt ipſe meri?
Sobrius eſſe poteſt ratio quem deſerit omnis?
Nec madida ebrietas, nec mihi ſicca placet.

Plutarc. in Moral. D.Greg. in homil.

Et conſonat illud, quod poſt Plutarchum D.Gregorius admonuit, iratum hominem mari fluctibus agitato ſimilem faciens, quòd lutum, algam, ſpumam, & aliàs ſordes in littus emittit, prout & iratus animi lutum vomit, & hac æſtuantis ſpiritus commotione (ut & in ebrijs cõtingit) non facienda facit, non aperienda detegit, amaraque, & contumelioſa verba in alios effundit, quæ primum ipſum à quo dicuntur inquinant, & famæ labem aſpergunt. 6

Boet. de Conſol. lib.1. met.7.

Ex qua ſimilitudine hoc, quod vides, Emblema deduximus, cui eleganter etiã ſuffragatur Boëtius, hunc, & alios ſimiles depravati animi affectus, eidẽ, ventis turbato, & cœnoſo mari, his verbis equiparãs,

Si mare volvens turbidus Auſter,
Vitrea dudum, parque ſerenis

Vnda diebus, mox reſoluto
Sordida cœno, viſibus obſtat.
Tu quoque ſi vis lumine claro
Cernere verum, tramite recto.
Carpere callem, gaudia pelle,
Pelle timorem, ſpemque fugato,
Nec dolor adſit, nubila mens eſt,
Vinctaque frænis, hæc ubi regnant.

7 Quem Plautus, & Iuvenalis, non diſsimili ratione fermentum appellarunt, & Adagio *In fermento iacere*, originem fecerunt, ſic haud dubiè inſinuantes, quod quemadmodum fermentum totam maſſam corrumpit, ita & ira omnes virtutes accidas reddit, iratoſque furioſis, tam in geſtu, ac vultu, quàm in dictis & factis ſimiles efficit. Vnde elegantiſsimè Seneca: *Vt furentium* (inquit) *certa indicia ſunt audax, & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra, & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt, flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor exæſtuante ab intimis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac ſubrigent capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, &c.*

Plaut. in Mercat. Act.5. Scen.3. Iuven. ſatyr.3. verſ. 188. Eraſm. in Adag. pag.426.

Senec lib.1. de Ira, cuius meminit Cauſin. de eloq. ſacra, lib.4. cap.49. pag. 168.

8 Eandemque corporis, & animi commotionem, ac concuſsionem præ ira, quæ fervente Canicula in hominibus accendi ſolet, deſcribẽs Manilius, ſic ait:

Manil. lib.5. Aſtr.

Irarumque dabit fluctus, odiumque metumque
Totius vulgi. Præcurrunt verba loquentis,
Os eſt ante animum, nec magnis concita cauſis
Corda micant, & lingua rapit, latratque loquendo.
Morſibus in crebris, dentes in voce relinquit
Ardeſcit vitium vitio, vireſque miniſtrat
Bacchus, & in flammas ſævas exſuſcitat iras.

9 Silius etiam Italicus Hannibalem pingens, in Flaminium Conſulem, ob Sychæi mortem acriter minitantem, eoſdem iræ affectus, & effectus ita exprimit:

Silius lib.5. bell. Punici, ad fin.

Sic memorans torquet fumantem ex ore vaporem,
Iraque anhelatum proturbat pectore murmur:
Vt multo accenſis fervore exuberat ignis
Clauſus, ubi exuſto liquor indignatur aheno.

10 Nec minùs ſcitè Claudianus, eiuſdem iræ in humano corpore ſedem, atque operationem exponens:

Claud. in 4. Conſ. Honor.

Quippè Opifex veritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ ſedeſque removit.

Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,
Præcipitemque ſui. Rabie ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur tepefacta metu; cumque omnia ſecum
Duceret, & requiem membris veſana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.

Rectiſsimè quidem, & veriſsimè omnes, quoniam ira inexpugnabilis invictaque eſt, mentem alienans, ſpecieſque morbi humani, quo infra hominis ſpeciem homo deiicitur, & ex homine brutum quodãmodo redditur. Quoniam qui ea vexantur, vel à nemine laceſsiti, vehementiſsimè iraſcuntur, altè vociferantur, in obvios irruunt, & ſeipſos, aut alios cædunt, & ut cerebri, vel cordis vitio laborant, vel una, aut altera bili occupantur, effervet ſanguis, viſus corrumpitur, ut unũ videntes, duo propter ſpiritus motum iudicent vidiſſe, agitantur, inflammantur, & ſuccenduntur, & tanquàm dementes quandoque redduntur. 11

Ariſtot. ap. Stob. ſerm. 20. de ira.

Vnde Ariſtoteles apud Stobæum iracundiam ita diffinivit, ut ſit *Perturbatio ferina, dura & violenta potentia, cædium cauſa, calamitatis ſocia, iacturæ dedecoriſque concitatrix, pecuniarum pernicies, & perditionis origo.* Et ut Alciatus in ſuo Emblemate addit, ad noſtri veluti lutum alludens: 12

Alciat. Embl. 63.

Lutea cum ſurgit bilis, crudeſcit, & atro
Felle dolor; furias excitat indomitas.

Sup. Embl 8.

Claud. ubi ſup.

Quod ſanè, quamvis alia deficerent, Reges, ut valdè ab hoc vitio caverent, excitare deberet, qui ſibi præcæteris hominibus Serenitatis, Tranquillitatis, Manſuetudinis, Magnanimitatis, & ſimiles alios Titulos arrogant, quos alio in loco recenſui, quibus dignus eſſe non poteſt, niſi qui, ut cum Claudiano loquar:

Rex ſui eſſe poterit, hic ſque ſe dare tumultus.

Horat. lib. 1. epiſ 2

Et Horatianũ illud impleverit, & ob oculos ſemper habuerit:

Ira furor brevis eſt, animum Rege, qui niſi paret,
Imperat, hunc frænis, hunc tu compeſce catenis.

Cicer. in epiſt. ad Quinct. Fratr.

Salluſt. in Catilin ubi de Cæſaris oratione.

Certè Cicero, hac de cauſa, iracundiam in Principe, acerbitatemq; naturæ, cum deformem, tum etiam periculoſam eſſe ait, multa enim iniuſtè peragit, & præcipit. Et Salluſtius, & ſi in privatis, qui demiſsi in obſcuro vitam agunt, minùs noxiam eſſe iracundiã concedat, quoniam ſi quid eius cauſa delinquant, pauci ſciunt, fama atque fortuna eorũ pares ſunt. Secus tamen ſe rem habere inquit in ijs: *Qui magno Imperio præditi, in excelſo ætatem agunt: eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia eſt: neque ſtudere, neque odiſſe, ſed minimè iraſci debet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in Imperio ſuperbia, atque crudelitas appellatur, &c.* 12

Se-

14 Seneca quoque, non Regiæ potentiæ, ſed potius impotentiæ tribuit: *Sine fine concupiſcere, ſine modo iraſci*, quod perinde eſt, ac ſi diceret, Regiæ dignitati contradicere, eum qui alijs dominatur, ſibi dominari non poſſe, nec ſui animi inflatos ira fluctus compeſcere, cum Ovidio teſtante:

Senec. contr. 42.
Ovid. lib. 3. de Triſt. eleg 5.

Quò quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.

15 Et Ioſephus Iudæus, eandem ob cauſam, Reges admonet, ut iram magno animo comprimant, cui vulgares homines in magnis iuxta, ac parvis ſuccumbere ſolent.

Ioſeph. de bell. Iudaico.

16 Vnde & Caſsiodorus huius moderationis virtutem inter Regale collocat, inquiens: *Hæc eſt Regalis proculdubio virtus, celerius neceſſaria ſentire, & tardius in verba prorumpere. Neſcit enim pœnitẽda loqui, qui proferenda prius ſuo tradidit examini.* Et alibi: *Furentes iuſta non ſentiunt, quia dum commoti animo in vindictam ſæviunt, rerum temperantiam non requirunt.*

Caſsiod. lib. 10. epiſt. 4. ad fin.
Idẽ lib. 4. epiſt. 10.

17 Et relictis alijs, quæ hanc in rẽ ex Seneca, Plutarcho, & alijs uberrimè peti poſſunt, omitti non debet Franciſcus Patricius, qui quanta ſit iracundiæ culpa, Regibus, vel ex eo penſandum relinquit: *Quòd per illam ſapientia perditur, ut quid, quovè ordine ſit agendum, omnino neſciatur, quia nimirum intelligentiæ lucem ira ſubtrahit, cum mentem promovendo confundit. Per iram iuſtitia relinquitur, quia dum perturbata mẽs iudicium ſine ratione exaſperat, omne quod furor ſuggerit rectum putat. Per iram gratia vitæ ſocialis amittitur, quia qui ſe ex humana ratione nõ temperat, neceſſe eſt, ut beſtialiter vivat. Per iram manſuetudo amittitur; per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deus radium ſuæ cogitationis abſcondit. Per iram Spiritus Sancti ſplendor excutitur, qui ſuper humilem, & quietum requieſcere dicitur, &c.*

Senec. in li. de ira, Pluc. in Dial. de cohib. ira, Saavedra Emp. 8. ex pag. 50
Patric. de Reg. lib. 4.

18 Quæ omnia haud quaquam latuerunt Alfonſum Decimum, Regẽ noſtrum, ſeptem Partiti iuris compilatorem, cum tribus in legibus in enarranda iræ natura, diffinitione, ac damnis, latè perſiſtat, & in ſuis ſucceſſoribus iniungendo, ut ab ijs, quantum fieri poſsit, abſtineant præcæteris alijs hominibus: *Porque ſon pueſtos en lugar de Dios para cũplir la juſticia. E eſto non podrian hazer acabadamente, ſi de la ira non ſe guardaſſen. E porque debe el Rei ſofrirſe en la ſaña faſta que le ſea paſſada; è quando lo fiziere, ſeguirſele ha grã pro, ca podra eſcoger la verdad, è fazer cõ derecho lo que fiziere. E porque la ira del Rei es mas fuerte, è mas dañoſa q̃ la de los otros omes, porque la puede mas aina complir; è porende debe ſer mas apercebido, quando la oviere, en ſaberla ſofrir.*

L. 9. 10. & 11. tit. 5. par. 2.

19 Quarum quidem legum doctrina, ultra ſuprà relata, Iobum, Salomonẽ, & plura alia Sacræ Scripturæ teſtimonia pro ſe habet, quibus admonemur, ne nos ab ira poſsideri, ſuperarivè ſinamus, Regeſque præſertim, quorum indignatio *Nuntius mortis* vocatur, ideòque à ſapienti viro placari debere, conſulitur. Vbi Sancti Patres, & alij Expoſitores plura diffundunt.

Iob. 36. 18. Prover. 18. 14. & 16. 14. Eccleſ. 7. 10. Matt. 5. 22. Epheſ. 26. 31 Coloſſ. 3. 8. 1. Timoth. 2. 8. Iacob. 1. 19.

Cicer.lib.1. epiſ.1 ad Quinct. Frat. quem valdè cõmẽdat Pet. Vict.lib.2. var.lect.cap.22.

Sed nunquam eſt oblivioni mandanda celebris illa Ciceronis ad Quinctum Fratrem epiſtola, quam Franciſcus Hotomanus ſuis notis illuſtravit, & ita laudat, ut dicat, in ea, omnibus Provinciarum gubernatoribus præclaram quandam Imperij rectè adminiſtrandi normam ac regulam præſcripſiſſe videri. Etenim cum Quinctum fratrem, natura ad iracundiam pronũ eſſe cognoſceret, ſicque animo incitari, ut ab omnibus eius deſideraretur humanitas, ipſum, & in ipſo omnes Principes, ac Magiſtratus, his verbis alloquitur: *Nihil eſt tã deforme, quàm ad ſummum Imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere; quare, cum in eam rationem vitæ nos non tam cupiditas quædam gloriæ, quàm res ipſa, ac fortuna deduxit, ut ſempiternus ſermo hominum de nobis futurus ſit: caveamus quantum efficere, & conſequi poſſimus, ne quod in nobis inſigne vitium fuiſſe dicatur. Neque Ego hoc nunc contendo, quod fortaſſe cum in omni natura, tum iam in noſtra ætate difficilè eſt, mutare animum, &, ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubitò evellere. Sed te illud admoneo, ut ſi hoc plenè vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracũdia, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares, quottidieque meditare, reſiſtendum eſſe iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi eſſe diligentiſſimè linguam continendam: quæ quidem mihi virtus, non interdum minor videtur, quàm omninò non iraſci: nam illud nõ ſolùm eſt gravitatis, ſed nonnunquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo, & orationi, cum ſis iratus, aut etiam tacere, & tenere in ſua poteſtate motum animi, & dolorem, & ſi non eſt perfectæ ſapientiæ, tamen nõ eſt mediocris ingenij, &c.* 20

Ælian.lib.12.de var.hiſtor.

Valer.lib.9 cap.3.

Quæ etiam monita ſuadere volens Ariſtoteles Alexandro Magno, illumque ira excandeſcentem placare, elegantem ad eum epiſtolam ſcripſit, quæ apud Ælianum extat, docens inter alia, excandeſcentiã & iram, non in meliores, ſed in pares exiſtere ſolere, illi verò neminẽ eſſe parem. In quo tamen parum profecit, cum Magnus hic alioquin Imperator, hoc vitio plures alias virtutes, ac victorias deturpaverit, ut Valerius Maximus notat, cum ira percitus Lyſimachum leoni obiecerit, Clytum haſta tranfoderit, & Calliſtenem mori iuſſerit. 21

Fulgoſ. lib.9. c.3. de ira & odio. Theatr. verb. *Ira*, Camer. 1. centur. cap.55.

Cap.cũ apud Theſſalonicam, l.ſi vindicari, C.de pœn. D.Aug.lib.5.de Civit. Dei, c.26. Sozomen. hiſt. Eccl. lib.7.cap.14.

Cui exemplo, plura alia ſimilia aliorum Principum ira flagrantium, eiuſque cauſa multa iniuſta, & pernicioſa facientium, ultra ipſum Valerium, Baptiſta Fulgoſus, Beyerlinchius, & alij ſubiũgunt. Inter quæ, omiſſa Theodoſij irati in Theſſalonicẽſes ſtrage, de qua latius alio loco dicemus, notandũ eſt illud Clotharij, Gallorũ Regis, qui Gualtherum Iuetoti dominum, ſibique anteà in cubiculo miniſtrantem, falſis reſperſum criminibus, ira percitus, inauditum, ſeque ad eius pedes in templo, ea die qua Eccleſia Chriſti Redemptoris mortem celebrat, cum litteris Virgilij Pontificis provolventem, præter modum furore correptus, eum manu ſua crudeliter occidit. Quamobrẽ acerbè à Põtifice reprehenſus, cum prætereà etiã eum conſcientia (id quod perſæpe in ira contingit) torqueret, ut pro tanto crimine, quantum fieri poterat, ſatisfaceret, ſicuti nimia ira atq; ſuperbia palàm deliquerat, ita etiam palàm, atque humiliter corrigere errorem voluit, Gualtherumque, & eius hæredes, ac poſteros, item Iuetoti urbem, atq; agrũ, 22

ab

ab omni Gallici Regni Imperio, ac ſervitute liberavit, quo in iure & privilegio etiam hodie ſub Regni appellatione perdurat, ut præter Fulgoſum, latiùs Robertus Guaguinus, Paulus Æmilius, & alij Francicarum rerum Scriptores enarrant.

Fulgoſ.d c.3.pag. 322.Gaguin.Æmilius, & alij in vita Clotarij I.

23 Quæ cum ita ſe habeant, & ira, ex hac, de qua egimus, animi turbatione, & commotione procedat, meritò Rex noſter Alfonſus conſuluit, *Que procure el Rei ſofrirſe en ſu ſaña.* Nam ſecundùm Senecæ, aliorumque doctrinã, maximum eius remedium eſt dilatio, ut primus eius fervor relangueſcat, & caligo quæ premit mentẽ, aut reſidat, aut minùs denſa ſit. Quædã enim ex ijs, quæ nos præcipites ferunt, hora, non tantùm dies, emolliet, quædã ex toto evaneſcet. Quod, ſtatim Seneca Platonis exemplo probat, à ſervi flagellatione, quia ſe iratum ſenſerat, abſtinentis.

L.10. tit.5. par.2.

Senec. lib.3.de ira cap.12.

24 Sed congruentius eſt illud Athenodori Philoſophi, à quo profectionem parãte, cum Auguſtus Cæſar petijſſet, ut aliquod ſibi monumentum tanto viro dignum, relinqueret; ille ſubiecit: *Cum fueris iratus, nihil dixeris fecerisvè, prius, quàm Græcarum litterarum XXIV. nomina apud te recenſueris.* Sic, ut Plutarchus refert, edocẽs, ubi laxatæ affectibus iræ habenæ fuerint, mox veluti ſucciſis poplitibus, impetum illum compeſcendum, antequam quid dicatur, vel ſtatuatur, & hac vel tantilla mora, ebulliẽtis animi æſtus ſubſidere ſolere, prout non minùs benè monuit Statius Papinius, dum dixit:

Plutar in Apopht. Fulgoſ. lib.7. c.2. Iunius in Embl.25 pag.149.in Appẽd.

Papin.8.Thebaid.

------- Ne fræna animo permitte calenti.
Da ſpacium tenuemque moram: malè cuncta miniſtrat
Impetus.

25 In hac autẽ temperatione Regibus ſuadenda, multa quoq; prudentia, & tẽperatione opus eſt, quia ſæpè videmus eos eſſe Regũ animos, ut quanquã iniqui, tamen flecti nolint, iuxta illud Tragici in Medæa:

Senec.in Med.

Difficilè quàm ſit animum ab ira flectere
Iam concitatum, quamque Regale hoc putet,
Sceptris ſuperbas quiſquis admovit manus,
Quà cœpit ire, Regia didici mea.

26 Vnde qui cum illis verſantur, Pythagoricũ illud obſervare debẽt, *Gladio ignem ne fodito*; quo præcepto annuit, potentem ira percitum, non eſſe ſeverius reprehendendum, ut Laertius, & alij apud Eraſmum teſtantur, propterea quòd flamma, quò magis exagitatur, hoc magis, atque magis invaleſcit. Vnde prudentis erit, tempus, & conditionem illius, quem monere velit, attendere, & opportunè, blandè, & reverẽter ferocientem lenire, & ad meliorem, ac ſaniorem mentẽ reducere Semper quippè tam in hoc, quàm in alijs illud Ovidij obſervare debemus,

Eraſ.in Adag. pag. 439. Boiſſard. Emblem.27. quẽ vide

Ovid. de Remed. amor. lib. 1.

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quin etiam accendas vitia irriteſque vetando
Temporibus ſi non aggrediare ſuis.

In Avaros Principes.

EMBLEMA XXXIX.



Quid recubas Cæſar, nummorum nixus acervis?
Aureus ad requiem lectus, acerbus erit.
Et licèt indormias congeſtis undique ſaccis,
Fundere ſi neſcis, ſemper egenus eris.

COMMENTARIVS.

Ariſt.4.Ethic c.1. Cicer. in Tuſcul. q.4. D.Aug. lib.3. de lib.arbit. D.Th. & Theol. omnes poſt eum in 1.p.q. 63.art.2. & 2.2.q. 118.art.1.

SATIS ſuperque, niſi fallor, ex ſuprà dictis apparet, 1
quantum oporteat hæc, de quibus egimus, vitia à Regum, & Principum animis exulare; ſed adhuc tamen parum profeciſſe videbimur, niſi ab alio etiam ſummo ſtudio cavere debere commoneamus, quod per anthonomaſiam *Vitium vitioſiſſimũ* appellatur, Avaritia nimirum, quæ ſecundùm Ariſtotelem, Ciceronem, & Alios, rectè ſentientes, animæ aviditas definitur, ob quam omnifariam cogendarum opum creſcit appetitus, & inſatiabilis, atque inhoneſta cupido.

Valer.Max. lib.9. cap. 4. de avar. in princip.

Hæc enim, ut præclarè inquit Valerius Maximus, latentium eſt in- 2
dagatrix lucrorum, manifeſtæ prædæ avidiſsima vorago, nec habendi fructu fœlix, & cupiditate quærendi miſerrima. Et ſecundùm Salluſtium: *Bellua fera, immanis, & intoleranda, quæ quò tendit, agros fana, atque domos vaſtat, divina cum humanis permiſcet: neque exercitus, neque mœnia obſtant, quominus vi ſua penetret: fama, pudicitia, liberis, pa-*

Salluſt.in Catillin. Crinit.ex eo lib 1. c 17. & Chryſoſt. hom.11.ſup.epiſt. D.Paul.ad Rom.

tria,

tria, atque parentibus cunctos mortales ſpoliat, quaſi materia omnium
malorum exiſtit, fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes ſubvertit,
proque his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habe-
re edocuit: pecuniæque ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit; ea
quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effæminat: ſem-
per infinita, & inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur.

3 Circa quem locum, meritò à Phavorino apud Agellium in quæ- Agel. lib. 3. cap. 1.
ſtionem vocatur, cur Salluſtius corpus hominis avaritia effæminari
dixerit? cum multos videre ſit pecuniæ cupidos, & eoſdem tamen eſ-
ſe corpore vegeto ac valenti? Et tandem concludit, aut nullam huius
dicti rationem reddi poſſe, aut ſolam illam, quòd avaritia ſumma, om-
nes hominis partes, affectioneſque occupet, & ſic ad incuriam uſque
corporis graſſetur, ut per illam unam, neque virtutis, neque virium,
neque corporis, neque animi cura adſit, tum denique is verè dici po-
teſt effæminato eſſe, & animo, & corpore, qui neque ſe ſe, neque aliud
curet, niſi pecuniam.

4 Quò & tendit D. Auguſtinus, ſic inquiens: *Inſaciabilis eſt ſola avari-* D. Aug. de verb.
tia divitum, ſemper rapit atque nunquam ſatiatur, nec Deum timet, nec Domini.
hominem reveretur, nec patri parcit, nec hominem cognoſcit, nec fratri
obtemperat, nec amico fidem ſervat. Viduam opprimit, pupillum invâdit,
liberos in ſervitutem revocat, teſtimonium falſum profert, res mortui occu-
pantur, & qui faciunt non moriuntur? quæ eſt illa animarum inſania, a-
mare vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum, &c.

5 Vnde dimanat, in omnium ore veluti in confeſſo eſſe, avaritiam Idem Agel. lib. 11.
omnia vitia in ſe habere, ut docuit Cato in carmine de moribus ab cap. 2.
eodem Agellio relatus. Apollodorus, inquiens, caput omnium malo-
rum eſſe, Bion, vitiorum Metropolim, D. Paulus, omnium malorum D. Paul. 1. ad Tim.
radicem, & idolorum ſervitutem, Syracides, qui avaro nihil ſceleſtius 1.
eſſe, ſcriptum reliquit, D. Auguſtinus, qui inferno omnia devoranti Eccleſ. 10.9.
ſimilem eſſe inquit, quoniam avarus vellet nullum hominem eſſe, ut
omnia ſolus poſsideret, & elegantiſsimè Caſsiodorus, ſic inquiens: D. Auguſt. in ſerm.
Reginam illam procacium vitiorum avaritiam fuge, cui cuncta crimina tom. 10.
deteſtabili devotione famulantur, quæ dum pectus hominis ingreſſa fuerit,
gregatim quoque malefidas cohortes admittit. Ferri non poteſt recepta, Caſsiod. lib. 12.
quia neſcit eſſe ſolitaria. Agmen habet blandiſsimum, arma ſuſcipit ex ta- epiſt. 1.
lentis, & per dulcedinem ſuperat, quos amara deceptione captivat.

6 Quibus etiam connivens Seneca inquit: *Neminem pecunia divitem* Senec. epiſt. 119. ad finem.
fecit, imò contra, nulli non maiorem ſui cupiditatem incuſsit. Quæris quæ
ſit huius rei cauſa? plus cupit habere poſſe, qui plus habet.

7 Et Iſidorus Peluſiota, non ſolùm ſimilem temulentiæ avaritiam fa- Iſid. Peluſ. lib. 3. epiſt. 412.
cit, verùm & deteſtabiliorem: nam etſi utrumque vitium à turpi, &
abſurda cupiditate procedat, ſiquidem & qui vini avidus eſt, quò plu-
res calices hauſerit, eò plures appetit: & qui pecuniarum amore te-
netur, quò plura collegerit, eò magis fornacem cupiditatis accendit:
in illo tamen naturalis ratio reperitur, vinum quippè cum fervidum,
& ardens ſit, ac naturalem ſiccitatem augeat, ebrijs ſitim accerſit: in
avaro autem, qua de cauſa plura ſemper appetat, nulla ratio reperiri

poteſt, cum potius, quo ampliores opes conſecutus eſt, tum demum maximè in paupertate verſetur, & inexplicabilem hunc morbum, atque ænigmati ſimilem faciat; quod cum curatur ingraveſcit, ac per excogitatum remedium atrocius redditur.

Apul. Apol. 1. — Horat. in Arte Poëticâ.

Ad quod etiam alludens Apuleius: *Pauperem me* (inquit) *vis, prius avarum eſſe doceas neceſſe eſt.* Quoniam huic, ut vetus verbum docet, *Tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.* Et iuxta illud Horatij: 8

Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti.

Idem lib. 1. ſatyr. 1

Et alibi:

----------- Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Ovid. lib. 1. Faſtor.

Quare Ovidius avaros hydropicis comparat, inquiens: 9

Creverunt & opes, & opum furioſa libido,
Et cum poſsideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Petron. in ſatyr.

Et Petronius elegantiſsimè Tantalo, his verbis:

Non bibit inter aquas, poma, aut pendentia carpit
Tantalus infœlix, quem ſua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens,
Qui timet, & ſicco concoquit ore famem.

Crinit. lib. 1. c. 17. — Infr. Embl. 83. — Sueton. in Calig. cap. 42. — Fulgoſ lib. 9. c. 4. fol. 324. — Gunther. in Ligur. lib. 3.

Quod in cauſa eſt, ut multa & varia a veteribus, & recentioribus 10
Auctoribus contra Avaritiam ſcripta ſint, tantum ſcelus (ut & Petrus Crinitus notat) magnis quidem convitijs, & inſectationibus execrantibus. Nos autem, ut eiuſdem aviditatem, ac fœditatem, ultrà alios, manifeſtemus, ex Caligulæ Cæſaris, quod in hoc Emblemate cernis exemplo, noſtrum Principem admonitum cupimus. Ille enim, ſui ſæculi monſtrum, ſive portentum, poſt alia vitia, quæ vix credi, referrivè poſſunt, ad avaritiam, & rapinas converſus, multis ac nefarijs modis, noviſque & inauditis vectigalibus, ærarium ſuum implere curavit, de quibus in eius vita Suetonius ſcribit, & Nos alibi mentionem faciemus: coactaque ex ijs ingenti pecunia, ut idem Suetonius habet, eius contrectandæ cupidine incenſus, ſæpè ſuper immenſos aureorum acerbos, patentiſsimo difuſos loco, nudis pedibus ſpaciabatur, & aliquandiu toto, ac nudo corpore, grunientium porcorum inſtar, volutabatur. Quem etiam caſum refert Baptiſta Fulgoſus, & meritò ingentem hanc, & inexplebilem avaritiam deteſtatur, quæ in tanto Imperio, tantum Principem excæcatum, in eam vilitatem abiectionemque deduxerit. Et eundem credo notare voluiſſe Guntherũ, dum in ſuo Ligurino, ſic canit:

Quanto Romanus ſtudio cupidiſsimus æra
Congerit, & magno vigilans incumbit acerbo, &c.

Certè enim cum ſit in privatis etiam hominibus hoc vitium præter 11

ex-

cætera omnia (ut diximus) vitioſiſsimum, facile conſiderari poteſt, quàm ſit in Principibus nefandum, atque mulctandum, quidvè de eorum dignitate & Imperio ſperari poſsit, qui ad aurum, & divitias cõgerendas animum ſemper intendunt. Cum ipſorum præcipua virtus, & laus eſſe debeat, de liberalitate, uti proprio Regum munere, gloriari, ſcireque, ut cum Caſsiodoro loquar, illud bonis Principibus creſcere, quod benigna poſſunt largitate præſtare.

Caſsiodor. lib. 3. epiſt. 29.

Crinit. ubi ſup. ex Volcatio Gallicam in Avid. Caſs.

12 Pro qua doctrina Petrus Crinitus celebrem illam Avidij Caſsij epiſtolam laudat, genero ſuo ſcribentis: *Miſeram, atque infœlicem eam eſſe Rempublicam, quæ nimis divites divitiarumque cupidos Principes patitur.* Quod fortè ſumſit ex Marco Tullio, qui prius docuit: *Nullum eſt tetrius vitium, quàm avaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus: habere enim quæſtui Rempublicam, non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium.*

Tull. 2. offic. & in orat. pro Milone, Bobad. in Polit. li. 2 cap. 12. ex nũ. 1. Greg. Lopez poſt abb. & Bald. in l. 4 tit. 3 par. 2 verb. *habitar*, & quod divitiæ potius noceant, quàm profitit avari, Mendoza in 1 tom. Reg. ex pag. 150.

13 In quam ſententiam tendit illa alia Franciſci Patritij, inquientis: *Avaritia magis ijs qui gubernant parit odium, quàm cætera; & virtutes omnes enervat, & obſcuriores reddit, & ſæpè imperia evertit.* Guichardini: *Avaritia in Principe, modis omnibus fœdior eſt, & detestabilior, quã in privato.*

Patr. de Rep. lib. 4.

Guich. in Hipponẽ Polit.

14 Et quia plures Reges hoc vitio ducuntur, & miſerè miſeri concredita ſibi Regna convaſſant, atque peſſundant, in quæſtionem vocavit Thomas Morus, an melius ea per Senatum, quam per Reges gubernarentur? aitque:

Thom. Morus in carm. pag. mihi

Rex Cupidus longo populum corroſerit ævo;
Si Conſul malus eſt, ſpes melioris adeſt.
Nec me nota movet, quæ paſtam fabula muſcam
Ferre iubet; ſubeat ne malè pranſa locum.
Fallitur, expleri Regem, qui credit avarum,
Nunquam hæc non vacuam mittet hirudo cutem.

15 Et Iuvenalis, idem vitium in Præſidibus ad regendas provincias miſsis, agnoſcens, ut ab eo abſtineant, per integram ſatyram adhortatur, inter alia ſic inquiens:

Iuven. ſatyr. 8.

Expectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna modumque,
Pone & avaritiæ: miſerere inopum ſociorum, &c.

16 Sed nullibi hoc melius cautum expreſſumque reperies, quam in noſtri Alfonſi Regis X. ſanctione, ſic cum Regibus, de Regibuſque loquente: *Riquezas grandes ademas, non debe el Rei cobdiciar, para tenerlas guardadas, è non obrar bien con ellas. Ca naturalmente el que para eſto las cobdicia, non puede ſer que non faga grandes yerros para averlas: lo que non conviene al Rei en ninguna manera. E aun los Santos, è los Sabios ſe acordaron en eſto, que la cobdicia es mui mala coſa. Aſsi que dixeron por ella, que es madre, è raiz de todos los males. E aun dixeron mas, que el hombre que cobdicia grandes teſoros allegar, para non obrar bien cõ ellos, maguer los aya, non es ende ſeñor, mas ſiervo, pues que la cobdicia faze que*

L. 4 tit. 3. par. 2.

non

ſon pueda uſar de ellos de manera que le ſtè bien. E a tal como à eſte llamã Avariento, que es gran pecado mortal quanto à Dios, è gran mal eſtanzà al mundo. Ca ſi todo ome yerra que eſto faze, quanto mas Rei, à quien Dios darà pena porque obrò mal, i eſcaſamente de los bienes que è le dio.

Deuter. c. 17. 17.

Vnde in Deuteronomio legitur, Regem non debere auri, & argẽti immenſa pondera habere, & omnibus ſæculis notati ſunt, & vecordes habiti Reges, & Imperatores, qui hoc vitio maximè laborarunt, quorum copioſum Catalogum Camerarius, Beyerlinchius, & alij fecerunt. Planè Cræſſus, Craſſuſque, vel eo ſolo perijſſe dicuntur, & Perſarum Reges Athenæus, ex Care Mitylenæo, recenſet, & ſuccenſet, quòd non niſi inter conclavia multo auro, argento, alijſque pretioſis gemmis onuſta dormirent, ut in noſtro Caligula vidimus, eaque cervical Regium appellabant. 17

Camerar 1. tom. c. 40. Theat. verb. *Avaritia*, & verb. *Tyranni avaritate*, Aſchaff. de ærario, pag. 507. & ſeqq & 751.
Athenæ. lib. 12. in princip.

Sueton. in Veſpaſ. cap. 16.

Veſpaſianus quoque, licèt alijs virtutibus clarus, ob nimiam avaritiæ labem, ut Suetonius narrat, infeſtus fuit, rapaciſsimos quippè homines de induſtria ſolitus erat ad ampliſsimas functiones promovere, ut locupletiores, mox condemnaret, ita ut ijs vulgò pro ſpongijs uti diceretur, quos quaſi & ſiccos madefaceret, & humentes exprimeret. Reprehendentique filio Tito, quòd etiam urinæ vectigal commentus eſſet, pecuniam ex prima penſione admovit ad nares, ſciſcitãs num odore offenderetur? & illo negante, ex lotio illam corrogatam eſſe dixit. 18

Eadem inſatiabilis cupiditas in Nerone, Galba, in Commodo, Caracalla, Didio Iuliano, Phoca, Anaſthaſio, & alijs Imperatoribus paſſim ab Auctoribus recenſetur, & de Iuliano II. Hiſtoria Miſcella apud Baronium enarrat, initio Imperij ſui bonum fuiſſe, poſt ita avarum, pauperum contemtorem, Senatorum, & aliorum ſpoliatorem, ut arcas iuberet ferreas fieri, in quibus quæcumque rapiebat auri talenta, congregaret. 19

Baron. ann. 582. n. 2. pag. mihi 850.

Sed præ alijs ſpeciali nota dignum videtur Domitiani exemplũ, quoniam huic, quod de Caligula commentamur, ſimile eſt, hic enim (in hoc ut & in alijs peſsimus Imperator) Dionyſio Halicarnaſeò teſtante, ita vanam voluptatem in divitijs ponebat, ut in aureis ſuis pro voluptate ambulare ſolitus eſſet, & iuxta Suetonium, nihil penſi haberet, quin omnimodo bona vivorum, & mortuorum uſquequaque deprædaretur. 20

Halicar. in ei9 vita.
Sueton. in Domit. cap. 12.

Quod in eo magis mirandum fuit, cum ſecundùm eoſdem Actores, in rebus alijs valdè prodigus, ac profuſſus fuiſſe legatur. Quamvis nõ ignorem, hoc eſſe proprium Principum avarorum, opes cupere, & cumulare, ut eaſdem in res non neceſſarias, aut inhoneſtas profundant. Avaritia enim nemini benefacit, ſed cum defraudatione ſui, & aliorũ, quacumque ratione, ſeu honeſta, ſeu inhoneſta, cupit opes congerere, quas ſimili modo ſtatim exhauriat, & abliguriat, illud verum reddens, quod de Romanis lachrymatur Ovidius: 21

Ovid. 1. Faſtor.

Quærere ut abſumant, abſumta requirere certant,
Atque ipſæ vitijs ſunt alimenta vices.

Et

22 Et Petronij,qui de eiſdem ſic habet:

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Quà mare,quà terræ,quà ſydus currit utrumque;
Nec ſatiatus erat,gravidis freta pulſa Carinis
Iam peragrabantur.Si quis ſinus abditus ultra
Si qua foret tellus,quæ fulvum mitteret aurum
Hoſtis erat,fatiſque in triſtia bella paratis,
Quærebantur opes,non vulgò nota placebant
Gaudia,non uſu plebeio trita voluptas.
Aſſyria concham laudabat miles in unda,
Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro.
Hinc Numidæ cruſtas,illinc nova vellera Seres,
Atque Arabum populus ſua deſpoliaverat arva,&c.

23 Quod nemo alius magis oſtendit,quàm idem hic Caligula, de quo agimus:nã,teſte Suetonio, vicies ſepties centena millia H.S. hoc eſt DC.LXXV. tonas auri,uno anno profudit, quadragenis in punctum ſeſtertijs aleã luſit,id eſt.denis aureorũ millibus in ſingula puncta,non in ſingulos aleæ caſus,ut ex eodem Suetonio Rhodiginus advertit,& laſcivia Venerèque perditus, nunquã niſi in odoribus lavabatur, citreoque ligno naves ædificabat,ornatis auro gemmiſque earum puppibus,in eis quoque odoratas arbores,atque herbas plantabat, & viridaria porticibus, atque triclinijs auratis circumſepta conſtruebat, quibus navibus circũ campaniæ littora, inter ſonos, cantuſque,atque ſcorta,navigabat.In convivijs aureo pane, aureiſque piſcibus, in verorum ſimilitudinẽ expreſsis,menſas inſtruebat.Pulmenta,quibus excitari ſtomachus ſolet, detritis maceratiſque margaritis,conficiebat, tanquam alia nulla Romani conſumendi Imperij ratio offerretur.

Sueton. in Calig. Pontan.de magnific.cap.3. Cœl. Rhodig. lib. 20.c.24. ex Suet.

24 Vt & Cleopatram feciſſe legimus, cuius prodigalitas tanta fuit,ut unionẽ bis mille aureis æſtimatum,ſemel poculo iniecerit, & uno impete exhauſerit. Alioqui adeò avara; ut narrante Ioſepho, ob alieni appetentiam,nihil ſibi illicitum putaret, fratremque & ſororẽ ob hãc cauſam veneno ſuſtulerit, & Marcum Antoniũ ſuo amore irretierit, eumque continuò ſollicitaverit, ut alijs ablata, ipſi largiretur. Pecuniarum etiam,ubicumque ſpes affulgeret,neque templum,neq; ſepulchrum, neque aſyllum ullum unquam violare dubitavit,modò ad illã redirent ſpolio quæſita,vel ſacrilegio:miſcebatque ſacra profanis,fas nefas,ut augeretur lucris,vel iniquiſsimis.Ad ſummum nihil ſatis erat mulieri ſumtuoſæ,&voluptatibus deditæ, cuius cupiditates vix totius
25 orbis opibus poſſent expleri. Parẽ in Heliogabalo avaritiam,vel ſtultitiã Lãpridius,&Sabellicus memorãt,cũ nihil nõ ad congerẽdas divitias tẽtaret,eo ſolo animo,ut ipſas ſtatim profunderet, adeò ut naves illis onuſtas, ſæpè iocans, ob hanc tantùm cauſam in mare demerſerit.Teſtatus,fore,ut ſi ſibi filius naſceretur, tutorem illi daret,qui cogeret eum eadem facere,ſeque ſui hæredem eſſe velle.

Plin.lib.9.cap.35. ubi de hoc unione Ioſeph.lib.15.antiq.cap.4. Lampr.in Heliog. Sabell.lib.6.En.7.

Sed hæc & ſimilia hominum monſtra, ita graviter duplici iniquitate peccantium, non tam ad imitationem, quam ad cautionem bonis Principibus ob oculos ponimus. Quorum præcipua virtus in moderatione, & parſimonia, tam acquirendarum, quam erogandarum pecuniarum conſiſtit, quarum ſtudium, aut tollendum, aut, quoad res feret, minuendum, rectiſsimè monet Salluſtius, inquiens: *Aliter, neque privatam rem, neque publicam, neque domi, neque militiæ regi poſſe.* 26

Salluſt. in orat. ad C.Cęſ. de rep. ord.

Cominæus lib. 2.

Morus in Vtop. lib. 1.

Vnde Venetis Capitale eſſe, ſi quis referat de congerendo theſauro Cominæus ſcriptum reliquit, & Thomas Morus in ſua Vtopia refert, electum Regem iurare compelli, nunquam ſe uno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantum eius auri pretium æquet. Quod inſtitutum Philippus Camerarius probare videtur, & cum eo locus Deuteronomij ſuprà relatus concordat, ubi Regem non debere habere immenſa auri, & argenti pōdera apertè deciditur, quod tamē rectè D. Thomas exponit, quando Rex hoc vellet habere ad oſtentationem, ſive faſtum Regalem, ſecus autē ſi ad Regni ſubventionem, cui ex multis cauſis theſaurus eſt neceſſarius, ut ibi ex alio loco Salluſtij deducit. 27

Camer. 2. to. ſucceſ. cap. 73. ex pagin. 288.

D. Thom. lib. 2. de regim. Princ. cap. 7. in fin. Greg. Lopez in l. 4. tit. 3. par. 2.

Cui doctrinæ Ego quoque, alia adducens, poſt alios alibi aſſentior, dummodò eiuſmodi theſauri, cum gravi damno & iniurijs vaſſallorum non congregentur, vel ubi congregati fuerint, paſsim, & ſine cauſa in res voluptuoſas, & Regno minus utiles (ut multoties fieri ſolet) neutiquam profundantur. 28

Idem D. Thom. & Theolog. in 1. 2. q. 105. artic. 1. ad 2. D. Antonin. Navar. Bobád. & plures alij apud Me 2. to. lib. 1. cap. 15. n. 52. Saaved. in Polit. ex pag. 521.

Nam licèt verè dicere potuerit Caſsiodorus: *Indigentiam iuſtè à Principibus fugiendum eſſe, quæ ſuadet exceſſus, dum perniciosa res eſt in Imperante tenuitas*; æquè etiam certum eſt, veras divitias & theſauros Regum, in ſubditorum levamine, & hilaritate conſiſtere, ut alio loco dicemus, & verè divitem (ut in hoc diximus) qui ut Bion ſapiens conſuluit, non patitur ſe à divitijs poſsideri, ſed ipſe earum ſubſtantiam poſsidet. 29

Caſsiod. lib. 1. ep. 19.

Infr. Embl. 82.

Non enim illas habere decet, ut ijs perpetuò, ut alter Caligulà, incubes, ſed ut ijs ſcias pro neceſsitatibus uti, & Divi Cypriani (cum quo me ab hac expediam commentatione) monitū ſerves, ita eleganter inquientis: *Locupletem te dicis, & divitem, & utendum putas ijs, quæ poſsidere te Deus voluit. Vtere, ſed ad res ſalutares, utere, ſed ad bonas artes; utere, ſed ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Dominus oſtendit. Divitem te ſentiant pauperes, locupletem ſentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera, Chriſtum ciba; Vt ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora. Nam delinquis & hoc ipſo in Deum, ſi ad hoc tibi ab illo divitias datas credis, ut illis non ſalubriter perfruaris.* 30

D. Cypr. de diſcip. Virg. pag. mihi 229

(***)

In Principes qui Sacra convaſant.

EMBLEMA XLI.



Quando ſuperbi ſpolio triumphi
Regina redit læta ſacrilego
Vrraca. Sacro preſſa ſub onere,
Veſtibulo ipſo mortua cecidit.
Parcant Reges opibus ſacris,
Ne ſuccumbant oneri gravius.

COMMENTARIVS.

1 TVRPIS atque execrabilis Principum Avaritia, quam ita acriter ſuperiori Emblemate profligavimus, turpior haud dubiè, & execrabilior erit, ſi ob immanem cogendarum opum aviditatem, nec Templis parcant, nec à ſacratis eiſdem rebus, ac vaſis abſtineant.

2 In quibus contra ædificandis, dotandis, largiendis, augendis, ac conſervandis, Pij omnes & bene morati Reges præcipuum ſuum ſtudium, & curam collocare deberent. Scientes, vel ſcire debentes, hoc Deo gratiſsimum eſſe, ſibique in lucrum fœnuſque cumulatiſsimum, & Regnorum fulcrum firmiſsimum cedere, quod in his liberaliter erogaverint, ut pluribus teſtimonijs & exemplis paſsim Sancti Patres oſtendunt, & Regius ille Pſaltes agnovit, qui, ut in libris Re-

Bibliot. vet. Pat. lib. 3. pag. 1. D. Th. de Regim. Princ. lib. 2. c. 16. Durād. Bellarm. Germon. Caſlan. & alij, ap. Me 2. tom. lib. 2. cap. 23. n. 3. & 4. Beyerlin. in Theat. lit. R. pag. 50. & ſeqq. & lit. L. verſ. *Liberalitas in tēpla.*

Lib. 3. Reg. c. 9.

Regum habetur, nefas exiſtimavit, ſe in domo cedrina habitare, Arcã autem Dei in Tabernaculis linteis manere. Quare & Templum Domino conſtruere decrevit, & cum hoc filius eius Salomon perfeciſſet, illud à Domino ſanctificatum fuiſſe, inibique in ſempiternum corde, atque oculis ad futurum, audire meruit, Throniquè Regij ſuper Iſrael in ſe ac ſuis poſteris durationem, donec in eiuſdem Domini cultu, & cæremonijs pari pietate perſeveraret.

Valer. Max. lib. 1. tit. 1 de Relig. per totum.

Minut. Fœlix in Octav.

Neque hoc ipſum, vel ipſos Ethnicos latuit, cum de ſuis Romanis 3
Valerius Maximus memoret, Imperij ſui ſtabilitatem ac fœlicitatem ex eodem fonte fluxiſſe, & expreſsius Minutius Fœlix in ſuo Octavio, ſic inquiens: *Sic eorum poteſtas & auctoritas totum orbis ambitum occupavit: ſic Imperium ſuum ultra Solis vias, & Oceani limites propagavit. Dum exercent in armis virtutem religioſam, dum urbem muniunt ſacrorum Religionibus.*

Iuſtin. Novell. 42. de Epiſc. & Cler.

Idem Novell. 7. c. 2. § ſancimus, & in Auth. de non alienand. reb. Eccl. § ſi minus.

Eaque propter Iuſtinianus Imperator, in quadam Novellæ ſcrip- 4
tum reliquit: *Nos omni providentia curam Eccleſiarum gerimus, per quas & Imperium noſtrum ſuſtineri, & publicas res per clementiã Dei ac gratiam, muniri exiſtimamus.* Et in alia, in rebus ſanctiſsimis Eccleſias donandis, optimam menſuram eſſe inquit: *Donatarum rerum immenſitatem, nihilque cauſari Imperatorem debere, ne meliora det, cui dedit Deus plurima habere, & multorum Dominum eſſe.*

L. 1. tit. 5. lib. 1. fori legum, quæ eſt hodie l. 5. tit. 2. lib. 1. Recop.

Quæ verba neſcio an viderit, certè tamen imitatus videtur Rex 5
noſter Alfonſus, huius nominis VII. dum legem quandam condens, qua Regibus, & omnibus Chriſtianis præciſam rerum Eccleſijs donatarum conſervationem iniunxit, hanc huius moniti, ſive præcepti rationem adnectit: *Si nos ſomos tenudos de dar galardon de los bienes deſte mundo, à los que nos ſirven: mayormente debemos dar à Nueſtro Señor, i Salvador Ieſu Chriſto de los bienes tẽporales, por ſalud de nueſtras animas. De quien avemos la vida en eſte mundo, i todos los otros bienes, que en èl tenemos; i eſperamos aver galardon, i vida perdurable en el otro. I no ſolamente lo debemos dar, mas aun guardar lo que es dado. Porende mandamos, que todas coſas que ſon, ò fuerẽ dadas à las Igleſias por los Reyes, ò por otros Fieles Chriſtianos, de coſas que deben ſer dadas derechamente, ſean ſiempre guardadas, è firmadas en poder de la Igleſia.*

L. 2. & 3. d. tit. 5. Fori, quæ eſt l. 6. d. tit. 1. lib. 1. Rec.

Et in idem tendit lex alia eiuſdem Regis, quæ, quomodo ab Epiſ- 6
copis alijſque Prælatis Eccleſiaſticis hæc conſervatio fieri debeat præſcribens, ſic exorditur: *Porque ſomos tenudos de honrar la Santa Madre Igleſia ſobre todas las coſas del mundo, porque en ella avemos grande eſperança, que quanto la guardaremos, i la mantuvieremos en ſus franquezas, i libertades, que avremos por ello galardon de Dios nueſtro Señor à los cuerpos, i à las animas en vida, i en muerte. Porende queremos moſtrar como ſe guarden en todo tiempo las coſas de las Igleſias, &c.*

Lib. 7. Capitul. Reg. Franc. c. 104.

Neque aliud voluiſſeque videntur Chriſtianiſsimi Franciæ Re- 7
ges, cum inter pia alia ipſorum capitularia, hoc, ad rem de qua agimus, valdè conducens, ita conceptum legamus: *Novimus multa Regna, & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliaverunt, ab-*

ſtule-

ſtulerunt, alienarunt, vel diripuerunt, Epiſcopiſque, & Sacerdotibus, atque, quod magis eſt, Eccleſijs eorum abſtulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt: nec victores extiterunt; ſed terga, multi vulnerati, & plures interfecti, verterunt. Regnaque & regiones, & quòd peius eſt, Regna cœleſtia perdiderunt, atque proprijs hæreditatibus caruerunt, & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere, nec conſentire, nec Infantibus, aut ſucceſſoribus noſtris exemplum dare volumus, ſed quantùm valemus & poſſumus, adiuncto Leonis Papæ, & omnium Epiſcoporum, quorum conſilio uſi hoc egimus, ſpiritu, noſtro ſpiritui, per Deum, & omnium Sanctorum merita prohibemus, conteſtamurque, ne talia faciant, vel facere volentibus conſentiant; ſed Adiutores, & Defenſores, atque ſublimatores Eccleſiarum, & cunctorum ſervorum Dei, pro viribus exiſtant, ne in foveam, in quam prædicti Reges, & Regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod abſit, inferni demergantur, &c.

8 Hactenus dictum Capitulare, cuius Auctor Carolus Magnus fuiſſe perhibetur, qui, quod ſuis ſucceſſoribus commendavit, ita opere præſtitit, ut plures Eccleſias conſtruxiſſe dotaſſeque legatur, & omnium tuitioni Fideique Catholicæ, exaltationi, ac propagationi ita incubuiſſe, ut vel ob hæc potiſsimum, MAGNI dum vixit cognomentum, & poſt obitum, in Sanctorum numerum referri, promeritus fuerit, ut præter alios Iuſtus Lipſius, & noviſsimus noſter D. Ioan. de Tapia & Robles animadverterunt.

Lipſ. in monit. polit. lib. 1. c. 2. poſt Marin. Sicul. de rebus Hiſp. lib. 11. Robles en el Tratado de los Grandes, Elog. 10. fol. 35. & in notis fol. 86.

9 Quibus memorandum illud eiuſdem Pij Cæſaris Apophtegma addere licet, quod Eguinarthus, & alij recenſent, dum Leonidæ Quæſtori momenti, quòd nimium in res ſacras, & artes liberales expenderet, prudenter reſpondit: *Si fœlix diu eſſe cupis, ne ſis in Deum, res divinas, & artes liberales parcus, atque ſordidus, quæ profectò ſi non creſcunt, alia omnia decreſcunt.*

Eguin. in vita Caroli Magni, Paul. Æmil. Ioan. Serran. & alij Bocer. de util. Academ. cap. 35.

10 Hæcque eadem Pietas in glorioſis Hiſpaniæ noſtræ Regibus ita fervidè ſemper exarſit, ut vel exteris Auctoribus teſtantibus, laudantibus, & mirantibus, nulli ab orbe condito uſpiam regnaverint, qui tū in Hiſpania, tum in Indijs, & alijs ſui latè patêris Imperij ditionibus, tot Cathedrales Cœnobialeſque Eccleſias erexerint, cōſtruxerint, & ampliſsimis reditibus, pretioſiſque donarijs dotaverint, & locupletaverint. Ita ut Neothericus quidam Scriptor iuſtè ſcitèque in piā hāc, & liberalem erogationem, illa Claudiani carmina, paucis mutatis, detorqueat: ---------- *Si ſolveret ignis*

Quas dedit immanes ſacra in ſtipendia gazas,
Argenti potuere lacus, & flumina fundi.

Ioan. Boter. Thomas Bozz. Borell. Miræus, & alij apud Me d. 2. tom. lib. 3. c. 4. ex n. 6. vide Saavedram in Ideis Polit. ex pag. 170.

11 Solaque extitiſſe narratur Vrraca Regina, quæ ab hac pietate, (licèt ſub obtentu ingruentiū bellorū) deficiſcens, anno M.C.XXVI. Sancti Iſidori in Legionenſi urbe ditiſsimum fanum ſpoliare decrevit, cæteris contingere ſacros theſauros reformidantibus. Quæ tamen, multa, quæ propria manu abſtulerat, ſecum portans, dum Templo egreditur, mortua ruptis viſceribus concidit, & manifeſta Nu-

Claudian. lib. 3. de laud. Stilic. Gervat. in lib. de introit. Infant. Card. pag. 112.

Marian lib 10. c. 8. in fin. Garibai li. 12. cap. 2. Sandov. in vita Alf. VII. c. 15. Caſtillo lib. 4. diſc. 5. pag. 230. Fulgoſ. lib. 1. c. 8. de ſpreta Religio. fol. 14. Theat. lit. I. pag. 92. & 110. Saaved. ubi proxim. pag. 171.

Zurita li. 1. Annal. c. 49.

minis læsi vindicta, illicò animam exhalavit. Quam lamentabilem hiſtoriam pleniùs Ioannes Mariana, Garibaius, Sandovalius, Iulianus del Caſtillo, Baptiſta Fulgoſus, Theatrum vitæ humanæ, noviſsimus noſter Saavedra; & alij paſsim rerum Hiſpanicarum Scriptores enarrant, licèt Hieronymus Zurita, miſerandam ipſam Reginam, non inibi, ſed Saldaniæ, ex partu turpis conceptus, in æternum Hiſpaniæ dedecus, obijſſe commemoret.

Tacit. 3. Annal.

Capitol. in Gord.

Eraſ. in Adag. pag. 341. Alciat. 6. parerg. c. 3. Rhodig. lib. 14. c. 2. l. 4. D. de ijs qui not. inf. Alex. 3. Gen. c. 9. Corraſ. 4. Miſc. c. 24. Roa lib. 6. c. 9.

Egoque ex ea hoc, quod vides, Emblema, conſtruxi, parum veritas aliquorum cenſuram, qui fortè obiicient, magis decuiſſe Hiſpanum Scriptorem, impium hoc factum vel negare, vel ſilentio contegere, quàm æneis laminis, & ſemper loquentibus typis manifeſtare. Nam rem adeò notam, à tot retro Scriptoribus litteris tráditam, & à Recentioribus repetitam, haud quaquam verendum fuit hiſce noſtris Commentarijs notiorem fieri poſſe. Et ut fieret, ſemper Ego cum Tacito, *Præcipuum munus annalium reor, ne virtutes, aut vitia ſileantur, utque pravis dictis factiſque ex poſteritate, & infamia metus ſit.* Et cum Iulio Capitolino, ea in hiſtoria poni debere, quæ aut fugienda ſint, aut ſequenda. Et qui Regibus noſtris in hoc Pietatis ſtudium ſpontè currentibus, frigidam, ut eſt in proverbio, ſuffundere paro, nullum potentius exemplum, quàm domeſticum proponere potui, ut ſciant: 12

Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine iuſto,
Et Capito, & Tutor ruerint, damnante Senatu,
Pyratæ Cilicum.

Iuven. ſatyr. 6.

Vt in ſimili Iuvenalis ſcripſit. Et Ælianus dum docuit, nonnulla memoriæ prodenda, non ut ad imitationem eorum inducamur, ſed ut fugere, & declinare poſsimus.

Fulgoſ. & Theatr. ubi ſup. idē Theat. lit. A. pag. 304. Aimoinus de geſtis Franc. lib. 3. c. 70. pag. 131. Saavedra ubi ſup. pag. 171.

Petr. Coſtal. in Pegm. pag. 39. poſt Ioſeph. lib. 14. c. 13. & Sabell. lib. 7 ene. 6.

Poſſemque huic divinæ punitionis exemplo, plurima alia ſimilia varijs ſæculis viſa, ſubnectere, niſi iam hoc alij lato calamo præſtitiſſent, & pro multis ſufficere poſſent, quæ in ſacra Pagina de Manaſſe, Amone, Nabuchodonoſoro, Seleuco, Heliodoro, Antiocho Epiphanis, & alijs, ob Templi Hieroſolymitani tentatam expilationem, cõmemorantur. Cui etiam ſunt, qui acceptas ingentes a Marco Craſſo in ſe, & in filijs, apud Parthos clades, referendas exiſtiment, quoniam prius, cùm Syriam eſſet ingreſſus, Ieroſolymam florentem opibus venit, ubi ea quæ Orientis Reges à multis ſæculis in Templo Domini conſecraverant, quibuſque Pompeius Magnus, tantarum nationum victor, pepercerat, diripuit. 13

Sed quid mirum, ſi Deus pro ſacrato ſibi Templo, expilatiſq; eius theſauris, has vindictas exercuerit, cum etiam pro vindicandis Gentilium fanis, ſimiles ultiones exercuiſſe legamus, quoniam etſi à Dei veri cultu aberrabant, tamen quia divinam venerationem ſapiebant, Deus verus hæc miracula operabatur; ut in Auro illo contigit, quod Toloſanum dictum fuit, & apud omnes poſſeſſores infauſtum, quia à Tectoſagis ex Delphico Templo ablatum, & in Toloſam translatum; unde & Adagio originem fecit; quo *Toloſanum aurum* 14

ſume-

ſumere conſuevimus, pro re qualibet poſsidentibus infœlici, ut latiùs ex Agellio, Strabone, & alijs Eraſmus enarrat. Agell. lib. 3. cap 9. Strab. lib. 4. Sabell. lib 8. en 5. Bõfin. lib. 4. dec. 1. Eraſm. in Adag. pag.

15 Quibus addo, non ſolùm Dijs ſacratas in Templis divitias, verùm & publicas, aut privatas, in eiſdem præſidij, vel maioris tuitionis cauſa depoſitas, attrectare, grave piaculum olim reputari ſolere. Vnde audax, & temerarium factum Iulij Cæſaris, qui primus illas ſuis militibus rapere conceſsit, ab Appiano notatur, & luculentius à Lucano, ſic, non tam canente, quàm deplorante: Appian. lib. 2. bell. civil. Lucan. lib. 3. Pharſal.

--------Tunc conditus imò
Eruitur Templo, multis intactus ab annis
Romani cenſus Populi, quem Punica bella,
Quem dedere Perſes, quem victi præda Philippi.
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum, &c.
Egeritur, triſti ſpoliantur templa rapina:
Pauperiorque fuit, tunc primum Cæſare Roma.

16 Sed ut ad propriora, & proximiora Chriſtianorum exempla deveniam, habe precor, & cave illud Leonis IV. Imperatoris Conſtantinopolitani, qui Sigiberto, & alijs teſtantibus, quum ſummo flagraret gemmarum amore, nec ex profano conquiſitis expleri poſſet, ex Sophiæ Sacrario abſtulit coronam gemmis onuſtam, a Mauricio, ſive Heraclio olim Deo Opt. Max. dedicatam: cavillo uſus, Chriſtum, cuius templum illud eſſet, pauperiem non gemmas probaſſe. Cumque illam ſacrilego, & nefario capiti impoſuiſſet, ſic ſe auguſtiorem fieri ratus, pœna brevi ſequuta fuit; caput quippè ſacrilegio pollutũ, carbunculo intumuit, quo nomine erat & gemma, quæ in Corona pretioſior æſtimabatur, paucisque diebus, ardentiſsima febre ſubſequuta, vi morbi conſumtus, iuſtas ſui ſceleris pœnas luit, & nefarius impium ſpiritum exhalavit. Sigibert. Cedr. & alij apud Cuſp. in huius Leonis vita, Paul Diac. lib. 23. Blondus Decad. 2. lib. 1.

17 Similis audacia Iſaacij Angeli Græcorum etiam Imperatoris, in profanandis ſacris vaſis, & è Templo avulſis, menſis ſuis adhibendis, non diſsimiles pœnas tulit, ut latiùs Nicetas enarrat. Nicet. lib 3.

18 Et de Frederico II. Germanorũ Imperatore plurimi referunt; Petrum de Vineis, Secretarium ſuum, leviſsima de cauſa oculis privari iuſsiſſe, cumque poſteà Pontificem Paulum III. bello laceſſere in animum induxiſſet, pœnitentia motum, Petrique prudentia egentem, illum in ſecretiorem Conſiliarium ſibi adſciviſſe. Ille ultionem ſceleris in ſe admiſsi meditatus, cum de medijs ad bellum iſtud ſuſtinendum rogaretur: Mihi, inquit, conſultiſsimum videtur, Eccleſiam proprio ære expugnare. Placuit Imperatori ſententia, & ſpoliatis ſuis vaſis, & proventibus Eccleſijs, exercitum comparavit. Quo facto, adijt Imperatorem nefarius Conſiliarius: *Et nunc* (inquit) *iniuriam, abs te mihi iniuſtè illatam, ultus ſum. Tu tibi hominum, odia comparaſti: Ego te coram Deo reum effeci meo conſilio, cuius templa tam impiè es deprædatus, omnia tibi deinceps indeterius cadent*; quod & ipſe eventus comprobavit. Poggi⁹ in Iacetijs. Beyerlin. in Apop. chriſt. pag. 571. & in Theat. liter. I. pag. 109. & lit. V. pag. 145.

Barland. in hiſtor. Comit. Flãd. pag.

De Carolo quoque Brabantiæ Duce, Barlandus ſcribit, fœliciſsimis auſpicijs pluribus in bellis victorẽ fuiſſe,interim dum abEccleſiæ rebus manus abſtinuit, poſtea tamen, omni favore Numinis deſtitutum, nunquam fœliciter cum hoſte pugnaſſe, quòd eodem tempore Clerum graviſsimis exactionibus oneraverit. 19

Petr. Lop. de Ayala in hiſt. Pet. ann. 19 fol. 112.

Et in hiſtoria Regis D. Petri Caſtellæ, à Petro Lupecio de Ayala litteris tradita,refertur,quòd cum infœlix hic Rex,Maurum ſibi amicum, & in Aſtrologia valde peritum, de infauſta & violenta morte, quam iã alij eidem præſagiebant, fortè cõſuleret,ille abſque ullo dubio futuram fore reſpondit,ea ratione reddita: *Porque tomas los algos de las Igleſias, y caſas de oracion, y que te non vence conciencia.* 20

Roder. lib. 7. c. 3. fortalitium Fidei, fol 325.

Quod etiam,non minùs ſevera, licèt aliquantulum ſera,divini Numinis vindicta,in ſe expertus fuit Alfonſus VII. Aragonum Rex, noſtræ Vrracæ, de qua loquimur,æquè infœlix maritus. Nam ut Rodericus Archiepiſcopus Toletanus,& alij recenſent,cum Caſtellæ Regnum,ut dotale Reginæ a ſe repudiatæ, retinere vellet,civili bello occaſionẽ dedit.Inopiaque ſtipendiorũ,ad Sanctuaria manum immiſsit, & theſauros auri & argenti,pretioſiorumque lapidum, quos Regum, & Reginarum devotio dedicaverat,manu ſacrilega uſurpavit, & etiã poſſeſsiones, oblatas a Regibus, confiſcavit. Et in præſens quidem victor evaſit, ſed poſteà à Sarracenis victus,diſparuit, alijs cæſum, & plebeio more tumulatum, alijs, præ ignominiæ dolore, in cœnobio incluſum,aſſerentibus. 21

Villaroël in lib. Iudic. pag. 241. n. 11.

Oroſc. lib. 7. c. 39.

Ex quo ſatis cognoſcere poſſumus, ex Sacrorum Templorum expilatione,Regnorum caſus,Populorumque ruinas contingere. E cõtrario autem,ubi à militibus ſecura eſt ſacra ſupellex,omnia proſperè evenire,annumque, cœlo propitio,fertiliorem exiſtere, ut benè,poſt alios,Chilẽſis Epiſcopus D.Fr.Gaſpar a Villaroël ſcriptum reliquit, Alarici Gothorum Regis ex Paulo Oroſio exemplum ſubtexens,qui, barbarus licèt & efferus,in Romæ devaſtatione, a D. Petri Apoſtoli Sacrarijs diripiendis abſtinuit, & ob hoc ſummam ſibi laudem paravit,hymniſque Deo Romanis ac barbaris concinẽtibus, quod irruptio civitatis erat,feſtum civitatis fuit,recedenteque exercitu locuplete,Romani inopes non manſerunt. 22

Marian de rebus Hiſp. lib. 13 cap. 7 Saaved. ubi ſuprà pag. 171.

De Ferdinando etiã Rege inter noſtros huius nominis Tertio,qui Sancti nomen promeruit,Mariana recenſet,quòd cum ad continuandam Hiſpalenſis urbis obſidionem pecunia deficeret, multique ei,ut in Templorum gazas manum iniiceret,ſuaderent,piè, & cordatè reſpondit: *Mas me prometo yo de las oraciones, y ſacrificios de los Sacerdotes, q̃ de ſus riquezas.* Quam pietatem, & in Deo fiduciam, ſtatim cœlitus remuneratam vidit, ſequenti die eadem urbe potitus, & glorioſum triumphum,devictis hoſtibus,conſequutus. 23

Zurita lib. 1 annal. Arag. c. 25. fol. mihi 27.

Et de Sanctio Aragonum Rege pluribus enarrat Zurita, omninò legendus,qualiter ob uſurpatos Eccleſiæ reditus,pœnitentiam publicam egerit, ſatisfactione præmiſſa,licèt ad illos uſurpandos,urgentibus iuſtorum bellorum neceſsitatibus coactus fuerit. 24

Cæterùm manum de tabula levare iam expedit,nã hic commenta- 25

rius

rius nullum unquam narrationum finem invenier; ſi omnia in eũ, quæ hac in parte pro Pijs, & contra impios dicenda ſe offerunt, congerere vellem, & dicta ſatis ſuperque ſufficere poſſunt, ut noſtri (heu) tẽporis calamitoſum periculoſumq; ſtatum dolere pariter, ac vereri poſsimus, in quo furentibus, etiam inter Chriſtianos, bellis, hæretici, qui eiſdem mixti commilitant, nihil non impium, & execrabile in Eccleſias, & ſacratas Deo veſtes, vaſa, gazaſque committunt, ne ipſis quidem Pyxidibus, quibus magnum & venerandũ Sacroſanctæ Euchariſtiæ Pignus reconditur, temperantes, ita ut meritò in eos Heroicus quidam Poëta dicere potuerit: Ioann. Bochius in Theat. Crud. hæret. noſtri temp.

Regius everſas Vates à gentibus Aras
Flevit Idumæas: ſed quis penetralia Divum
Sacrilega vaſtata manu, Templique ruinas
Congeriemque ſacram, noſtri non defleat ævi?
Quis Sanctos adytis ipſos efferre nepotes
Chriſtiadum, Chriſti non indignetur honores.

26 Sed hæc quidẽ impietas, licèt aliquãdo impunita remanere videatur, poſtmodum ſæva, nec valdè ſera divini Numinis vindicta rependitur, & de ea dicere poſſumus, quod Ælianus Delphicum Oraculum contra Sybaritas ob aliam ſimilem prædixiſſe, his verbis enarrat: Ælian. lib. 3. c. 43.

Non immortales hoc Dij patientur inultum:
Si quis enim prudens ſcelerata mente profectum
Committat facinus, gravis hunc propè pœna ſequetur,
Non exorabit, neque ſi genus ab Iove ſummo
Duceret: ipſe ſuo collo, colliſque nepotum
Hoc luet, & generi cumulatim damna ferentur.

27 Quæ tamẽ omnia de ijs Principibus intelligi volumus, qui per avaritiam, & nulla, aut non ſatis gravi neceſsitate premente, propria manu & authoritate, hos Eccleſiæ Theſauros convaſant, & in profanos uſus ſacrilega præſumtione convertunt. Etenim ſi ita urgens caſus emergat, ut non aliter, quàm hoc rerum Eccleſiaſticarũ ſubſidio, Reges & ſibi, & ſuis Regnis, ac vaſſallis ſuccurre poſsint; utique hoc eis ab Eccleſiaſticis denegandũ non eſt, ut exemplo Aſæ, Ioas, & Ezechiæ Sacra Pagina admonet, ubi Lyranus, & Abulenſis, alijq; Expoſitores, quatuor ad hoc cõditiones expoſcunt. Prima, ut prius Rex ſui ærarij, atq; etiã patrimonij vires excutiat. Secũda, ut nõ abſq; Prælatorũ Eccleſiaſticorũ adſenſu in Sacra manũ iniciat. Tertia, ut vaſa aurea, vel argentea, quæ ſacro Altaris Myſterio, aut etiã miniſterio, proximè deſervierũt, prius cõflentur, quàm Regijs Quæſtoribus attrectari ſinantur. Quarta, ut Rex, qui ſe eiuſmodi bonis iuvare prætendit, tantumdẽ in genere ſuo, ſe, quò citius potuerit, redditurũ, ſub idonea cautione, ſeu fideiuſsione promittat. Ad quas quidẽ cõditiones reſpexiſſe videtur docti ſuæ ætatis Theologi, & Iuris-Prudẽtes, qui in Curijs Regijs Metimnæ Cãpenſi congregatis anno 1475. ut Ioan. Mariana, & alij cõ-

Lib. 3. Reg. c. 15. lib. 5. c. 12. lib. 4. cap. 18. ubi Lyran. & Abulenſ. Monzon in Spec. Princ.

Mariana in Hiſtor. Hiſp. lib. 24. cap. 8 Saaved qui alia exempla adducit d. pag. 171. & ſeqq.

memorant Catholicis Regibus Ferdinando & Eliſabethæ cōtra Alfonſum Portugalliæ Regem, bellum parantibus, ſub eiſdem dictam ſubventionem licitam eſſe decreverunt.

L.9.tit.2.li.1.Recop. circa quā ultra Azeved.ibidē, vide Greg.Lop.in l.14.tit.22. par. 1. Bobad. in Politic. lib.2. c.18. n.319.

28 Quod & anteà tempore, Domini Regis Ioannis II. in Curijs Burgenſibus anno 1429. & iterum in Zamorenſibus anno 1432. tractatum etiam, & reſolutum fuiſſe, ſatis indicat lex Novæ Collectionis, quæ ex eis, ut apparet deſumta, ſic habet: *La plata, i bienes de las Igleſias, el Rei no lo puede, ni debe tomar; pero ſi acaeciere tiempo de guerra, ò de gran meneſter, que el Rei pueda tomar la tal plata, con tanto, que deſpues la reſtituya enteramente, ſin alguna diminucion à las Igleſias.*

Beda in Marcus cap. quod non eſt licitū, de reg. iur. Valer.Max. lib.7. tit.de neceſsit.

29 Certum quippè eſt, neceſsitatem licitum facere, quòd in lege aliàs illicitum eſſet, ut ex Beda in quadam Decretali docemur, bonaque omnia (ut vel in proverbium abijt) ea premente, communia reddi; neque tunc eſſe, cur Eccleſiæ, vel Eccleſiaſtici de eiuſmodi ſubventionibus queri poſsint, cum æquè in ipſorum, ac laicorum tuitionem proficiant, ex quibus ſimul Regni, vel Reipublicæ corpus conflatur.

D.Ambr.lib.2. de offic.cap.28.relatus in aurū 12.q.2

Et non minùs vulgare, quàm verum ſit illud D. Ambroſij documentum: *Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſsitatibus. Quid opus eſt cuſtodire, quod nihil adiuvat? An ignoramus quantum auri, atque argenti de Templo Domini Aſsyrij ſuſtulerunt? Nonnè melius conflat Sacerdos, propter alimoniam pauperum, ſi alias ſubſidia deſint, quàm ſacrilegus contaminata aſportet hoſtis? melius fuerat, ut vaſa viventium ſervares, quàm metallorum, &c.*

D.Hier.in epiſt.ad Nepotian. de vit. Cleric.relatas in c. gloria Epiſcopi, d. cauſ.12.q.2.

30 Similis eſt in eadem ſententia Divus Hieronymus, inquiens, gloriam Epiſcoporum eſſe, inopiæ pauperum providere, & ignominiam Sacerdotis proprijs ſtudere divitijs, ſatiùſque eſſe privatis, & publicis neceſsitatibus ſubvenire, quàm Templorum parietes marmore nitere, auro ſplendere laquearia, & gemmis Altare diſtingui.

Perſ.ſatyr.2.

Ann.Rober.lib.2. rer.iudic.cap.2.in 1.par.

31 Qui ſanè locus Nos ad illam quæſtionem vocabat, an expediens ſit, vel fuerit, Eccleſias, & Eccleſiaſticos pluribus divitijs, & reditibus abundare? In qua negantem ſententiam Bodinus, Cunerus, & alij paſsim ex ſectarijs defendunt, illud Perſij inter alia commemorantes,

Diſcite Pontifices in ſacro quid facit aurum?

Et Annæus Robertus plura in id ipſum loca ſanctorum Patrum diligenter expendit. Aientem verò Patricius, Rangolius, Marquez, Vazquez, Contzen, Suarez, & Catholici omnes nervoſè propugnant, & ipſe idem Annæus Robertus non minùs ſtrenuè in eius defenſione, in emergenti quadam Carthuſianorum cauſa, ſe habet.

Patric. de Regno, lib.9 c.18.Rāgol. in 1. Reg. cap.19. Marq.in gub.Chr. lib.2.c.16.fol.123 Vazq. de reddit. Eccl.c.1.§.3. dub. 3.Contz.li.6.Pol. c.62. Suar. in defenſ.Fidei lib.4. c. 17.& ſeq.Reinoſ. in defenſ. Pat. Eccleſ.§.4.

32 Omnes tamen ſub ea cautione, ne eiuſmodi divitiæ, & Reipublicæ & ipſis Eccleſiaſticis, præſertim Monachis, damnoſæ potius, quàm utiles ſint, ſeque earum, non tam Dominos, quàm Oeconomos, & Fideles diſpenſatores eſſe ſciant. Adeòque id omne quod decenti Tēplorum cultui, & ipſorum ſuſtentationi ſupererit, in alimoniam pauperum erogent, & alijs urgentibus Reipublicæ utilitatibus hilariter offerant.

Alio-

33 Alioqui malè poterunt, divitijs ſuffarcinati, Chriſtum pauperem ſequi, & Divi Proſperi conſilium ſpernere videbuntur, qui eos qui Deo militãt ex toto corde, divitias fugere debere commonuit: *Quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniũt, ſine cura non ſervant, ſine anxia delectatione non poſſident.*

D. Proſper. de vita contẽp. lib. 2. c. 12

34 Sæpèque illud eſſe veriſsimum experiemur, quod iam ſuo tempore prævidit Divus Hieronymus, & noſtro longè magis aptatur: *Sunt ditiores Monachi, quàm fuerant ſeculares, poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete diabolo non habuerant, & ſuſtinet eos Eccleſia divites, quos tenuit mundus anteà mendicos. Tratus in paupere domo, & in tugurio ruſticans, qui vix millio, & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam, & mella faſtidio.*

D. Hier. in epiſtol. ad Heliodor.

35 Ac planè, quamvis negari quoque non poſsit Templorum nobiles fabricas, pretioſioreſque ornatus commendari debere, quia ut Divus Bernardus inquit, & Tridentinum diffinit, carnalis populi devotio, quia ſpiritualibus non poteſt, corporalibus ſolet ornamentis excitari, adhuc tamen memoria dignum ſemper exiſtimavi illud Bonifacij Epiſcopi, & Martyris Apophthegma, qui dicere ſolebat: *Olim Sacerdotes aurei, utebantur calicibus ligneis: nunc lignei Sacerdotes, utuntur calicibus aureis.* Quod referens quidam noſtri temporis ſatis pius & doctus Scriptor, aliud ſimile ſe audiſſe inquit de Templis recentibus, & antiquis prædicari: *Quondam erant Chriſtianorum Templa obſcura, & corda lucida: nunc Templa ſunt lucida, corda vero obſcura.*

D. Bern. in Apol. ad Guill. in fine, Trid. ſeſſ. 22. c. 5. Fr. Marr. de la Vera lib. de inſtit. Eccleſ. c. 24. §. 15.

Pat. Iacob. Põtan. in bellar. Atticis, 2. par. pag. 389.

36 Ac certè ſecundùm Eruditiſsimi & Eminentiſsimi Cardinalis Bellarmini cenſuram, tametſi hæc Templorum, & ornamentorum Magnificentia, in ſtructis, & dotatis à Principibus notari non poſsit; in Monachis tamen iam dudum à Divo Bernardo notata comperitur; & in S. Brigittæ Revelationibus legimus, Magis placere Deo cor humile in humili Eccleſia, quàm alti muri, in quibus corpora ſunt intra, & corda ab extra. Atque ideò non debere arcas auro, atque argento implere propter ædificia, quia non profuit Salomoni ædificaſſe tam ſumtuoſa ædificia, ex quo neglexit eum diligere propter quem ædificabantur. Idemque ipſum ſuper Templorum, & ædificiorum ſplendore, & ornatu, quem Regulares plerique affectant, & ſolicitè conquirunt, cenſuerunt Patres Concilij Viennenſis, cuius Canon, de hoc agens in Clementina quadam refertur, ad quam, quia omnibus obvia eſt, Lectorem remitto.

Bellarm. 2. to. cõtrov. lib. 3. cap. 6.

D. Bern. in Apol. ad Mon. Cluniac.

S. Brigitt. lib. 3. c. 18. circa fin.

Clem. exivi de Paradiſo, de verbor. ſign. §. volumus.

(❊❊❊)

Lar-

Largus in Pauperes.

EMBLEMA XLI.



Pauperibus largus Princeps, quem vellicat uxor,
Fortè Crucem lapidi vidit ineſſe domi:
Syderibus dignum lapidem tellure revelli
Iuſsit, ubi argenti Copia ſubter erat.
Quod miſeris donat dives, Deus ipſe rependit,
Colligit ac veluti ſemina iacta ſolo.

COMMENTARIVS.

D.Hier.epiſt.2.ad Nepotian. relatus in c.gloria 12.q.2.

Iuſtin. in l.cũ multa, C.de bon. quæ liber.

Theolog.in4.ſent. diſt. 15. D. Th. & reliqui 2. 2. q. 31. art.1.

David Pſal.114.

NON ſolùm in Templa Templorũque Miniſtros, Re- 1
galis Munificentia debet ſua fræna laxare, ſed & in
Pauperes etiam, qui Eccleſiæ columnæ à Divo Hie-
ronymo vocitantur. Vt enim Imperialis fortuna, Iuſ-
tiniano monẽte, cæteras ſupereminet aliàs; ita opor-
tet Principales in hac erogatione liberalitates cul-
men habere præcipuum. Quæ Græco nomine *Eleemoſyna*, quaſi *Miſe-
ricordia* dicitur; & ſecundùm Theologos diffiniri ſolet: *Opus in quo
datur aliquid indigentibus, propter Deum.* Qui ipſe verus Regum omniũ
Doctor, & Ductor, Fons eſt & Auctor omnium bonorum, omnibus
benè faciens, & de quo Regius Vates ſcripſit: *Oculi omnium in te ſpe-
rant Domine, & Tu das illis eſcam in tempore opportuno. Aperis Tu
manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

Vn-

2 Vnde in ſacra Pagina Sancti illi Reges, ac Principes Dei Eccleſiæ
Nutritij, Ioſeph, David, Ioſaphat, & Ioſias, qui in hac virtute excel- 1. Regum 18.
luerunt, plurimum commendantur; & Abdias, qui centum Prophetas
paſcebat, ut in libro Regum habetur. Meritòque D. Auguſtinus, & D. Aug. to. 1. lib. 1
Lactantius Firmianus impium illud Stoicorum dogma exilio dam- de morib. Eccleſ.
nant, qui Miſericordiam inter animi morbos annumerabant, & inter Cath. Lactan. lib.
vitia, eleemoſynam facere recenſebant. 6. divin. inſt. c. 11.
3 E quorum ſecta eſſe videtur ille, qui apud Plautum dixit: Plaut. in Trinum.

Malè meretur, qui mendico dat, quod edat, aut quòd bibat. Act. 2. Scen. 2.
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriã.

Et ille Lacon apud Plutarchum, qui mendico ab eo ſtipem petenti. Plutar. in Apopht.
Si darem (inquit) *tibi, eò magis mendicares. Nam huic tuæ deformitati* Lacon.
cauſam præbuit, is, qui primus tibi dedit, eaque te ignavum reddidit. Im-
mitis quidem, & inhumana ſententia. Proverb. 15. 27.
Quanto Salomon melius, qui per miſericordiam, & fidem, iniqui- 16. 6. 21. 3.
4 tatem redimi, & peccata purgari docet, & hoc magis Domino place-
re, quàm victimæ. Eccleſiaſticus inquiens: *Pauperi porrige manum* Eccleſ. 7 33.
tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua; & Chriſtus Domi-
nus, ac Præceptor noſter, qui nobis miſericordes eſſe, & dare eleemo- Luc. 6. 36. 16 9.
ſynam iubet, & amicos facere de mammona iniquitatis, ut cum defe-
cerimus, recipiat nos in æterna tabernacula. Et D. Ambroſius egre- D. Ambr. in lib. de
giè eos, qui omnia ſibi vendicant, & nihil cum pauperibus communi- Nabuthe cap. 1.
cant, his verbis reprehendens: *Quouſque extenditis divites inſanas cu-*
piditates? Numquid ſoli habitabitis ſuper terram? Cur eiicitis conſortem
naturæ, & vindicatis poſſeſsionem naturæ? In commune omnibus, diviti-
bus atque pauperibus, terra fundata eſt, cur vobis ius proprium ſoli di-
vites arrogatis? Neſcit natura divites, quæ pauperes omnes generavit:
nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos
edidit, neſcit fines poſſeſsionum ſepulchro includere, &c.
Quod Monitũ, cum Regibus dirigatur, plurimorum quoque Regũ, Beyerlin. in Theat.
5 & Imperatorum exemplis ſuadere poſſem, qui in eius excelluerunt litt. E. ex pag. 68.
obſervatione, quorum copioſum Catalogum noviſsimus Beyerlin- & lit. L. ex pag. 90
chius nobis exhibuit: ſed placuit, præſens Emblema ex illo Tiberij ad 94.
Secundi, Imperatoris Conſtantinopolitani, formare, qui, ut poſt Eu- Eutrop. lib. 17. re-
tropium, plurimi Auctores ſcribunt, ita copioſè bona pauperibus ero- rum Rom. Greg.
gabat, ut ob hoc ſæpius ab Imperatrice coniuge obiurgaretur. Cui il- Turon. lib. 5. c. 20
le, ne turbaretur reſpondit, Deumque fiſco uberrimè proviſurum; cui, Paul Diac. in hiſt.
ut Salomon dixit: *Qui miſeretur pauperi fœneratur.* Accidit autẽ, quòd Long. lib. 6. c. 3.
altera die per Aulam Regiam deambulans, marmoreum vidit lapidẽ, Aimoin. de geſt.
ſignò Crucis ſculptum, pedibus conculcari, quod cum nefas eſſe cen- Franc. lib. 6. c. 19.
ſuiſſet, & ut irreligioſum a Theodoſio, & Valentiniano Impp. pecu- Baron. to. 7. pag.
liari ſanctione prohibitum, illum protinus erui, tollique præcepit, ſub 851 Camer. 1. to.
quo tamen alius, & deinde tertius, eodem ſigno ſignatus, apparuit. cap 63 & 2. c. 73.
Quibus tandem eodem modo elevari mandatis, mox inæſtimabilem Prover. 19.
theſaurum, ſupra mille auri centenaria habentem, invenit, ex quo pau- L. unic. C. ut nemi
peribus, adhuc abundantius, ut conſueverat, ſubminiſtravit. Et in hu- ni liceat ſign. Sal-
vat. Chriſti, &c.

us ardentis charitatis præmium, alium poſtmodum, ingentiorem à Narſete quondam in quadam urbe Italiæ reconditum, ſene quodam manifeſtante, adinvenit, ex quo etiam ipſe hilari erogatione diſpenſavit egenis.

Marlian. in Theat. Polit. cap. 25. ex pag. 256.

Quam hiſtoriam, ſimulque aliàs, quibus virtus eadem ſuadetur, recenſet etiam Ambroſius Marlianus, & ex ipſis hoc pium anxioma deducit: 6

Ne ſis ipſe miſer, miſeris ſuccurre diſce:
Dives opum eſt inopi, qui dare novit opem.

Proverb. 3.

Hoc eſt enim quod Deus, qui nec falli, nec fallere poteſt, eleemoſynarijs promittit, dum in Proverbijs ore Salomonis enuntiat: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur frumento horrea tua, & vino torcularia redundabunt.*

D. Chryſoſt. in Geneſ. hom. 27.

Ad quem locum, & alia ſimilia, quæ de centuplicato eiuſdem erogationis fœnore agunt, reſpiciens D. Chryſoſtomus. *Qui facultatem* (inquit) *tribuit pauperi, ipſe eſt qui beneficio fruitur, centupla nempè fœneratione recipiens. Sicut enim qui ſeminat, cum iacit granum, non perditum credit, ſed multiplicandum expectat in meſſe; ita qui eleemoſynam ſeminat, non amittit panem ſuum, ſed multiplicat etiam in hac vita.* 7

D. Ambr. in ſerm. de miſer. & in 1. Timoth. 6.

Nec minùs piè, & eleganter Divus Ambroſius, illum verè eſſe divitem docuit: *Qui in Deo dives eſt: qui miſericordia opulentior, quam divitijs, facultates ſuas cum pauperibus dividit: qui locupletem, dando, magis quàm habendo, ſe oſtendit. Qui ad hoc ſe meminit habere divitias, ut fœneretur Deo, paſcat Chriſtum, veſtiat Dominum: qui patrimonium ſuum non ingrato hæredi quærit relinquere; ſed per pauperes illud Chriſto deſiderat commendare: qui divitias cœlo magis, quàm mundo commendat; qui deſiderat potior eſſe opere, quàm ſuæ ſubſtantiæ facultate: qui theſauros ad ſuperna tranſmittit, qui ad hoc vivit, ut operetur; qui ad hoc operatur, ut in æternum vivere mereatur: qui viduarum caſibus flectitur, & pupillorum miſeria commovetur. Hoc nitamur, ut bonis factis divites ſimus, & his terrenis copijs, ſpirituales divitias acquiramus. Seminemus in terris, ut metamus in cœlis, ubi theſaurus collocatur æternus.*

Avetin. lib. 1. ann. Boior. Sabell. ex Turp. lib. 8. ene. 8.

Sed quia nec omnia, nec obvia noſtris, hiſce commentarijs inſerere volumus, omiſsis alijs Sanctorum Patrum, quæ in hoc ipſum tendunt ſententijs, & paſsim apud varios Auctores reperiuntur, ſatis huius charitatis fervorem, & præmia divina, quæ eum manent, Reges, ex Carolo Magno, qui & ipſe Rex, & Imperator magnificus extitit, diſcere poſſunt, qui non contentus duodecim pauperes quotidiano paſtu prope ſuam menſam habere, præter alia, quæ eis liberaliter largiri ſolebat, auream quoque menſam, item tres argenteas pretioſiſsimas vendi, & eiſdem per ſuos Archiflamines diſtribui mandavit. 8

Ionvil. in vit. Lud. cap. 84.

Satis ex Divo Ludovico Francorum Rege, qui, ut in eius vita Iōvilus enarrat, quocumque locorum ſe conferebat, centum & viginti pauperes, & tempore quadrageſimæ duplicato numero, per ſingulos 9

dies

dies cibis Regijs alebat. Melius hos ſumtus in eos, quam in luxum, ut alij ſolent, conferri inquiens, & hac ratione opes & Regnum ſtabiliri.

10 De Zenone quoque Conſtantinopolitano Imperatore refert Baronius, revelante Virgine Dei Genitrice propter eleemoſynarum erogationem, divinam vindictam, quam pro violento ſtupro meruerat, evaſiſſe. Baron. to. 6. ann. Chr. 474. ex Prat. ſpirit. fol. 175.

11 In Oſualdo etiam Anglorum Rege (teſtante Beda, & ipſo Anglo) eadem adeò virtus enituit, ut cum die ſancto Paſchæ, cum Aldano Epiſcopo conſediſſet ad prandium, poſituſque eſſet in menſa coram eo diſcus argenteus Regalibus epulis refertus, iamque eſſent manus ad panem benedicendum miſſuri; intravit ſubitò miniſter ipſius, cui ſuſcipiendorum inopum erat cura delegata, & indicavit Regi, quia multitudo pauperum undequaque adveniens maxima, per plateas ſederet; poſtulans aliquid eleemoſynæ à Rege. Qui mox, dapes ſibi appoſitas, deferri pauperibus iuſsit; ſed & diſcum argenteum confringi, atque iiſdem minutatim dividi præcepit. Quo viſo, Pontifex qui aſsidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius, & ait: *Nunquam inveteraſcat tam larga in dando manus.* Quod & iuxta votum benedictionis eius provenit. Nam cum interfecto eo in pugna, manus cum brachio à cætero eſſent corpore reſectæ; contigit, ut hactenus incorruptæ perdurent. Denique in urbe Regia, quæ à Regina quadam *Debba* cognominatur, loculo incluſæ argenteo, in Eccleſia Sancti Petri ſervantur, ac digno à civibus honore venerantur. Beda lib. 3. hiſtor. Angl. cap. 6.

12 Ad quod exemplum, & ad illud aliud, quod de Amedeo Sabaudiæ Duce Chriſti pauperes loco canum venaticorum largiter exhibente, cuius iam ſupra mentionem feci, commodè aptari poſſunt carmina Claudiani, quibus Probum Conſulem ob eandem virtutem ita meritò laudat, & poſteritati commendat: Sup. Emb. 32. in fine.

Hic non divitias nigrantibus abdidit antris
Nec tenebris damnavit opes: ſed largior imbre,
Sueverat innumeras hominum ditare catervas;
Quippe velut denſo currentia munera nimbo,
Cernere ſemper erat populos undare Penates:
Aſsiduos intrare inopes, remeare beatos:
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos;
Aurea dona vomens, &c.

Claud. in Conſ. Prob.

13 Sint ergo Principes in egenos omnes, & pauperes admodum liberales. Credant hunc maiorem Regijs titulis eſſe *Pauperum Patrem*, & ut Theodoſius, & Valentinianus reſcripſerunt. Nulla profeſsione virtutis, nullaque re alia potiùs homines Deo, quàm prona hac liberalitate coniungi: *Nam cum beneficiorum fontibus genus amplificetur humanum; divinam benevolentiam nobis credimus obligari, unde ſpes tota viciſsitudinis expectetur.* Theodoſ. & Valent. in Novell. de bon. Decur.

14 Quod ſi Theſauros, & nunquam deficientes gazas congerere avet, nullam ſibi negotiationem quæſtuoſiorem, nullumvè ampliorem ſecu-

curioremque theſaurum comparare poſſe, hac, etiam prodiga, in pauperes effuſione cognoſcant. De quibus Petrus Ravennas merito dicere potuit: *Manus pauperis eſt gazophilacium Chriſti: quidquid pauper accipit Chriſtus acceptat. Da ergo pauperi terram, ut accipias Regnum: da micam, ut accipias totum: da pauperi, ut detur tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.*

Pet. Raven. in quodam ſerm.

Martial. lib. 5. Epigramm.

Quod ad Ethnici Martialis mentem reſpicere videtur, qui idem de 15
qualibet liberali erogatione in amicos facta, ita eleganter ſcripſit:

Callidus effracta nummos fur auferet arca,
Proſternet patrios impia flamma lares.
Debitor uſuram pariter ſortemque negabit
Non reddet ſterilis ſemina iacta ſeges.
Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica;
Mercibus extructas obruet unda rates.
Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Poeta ap. Ribad. in vita S. Franciſc. Borgiæ. lib. 1. c. 11

Vnde Poëta alter æquè prudenter de pauperibus dixit:

Quiſquis enim cupidè non expendenda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

Tacit. lib. 4. hiſtor. Vlpian. I.C. in l. 1. §. in cauſa, D. de quæſtion.

Clem. Alex. in orat. nuper inventa de divitibus apud Euſeb. in Theopolit. pag. 540.

Aſt verò ſi Reges ad comparandos, & alendos exercitus egere 16
pecunijs obiicias, in quibus Reipublicæ nervos, & gentium quietem conſiſtere, Politici clamant, Audi quid hac etiam in parte pauperum ſubſidia præſtare, Clemens Alexandrinus edoceat: *Coge tibi exercitum inermem, ad bella ineptum, fundendi ſanguinis neſcium, ſine iracundia, ſine ſordibus; ſenes pietate præſtantes, pupillos Deo charos, viduas manſuetudine armatas, viros charitate ornatos. Tales compara tuis divitijs & corpori, & animæ ſatellites, quorum Dux eſt Deus, propter quos & navis ſubmergenda ſit levior, ſolis gubernata Sanctorum orationibus, & morbus fervens domatur, manuum impoſitione fugatus: & latronum aggreſſio exarmatur, pijs precibus ſpoliata, & vis dæmonum frangitur rigidis iuſſionibus, agnoſcens re ipſa quid valeat. Omnes ibi milites & tuti cuſtodes, nemo otioſus, nemo inutilis, &c.*

Et hæc quidem de eleemoſyna, & eius effectibus tetigiſſe ſufficiat, 17
quique plures alios deſideret, peculiares tractatus, qui de ea extant, adire poterit. Nos ut huic noſtro Commentario colophonem addamus, illud opportunè ſubiungendum, ſive ſubmonendum eſſe cenſemus, nimirum, in hac, ut & in alijs virtutibus, Regum prudentiam, eorumque, qui ipſorum nomine eleemoſynas diſpenſare ſolent, deſiderari. Neque enim æqua lance plebeis debent, & nobilibus pauperibus ſubvenire, ut D. Thomas. & alij reſolvunt. Maturiuſque ſenibus, quos ſi fortè mane quæſieris, non ſubſiſtent, quàm iuvenibus ſuccurrendū eſt. Puellarum quoque virginum, præſertim orphanarū, matrimonia, eiuſmodi largitionibus competenti modo, & tempore factis, ita ſunt diſponenda, ut pericula, quæ earum ſexus ætaſque pati poteſt, celeriter evitentur, cum conſtet, quantum in his damni ſoleat ex cunctatio-

D. Thom. & alij in 2.2. q. 32. art. 9 latè Tiraq de nobil. c 20. n. 154. & Ego in 2. to. de Ind. guber. lib 2. cap. 7. ex num. 58.

ne

18 ne cauſari. Et hoc planè eſt, quod præclarè, ut reliqua, D. Ambroſius admonuit, dum inquit, perfectam liberalitatem fide, cauſa, loco, tempore commendari, alijſque circunſtantijs, quas apud Gratianum legere poteris.

D. Ambroſ. 1. off. relatus in c. conſideranda & in cap. paſce, 86. diſt.

19 Adde, ipſas quoque eleemoſynas Regum profuſas, nocivas eſſe poſſe, ſi non tam pauperes iuvent, quàm faciant, hoc eſt, ſi ſubditi, eis ineſcati, vel adumbratam mendicitatem profiteantur, vel quam proprijs laboribus officijs, atque artificijs depellere poſſent, ignavi ac ſocordes ſub hac confidentia patiantur. Qua conſideratione Tiberius Imperator Hortalum Hortenſij nepotem, qui inopiæ ſuæ ſubſidia poſcebat, his apud Tacitum verbis abſque ulla largitione reiecit: *Si quantum pauperum eſt, venire huc, & petere pecunias cœperint, ſinguli nunquam exſatiabuntur, Reſpublica deficiet, langueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes, & ſecuri omnes aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignavi, nobis graves.*

Tacit. li. 2. Annal.

20 Quæ etiam ratio Impp. Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium moviſſe videtur, ad mendicantes validos inquirendos, & vel ſervos, vel perpetuos colonos illorum faciendos, qui accuſaſſent ignavam illam, & ocioſam mendicitatem. Et Iuſtinianum, ad peculiarem Quæſtorem creandum, qui de hoc delicto cognoſceret.

L. 1. C. de mẽdic. valid. lib. 11.

Iuſtin. Novell. 80. de Quæſtore.

21 Quibus antiquior Plato, nullos in ſua Republica mendicos eſſe etiam patitur, vultque eos à Magiſtratu expelli, quos mendicitati dare operam viderit. Quod de eis, qui illam affectant, & ocioſi ac vagãtes vitam tranſigunt, accipiendum eſt, de quorum inquiſitione, & punitione alio loco commodius agemus.

Plato lib. 9. de legib.

Infr. Embl. 77. ubi de otioſis.

22 Et certè Adrianus Imperator, licèt, Spartiano referẽte, valdè pius, & miſericors in pauperes fuerit, ad Servianũ tamẽ Alexandriæ Ægyptiæ Præfectum ſcribens, ut apud Flaviũ Vopiſcũ habetur, de Eccleſiæ primitivæ Chriſtianis, qui in ea urbe degebant, commendat, quòd nemo ibi otioſus vivere ſineretur: *Alij* (inquit) *vitrum conflant, ab alijs charta conficitur: alij linyphiones ſunt: omnes certè cuiuſcunque artis, & videntur, & habentur. Podagroſi quod agant habent: habent cæci quod faciant, ne chiragrici quidem apud eos otioſi vivunt. Vnus illis Deus eſt, hunc Chriſtiani, hunc Iudæi, hunc omnes venerantur & gentes, &c.*

Spartian. in Adria. cap. 22. Sabell. lib. 4. enead. 7.

Vopiſc. in Saturn. pag. mihi 245.

23 Quod ſanè, ſi ut oportet, & ſæpè tractatum eſt, in noſtra nunc Republica ſervaretur, legitimique pauperes, à ſophiſticis diſtinguerentur, iuxta eorum diſtinctionem, quàm benè Alexius Venegas ſcripſit, hi illorum panem non ederent, nec ubique vagantium pauperũ examina cerneremus, quorũ plures, ut Gloſſa quædã ait, iuſtius corrigi debent, quàm ſubveniri. Ideóq; Adriani epiſtolæ conſonãs Venegas (licèt eã non viderit) in quibus miniſterijs, cæci, mãci, claudi, utiliter occupari, & ſimul Reipublicæ deſervire poſsint, ſibique neceſſaria ad victum parare, ſatis luculenter exponit. De quo etiam Dominicus Soto, & alij, peculiares, alios tractatus elaborarunt; Vanè tamen omnes, cum nunquam ea, qua oportuit cura, de eorum executione actum ſit.

Alex. Venegas in lib. de different. libr. fol. 155.


Gloſſ. in Rubr. de mend. valid. c. non omnis 5. q 5. c. 1. 80. diſt.

Dom. Sotus in cauſ. pauper. Herrera en ſu Albergue de pobres, Navarrete in diſcurſ. polit. cap. 9.

(∴)

Sic Regat Rex ſolum, ut Sol Regit Polum.

EMBLEMA XLII.



En Phaetontiacus licèt ardor niſus in æthram,
Non ſuperi penitus comprimit axis onus.
Sic prudens regimen populum non comprimat uſque,
Aſt alio incedens impete, tardet eum.

COMMENTARIVS.

Macrob.lib.1.de ſomn. Scip.cap.8. Leſsius de iuſt. & iur.lib.1.cap.1. & 2.Chavaſ. de perf. prud. lib.1. cap.1.

Sup.Embl.13.

Canonher.in Aph. 1. pag.455. & ſeq. Khirner. & alij, quos ipſe refert Leſs. & Chavaſ. ſup.Theat. verb. *Prudentia.*

1 NON ſatis eſt Principem, alijs in ſpeculum & regimẽ datum, ijs virtutibus ſplendere, vitijſvè carere, quæ in præcedentibus expoſuimus, niſi hæc omnia prudentia temperet, quæ rerum expetandarum ſcientia communiter diffinitur, ſive, ut ex Macrobio, & alijs Leſsius, & Chavaſius ſcribũt: *Virtus intellectus, dirigens ad rationis normam univerſa quæ cogitat, quæque agit, & per quam in omni negotio occurrente novimus, quid boneſtum, quid turpe, vel illicitum ſit.*

2 Huius enim virtutis tanta eſt præeminẽtia, ut ei primus inter alias locus à veteribus datus fuerit, utpotè quæ inter omnes ſuum effectũ exerat, ut nihil præter rectum, laudabile, temporique conveniens facere doceat, ut iam alio loco inſinuavi, plura in eius commendationem adducens, & latè Petrus Andræas Canonherius, & alij plurimi proſequantur, eam ita præcisè in quolibet Principe requirentes, ut veluti proprium, ac præcipuum ipſius character eſſe debeat, & ſecun-

dùm

dùm Dionem Chryſoſtomum, latiùs ab Euſebio Nierimbergio relatum, non minùs impoſsibile videatur, Regem ſine prudentia imperare poſſe, quàm lumine luſcum ad res lõgo intervallo diſtantes viſu pertingere: aut ſi quis dicat, eum, qui cũ adſtãtibus, ita ut ipſum exaudiãt, loqui non poteſt, totis populis & caſtris loqui poſſe, ut exaudiatur.

Dion Chryſ in orat. de Regn. Euſeb. in Theop. pag. 417. & ſeqq.

3 Eandemque ob cauſam apud Ægyptios Mercurij gemini ſimulachrum ſic effectum conſpiciebatur, ut alterum ſenili eſſet vultu venerandum, alterum florente iuventa generoſum, ut ſignificarent, Principem cum animi prudentia, vires habere debere coniunctas. Quod ex Sineſio ſumens Hadrianus Iunius hoc Emblema confecit, ſub lemmate, *Prudentia cum robore coniuncta*:

Sineſ. in orat. de Regno, Iunius Embl. 13.

Viribus Cillenius intègris ſtat;
Iunctus cum ſenio gravi
Robur invictum eſt, ſapientia ſi
Firmes: qua ſine, concidet.

4 Sed hæc porro virtus, cũ ſemper maximo ſtudio à Regibus quæri, coli; exercerique debeat, tunc præſertim eiſdẽ neceſſaria ſummopere erit, cum turbati, malèvè iã ab antiquo morati Regni, habenas ſuſcipiunt, quas niſi prudenter, ac tẽperatè regant, & flectant, ita ut paulatim illud ad meliorẽ frugem ſtatũque reducant, effrænẽ forſitan, & in peiora ruentẽ populũ experientur, vel nova imperia tentantẽ, & tãdẽ agnoſcent, uno impetu de uno extremo ad aliud traduci nõ poſſe, neque præcipitanter, & incõſideratè, ſed *Pedetentim*, ut in Proverbio dicitur, ſenſim atque cunctanter, eiuſmodi negotia aggredi, gerique debere, illudque Titinij veriſsimum eſſe:

Eraſm. in hoc Adag. pag. 680.

Sapientia Gubernator navim regit, non valentia.

Titin. ap. Noniũ, & Eraſm. pag. 764.

5 Necnõ & vetus Adagium, quo *Lentè feſtinandũ* eſſe docemur. De quo Altiatus nobile illlud Emblema confecit, *Pro Principibus ſubditorum incolumitatem procurantibus*; ut iam alio loco recolui. Et quo (ut benè Eraſmus obſervat plurima notatu digna ad eius illuſtrationem adducens) in tanto proverbiorũ numero, nullũ eſt aliud perinde dignũ, quod omnibus incidatur columnis: quod pro Templorum omniũ foribus deſcribatur, & quidẽ aureis notis: quod in Principalium aularum valvis depingatur, quod Primatiũ inſculpatur anulis, quod Regijs in ſceptris exprimatur: denique, quod omnibus ubique monumẽtis repræſentetur, propagetur, celebretur: ut quod tãtopere expediat ſemper cuiuſque obſervari animo; quod nuſquã non occurrat oculis, nulli quidem mortalium non maximo futurum uſui, præcipuè tamen Principibus, & ijs, quibus, ut verbis dicam Homericis:

Altiat. Embl. 143. vide ſup. Emb. 13.

Eraſm. in Adagio *Feſtina lente*, pag. mihi 240. & ſeqq.

Commiſsi populi, ac tam multa negotia curæ.

6 Hoc, ut nos, Noſtris (quibus cũ loquimur) ſuadeamus, præſens Emblema ob oculos ponimus, in quo, ut vides, Solẽ repræſentamus, ſuum curſum per Sphœræ circulũ, qui Zodiacus dicitur, peragentẽ. Cuius, concors eſt omnium Aſtrologorum ſententia, non recto per cœlum meatu ferri, ſed obliquo, leni atq; moderato, ut ita Orbis univerſi machinam æquabili temperie calefaciat; & quamvis non ſolùm in diverſum, ſed & in adverſum Cœlorum motum, ſuos dirigit gradus, illum tamen non uſquequaque impedit, ſed aliquantiſper retardat.

Plutarch. in vita Phocion in Proœ.

Quam quidem ſimilitudinẽ ex locupletiſsima Plutarchi pœnu de- 7
promſimus;qui,ubi eandem Mathematicorũ diſciplinã eleganter expoſuit,ipſam(ut & Nos facimus)ad Reipublicæ regimen transfert,ſic inquiens: *In Republica item nimiũ directus, & per omnia populi volũtati reluctans, ingratus eſt tenor, & rigidus, ut contra lubricus, & proclivis, qui peccantes ſequitur, cum eò videat inclinare populum, &c. Qua temperatura mundum quoque perhibent Deum regere, non violentia, ſed lepore & ratione inducendo leniens neceſsitatem.*

Gaſp. Enſl. in nuc. hiſt. pol. 2. p. c. de Conſilio, & Cõſil.

Hanc Plutarchi doctrinam Platoni tribuit Gaſpar Enſl, & eam 8
Regijs Conſiliarijs adaptat, quos ait pari modo Regum ſuorum effrænes abruptoſvè motus retardare debere.

Plutarc. in moral. Eraſm. in ſimilib. fol. 4.

Idem quoque Plutarchus,& eo non relato,Eraſmus,aliam ad hunc 9
eundem finem ſimilitudinem ex arboribus ſumunt, inquientes, quod *Quemadmodum periculoſum eſt, annoſas arbores, quæ iam latè ſparſere radices, revellere loco, & aliò tranſportare. ita Rempublicam, longo tempore ſuis inveteratam inſtitutis, ad aliam vitæ rationem traducere non licet citra maximos rerum motus.*

Eraſm. in ſimil. fol. 5.

Idem in hoc Adagio, pag. 637.

Plutar. in lib. ad Princ. in doct.

Neque abeſt aliud ſimile,quod ab ijs,qui equos domãt,poteſt de- 10
ſumi,qui primùm blandiuntur,ac molliſsimè tractãt,ut aſſueſcãt,fræno,quo exẽplo,ſic populũ lenitate ſubeundũ,Eraſmus animadvertit. Apud quẽ plura etiã alia huc ſpectantia leguntur, dũ illud Adagium explicat, quod nos *Scenæ ſervire* admonet,id eſt,tẽpori, & rebus præ-
ſentibus accommodare. Sed ne à Solis orbita,quam premere cœpi- 11
mus,recedamus, vocari quoque rurſus ad partes poteſt idẽ ipſe Plutarchus,qui alibi,nõ minùs ſcitè,in Principibus oportere inquit,ut ratio,atque ſapientia ſua gravitate cõpeſcat reprimatq; potentiã illorũ,qui facilè uno ictu coerceri non poſſunt:utque Solẽ imitentur, qui ad ſummam evectus altitudinem in partibus Septentrionalibus, lentiſsimè movetur,tarditate ſuum curſum rectum efficiens.

Sapient. 8.

Boter in relation. univerſ. lib. 2. in princip.

Virgil. 2. Georg.

Sed quid in creaturarum exemplis recenſendis immoror,cũ Deus 12
ipſe, ſummus earundem Creator,&Gubernator,eadem prudentia,& providentia in rebus magnis,atque arduis diſponendis, & exequẽdis utatur. Attingens à fine uſque ad finem fortiter, & diſponens omnia ſuaviter,ut in libro Sapientiæ docemur, & rhetoricè, ultra plures alios, Ioannes Boterus proſequitur, anni tempora,inter alia, exempli gratia,perpendens,quæ,ordinante Deo,ex Aeſtate ad Hyemẽ deducuntur;ſedita tamen,ut hinc Veris,inde Autumni benignitas interveniat,ne de uno extremo in aliud cum hominum damno ſine hac temperatione prolaberentur. Quod benè agnovit Virgilius dum cecinit.

Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies inter friguſque caloremque
Iret, & exciperet cæli indulgentia terras.

Boët. de Conſol. lib. 2. met. 8. in fin.

Atque adeò ſic planè,veriſsimè alibi exclamat Boëtius 13

O fælix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur, regat.

Quia nemo,ut benè quidam Neothericus monet,ſibi imperãdi genus firmum,ſtabile,diuturnum ſpõdere auſit, quod non divini ſimulachrũ gerat,& cœli ordinis armoniam, ei velut correſpondendo,repræſentet,cum ad diſciplinam mundi ſuperioris,iſta inferioris ordinata ſit,& iuxta D. Cypriani monitum: *Æquiſsimum ſit, ut quemadmodũ ad divinum Imperium de terrenis mutuamur exemplum; ſic cœleſtis Imperij ſimilitudine terrena metiamur.* Et in hoc Solis, de quo agere cœpimus dicere cũ Poëta poſsimus: ---- *Solem quis dicere falſum*

Audeat.

Theod. Graſvinc. in tractat de iure Maieſt.pag.67. & 68.

D Cypr. de idol. vanit.

10 Cuius exemplar,quoniã Cato imitari neſcivit,ab eodẽ Plutarcho iuſtè reprehẽdi meruit,quòd cum eſſet eo ingenio,ijſque moribus, ut ſeipſum mutare,&,ut Salluſtij verbis utar,naturã verſare,minimè poſſet,nõ modò ſuæ Reipublicæ nihil profuit,quã prorſus voluit ad ſuos mores attrahere;ſed potius valdè obfuit,& in Cõſulatu repulſam tulit,& de eo Cicero ſic in quadã epiſtola ſcribere potuit: *Nam Catonem noſtrũ non tu amas plus quàm Ego; ſed tamen ille optimo animo utens, & ſumma fide,nocet interdũ Reipublicæ,dicit enim tanquam in Platonis Politia, non tanquã in Romuli fæce ſententiã. Cum tamen non minùs ſit probanda medicina,quæ ſanet ægras Reipublicæ partes,quàm quæ exſecet.*

Plutarch. in dict. Prooem. ad vit. Phocionis, verſ. *Hæc Catoni.*

Cicer.ad Attic. lib.2.epiſt. 1.

11 Cui mirè conveniens Ariſtoteles optimè docuit,non ſolùm Rempublicam,quæ optima ſit,conſiderari debere,ſed etiam quæ couſtitui poſsit, quæque facilior, & cunctis civitatibus communior habeatur. Et alibi rurſus, Ancipitem,& periculoſam nimis eſſe mutationẽ, quæ ſubitò,& cum quadam violentia ſuſcipitur,faciliorem autẽ, quæ ſenſim,& paulatim declinando fit.

Ariſt.4.polit.1.

Idẽ 6.polit.c.

12 Eſt enim rebus in omnibus modus adhibendus,nec de extremo ad extremum tranſitus niſi per media faciendus, & quemadmodum medici inveteratos corporis morbos, paulatim expellunt, & corpus expurgant, atque reficiunt: ita qui Rempublicam curant,velle non debent eam,uno ictu,aliò à quo longiſsimè aberat, fracto eius impetu, traducere,ſed Horatianum illud penſare:

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Horat.lib. 1. epiſt. 1.ad Mecæn.

13 Et iuxta perſonarum, temporum, & locorum qualitatẽ prudenter curare,commiſſam provinciam ex mala meliorẽ, & poſteà ex meliori optimam (ſi poſsit) efficere,eoſdẽque rurſus medicos imitari, qui, ut benè monet Canonherius,naturæ morborũ ſe ſe accõmodant,humores qui ſunt educendi,educunt;quartanã ex contumaci ſuperboq; humore genitam,non purgant,quia id ſine totius corporis cõfuſione effi-

14 cere nõ poſſunt. Quod,ne Pilatũ quidẽ (alioqui peſsimum iudicẽ) latuit;nã ut Ioſephus enarrat,cũ ſtatuas Cæſaris in Tẽplo Ieroſolymitano collocari iuſsiſſet,videns tamen populi pertinaciã,qua citius mortem oppetere,quàm ſtatuas in Tẽplo ſervare volebat, ceſsit ei,atque ſtatuas depoſuit, quamquam armato exercitu,ad hanc rem inſtructo, potuiſſet ſimul omnes,qui parere nolebant,facilè trucidare.

Canonher. in Aphor.pag.498.

Ioſeph. lib.18. antiq.cap.4.

15 Sic & magnus ille Moyſes, quamvis à Deo legis tabulas accepiſſet,eas confringere ſatius duxit,quàm populo edicere,cuius mentem

Exod.cap.32.

a legum obſervantia, & executione tunc temporis prorſus alienam
cognovit, cum eundem vitulum adorantem invenerat. Et de Auguſto

Dion. lib. 62.

valdè ad rem noſtram Dion Caſsius ſcribit: *Non omnia ſtatim uti de-
cretum erat executus eſt, veritus ne parum ſuccederet, ſi ſimul homines
transferre, & invertere vellet, ſed quædam in tempore diſponens, quædam
reiecit in tempus.*

Tacit. 3. Annal.

Tiberius quoque apud Tacitum, licèt imperandi artē ſatis callue- 16
rit, cum de renovādis ſumtuarijs legibus in laxato iam populo tracta-
retur, Patribus videndū propoſuit, an non potius eſſet omittere adul-
ta, & prævalida vitia, quam illud aſſequi, ut palam fiat, quibus flagitijs

Idem 1. Annal.

illi qui imperant, pares eſſe non poſsint. Et alibi, auſus nō fuit, permiſ-
ſos dudum ab Auguſto ludos in poſterum prohibere, ne populum per
tot annos molliter habitum, ad duriora vertere videretur.

Tacit. lib. 1. hiſt.

Eſt quippe Populis ſemper aliquid condonandum, dum (ut idem 17
Tacitus ait) nec totam ſervitutem, nec totam libertatem pati poſsūt.

Saaved. Empr. 46. in fin. pag. 312. vide eundē ex pag. 281. ad 284.

Et ut nuperus noſter Politicus optimè monet: *Quando ſe puede temer
algun daño, ó inconveniente notable, es gran deſtreza del Principe, gover
nar al pueblo con ſu meſma rienda, i ir al paſſo de ſu ignorancia.*

Plutarc. in precep. polit. & apud Canonher ubi ſuprà, pag. 497.

Quod prius Plutarchus his verbis edocuit: *Qui in adminiſtrandis* 18
*rebus ita verſantur, ut ad ſalutem publicumque commodum, velut ad metā
aliquam, ſua conſilia dirigant, non nihil interdum civium gratiæ, & vo-
luntati conceſſerint, nec ſingula, velut ad filum redacta, velint ſeveritate
potius & vi, quàm manſuetudine & humanitate conficere, hi mihi planè
videntur ſapientiſsimè ſecundarum rerum viam incedere.*

Cicer. lib. 1. famil. epiſt. 9.

Cui conſonat illud Ciceronis: *Cum Populum perſuaderi poſſe diffidi-* 16
mus, cogi fas eſſe non arbitramur. Et Natalis Comitis, ſic inquientis: *Nā
certè quidem aliquando concedendæ ſunt urbibus quædam impunitates,*

Natal. Com. lib. 23. hiſt.

*quò & illæ ſerventur, & reliquæ invitentur illarum exemplis ad acci-
piendum imperium, oblata ſpe humanitatis, & clementiæ, ut enim quæ-
dam concedenda convaleſcentibus corporibus, aut nauſeantibus, non quia
ſalubria ſint, ſed quia per hæc ſibi videantur quodammodò recreari: ſic
malè affectis civitatibus, quædam conceduntur utiliter, ut alacres poſtmo-
dum ſint ad cætera munia exequenda.*

Pacat. in Paneg. Theodoſ.

Et hinc fluxit celebris illa Magni Theodoſij apud ſuum Panegy- 20
riſten laudatio, ac commendatio, dum inquit: *Non contentus ipſe ultro
vitia reieciſſe, alienis vitijs corrigendis, curam adieciſti: idque moderatè,
ut ſuadere potius honeſta, quàm cogere videreris.*

Caſsiod. li. 3. epiſt. 51. ad fin. cuius etiam memini ſup. Embl. 31. in fin.

Caſsiodorus quoque eleganter, ac prudenter oſtendit, ſuum Regē 21
Theodoricum populis ludos Circenſes indulſiſſe, & præmijs victores
aurigas remuneraſſe, etiam ſi cognoſceret in illis ab honeſtis moribus
aliquantum excedi, ſic fimens: *Hæc nos fovemus neceſsitate populorum.
imminentium, quibus votum eſt ad talia convenire; dum cogitationes ſe-
rias delectantur abiicere. Quapropter largiamur expenſas: non ſemper ex
iudicio demus. Expedit interdum deſipere, ut populi poſsimus deſiderata*

Muret. lib. 2. in Tacit.

gaudia cōtinere. Planè etenim, ut egregiè ſcripſit Muretus, ſi qui equis,
elephantis, camelis, alijſque animalibus præſunt, obſervant diligen-
ter, quibus illi rebus oblectentur, & mulceantur, ſummoque ſtudio

illa perſequuntur, hæc vitant; quò magis idem faciendum eſt ijs, qui homines regunt.

20 Quam Regendi, Regnandique artem Galba parum intelligens, vel obſervans, militaremque diſciplinam, alioſque corruptos Reipublicæ mores, quibus Neronis tempore Populus aſſueverat, uno impetu ad priſcam obſervationem reducere volens, paucis menſibus, ut Tacitus, & Suetonius tradunt, tenuit Imperium, maiorque privato viſus, dum privatus fuit, & dignus Imperio, ſi non imperaſſet. Tacit. lib. 1. hiſt. Sueton. in Galb.

21 Idemque Pertinaci contigiſſe, Spartianus commemorat, dum ſimili ſtudio laxationes ſub Imperio Commodi avidè à Populo Romano receptas, ſimul atque eiuſdem Imperij habenas ſuſcepit, emendare curavit, oblitus illius moniti Lucani: Spartian. in Pertin. Lucan. lib. 8.

------- *Mitiſsima ſors eſt*
Regnorum ſub Rege novo.

Et doctrinæ Philoſophi præclarè tradentis: *Non minus negotij eſſe Rempublicam emendare, quàm ab initio conſtituere.* Ariſt. lib. 4. Polit. c. 1. vide Saavedra Emp. 59. pag. 440.

22 Quæ quidem Gentilium monita & exempla, pluribus alijs, & ſecurioribus Sanctæ Noſtræ Almæ, & Catholicæ Eccleſiæ firmitatem accipiunt, cum ſuis primitivis temporibus, quorũ veſtigia huçuſque perdurant, Ethnicorũ, qui ad eã tranſibant ſuperſtitiones, & feſtivitates, multoties, in eorum ſolatiũ retinuit, cauſam tamen earũ immutans, ac veluti ſacris ritibus expians, & in Religionis noſtræ meliorẽ obſervationem traducens, ſic Barbaricæ feritatis ritus, quos in totũ evellere non poterat, ſenſim amputans, vel, ut Sol Emblematis noſtri, retardans, ut de Cereorũ, Equeſtriũque ludorũ, & alijs ſimilibus feſtivitatibus, Baronius, & alij paſsim animadvertunt, & ante eos Vetus Breviariũ, à Fr. Ioanne Pontano relatũ, cuius verba ſic habent: *Proſpiciens Eccleſia, quòd non de facili eos à tali conſuetudine revocaret, cogitãdo tractavit, ut obſervantia ſic maneret, ſed potiore nomine militaret.* Baron. in Martyr. 2. die Febr. & 1. Aug. Durãd. Bẽzõ D. Lau. Ramir. de Prado, & alij apud Me 2. tom. lib. 1. c. 24. n. 27. & ſeqq. Vet. Breviar. apud Pont. in Monarc. Hiſp. lib. 3. c. 13. pag. 91.

23 Et idem, de Anglis recenter ad fidem converſis loquens, D. Gregorius Magnus conſuluit, monens, ut propria fana, & immolationes animalium, quibus anteà utebantur, illis relinquerentur, dum tamen hæc in cultum veri Dei convertere ſuadeãtur, & hanc, rei de qua agimus, aptiſsimam rationem ſubiiciens: *Nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere, impoſsibile eſſe non dubium eſt: quia is qui ſummum locum aſcẽdere nititur, gradibus, vel paſsibus, non autem ſaltibus elevatur.* D. Gregor. lib. 10. Reg. epiſt. 71. Acoſta de proc. Ind. Sal. lib. 3. cap. ult.

24 Quod & ipſum in reliquis, quæ ad meliorem recens converſorum tractationem, & allevationem ſpectant, caveri debere, idem Gregorius & Iſidorus his quæ ſequuntur verbis pro regula tradiũt: *Primordia converſorum blandis refovenda ſunt modis, ne ſi ab aſperitate incipiãt, exterriti, ad priores lapſus recurrant. Qui enim converſum ſine lenitate erudit, exaſperare potius, quàm corrigere novit.* D. Gregor. lib. 24. Moral. c. 7. D. Iſidor. lib. 2. ſent. c. 8. Ego 1. tom. lib. 3. cap. 8. n. 7.

25 Idemque prorſus eſt, quod nunc Noſtris Principibus ſuademus, non quidem ea mente, ut vitijs indulgeant, ſive conniveant, cum potius ſemper illis excindendis, & puniendis, vigili admodum cura intẽdere debeant, ut alio loco dicemus, ſed ut diſcant, ea quæ altis fulta Infr. Embl. 62.

radicibus, uno impete avelli, atque extirpari citra grave periculum nequeunt, ſenſim, & pedetentim ijs, quibus poſsint modis, retardare, & labefactare, eorumque fomenta, ne uberius & ulterius ſerpant, ſed ut illis viduata exareſcant & cadant, paulatim extinguere. Nam ut præclarè monet Ovidius:

Ovid. 1. Triſt. 1.

Iudicis officium eſt, ut res ita tempora rerum
Quærere: quæſito tempore tutus eris.

Idem 4. Triſt. eleg. 6.

Quòd ſi, eodem ipſo Ovidio æquè verè, atque eleganter tradente, 26
Tempus omnia perficit, ac maturat, & cuncta poteſt tacito pede lapſa vetuſtas:

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & in curvo colla premenda iugo:
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet;
Quæque ſui iuſsis obtemperat Inda magiſtri
Bellua: ſervitium tempore victa, ſubit:
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana quod intus habent.
Tempus & in canas ſemen producit ariſtas,
Et ne ſint triſti poma ſapore facit.
Hoc tenuat dentem terram renovantis aratri,
Hoc rigidos ſilices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam ſævas paullatim mitigat iras;
Hoc minuit luctus mæſtaque corda levat.
Eximit ipſa dies omnes de corpore mendas,
Quodque fuit vitium, deſinit eſſe mora.

Nihil ſane eſt, cur non pariter de hominibus ſperemus, flecti etiã 27
tandem, & ad meliorem frugem reduci poſſe, ſi frænis leniter motis regantur, & dirigantur, opportuniſque medijs, atque temporibus, dura licèt ipſorum cervix placido iugo ſubdetur, ut benè aliud agens Simon Maiolus ſcripſit, & in noſtri Emblematis terminis Plinius Iunior, in uno ex ſuis Epigrammatis, inquiens:

Maiol. colloq. 2. pag. 55. & ſeqq.

Plin. Iun. in Epigr.

Sic hominum ingenia flecti Ducique per artes;
Non rigidas, docta mobilitate decet.

Quintil. li. 12. c. 11

Docente quippè Quintiliano: *Brevis eſt inſtitutio vitæ honeſtæ, beatæque ſi credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit, adeòque diſcere meliora volentibus promptum eſt, ut verè intuenti, mirum ſit illud magis, malos eſſe tam multos.*

Idem lib. 9. cap. 4.

Et rurſus, adhuc melius, & ad rẽ de qua agimus accõmodatius, ex- 28
pendens, quomodo homines hac ratione & temperatione duct., caſas

pro

pro domibus, pellium tegmina pro veſtibus, montes ac ſylvas pro urbibus commutaverint, ſic ſtatim ſubiecit: *Quæ porrò ars ſtatim fiat? Quid non cultu miteſcit? Cur vites coërcemus manu? Cur eas fodimus? Rubos arvis excidimus? Terra & hæc generat. Manſuefacimus animalia? Indomita naſcuntur. Verùm id eſt maximè naturale, quod fieri natura op timè patitur.*

Plutarch. in moralib.

Sup. Embl. 23. ad fin. & Emb. 12.

29 Quod verò Regibus in hoc noſtro Emblemate Solem imitandum propoſuerimus, ex eiuſdem Plutarchi diſciplina deſumitur, qui nullum aliud præſtantius exemplar invenit, quo Regum dignitas, & officium manifeſtetur, ut iam ſuprà aliud agens oſtendi, & pluribus proſequitur Ægidius Romanus. Nos hæc tetigiſſe contẽti, ad alia properamus, ab Anacleto Papa commoniti, quod ſupervacuis laborat impendijs, qui Solem certat facibus adiuvare. Adhuc tamen Dionem Nizenum addentes: qui eleganter admodum ſupremum Principem cum Sole componit, ac ſubdit: *Sol facit, & diſcernit horas, anniq́ue tẽpora, auget, & minuit omnia animantia, plantas alit, & fructibus ac folijs convertit: ſuppeditat ſuaviſsimum ac pulcherrimum ſpectaculum nempè lucem, & hæc omnia non gravatur, gratis impartiri. Et in æſtate propius ad noſtram habitationem accedit, ut omnia nutriat, omniaque perficiat.* Cuius ſimilitudinis accommodationem, licèt ipſe Dion tanquam apertam, & perſpicuam omittat, benè tamen eam explicat, & proſequitur noſter Quirinus Salazarius, inquiens; quòd ſicut Sol accedens, aut recedens, quatuor anni tempora abſolvit; & quidem cum accedit, mitiſsimas illas placidaſq́ue tempeſtates efficit, ſcilicet ver, atque æſtatem, quibus omnia florent, & plantæ fructu, frondibuſq́ue onerantur. Idem autem cum decedit, duas alias triſtes, horridaſq́ue, autumnum ſcilicet atque brumam cauſat, quibus omnia glacie tabeſcunt, & planctæ fructu frondibuſq́ue orbatæ dehoneſtantur. Sic etiam cum Princeps adeſt, & tanquam Sol inſtat imminetq́ue Reipublicæ, aut Regno, illud ſanè, arboris proceræ in morem, fœcundatur, fœlixq́ue & fortunatum eſt: cæterum cum recedit, aut omninò abeſt, omnia in contrarium exiſtunt. Quod etiam pariter eveniet, niſi temperatè & opportunè, ut noſtrũ monet Emblemate ſuum peragat curſum, ſuoſq́ue radios emittat, & attentè conſideret,

Ægid. Roman. in tract. de Regimin. Princip.

Anaclet. in c. ſi omnia 6. q. 1. gloſ. ver. *Plenitudine*, in Extravag. ad onus, de elect. Ioan. XXII.

Dion Nizen. in orat. 3. de Regno.

Salaz. in Proverb. cap. 11. verſ. 14. n. 65. col. 991.

------ Cives poſitos ſub lege novella,
Quæ leniter poterant, vix poſſe durè pati.

Tempori cede.

EMBLEMA XLIII.



Malleus iſte,vides,dura quem incude gerebat
Ferdinandus honos gloriaq; Heſperiæ.
Oſtendit quandoq; pati,quandoq; redire
Vltores ſcelerum,iure petente,Duces.
Omnia tempus habent, habet & ſua tempora Tempus,
Cuncta nec ulciſci,nec ſimulare decet.

COMMENTARIVS.

PARVM feciſſe ſive profeciſſe videbimur, dum Prudentiam tanquam aliarum virtutum Rectricem Principibus commendavimus, niſi eiſdem Patientiã quoque, & Tolerantiam in rebus, & temporibus ſibi minùs lætis, ac placidis commendemus. Eſt enim Patientia, iuxta Lactantij Firmiani definitionem, virtus, qua, cum agnitione divinæ voluntatis, providentiæ, ſapientiæ, bonitatis, iuſtitiæ, maieſtatiſque, Deo nos ſubiicimus, ad placidè ferendam quamvis adflictionem, crucemvè ab ipſo nobis impoſitam. 1

Lactant.lib.5.Inſt. cap.23.

Tantique apud ipſum Deum meriti, ut ſecundùm Tertullianum, & eius æmulatorem D. Cyprianum, illum velut debitorem habeat, & idoneum ſequeſtrem noſtrarum iniuriarum, & vindictarum efficiat, nulliſque non virtutibus ſe Comitem præbeat. Quod agnoſ- 2

Tertull. in lib. de patient. cap.15.D. Cyprian. de bono patient. Caſsian. collat.12.cap.6.& collat.14.

cens(fortè ab eiſdem doctus) Aurelius Prudentius, ſic habet:

> Prudent. in Pſychom.

Omnibus una Comes virtutibus aſſociatur,
Auxiliumque ſuum fortis Patientia præſtat.
Nulla anceps luctamen init virtute ſine iſta:
Virtus nam vidua eſt, quam non patientia firmat.

> Eraſm. pluribꝰ relatis in his Adagijs, & Canonher. in Aphoriſm. Polit. 1. to. pag. 541. & ſeq.

3 Eaque propter, nihil antiquius, nihil uſitatius reperitur apud omnes Philoſophos, & Auctores, qui vel de moribus, vel de rebus politicis ſcripſerunt, quàm tempus rerum agendarum noſcendum eſſe, adverſo cedendum, ventique contrarij flaminibus non reflandum; ſed patienter ferendum, quod vitari non poteſt, & etiam inter mala tempora (ut alibi Sidonius dixit) ſpem bonam, bonaque vota ſervanda. Verè quippè Comicus dixit: *Fortiter malum qui patitur, idem poſt potitur bonum*; & Babrias:

> Sidon. Apoll. lib. 3 epiſt. 4.
>
> Plaut. in Aſinaria.
>
> Babrias ex traduc. Rittershuſij in Etym. mag. ap. Camer. 3. to. pag. 217

Fer fortiter, quicquid tibi ferunt fata,
Nec tergiverſare; haud enim effugis fata.

4 Omnis etenim ira, (ut cum Seneca loquar) omnis indignatio creſcit in dolorem, & tormentum ſui, nullumque iugum eſt, quod non arctius premat refractarium, quàm ſpontè ſequentem. Quare benè monuit Horatius:

> Senec. epiſt. 85.
>
> Horat. 1. car. od. 24.

Durum, ſed levius fit patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas.

Eamque ſolam de fortuna triumphare, non minùs ſcitè dixit ille, qui dixit: *Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit*
Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.

> Oræus Icone 61.

Cui & alter arridet, qui idem, poſt Ovidium, conſulens, inquit:

> Schoonhov. Emb. 62. poſt Ovid. 3. amor.

Perfer, & obdura; Patientia plurima mollit,
Quæ nequit humanum corrigere ingenium.

5 Quod planè, cum nullis non hominibus uſui eſſe poſsit, & debeat, Regum tamen ac Principum animis altius figendum eſt, quò altioribus ipſi, & arctioribus caſibus ſubſunt, & de plurium ſalute, qui ex ipſorum prudentia, & patientia pendent, periclitantur. Quos, & ſe ſe pariter, in perniciem deducent, niſi tempori & loco actiones ſuas omnes congruenter adaptent, ſeveritatem comitate leniant, lætitiam triſtitia moderentur, proſperos, & adverſos caſus victrici animi æquabilitate ſuſcipiant, quod vitare pro tempore non poſſunt, patienter ferant, quod nec ulciſci, nec vindicare, diſsimulent, brevem ſtultitiã, ut Horatius monet, conſilijs ſuis miſceant, in qua opportunè ſimulãda Dionyſius Cato ſummam prudentiam conſtituit, inquiens:

> Horat. lib. 4. od. 12. eccl. 10.
>
> Cato in præc. moral. lib. 2.

Inſipiens eſto, cum tempus poſtulat, aut res.
Stultitiam ſimulare loco, prudentia ſumma eſt.

6 Et denique polypi mentem, iuxta vetus Adagium, obtineant, de quo Theognis, & Clearchus dixerunt:

> Eraſm. in hoc Adag. pag.

Po-

Polypi ingenio mihi ſis nate Amphiloche heros,
Vt temet populo, quemcunque acceſſeris aptes.

Salaz. in Prov. c. 11. n. 63. col. 997.

Quod perinde valet ac dicere, ut Noſter Salazarius animadvertit, Principem, non unius formæ virum, ſed multiplicem, ac multiformem eſſe oportere, Protheique ſimilem, quem ideò fortè fabulæ narrant, varias formas inducere, & aſſumere ſolitum; nam cum Ægypti Rex eſſet, ad ſingulorum mores ſe ſe effingens, varium ſe quoddammodo, & multiplicem exhibebat.

Horus in ſymb.
Fileſac. lib. 2. ſelect. c. 6. pag. 35.
Cauſin. in Poliſtor. Sym. lib. 7. c. 110.

Vnde Protheum optimi Principis exemplar eſſe, docuit Horus A- 7
pollo. Idemque de Tharando Scythiæ fera dicere poſſumus, quam Phile Græcus Poëta non poſtremi nominis à Ioanne Fileſaco relatus, & alij apud Cauſinum enarrant, in colores mille pilos ſuos convertere.

Iun. Embl. 43.

Hadrianus autem Iunius, ut eundem patiendo, prudenterque ce- 8
dendo, victorem evadere oſtendat, validam ornum pingit, quæ, quia vi ventorum obſiſtere nititur, ab eadem ſternitur: cum contra arundo, alioqui fragilis, quia ei ſe ſubmittere novit, infracta permaneat, & ſic inquit:

Vis Boreæ obnixas violento turbine ſternit
Ornos; arundo infracta eandem deſpuit.
Fit victor patiens animus cedendo furori;
Inſiſte, Victor, hanc viam, & re, & nomine.

Bochi ſymb. 136.
Saaved. Empr. 36. pag. 345. poſt Cicer. quam vide lib. 1. epiſt. pen. ad Lẽtal. & Gaſp. Enſl in nucl. pol. pag. 213.

Achilles Bochius, noſter Saavedra, & alij, Cicerone præeunte, & 9
in illud Phocylidis collimantes:

Temporibus ſemper cautus ſervire memento;
Nec reflare velis adverſus flamina venti.

Navis utuntur ſymbolo, cuius prudens rector, vel gubernator, ſi vi tẽpeſtatis compulſus, eam rectà in portum apellere nequit, vel carbaſa contrahit, vel mutata velificatione, ventis obediens, & ſe pro tempore committens, id efficit, ut mox, eis ceſſantibus, quò voluit poſsit fœliciter pervenire; illud reapſe, quod alibi Æneas apud Virgilius dixit opere complens:

Virgil. Æneid. 5. verſ. 19.

Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitura aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantùm
Sufficimus, ſuperat quoniam fortuna, ſequamur,
Quoque vocat vertamus iter.

Senec. apud lib. 3. Polit. c. 5.

Et magis ad rem noſtram Seneca, inquiens: ***Sapiens non uno ſemper it gradu, ſed una via, nec ſe in aliquibus mutat, ſed potius aptat, & ut verbo dicam, non curſum eundem tenet, ſed portum.***

Strad. in Symb. pag. 17.

Quo etiam ſymbolo, ad idem ſignificandum, Venceslaus Roma- 10
norum Imperator uſus fuit, Octaviano Strada recenſente, cum lemmate *Tempeſtati parendum.* Noſque illud ipſum inter hæc noſtra inſe-

rere deſtinavimus, ſub his quæ ſequuntur carminibus, licèt poſteà, quia vulgatnm,& ab alijs occupatum, prætermittendum eſſe cenſuerimus: *Cernis ut iratis agitentur carbaſa ventis,*

Oppugnatrices cum ciet Eurus aquas.

Cernis ut inſana plus concrepitante procella,

Auſcultet navis iuſſa ſevera Noti:

Si vult ſubmiſſus ſibi, Rex, ut obediat orbis,

Vt Tempeſtati pareat ipſe decet.

11 Dionyſius etiam Batillius eandem doctrinam ſub adamantis ſymbolo tradit, qui conſtans & infractus, ad quoslibet mallei & incudis ferrei ictus quantumvis graves, perſiſtit: nec ſecari, nec cædi, vel teri poteſt, nec ignis viribus incaleſcit, unde & nomen ab hac indomita vi apud Græcos accepit, & hæc carmina ſtatim ſubiungit, Reges, pariter ac Nos facimus, ad eandem patientiam, & conſtantiã hortantia: Batilius Embl. 29.

Adverſa uſque licèt Regem fortuna laceſſat,

Vſque licèt ſuas intonet illa minas,

Obnixus contra, non cedere, ſuſtinet ille

Cladibus obdurat fortior, atque ſuis.

Virtute ipſe ſua ſe ſe involvenſque, recentes

Invictus vires ſufficit ipſe ſibi:

Qualis, non Adamas ullo contunditur ictu,

Vique ſua ferri duritiem ſuperat.

12 Nos autem, in eundem ſcopum tendentes, proprius, atque aptius, ni fallimur, hoc, quod vides, imminentis ſuper immotam ac validam incudem, mallei figmentum proponimus, quo uſus fertur Catholicus ille, & glorioſus æquè, ac prudens Rex Noſter D. Ferdinandus, huius nominis V. qui verè Hiſpaniam Hiſpaniæ reddidit, & aditum ad latè patentem ac potentem eiuſdem Monarchiam ſuis Poſteris reſeravit. Hoc ſymbolo oſtendere volens, paratum quidem ſe eſſe, duris quibuſque & adverſis temporum, hoſtium, civiumvè ſuorum ictibus perferendis, & opportunè diſsimulandis: ſed pariter quoque ad eoſdem retundendos, & vindicandos, non ſolùm dum mallei ictus, vel ex ipſa percuſsione duræ, ac conſtantis incudis retaliantur, ſed etiã poſteà, ubi & ipſa in malleum converti, ſive mallei vices exercere commodè poſsit.

13 Quod planè ſymbolum, licèt quidam ex Noſtris ſemel atque iterum improbet, & Chriſtiano Principe, & per anthonomaſiam Catholico, indignum cenſeat, quia quamvis Patiẽtia in adverſis laudabilis ſit, ſimulatio tamen, vindictæque deſiderium, & comminatio, Dei legi repugnat, qui eam ſibi, iuſtam licèt, relinqui debere præcepit, & ut ſupra cum Tertulliano diximus, ſe veluti ſequeſtrem iniuriarum noſtrarum conſtituit. Ioann. Horoſ. Covar. in Embl. lib. 1. fol. 45. & 61. Deut. 32. ad Rom. 12.

14 Adhuc tamen licèt in privatis ſanctius conſultiuſque ſit, illatas iniurias oblivisci, & etiam ſi occaſio ferat, non retaliare, ad quod Mo-

Seb.Covar.cent.3 Embl.78.

nitum ſuadendum, eodem hoc noſtro ſymbolo uſum reperio Sebaſtianum Covarruvias, cum lemmate, *Suſtine, & abſtine*, & verſibus qui hanc patientiam, & abſtinentiam commendant in Rege, Regioque munere iuſtè defendi poteſt, cui ſemper incumbit Coronæ, Maieſtatiſque ſuæ dignitatem, & iura ſarta tectaque tueri, exceſſus delictaque ſubditorum punire, & citra ullum odium, atque iram (in quibus dumtaxat eiuſmodi actionum peccatum verſari poteſt) quæ tempori parens diſtulerit, vel diſsimulaverit, poſtmodum, occaſione oblata, ultore gladio perſequi, & per legitimos tramites vindicare.

Cicer. lib 4. fam. epiſt. 9. & lib. 12. ad Attic. epiſ. pen. & lib 5. de finib.

Quod, tantùm abeſt, ut in ſe peccatum contineat, quòd potius, qui ita commiſsi ſibi Regni habenas non temperant, in peccatum imprudentiæ, ſocordiæ, & negligentiæ incidere videantur, & vel primum, ac præcipuum omnium Politicorum Sapientiumque virorum Monitum ignorare, quod (ut ſupra diximus, & graviter, ultra innumeros alios, docet, ac repetit Cicero) *Tempori cedere* conſulit. 15

Quod Pindarus in omni re faſtigium obtinere meritò dixit; & Heſiodus, inquiens: 16

Pindar. in Pythijs.

Obſervato modum, nam rebus in omnibus illud
Optimum erit, ſi quis tempus obſervaverit aptum.

Lucan. ad Piſon.

Necnon & Lucanus, ſic ad Calphurnium Piſonem ſcribens:

Temporibus ſervire debet, qui tempora certis
Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
Miles erit: ſi Pax, poſita toga, geſtiet armis.
Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebunt.

Eccleſ. 8. 6.

Erasm in ſimilib. fol. mihi 58.

Plut. in vit. Lyſan.

Eraſ in Adag pag. mihi 350. Saaved. Empr. 43. ex pag. 285.

Hiſque longè certior teſtis ſive Magiſter Salomon, abſolutè diffiniens: *Omni negotio tempus eſt, & opportunitas*; & quòd magis eſt, Deus ipſe Opt. Max. qui cum nihil non videat, nihil tamen videnti ſæpè ſimilis eſt, & opportuno tempore ſupplicij tarditatem gravitate compenſat; ſic Principes, ut Eraſmus dixit, edocens, nihil ignorare, multa diſsimulare debere, & iuxta vetus, & vulgatum illud Lyſandri apud Plutarchum Apophthegma, quod iam in Adagiũ pertranſijt: *Si leonina pellis non ſatis ſit, vulpinam induere.* 17

Tacit. 11. Annal.

Idem in vit. Agric. cap. 39.

Planè Romani apud Tacitum, validam & laudatam antiquitatem, quoties fortuna contradiceret, tempori cedentes, ſaluti conſulebant, Qui & ipſe alibi docet: *Omnia ſcire, non omnia perſequi, parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem accommodare, nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentum, & utcumque diſsimulare, Ducis boni Imperatoriam virtutem eſſe.* 18

Polyb. de re milit lib. 10.

IdemPolyb. lib. 3. hiſtor.

Et ei aſſentiens Polybius: *Cum Reipublicæ* (inquit) *vires non patiuntur aleam belli amplius tentari, maturè, & prudenter cum hoſtibus, vel per ſe, vel per ſocios deſœdere agendum, prius quàm id hoſtes ipſi penitus noſſe poſsint diſsimulato, & prudenter celato ruinæ noſtræ metu.* Et iterum: *Optimi Principis officium eſſe, non ſolùm reſiſtendi, ſed cedendi tẽpora proſpicere.* 19

Hiſque expreſsius, & ad convincendum Horoſcium Covarru- 20

viam validius, D. Iſidorus: *Plerumque* (inquit) *Princeps iuſtus etiam malorum errores diſſimulare voluit, non quòd iniquitati eorum conſentiat, ſed quòd aptum tempus correctionis expectet, quando eorum vitia, vel emendare valeat, vel corrigere.* D. Iſid. 3. ſent. cap. 50.

21 Divus etiam Chryſoſtomus de eadem agens, ſic ait: *Permittimus, quod nolentes indulgemus, quia pravam hominum voluntatem ad plenum* D. Chryſoſt. in Home.
22 *cohibere non poſſumus.* Platonicus quoque Philo Iudæus, idem ipſum his verbis dilucidius expreſsit: *Nam rerum civilium adminiſtratio, res eſt multimoda, & varia, multas mutationes recipiens perſonarum, rerum cauſarum, ſequeſtrorum proprietates, locorum diverſitates, & temporum. Sicut Medicus non uno ad omnes morbos utitur remedio, ac nec in uno quidem morbo, ſi is variet: ſed obſervans intenſiones, remiſsiones cauſarum mutationes multa ad ſalutem variat, nunc hoc, nunc illud experiens: ſic opinor, & Reip. moderator debet eſſe multiformis, & multiplex, alius in pace, alius in bello: aliter ſe paucis, aliter ſe multis opponens adverſarijs: contra paucos conſtanter agens, multos verò flectens perſuaſionibus, &c.* Philo Iud. in lib. de Ioſeph.

23 Et Papirius Maſſonius, turbulentiſsimis temporibus certum eſſe agnoſcit, pleraque à Regibus fieri, præter ordinem faſque, quæ tamē inviti faciant, ſimiles rectoribus navium, quos tempeſtas ſæpè à vicino portu, in remotiſsimos ſcopulos nolentes rapit. Maſſon. lib. 2. an. Franc.

24 Cui ſimili, aliud, è re etiam nautica ſumtum, addere poſſumus, ex D. Cyrillo, ſic apud Gratianum in decretis loquente: *Diſpenſationes rerum cogunt nonnunquam parum quidem quoſdam à debito foras exire, ut maius aliquid lucrifaciant. Sicut enim ij, qui mare navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante, anxiati quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant: ita & Nos, cum non habemus ſalvandorum omniū negotiorum penitus certitudinem, deſpicimus ex his quædam, ne cunctorū patiamur diſpendia.* D. Cyrill. relatus à Gratiano in c. diſpenſationes 1. q. 7.

25 Vnde plurimi Reges, vel in hac ſolâ temporis obſervatione, & ut res poſtular, motuum animi ſui cauta, & prudenti diſsimulatione, totum Regnandi Regendique officium, & artificium conſtituerunt, ut de Galliæ Regibus Ludovico II. & Carolo VIII. Paulus Æmilius, & alij illius Regni Scriptores commemorant, dum filijs ſuis quicquam Latinè ſcire prohibuiſſe dicuntur, præter hoc unum, *Qui neſcit diſsimulare, neſcit regnare.* Paul. Æmil. lib. 10.

26 Quod & ipſum Sigiſmundus Romanorum Imperator ſignificare voluit, pro ſymbolo, ut Strada refert, mundi terreſtris globum geſtans, cum Imperiali diademate ſuper impoſito, & hoc lemmate, *Neſcit regnare, qui neſcit diſsimulare.* Idemque Friderico VI. Imperatori ſæpè in ore fuiſſe Beyerlinchius eſt Auctor, qui dictum Apophthegma hoc carmine claudit: Strad. in ſymbol. Reg. pag. 17. Beyerl. in Apoph. Chriſt.

Qui Regnare volunt, multis dormire, ſagaci
Multaque conſilio diſsimulare ſolent.

Eraſm. in his Adagijs, & latè Calliſt. Remirez in tract. de lege Regia.

Et iam hoc in Adagium pertranſijt, prout & illud *Non reget, qui non teget*; ubi eorum Expoſitores plura alia in ipſorum confirmationem adducunt, & ſolita eruditione utens Petrus Faber, de quo meritò Ia- Petr. Fab. lib. 3. ſemeſt ex pag. 181.

co-

cobus Cuiacius dicere potuit, vere ad alciam factum eſſe, quicquid dedolavit ille faber.

Salom. Proverb. 12.16.

27 Cum Salomone concludens, Fatui atque imprudentis eſſe, ſtatim iram ſuam indicare: callidi autem ac verſuti diſsimulare iniuriã, quæ ex Chriſtiana charitate alioqui remitti non debuerit, & in opportunũ tempus illius ultionem differre, aut iudicibus certè perpendendam committere. Nam, ut Seneca Tragicus inquit:

Senec. in Medea.

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

Stob. ſerm. 20.

Et ut apud Stobæum tradit Ariſtoteles, qui imprudenter iniurias ulciſcitur, eas exaggerat.

Boiſſard. Emb. 21.

Pined. & Plut. ap. Eraſ. in Adag. Polypi mentẽ obtine, pag. 344.

28 Et hanc Regnandi doctrinam iuſtam, & utilem eſſe, dolo fraudeque ceſſante, inſinuare volens Ioannes Iacobus Boiſſardus, Emblema quoddam confinxit, de Prudentia, ſerpentem in dextera, & larvam in ſiniſtra tenente, inſinuare volens, nullum Prudentem eſſe poſſe, qui tempori & loco has larvas non adaptaverit, & illud Pindari præ oculis non habuerit:

Ioan. Oven. lib. 1. epigr. 92.

Proque loco nunc hunc fieri, nunc convenit illum.

Boiſſardi carmina hæc ſunt, de Prudentia loquentis:

Quod gerit hæc larvam, non eſt ut fallat: at illa
Aptat perſonam caſibus atque locis.
Læta eſt & triſtis, quoties occaſio poſcit:
Temporibus vultus commodat illa ſuos.

Tiraq. de retr. lig. in Præf. n. 72. Marquez in gub. Chr. lib 1. c. 14. §. 1. & lib. 2 c. 7. Vveſtonus in Theat. vitæ civil. lib. 4. c. 12. Raynaud. in tr. de æquivoc. Canõh. in Aphor. polit. 1. to pag. 838. Cõtz. lib. 3 polit. c. 4. §. 4 & ſeqq. Drexel. de mẽdaci lingua, c. 6. §. 1. & ſeqq. Zipæus in iudice, li. 3. c. 17. Marſalaer in legato ll. 1. c 39 Berneger. ad Tacit. Agric. q. 182. Saaved. in Id. pol. pag. 45. 119. 149. 285. cum multis ſeqq. Fontaner. in legat. c. 8. 21. & 22

29 Extat etiam apud Ioannem Ovenum optimum Epigramma, & ad rem noſtram valdè conducens, in quo ſic habet:

Diſsimula, ſimula quoties occaſio poſcit,
Moribus ut morem, temporibuſque geras.
Temporibus qui ritè ſapis, ſervire memento
Omnibus, ut tempus ſerviat omne tibi.

30 In eandemque ſententiam, poſt longam diſputationem de iuſta, vel iniuſta ſimulatione præhabitam, Tiraquellus, Marquez, Vveſtonus, Raynardus, Canonherius, Contzen, Drexelius, Zipæus, Marſalaer, Matthias Bernegerius, latèque Saavedra Noſter, & Comes Fõtanarius, omnino legendi, conveniunt, pluribus alijs Sacræ Scripturæ, & bonorum Auctorum teſtimonijs, & exemplis adductis. Quæ inter, illud Saulis omitti non poteſt, qui ut in libro Regum habetur, cũ filij Belial eum contemnerent, nec conſueta munera largirentur, prudenter, & iuſtè ſe audire diſsimulabat, in tempus opportunum vindictam reſervans. Prout ſimiliter in alijs caſibus à Ioabo & Abſalone factum, ex eiſdem ſacris Litteris intelligimus.

1. Reg. 10. in fin.

2. Reg. 3. 13. & 20.

Salluſt in Catilin. Dio lib. 37.

31 Et in Romanis hiſtorijs ſatis nobilis eſt illa à Cicerone, Salluſtio, & Dione relata, de diſsimulatione ſupplicij Marci Craſsi, ob nimiam eius potentiam, & divitias, licèt inter ſocios Catilinariæ coniurationis delatus fuerit, delatore ipſo in vincula coniecto, ut ſimularet Senatus, calumnioſæ eius delationi fidem habitam non fuiſſe.

Ti-

32 Tiberius etiã & Vocula apud Tacitũ, eadem diſsimulatione prudenter uſi leguntur; & de Nerone quoq; idẽ Tacitus narrat, tenuioribus, qui ſibi canenti, cytharamq; in theatro pulſanti, non plauſerant: *Statim irrogata ſupplicia, Adverſus illuſtres, diſsimulatum ad præſens, & mox redditum odium.* Quod & Philippus Pulcher in ſeditioſos è

33 Pariſienſibus aliquot, poſt diſsimulationem, animadverſione, à Roberto Gaguino, & Girardo feciſſe commemoratur. Et Carolus VIII. dũ rebellantes in Francia Huguenotos, quibus connivere viſus fuerat, poſteà, data occaſione, ſeverè ubique occidi, puniriq; mãdavit. Cuius factũ, ut refert Petr. Faber, Pariſinus Præſes, publica oratione habita, ea ratione nõ ſolùm excuſavit, ſed commẽdavit; quòd à Ludovico XI. eius avo illud didicerit: *Qui neſcit diſsimulare, neſcit regnare.*

Tacit. 1. Annal. idẽ lib. 4. Hiſtor.
Tacit. li. 16. Annal.
Gaguin. lib 7. fol. 118. Girard. li. 14.
Petr. Fab d. lib. 3. ſemeſt. c. 13. pag. 181. ad fin.

34 Ex Noſtris quoque Hiſpaniæ Regibus plura eiuſdẽ diſsimulationis exempla produci poſſunt, quæ poſt Marianã Saavedra Noſter recenſet, ſed pro multis illud Ranimiri tetigiſſe ſufficiat, qui, ut præter Noſtros, Collenutius recenſet, ex Monacho, diſpenſante Pontifice, Rex Aragonum factus, cum ab aliquibus ex ſui Regni proceribus ob equitandi & bellandi imperitiam irriſus fuiſſet, conceptam ex hac iniuria indignationem, patienter primò diſsimulavit, & poſteà, Mauris devictis, irriſoribus ſub alio prætextu in Oſcam vocatis, undecim ex primarijs illorum ſecuri percuſsit, hoc Hiſpanum Adagium ſubmurmurans, *No ſabe la Vulpeja con quien trebeja.*

Saaved. ubi ſuprà pag. 563.
Collenut. hiſtor. Neap. lib. 1.

35 Arnoldus etiam Ferronus, & ex eo Camerarius, invictum noſtrum Regem & Imperatorem D. Carolũ V. cum Franciſco I. Galliarũ Rege præſtantiſsimo eius Antagoniſta latè comparant, ſeu componunt, & in illo noſtro, hanc calliditatem, & diſsimulationem, ſive ſuarum paſsionum occultationem extollunt: hunc autem apertiorem, & clariorem eſſe concludunt.

Ferron. in an. Frã. pag. 170 Camer. 3. to. ſubceſſ. pag. 90.

36 Quæ quidem omnia ſatis oſtendunt, nihil planè eſſe, quod in D. noſtro Ferdinando Catholico, & eius, de quo agimus, Symbolo, hac in parte notari poſsit, cum iuſta & prudẽs diſsimulatio a nullo non Authore laudetur. Hancq́ue, Mariana, & alijs teſtantibus, ipſi eidem Catholico Regi Ioannes Aragoniæ Rex II. eius pater, ſummopere commendaverit, ad capiendam poſſeſsionẽ Regni Caſtellæ properanti, ratione matrimonij, quod cum Domina Noſtra Eliſabetha, Catholica Regina, contraxerat, ſeriò eundẽ admonens, ut tempori neceſsitatique cederet, & interim dũ in Regio ſolio firmiter conſederet, amicitiam Marchionis de Villena, Archiepiſcopi Toletani D. Alfonſi Carrillo, & aliorum Regni, tunc ſuperbentium Procerum, captare vel ſimulare curaret. Quod & ipſe, ſalva Maieſtatis Regiæ reputatione, ſumma prudentia, & dexteritate peregit, nobiſque, ceſſante (ut ſæpè diximus) dolo malo, illud Iuvenalis in Regnãtibus æquè iuſtum, ac tutum eſſe manifeſtavit:

-------- *Melior qui ſemper & omni*
Nocte diuque poteſt alienum ſumere vultum.

Mariana in Hiſtor. Hiſp. Saaved. pag. 219.
Iuvenal. ſatyr. 3. Similis Claudian. 1. in Ruffin. ibi, *Edidicit*, &c.

Siniſtri caſus ferendi, & corrigendi.

EMBLEMA XLIV.



Teſſera dum ſortem removet, non luſor in iram
Ardet: ſed doctus providet arte lucrum.
Aſpera quando tibi, Princeps, Fortuna reſiſtat,
Non vi, non Iris, arte caveto mala.

COMMENTARIVS.

HIS Prudētiæ, Patientiæ, & opportunæ Diſsimulatio- 1
nis dotibus, ac virtutibus, quibus noſtrum optamus
Principem ſplendere, affinis, ac pediſequa eſt, eſſeq;
ſemper debet, FORTITVDO, quæ à Cicerone, Anĩ
mi affectio definitur, in adeũdo periculo, labore do-
loreq; patiendo, & contemnendo & ſiniſtris fortunæ
caſibus, non ſolùm magnanimiter perferendis, verùm, & reſiſtendis,
ac corrigendis.

Cicer. de invent. & 1. offic. & in Taſculan.

Cuius veſtigijs inhærens Seneca, eandem, contemtricem timen- 2
dorum appellat, terribiliaque, & ſub iugum libertatem noſtram mit-
tentia, deſpicientem, provocantem atque frangentem. Et Hora-
tius, illum demum eſſe iuſtum, & ſapientem virum inquit, qui

Senec. epiſt. 89.

Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis apparet: ſapienter idem
Contrahit vento nimium ſecundo,
Turgida vela.

Horat. lib. 2. od. 10. idem eod. lib. od. 3.

Et

Et cuius ſolidam mentem, nec fulminantis magna Iovis manus cõcutiat, &

IdemHorat.lib.3.od.3.

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum feriant ruinæ.

Virgil. Æneid.5.v.710.

3 Monente quippè Virgilio:

Superanda omnis fortuna ferendo eſt.

Mart.lib.11.epigr.57.

Quem ſequutus Martialis, dixit:

Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Menãd.in Adelph.

Et Menander: *Non omninò concedendum eſt malis, ſed reſiſtendum: ſin minus ſurſum, atque deorſum vita noſtra impinget, ac pervertetur.*

Max. Tyr. ſer.18.
Pittac.apud Stob. ſerm. 18.

Et ut rectè Bias apud Maximũ Tyrium admonet, is demum infórtunatus eſt, qui infortunium ſuũ æquo animo ferre non poteſt, quia ſecundùm Pyttacum Mitylenæum, Prudentiũ virorum eſt, ne quid mali fiat cavere: fortium autem, id quod factum eſt, moderatè ferre.

Dion.Cato lib.2.

4 Vnde emanavit lepidum illud Plauti dicterium: *Animus æquus ærumnarum condimentum eſt*, & in ſuis præceptis moralibus Catunculus prudentiſsimè monuit:

Rebus in adverſis animum ſubmittere noli,
Spem retine: ſpes una hominem nec morte relinquit.

Apoll.ap.Steph.in Gnomis vet.Poët. pag.54.

Quem præivit Apollodorus apud Henricum Stephanum, inquiens:

In miſerijs nullis labaſcere convenit,
Meliora ſed ſperare ſemper ad fore.

Tacit.2.Hiſt.
Ioſeph. apud Tyr. ſerm.18.
Ægeſip. lib.4.de bell.Hieroſ. c.2.

5 Et Tacitus conſulit, maiori animo tolerari debere adverſa quàm relinqui: *Fortes & ſtrenuos etiã contra Fortunam ſpei inſiſtere, timidos & ignavos ad deliberationẽ formidine properare.* Ioſephus etiã, idẽ pulchrè docuit, dum dixit, quòd *quemadmodum ineptorũ eſt, ſecunda fortuna nimium efferri; ita mollium eſt, adverſa deiici, & terreri; facilis enim eſt in utramque mutatio.* Quod infirmo ingenio tribuens Ægeſipus ſic habet: *Infirmi ingenij eſt, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur.*

Sidon.lib.3. epiſ.4.
Nat.Com. lib.14. hiſt.
Idem lib. 3.

6 Et magis adhuc idem exaggerans Sidon. Appollinar. certũ eſſe ait: *Non minùs vitiorũ, quàm hoſtium eſſe captivũ, qui non etiã inter mala tẽpora, bona vota ſervaverit.* Et Natalis Comes, non contentus quodam loco dixiſſe, ſtulti eſſe, parumq; futura proſpicientis, in utraq; fortuna pro arbitrio ventorũ impelli, in alio ſic habet: *Fortunæ non eſt cedendũ, quæ ſæpè iudicio, & ingenio ſuperatur. Quippè cum in tractandis negotijs, non rarò incognitæ, & prius occultæ viæ ſe patefaciãt, quæ mox ad optatũ exitũ ipſa negotia perducunt.* In idem quoque tendit illud Sigiſmũdi Imperatoris Apophthegma ab Ænea Sylvio relatum, qui rogatus, quem virum Regno dignum aptumq́ue exiſtimaret? Eum, reſpondit, quem neque ſecundæ res extollerent, neque adverſæ deprimerent.

Æn.Sylv.adCom. de dict. Reg. Alf. lib.4.
Iovian. Pontano, Polianth. Cardan. & Theat. in his verb.Lipſ. de Cõſtãt.& alij paſsim.
Sup.Embl.VI.

7 Poſſemq; facilè plura alia graviſsimorum Auctorum documẽta in eiuſdẽ Thematis comprobationem expendere, quæ apud eos obvia ſunt, qui peculiares libros de Fortitudine, Conſtantia, Patientia, & Magnanimitate elaboraverũt. Sed prædicta tetigiſſe ſufficiat, iunctis alijs ſuprà alio loco relatis, ut noſtri intelligant Principes, ſibi præ-

Senec. lib. 1. de Clement. & lib. de Provid. cap. 4.

cæteris has virtutes eſſe admodum neceſſarias, cum docente Seneca: *Magnam fortunam, Magnus animus deceat, Proſpera in plebẽ, ac vilia ingenia deveniant: at calamitates terroreſque mortalium ſub iugũ mittere, proprium magni viri ſit.* Qui & ipſe in Tragœdijs ſcriptum reliquit:

Idem in Oedip.

------------- Regium hoc ipſum reor,
Adverſa capere. Quòque ſit dubius magis
Status, & cadentis Imperij moles labat,
Hoc ſtare certo preſsius fortem gradu.
Haud eſt virile terga Fortunæ dare.

Prover. 14. 17. — Tit. Livius dec. 4. lib. 7. — Tacit. 1 Annal. — Sidon. lib. 8. epiſ 5 — Nat. Com. lib. 11. Hiſtor.

8 Quod niſi faciãt: *Impatientes, operabuntur ſtultitiam,* ut in ſuis Proverbijs Salomõ inquit; & concredita ſibi Regna facilè peſſumdabũt: *Quorum Maieſtas* (iuxta nobilem illam, & ſemper menti figendã, Livij ſententiã) *difficilius à ſummo faſtigio ad mediũ detrahitur, quàm à medijs ad ima præcipitatur.* Et hoc haud dubiè excidiũ timere poterit, ſi eorũ Rectoribus valẽtior omni fortuna animus deſit, qui, quæ caſus offert, in prudentiam, vertere ſciat, & eminentius cẽſeat, quod ipſos probẽt adverſa conſtantes, quàm ſi celarent ſecunda fœlices. Nam ut benè etiã dixit Natalis Comes: *Inclinatam ac prope cadentem Fortunam, omnia adverſa urgent, & impellunt, niſi prudentia ſuccurratur, quæ una plurimum impedit, vel retardat adverſæ, & infeſtæ fortunæ curſum.*

Virg. 6. Æneid.

9 Ac ſanè, ut magni eſt animi rebus ſecundis non efferri; ita nõ minoris, adverſis non ſuccumbere, & in utraque fortuna eundem eſſe. Quapropter Virgilius, qui nihil in toto ſuo opere molitur ineptè, Sybyllam, Delphico furore bacchatam, Æneæ conſulentem inducit:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quàm tua te Fortuna ſinet.

Cerd. & Pont. poſt Eraſm. in Adag. *Palmã ferre*, pag. 706. — Plut. ſympoſ. lib. 8 Agel. lib. 3. c. 7. Pierius in Hierogl.

10 Quò loci, rectè eius Expoſitores animadvertunt, ad Palmæ arboris naturã peritiſsimè reſpexiſſe, quæ ut Plutarchus, Agellius, & alij plurimi tradunt, cum ingenio fortium virorum convenit, atque adeò virilis & conſtantis animi Symbolũ extat, quoniam licèt ipſam ſuper impoſito pondere graviter premas, non deorſum deflectitur, ſed ſurſum adverſus illud reſurgit, recurvatur ac nititur, premitur, non opprimitur, perinde quaſi oneri, vim facienti, reſiſtens.

Alciat Embl. 36. & Camer. cent. 1. Embl. 58. ſub Acantho herba, quæ ſimiliter expreſſa reſurgit.

11 Vnde Alciatus Emblema deduxit, quo obdurandum adverſus urgentia ſuadet, ſic inquiens:

Nititur in pondus Palma, & conſurgit in arcum;
Quò magis & premitur, hoc mage tollit onus:
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
Queis menſas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis
Qui conſtantis erit, præmia digna feret.

Virgil. Æneid. 6. & 10.

12 Idem quoque Virgilius ſemel & iterum pugnantes, fortes, & in periculis conſtantes, atque imperterritos Duces extollere volẽs, rupis in pelagoſitæ ſimilitudine utitur:

Magno

-------------- Magno veniente fragore
Qua ſe ſe multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: ſcopuli ne quicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illiſa refunditur alga:
Obvia ventorum furijs expoſtaque ponto,
Vim cunctam atque minas perfert cœlique mariſque
Ipſa immota manet.

13 Quam ſimilitudinẽ ad eos, qui conſtanti animo in Fide Catholica perſeverant, deducit D. Cyprianus, omninò legendus & iuvenibus, ut voluptatũ fluctibus obſiſtere diſcant, aptat Hadr. Iunius, proverbialẽque eſſe docet Macrobius, & à Cicerone, & alijs plurimis uſurpatam. A quibus illam mutuatus Boiſſardus, hoc Emblema formavit: D. Cyprian. lib. 1. epiſt. 3. Iunius Embl. 58. Macrob. lib. 6. c. 5

Vt Pelagi medijs rupes in fluctibus extans
Æſtum commoti fert benè firma ſali:
Sic vitæ qui forti animo eſt, ac mente, procellas,
Propoſitaque etiam morte, pericla feret.

Boiſſard. Emb. 48.

14 Horatius autem, eandem in Romanis fortitudinem laudãs, & quòd adverſis rebus, & afflictis preſsi, magis excreſcerent, ac diteſcerent, ilicis comparatione utitur, quæ ictibus, & ramis amputatis, magis frõdeſcit, creſcitque, ita elegantiſsimè inquiens: Horat. lib. 4. carm. od. 4.

Duris ut Ilex tonſa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro, &c.

Ex quo Ioachimus Camerarius in eandem rem hoc Emblema deduxit, cum lemmate, *Per damna, per cædes.* Ioachim. Camer. cent. 1. Emb. 25.

Cladibus augeſcit virtus animoſa: Bipenni
Sic ilex vires tonſa ſubinde capit.

15 Agellius, ab Athetlarũ, qui Pancraciaſtæ vocantur, imitatione, prudẽtes admonet viros, ut quemadmodum illi ante pugnã, & in pugna, adverſus quoſlibet contrariorum ictus ſe præparant, ac præmuniunt: ita hi, conrra Fortunæ verbera, contraq; inſidias iniquorum, mentẽ, & animũ præparent, ne qua in re adverſa, aut repentina, imparati improtectivè modo aliquo reperiantur. Agel. lib. 13. c. 26.

Hector verò Pintus, ut Principes in rebus adverſis omni perturbatione vacare debere doceat, in regione aëris altiore nullã eſſe nubẽ, infraque turbines, & tonitrua generari conſiderat: proindeq; oportere, ſedato eos animo eſſe, tolerariq; aliquando in obſcuris hominibus perturbationes eiuſmodi poſſe, in Principibus verò omninò intolerabiles eſſe, maximè cum ipſi ſe, ut alio loco retulimus, Tranquillitatis, ac Serenitatis titulis ornent. Pint. in Iſai. cap. 48 Sup. Embl. 8.

Achilles Bochius, eandem conſtantiam ſuadere volens, fœminam pro ſymbolo pingit, haſtæ inſiſtentem, & ſcutum illud Palladis, Ægi- Boch. ſymb. 9. pag. 22.

da dictum, ſiniſtra manu obverſantem, his quæ ſequuntur carminibus ſubter adiectis:

Stat læto indefeſſa Comes Conſtantia vultu,
Indomitum munita fero latus enſe, tenetque
Ægida Lemniaca ſudatam incude: nec ullas
Pertimet inſidias, nullis dat terga periclis:
Sed cunctis immota malis, animoſaque ſemper
Rebus in aduerſis, pugnaci prælia dextra
Exercet, validaque ferox confidit in haſta.
Hac Duce, per varios caſus longoſque labores
Æneas olim fatis iactatus iniquis,
Italiam profugus Laviniaque Regna petivit.
Hac Duce Gorgoneos angues Danaeius Heros,
Nec minus Alcides tot monſtra ingentia fudit.
Non hìc Lernæi timuit fera colla Draconis,
Non ſævi Diomedis equos, non dira Leonis
Ora Molorchei, validi nec cornua Tauri,
Quin ſtygijs eſt auſus penetrare in Regna Tonantis,
Et trahere ad ſuperas captivum Cerberon auras.

D.Sebaſt. Covarr. cent.1.Embl.39.

Noſter D.Sebaſtianus Covarruvias, eandem doctrinã, depicto militari aculeo, vulgò *Abrojo* deſignat, qui ſic formatur, ut quomodocũque cadat, unum cuſpidem habeat erectum, cum lemmate, *Stabit utcunque cadat*, & his carminibus: 16

El hombre de leal, i ſano pecho,
Que vive ſin cuidado, i ſin rezelo
De no faltar jamas en dicho, ò hecho,
Por todo quãto puede darle el ſuelo,
Comoquiera que caiga, cae derecho,
Con una punta ſeñalando al Cielo,
Qual del Abrojo militar conſtante,
Poniẽdo en todo trãce à Dios delãte.

Strada in ſymbol. pag. 47. Gabr. Simeon. in ſuis ſymbol. pag. 177.

Caſsiod. lib.12. epiſt.17.

Bolonia denique Valeſia Hẽrici VIII. Angliæ Regis uxor, ut prodit Octavius de Strada, (licèt Gabriel Simeonis cuidã Franciæ Reginæ hoc ſymbolum tribuat) Aſtrum geſtabat in medio circuli, quẽ anguis formabat, graphicè delineatum, cum lemmate, *Fato prudẽtia maior*, ut ſignificaret, in viros Principes, ac Prudentes, nihil licere fortuitis; *Quando* (ut aliàs inquit Caſsiodorus) *ſiniſtros caſus corrigunt, qui præſtare proſperrimè conſueverunt.* 17

Iunius Embl. 14. in notis, pag. 90.

Idem Embl. 28. in com. pag. 111.

Et Hadrianus Iunius in hoc ipſum reſpiciens, cõſulit, Monarcharũ Regumque Fortunas, figuræ quadratæ appoſitè comparari, eſſeque aptiſsimum ſymbolum conſtantis animi viri, qualem depingit Q. Catullum Cicero, quem neque periculi tempeſtas, neque honoris cura potuit unquam de ſuo curſu, aut ſpe, aut metu dimovere. Et iterũ Principes ſimiles quercui antiquæ, & validis radicibus fultæ, eſſe vult, ut etiam ſi de gradu ſint exacti, novercantis Fortunæ ludibrio, non patiãtur tamen generoſos illos ſpiritus ita frangi, aut peſſundari pro cæcæ ſortis libidine, ut quicquam avito Progenitorum ſuorũ ſtemmate in- 18

dignum admittant, quomodo Gilimerim Regem Vvandalorum feciſſe Propicius commemorat.

19 Nos autem, ut eandem diſciplinam ſignificãtiori Emblemate propalemus, Regijſque animis inſinuemus, hoc, quod vides, ex Ludo Teſſerarum Palamedis tabulæ ſumto, quẽ nos dicimus, *El juego de las Tablas*, eiſdem ob oculos ponimus. In quo prudens luſor ſe ad talorũ iactus patienter accommodat, & infœlices in melius repõnit, artem pro Fortuna adhibens, vimque aleæ malè faventis frangens, aut dexterè ſaltem temperans, & emolliens, ut latiùs, plura circa hũc luſum cumulantes, Daniel Souterius, & noſter D. Petrus Pantoja, poſt alios, quos referunt, proſequuntur, & ſatis, eadem hac ipſa ſimilitudine utens, Terentianus ille Mitio, cum Demea loquens, his verbis oſtendit: Souter. in ſuo Palamede lib. 1. c. 15 23. & 24. Pantoja de Aleatorib. pag. Terent. in Adelph. Act. 4. Scen. 7. de quo etiam ad rem nos meminit, Marquez in gub. Chr. lib. 1. ex pag. 84.

Placet tibi factum Mitio? Mit. Non ſi queam
Mutare: nunc cum nequeo, æquo animo fero.
Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris;
Si illud, quod eſt maximè opus, iactu non cadit,
Illud quod cecidit ſorte, id arte ut corrigas.

20 Qua etiã, ad rem de qua agimus, uſus fuit Plato, Gubernatores in ſuis libris de Republica monẽs, ad id quod ſors tulerit, res ſuas aptare debere, ut in talorũ iactu luſores facere ſolent. Et à Platone edoctus Plutarchus, poſtquàm ex trãquillitate animi per prudentiã parta, optimã, & iucundiſsimã hominũ vitã reddi commonefecit, & illa ſubtexuit carmina: Plato de Repub. Plutarch. in lib. de Tranq. & ſeren. an. pag. mihi 80.

Negotijs iraſci prorſus abſtine.
Nihil moventur, ſed ſi quæ delata ſunt
Tibi, commodè tractes, prorſus fœlix eris.

Sic addit: *Quippè cum aleæ ludo comparavit vitam noſtram Plato; in qua optandum, ut commodiſsima facias, & iacta alea ijs, quæ ceciderunt, rectè utendum. In his iactus in manu non eſt noſtra. At æquo animo ea, quæ tulit Fortuna excipere, & aſsignare cuique locum, in quo, quod ceciderit, proſit quàm plurimum, & quàm minimè offendat incommodum eos, quibus delatum eſt: id ſi ſapimus, muneris eſt noſtri, &c.*

21 Platonem quoque, & Plutarchum in compendium redigens Eraſmus, ita habet: *Plato confert hominis vitam ludo teſſerarum. Quod iactu cadat, non eſt in nobis ſitum: at quod cecidit rectè diſponere, in nobis eſt. ſic eventus in nobis non eſt; quod obvenit, id in bonum vertere, noſtri muneris eſt.* Et iterùm: *Quemadmodum quod in teſſeris cecidit, id arte & ratione quàm optimè diſponendũ; ita quod invita accidit, in optimã vertẽdũ partẽ.* Eraſm. in ſimilib. fol. mihi 33. & 37.

22 Quod & ipſum Baſilius Imperator Leonem filium præclarè commonefecit, dum poſtquàm eum docuit Regum, & Imperatorum ſortem, rotæ, de qua ſuprà diximus, ſimilem eſſe, ſic ſubiunxit: *Quapropter neque ſecundis rebus extollere, neque adverſi deiicere; ſed utraque in Fortuna conſtans eſto, & invariabilis, unum hoc tibi proponens ſemper benefacere, cætera Deo Committe. Neque cum ſecunda Fortuna uteris, metu adverſæ à ſuperba electione retrahere, neque etiam cum adverſa ſpe melioris à præcipite deiectione relevare. Hoc enim exigui animi eſt, & non* Baſil. Imp. in exh. ad fil. cap. 38. Sup. Embl. 5. & 6.

Regia virtute ſubnixi, & quod futurum eſt, videri nequit.

Batill. Embl. 12.

Et Dionyſius Battillius, in hoc ipſum reſpiciens, ex eodem teſſerarum ludo Emblema confecit, vitam hominis ei ſimilem eſſe inquiens, his verbis: 23

Iudice nempè Deo, ſortis ſic alea noſtræ
Talorum ut luſu, teſſera miſſa, cadit.
Vt numerorum ergo, vitæ ſic quoſque tueri
Corrigere, qua datur arte, decet.

Gunther. in Ligur. lib. 1.

Quem præivit Guntherus, quendam Romani Imperij Electorem inducens, ſocios hortantem, ut amiſsi Chunradi Imperatoris vicem, & dolorem, alio, qui eius virtutes imitari, aut ſuperare poſſet, electo, temperarent, & ſic loquens: 24

Nunc igitur (velut cum luditur alea) prudens
Si qua malè acciderint, ea luſor corrigit arte.
Sic nos humanæ luſit quos alea ſortis,
Conſilio, fati caſum properemus iniqui
Corrigere, & tanto ſolatia ferre dolori, &c.

Heliod. in hiſt. Æthiop. pag. mihi 353.

Neque ab his valdè diſtat Heliodori ſententia, qua docuit: *Prudẽtium eſſe, etiam parum proſperos caſus, quatenus fieri poteſt in melius convertere, & multum momenti intermiſſum unum diem, aut alterum ad ſalutem afferre, qui proſperos caſus præbere ſolet, quos nullis conſilijs homines conſequi potuiſſent.* Et pictura teſſeræ ſuper alveolum eiuſdem ludi talarij, cũ Epigraphè, *Semper iactatus, ſemper erectus.* Quam Sylveſter Petraſancta proponit, ut oſtendat, ita viros ſapiẽtes ſtare debere, deeſſeq; in eis ruinæ locũ; iactari à Fortuna poſſe, deiici nõ poſſe. Quod & ante ipſum præoccupavit eximius apud Nos vir D. D. Laur. Ramir. de Prado, manum depingens, talum eundẽ iactans, cum lemmate, *Vtcumque*, & hoc Diſticho, illius ſenſum magis perſpicuum reddente: 25 26

Petraſanct. in ſymbol. lib. 1. pag. 60.

D. Laur. de Prad. in Teſſer. legal. in initio.

Dextro ſive cadit, lævo ſeu teſſera iactu,
Conſilijs paret caſus uterque minor.

Vt ſic appareat, Prudentes omnes Præſtanteſque viros hoc ſolum remediũ ſævientis For[t]unæ morbis, ac ærumnis adinveniſſe, nimirũ, ut animo neutiquã conſternamur, ſed mente, ac ratione benè compoſita, ingruentia mala, aut præcavere, & declinare curemus, vel accepta corrigere, & ad minimũ re[f]tigere; aut, ſi ne hoc quidem nobis cõtingat, forti; patienti ac generoſo animo, quod evenerit toleremus. Nã ut aureis verbis Boëtius ſcripſit, cum ſemel naſcendo Fortunæ iugo colla ſubmittamus, Dominæ moribus oportet obtemperare, neque ei leges præſcribere, ſed ab eadem accipere debemus, ipſiuſque flatibus promoveri, vel ſicut ij faciunt, qui arvis ſemina credunt, feraces inter ſe annos, ſterileſque penſare. 27

Boët. lib. 2. de Cõſol. proſ. 1. poſt Senec. in lib. de vita beata, cap. 15.

Senec. epiſt. 107. ad Lucil.

Camer. 2. ſubc. c. 53. pag. 228.

Seneca etiam, idem monitum tradens, & ornans, & omnes homines generaliter hortans, ut ſine querela mortalitatis tributa pendamus, & Deum, quo Auctore omnia proveniunt, ſine murmuratione comitemur, adeò piè, & Chriſtianè loquitur, ut cum referens Camerarius dicere audeat, à D. Paulo imbutum fuiſſe, cuius valdè familiarem fuiſ- 28

ſe, multi opinantur. Et tandem paulo poſt, ſequutus Ciceronis exemplum, ita precatur, & Regibus, & Imperatoribus reliquiſque Mortalibus precandum inquit:

Duc me Parens, Cœlique dominator Poli,
Quòcunque placuit: nulla parendi mora eſt:
Aſſum impiger, fac nolle comitabor gemens;
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:
Maluſque patiar, quod pati licuit bono.

29 Qua conſtantiæ fortitudiniſque virtute egregium Ducem adverſam Fortunam ſuperare, eiuſque leges infringere poſſe, Livius ſub exemplo Leonidæ oſtēdit, & apertius Valerius Max.mus ſic inquiēs: *Nihil aliud eſt in adverſitatibus animi conſervare robur, niſi efficere, ut Fortuna ſæviens, verecundia ducta, eo quod te deſeruerit, in adiutorium tuum præ ſuo pudore convertatur.* Livius lib. 5. de bello Maced. Valer. Max. lib. 3. cap. 7. §. 10.

30 Vnde & Pyrrhus, vel ut alij volunt Cyneas eius Legatus, cum Romanorum conſtantiam, & diligentiam cerneret, in novis militum copijs inſtaurandis, poſt ingentem cladem paulò ante, eodem Pyrrho, victore, ſuſceptam, illorum amicitiam ex optaſſe narratur, illos, qui in adverſis animo non caderent, invencibiles iudicans, & ſibi videri inquiens, adverſus Lernæam hydram pugnare. Plutar. in Pyrrho, Eraſm. in Adag. *Hydram ſecas*, Patrit. de Reg. inſt. lib. 10. tit. 10.

31 Ac planè, qui hoc modo de Fortuna triumphant, maiorem gloriā palmamque merentur, quàm ſi nunquam adverſis eius ictibus impetiti eſſent. Nam ut Apoſtolus docuit: *Virtus in infirmitate perſitur*, notumque eſt illud Ovidij: D. Paul. Cor. 12. 9.

Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus, Ovid. 5. triſt. eleg. 5.
Apparet virtus, arguiturque malis,
Scilicet adverſis probitas exercita rebus,
Triſti materiam tempore laudis habet.

32 Quod & Adagio cauſam dedit: *Virtutis occaſio calamitas*; & Horatio ut diceret: Eraſm. in Adag. pag. 567.

------------------- *Ingenium res* Horat. lib. 2. ſaty 8
Adverſæ celare ſolent, nudare ſecundæ.

Claudiano: *Explorant adverſa viros, perque aſpera duro* Claudian.
Nititur ad laudem virtus interrita clivo.

Ioachimo Camerario ſub Myrrhæ, pictura, vel ſymbolo: Camer. centur. 1. Embl. 11.
Maior in adverſis virtutis gloria vera eſt,
Vberior ventis Myrrha agitata fluit.

33 Necnon Plinio, ut ſuum Trajanum extollens, ſic de eo dicere potuerit: *Nam cum omnia ubique ſecunda merearis, non ne manifeſtum eſt, ſi quid adverſi cadat, tuis laudibus, tuiſque virtutibus materiem campumque proſterni; cum ſecunda fœlices, adverſa magnos probent.* Quod, ut ibi Iuſtus Lipſius animadvertit, ex Seneca mutuatus videtur, qui in toto illo ſuo verè aureo libello de Providentia, latè hoc argumentū proſequitur, & tandem concludit, *Magnus eſt vir: ſed unde ſcio, ſi tibi For-* Plin. Iun. in Paneg. ad Trajan. Lipſ. in notis ad Paneg. Plin. Senec. de Provid. cap. 2. & 4.

tuna non dat facultatem exhibendæ virtutis. Marcet ſine adverſario virtus, tunc apparet quanta ſit, quantum valeat polleatque, cum quid poſſit patientia oſtendit, &c.

Caſsiodor. lib. 12. epiſt. 15.

Plin. Iun. lib. 9. epiſtol. 26.

Ceſſat enim (ut alias Caſsiodorus ſcripſit) nautarum in tranquilli- 34
tate peritia, nec nomen præſtat artifici, niſi fuerit vis magna pericli. Quod haud dubie ex Plinio Iuniore habuit, qui ita in quadam epiſtola inquit: *Sunt enim maximè mirabilia, quæ maximè inſperata, maximè periculoſa; quæ grandi ſunt ſubiecta diſcrimini. Ideò nequaquam par Gubernatoris eſt virtus, cum placido, & cum turbato mari vehitur; tunc admirante nullo, illaudatus, ingiorius ſubit portum; at cum ſtrident funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & Dijs maris proximus.*

Petraſancta in ſymbol. lib. 1. pag. 59.

Senec. d. lib. de provid. per tot. præcipuè d. cap. 4.

Et ad hanc laudem & gloriam, quam Regij, ac Magnanimi viri cō- 35
ſequi ſolent, dum ſe æque patientes, ac prudentes in adverſitatibus habent, non ineptè alluſit ille, qui Mare ventis exagitatum pro Symbolo ſumſit, cum tunc eius undæ, quò magis perturbari videntur, eò magis extollantur, & veluti in cœlum, turbationis ac patientiæ ſuæ præmium petituræ, conſcendant. Quod & ipſum, docente Seneca, mirè ſolet hoc ſpectaculo delectari, & bonos viros, ut confirmentur, cōcutere, ſimul tamen vires impertiens, quibus cōcuſioni obſiſtere poſſint, ut in arboribus contingere ſolent; quarum *Nulla eſt* (inquit) *ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit. Fragiles ſunt, quæ in aprica valle creverunt.*

D. Chryſoſt. hom. 73. in Geneſ.

Ioach. Camerar. cent. 1. Embl. 17.

Qua etiam comparatione D. Chryſoſt. in eandem rem utitur, & ex 36
illa Ioachimus Camerarius hoc Emblema deduxit:

Ventorum adverſis ſolidatur flatibus arbor:
A cruce, & à precibus mens pia robur habet.

Addens ex Sophocle, virorum fortium pectus nunquam langueſcere, & ex Pericle apud Thucydidem, eos optimos viros eſſe, qui in calamitatibus animo non triſtantur; ſed re ipſa & operibus maximè obſiſtunt.

Saaved. in Ideis polit. pag. 115. 224. 231. 245.

Noſter quoque nuperus politiſsimus Politicus Saavedra, in eandē 37
rem plura in locis pluribus tradit, & Lunæ ſimilitudine utens, quæ etiā ubi Solis radijs deficitur, ei terga non vertit, ſed in ipſum potius alacrior reſpiciens, ab eodem iterum plenitudinem ſui ſplendoris expectat, ſic addit: *Tenga pues el Principe ſiempre fixo ſu Cetro, mirando à la virtud en la Fortuna proſpera i adverſa, porque en premio de ſu conſtācia el miſmo Sol divino, que ò por caſtigo, ò por exercicio del merito, permitio ſu menguante, no retirarà de todo punto ſu luz, i bolverà a acrecentar cō ella ſu grandeza.*

Cicer. 3. Tuſc. & 1. de off. Agell. lib. 2. cap. 2.

Cicer. in orat. pro Milone.

Huius autem conſtantiæ, & æquanimitatis nobile exemplū, Cice- 38
ro, nobis in magno illo Philoſopho Socrate ſcriptum reliquit, qui ſemper hilari ac læto vultu in adverſis rebus, ut in proſperis extitit. Idēque, in Tito Annio Milone commendat, in gravi, ac difficili tempore vultum ſemper eundem, & vocem, & orationem ſtabilem, non muta-

tam; eiuſque infractum & excelſum animum laudat. Livius quoque inter præcipuas Scipionis laudes enumerat, quod tametſi in Hiſpanienſi bello plura fuerit adverſa perpeſſus, nullum tamen ei unquam ferox verbum exciderit. Livius lib.49.

39 Et Cato Minor, ita in eadē virtute reſplenduit, ut recenſente Plutarcho, etiam à Cæſare victus, ſe tanquam illius victorem haberet. Qui & idem apud Lucanum, à Labieno rogatus, ut de ſua Fortuna Oraculum Hammonis conſuleret, ita reſpondit: Plut. in Cat. min. Lucan. lib.9.

Quid quæri Labiene iubes? an liber in armis
Occubuiſſe velim, potiùs quàm regna videre?
An ſit vita nihil, ſed longa differat ætas?
An noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat
Oppoſita virtute minas? Laudandaque velle
Sit ſatis, & nunquam ſucceſſu creſcat honeſtum?
Scimus, & hoc nobis non altius inſeret Hammon, &c.

40 Noſtrum etiam Regem Alfonſum VI. ab eadem Tolerantia noſtri Auctores valdè commendant. Quam quia Vvitiza non habuit, in impia verba & facta prorupiſſe narratur, Deo eiuſque Vicario reverentia, & obedientia detracta. Saavedra pag.245. Roder. lib.3. c.15. Ribad. in Princip. Chriſt. lib.2. c.15. Marian. lib.6. cap. 19. M. Montan. li. 1. cap.4.

41 Similemque animi deiectionem, & conſternationem in Carolo Burgundiæ Duce acriter reprehendit Cominæus, quòd ad Granſoriũ re infœliciter geſta, contriſtatus, in ægritudinem incidit, ſolitariuſque relinqui voluit, & per hunc morbum ei plurimum mentis, & ingenij deceſsit. Subijcitque idem Scriptor: *In hoc rerum ſtatu, primum eſſe, ut ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precemur: alterum, ut ex amicis, quibus plurimum fidimus, nos pateſaciamus totos: & animi vulnus, quo affligimur, denudemus.* Comin. lib.7. pag. mihi 536.

42 Cui ego aliud etiam pharmacum ex Seneca addo, ſcilicet, ut qui in multis magniſque verſantur, animum quoque ad multas ac magnas Fortunæ viciſsitudines paratum habeant: *Tela quippè prævisa minùs feriunt, vimque aufert præſentibus malis, qui futura proſpexit, & neceſſe eſt levius ad animum pervenire, deſtitutæ cupiditatis dolorem, cui ſucceſſum non utique promiſeris. Gravis ipſa Fortuna eſt, quibus eſt repentina: facilè ſuſtinere eam poteſt, qui ſemper expectat.* Senec. de Conſol. ad Marc c 9. & de Tranq anim. c.13.

43 Quod & Cato non ineleganter hoc Diſticho clauſit: Cato in Diſtich. lib.2.

Proſpice, qui veniunt, hos caſus eſſe ferendos,
Nam levius ſævit, quicquid prævideris ante.

Atque hæc hactenus de noſtro Teſſerarum ludo dixiſſe ſufficiat, longè tamen diverſo fine, quo ei Vitellum Cæſarē incubuiſſe Philoſtratus narrat, inquiens, quòd teſſeris ludere nunquam ceſſabat, ſemper timens ne talorum iactus ipſum falleret, & inter ludum de maximis Imperij rebus, utcunque ſors tulerit, diſponebat. Soli enim Iovis tali ſemper fœliciter cadunt, ut vetus habet Adagium, de cuius ſenſu & uſu Eraſmum conſulere poteris. Philoſt. de vita Apollon. lib.5. Eraſm. in hoc Adag. pag.99.

Con-

Conſulendum in arduis.

EMBLEMA XLV.



Conſilio meliore viget Saturnius Heros,
Fulmina dum vibrat, non niſi ducta Dijs.
Sic Regni cui fama Polo conſcripſerit arcem,
Conſulat & doctos, dum parat alta, viros.

COMMENTARIVS.

Auſon. in gripho ternario.

Syneſ. in orat. de Regn.

Pet. Greg. de Rep. lib. 24. c 7. Contz. lib. 7. pol. c. 13. Cochier in theſa. Aphoriſ. polit. c. 23. Marq lib 2. c. 18. Navarrete diſc. 1. à pag 25. Bobadil. in Polit. lib 2. c. 6. ex n. 6. plenè Ego 1. to. lib. 3. c. 2. ex n 4. & 2 to. lib. 4. c. 9. ex n. 38.

NOTVM eſt Sphingem, triforme monſtrum, facie 1
puellari, alis volucris, & pedibus leoninis, à priſcis fuiſſe confictum. Vnde illud Auſonij:

Terruit Aoniam volucris, Leo, Virgo, triformis
Sphinx; Volucris pēnis, pedibus Fera, fronte Puella.

Qua figura Ægyptij (docente, præter plures alios, Syneſio) coniunctionem virtutum Fortitudinis, & Prudentiæ volebant ſignificare, dum ferina ſpecies robur repræſentabat, humana prudentiam, & volucris, hæc per ſe non ſufficere, niſi & ingeniū & conſilium adſit, quod ſciat harum virtutum operationem pro tempore locoque dirigere, & veluti manus, atque alas his, quæ exequi convenit adminiſtrare.

Quapropter Prudentiæ & Fortitudinis Monitis, de quibus egimus, 2
præſens hoc, quod ad neceſsitatem exquirendi ſummendique in rebus arduis Conſilium, ſpectat, Regibus, ac Principibus proponi ſuaderiq; oportere, neceſſariū exiſtimavimus. Qui ut omnes uno ore Po-

litici

litici tradunt, ne prudentiæ quidem nomine digni erunt, ſi hac præcipua huius virtutis parte, quæ in appetitu acquiſitivo alienorum iudiciorum conſiſtit, deſtituantur, & de ſeipſis ita præſumant, ut ne agnoſcant quidem, non minùs certum, quam vulgatum illud Taciti eſſe: *Principem ſua ſcientia non poſſe cuncta complecti: nec unius mentem eſſe tantæ molis capacem.* Cui mirè Livius arridet, dum dixit: *Si de ſua unius ſententia omnia geret, ſuperbum hunc iudicabo magis quàm ſapientem, univerſamque Rempublicam temeritate ſua perdet.*

Tacit. 1. & 4. Annal.
Livius lib. 44.

3 Et Caſsiodorus, de prudentia, de qua nos loquimur, agens, & ſic elegantiſsimè & veriſsimè inquiens: *Magna eſt enim infinitaque Prudentia, quam nemo ſic aſſequitur, ut eam non neceſſariè, & per alios quærere videatur.* Et iterum ſub Athalarici Regis perſona, Patricium rebus bellicis præficientis, eique litteratum Conſiliarium aſſociantis: *Perfectionem neceſſariam rerum completam eſſe iudicamus, ſi quemadmodum eligendo virum magnificum Patritium, armatæ Reip. parti providemus, ita & deſociando ei litterarum peritiſsimo, conſulamus. Decet enim tractatores habere doctiſsimos, quibus poteſtas ſumma committitur: & de generali ſecuritate ſollicito, talis aſſociandus fuit, qui parem in ſuis ſtudijs non haberet.*

Caſsiod. li. 8. epiſ. 9.

4 Dicitur autem, ſecundùm Feſtum, non à conſulendo, conſilium, nã potius nomen hoc, illi verbo originem præbuit, ſed à *Conſulio*, quòd ſcilicèt in unam ſententiam plures mentes, ſeu plurium rationes, cõſaliant, id eſt, ſimul ſaliant, & quaſi ad unum concentum conveniant. Et cum ad privata dirigitur commoda, definiri poteſt, *Inquiſitio eius quod in rebus proprijs ſit utile ad optatum finem conſequendum.* Vbi verò de Regijs publicíſque negotijs tractatur, quoniam hoc ſæpè ſolet per plurimos expediri, à Politicis communiter definitur: *Selectorum virorum legitima congregatio, ſive cœtus, qui Principi ſuo, quomodo Reſpublica belli ſeu pacis tempore adminiſtranda ſit, conſulunt.*

Feſtus hoc verbo, & Fung. in etym. ibid.
Cic. lib. 1. Rhetor. D. Tho. 2. 2. q. 52. art. 2. Damaſcen. lib. 3. cap. 33.
Bodin. l. b. 3. de Rẽ pub. c. 1. Hip. à Col lib. de Conſil fol. 217. Ceriol. eodẽ tract. c. 1. Coning. in Theat. polit. 2. par. c. 26. n. 2.

5 Quanta autem eius utilitas, & neceſsitas ſit, fruſtra noſtram comprobationem deſiderabit; cum vel Ariſtotele docente didicerimus: *Conſiliari, eorum quæ inter homines, diviniſsimum eſſe*: & tam ex ſacris, quàm ex profanis litteris in Proverbium abierit: *Qui ſapiens eſt, audit conſilia. Conſilium in omni præeat negotio. Conſilium cuſtodiet te. Ibi ſalus ubi multa conſilia. Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbi terrarum. Poſt factum non pœnitebit, qui ante factum conſulit. Ante omnem actum conſilium ſtabile, & conſilium rem ſacram eſſe.*

Ariſt. in Rhet. ad Alex. Saluſt. in orat. ad Cæſar. Sap. 6. 26. Prover. 2. 11. & 12. Eccleſ. 32. Eraſm. in Adag. *Res ſacra Conſiliũ*, pag. 128.

6 Et adeò verum etiam deluſa falſorum Deorum cultu Gentilitas cenſuit, ut licèt non ignoraret, Deum alienis conſilijs non indigere, magnum ſuum adhuc Iovem, quem aliorum Præſidem patremque faciebant, & Archiceraunum, vel Argiceraunum vocabant, hoc eſt Fulminatorem, & Tonantem, quòd ſoli ipſi poteſtas iaculãdi in homines fulmina, terraſque eis terrendi, ac torrendi, conceſſa fuiſſet, ut ex Cicerone, & alijs, latè tradit Lilius Giraldus, & Commentatores in illud Horatij:

Nec fulminantis magna Iovis manus.

Et Virgilij:

Giral. de Dijs Gẽt. ſynt 2 pag. 78. Pierius fol. 324.
Horat. 3 carm od. 3. latè & optimè noſter D. Did. Salcedo Coronel in Notis ad Gongor. 2. tom. 2. par. pag. 454.

Ipſe

Virgil.1.Georg.

Ipſe Pater medio nimborum, in nocte coruſca
Fulmina molitur dextra.

7 Adhuc tamen eam ſibi legem imponere voluiſſe dicerẽt, quòd tametſi leviora, ſive læta & pacata fulmina, ſolus emitteret, & aliquantulum nociva, duodecim Dijs in conſilium vocatis. Nunquam tamen eadem ipſa pernicioſa, & ad puniendos homines, vaſtandumvè, aut mutandũ privatum publicumvè rerum ſtatum, iacularetur, quin prius omnes Deos, quos Superiores, & Involatos, ſiveConſentes dicebant, (quorum nomina Roſinus, & Dempſterus recenſent) ad hoc ſupplicũ exercendum vocaret, atque conſuleret.

Roſin. & Dempſt. lib.2.ant.Roman. cap.3.ex pag.47.

8 Quod recolens Seneca, & ſi figmentum eſſe cognoſcat, Mythologicè tamen in id tendere tradit: *Quia Iovem, id eſt, Regem, prodeſſe etiã ſolum oportet, nocere non, niſi cum pluribus viſum eſt. Diſcant hoc ij, quicunque magnam potentiam inter homines adepti ſunt, ſine conſilio nec fulmen quidem mitti: advocent, conſiderent multorum ſententias, placita tẽperent, & hoc ſibi proponant, ubi aliquid percuti debet, ne Iovi quidem ſuum ſatis eſſe conſilium.*

Senec.lib 2.natur. quæſt.cap 43.

9 Qui planè locus noſtro huic Emblemati anſam iuſtiſsimè præbuit, eſt enim dignus, ut non ſolùm æneis, verùm & aureis laminis inſculpatur. Et licèt hoc ſimili, tanto Auctore celato, alij uſi fuerint, Noſterque Euſebius Noriembergius, ad ipſum alludens, in ſuis Gnomoglyphicis dixerit:

Petr.Matth.in ſuis narrar. lib.3. Saaved.in Id. pol. pag.418. Euſeb. Nierẽb.in Theoph.pag.552. idem Gnom. 40. ſub tit. *Difficulter ſæviendum.*

Inconſulta cavet iaculari fulmina, ſævus
Nec niſi conſilio fulgurat Altipotens.

10 Et Balthaſar de Vias in ſuis Sylvis elegantiſsimè:

Balth Bias ſylvælo in princ.

In ſuperos bellum cum coniurata Gigantum
Turba tulit, cœliſque metum iam Taurus, & Othrys,
Et ſuper ingeſtis inferret montibus Oete.
Non Trinacriis ſudata tonitrua flammis
Vibravit ſine lege Tonans, quibus Oſſa ſuperbis
Preſſa iugis, ferus Enceladus, Pangæaque ſaxa,
Corruerentque minæ; non omnes ſolus in iras
Irruit, & vanæ fugit molimina Phlegræ;
Conſuluit Superos, & Maieſtate volenti,
Quod plures ſenſere probat, &c.

11 Cum tamen pulchri nulla unquam ſatietas ſit, & pictura, ut Horatius ait:

Horat.in ArtePoetic. ante fin.

Iudicis argutum quæ non formidat acumen,
Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.

Puto me rem gratam lectoribus facere, dum illud ipſum dilucidius hiſce meis commentarijs interſero, Ethnici Senecæ doctrinam certiorem, & piorem efficiens, ſi relictis fabulis attendamus, Deum noſtrum verum, & Omniſcium, quamvis ad Mundi, & aliarum creatura-

rum

rum formationem, de ſe, & per ſe ſolus loquutus atque operatus a Moyſe dicatur, homo:

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari inter cætera poſſet.

Ad quem formandum, ubi ſe accingere voluit, in plurali numero dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; quaſi alios, ut Rupertus ait, ad tanti operis excellentiam conſultans, atque deliberans. Qui a Rabinis Angeli fuiſſe perhibentur, quorum tamen deliramenta reiiciens D. Chryſoſtomus, Apoſtolicas conſtitutiones ſequutus, unigenitum ipſius Dei Filium, Patri æqualem ſecundùm ſubſtantiam, conſultatum ſive aſſociatum fuiſſe inquit, qui a D. Ioanne Magni Conſilij Angelus appellatur. Et alij Sancti Patres, Spiritũ quoque Sanctum adiungunt, ut Collegas ſuæ potentiæ, & divinitatis nimirum coæquales; & ſic eo loci myſterium Sanctæ Trinitatis indicari teſtantur.

Geneſ. 1. Ovid. 1. Metam. Geneſ. 1. 26. Ruper. lib. 1. in Geneſ. cap. 1. D Chryſoſ. hom. 8 in Geneſ. poſt D. Clem. lib. 5. conſt. Apoſt. c. 6. & lib. 8 cap. 12. Apocal. cap.

12 Ipſe quoque Chriſtus ſolus, quem nihil fugit, licèt non egeret conſilio, illud tamen petere præ ſe tulit, quando Apoſtolos ſuos: *Vnde ememus panes?* rogavit.

Baſil. Theodor. Cyril. & alij apud Delr. ſup. Geneſ. c. 1. pag. 69. n. 101. Ioan. 6. 5. 6.

13 Addo & Salomonem, licèt cœlitus infuſam ſapientiam habere meruerit, ut in libro Regum habetur, adhuc tamen aſsiſtrices ſibi, & prudentes Conſiliarios habuiſſe, & habere deſideraſſe, ut pluribus oſtendit Ioanes Pineda.

Reg. 3. 3. Pineda de reb. Salom. li. 3. c. 9. pag. 111.

14 Vt omittã, quæ Lorinꝰ, Coningus, & alij de Iulio Cæſare, Auguſto, Tiberio, Nerva, Adriano, Marco Antonio, Alexãdro Severo, & alijs Romanis Imperatoribus tradunt, qui licèt in ſe laudatiſsimi & prudentiſsimi fuerint, quò tamen magis ſapientia abundarunt, eò minùs ſibi tribuerunt, pluribus Conſiliarijs, ijſque egregijs, & diſſertiſsimis in rebus bellicis, vel civilibus, iuxta earum qualitatem, adhibitis, eiſque tantum deferentes, ut iudicium proprium eorum iudicio ſubponerent.

Antimach. lib. 1. Theor. 1. Lorin. Sap. 6. 26. Coning. in Theat. polit. 2. p. cap. 26. pag. 185. Beyerlin. verb. *Conſiliũ*. pag. 404. H. Saaved. in Id. polit. pag. 402.

15 A quibus non abfuit Aſſuerus, de quo ſacra Pagina inquit: *Interrogavit Sapientes, qui ex more Regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio.* Darius, qui tot Zopiros, hoc eſt, Prudentes fidoſque Conſiliarios ſibi exoptabat, quot grana inſunt Punico malo, & Homerus, qui Agamemnonem Regem inducit, unum Neſtorem, ob præclaram in conſilijs prudentiam, decem Aiaci ſimilibus præferentem. Et iterum eidem ſuadet, hanc Conſiliatricem virtutem Regijs Sceptris eſſe coniunctam, ſive connatam, ſic inquiens:

Eſther. cap. 1. 13. Homer. Illiad. 7.

Atrida Danaum fortiſsime, Rex Agamemnon,
A te principium ſermonis ſumam, & in te
Deſinere eſt animus; quoniam tu pluribus unus
Imperitas, populoſque Regis. Tibi Sceptra ferenda
Iupiter ipſe dedit, qui nobis omnibus eſſes
Conſilijs Dux, & rebus; quapropter & ipſum
Te decet, & multos audire, & dicere multa,

Cedere deinde locum verba opportuna volenti
Dicere, & utilibus penſare negotia dictis,
Et quæ ſunt meliora ſequi, nec fidere ſoli
Ipſe tibi.

Dion. Halic. lib. 2.

Ad quem fortè locum reſpiciens Dionyſius Halicarnaſeus: *Reges* (inquit) *olim, & quotquot à patre traditum Regnum accepiſſent, & quos ipſa plebs ſibi Principes conſtituiſſet, Conſilium habuiſſe, quod ex optimatibus conſtabat, ut Homerus, & antiquiſsimi Poetæ teſtantur. Neque, ut noſtro ſæculo, Regum priſcorum dominatum fuiſſe nimium ſui iuris, neque ab unius ſententia pependiſſe.* 16

Theod. & Valent. AA. in l. humanũ, C. de legib. Petr. Fab. 1. ſemeſt. cap. fin. pag. 199. & ſeq. An. Rob 2. rer. iudic. cap. 11.

Quod Theodoſius & Valentinianus Auguſti, humanum etiam eſſe cenſuerunt, eam ſibi ultro legem imponentes, ut nulla in poſterum ab eorum Clementia promulgaretur, quæ prius à glorioſiſsimo cœtu Palatij Procerum, Patrumque conſcriptorũ, tractata, & approbata nõ fuiſſet, hanc rationem reddentes: *Benè enim cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad Beatitudinem noſtri Imperij, & ad noſtram gloriam redundare.* 17

Vopiſc. in Probo.

Claud. in vj. Conſ. Honor.

In quo Probum Imperatorem ſequuti videntur, qui Flavio Vopiſco teſtante, leges quaſcunque ederet, proprijs Senatus-Conſultis cõſecrari voluit. Quem morem iam Claudiani tempore veterem fuiſſe, ex ipſius verſibus patet, in quibus de Honorio agens, ſic inquit: 18

Hic eſt ille puer, qui nunc ad roſtra Quirites
Evocat, & ſolio fultus genitoris eburno
Geſtarum Patribus cauſas ex ordine rerum
Eventuſque refert: veterumque exempla ſecutus
Digerit Imperij ſub iudice facta Senatu.

Briſſ. Calin. & alij de verb. iur. verb. *Pragmatica*, Mornaci' in not. ad C. pag. 3. Mat. Steph. ad Novel. 105. n 8

L. omniũ, C. de teſtam. l. pen. C. de ijs quæ ut indign. c. 1. de conſtit. cũ alijs.

Panorm. in cap. tũ ex litteris de in integ. reſt. & alij ap. Me ipſum 1. tom. lib. 2. c. 24. n. 97 & in trac. de præced. num. 6.

Et hæ nimirum leges, ſanctiones Pragmaticæ dicebantur, ut Briſſonius, & alij obſervant, inde fortè deducto vocabulo, quòd Pragmaticis, ſive viris rerum forenſium peritis, in Conſilium vocatis, publicarentur. Quorum item frequens ac provida in rebus gravibus conſultatio occaſionem præbuit, ut ipſi Imperatores, alijque cordati Reges & Principes, qui hanc formam in expediendis ſuis negotijs obſervant, omnia iura in ſui pectoris ſcrinio habere dicantur, habita ſcilicèt contemplatione, peritiſsimorum Conſiliariorum, quos ſecũ ſemper habere ſolent, & debent, ut Abbas Panormitanus, & alij paſsim Doctores animadvertunt. 19

Cõtz. l'b. 7. polit. c. 13. §. 12. Paleot. de Sac. Conſiſt. cõſult. pag. 273. Borrel de præſt Reg. Cath. c. 66. Navarret. in diſc. polit c. 2. & 3. Ego d. 1 to. lib 3. c. 2. ex n. 1 & 2. to. lib. 6 c. 12. D. Ioſep. Vela diſſer. 3. num. 27.

Quod quidem, nullibi gentium maiori ſtudio curatum legimus, quàm in noſtræ Hiſpaniæ Regnis, glorioſiſsimis ipſius Regibus, pariter Potentibus, ac Catholicis, per varias Senatuum claſſes, ampliſsimi ſui Imperij negotia omnia, tã belli, quàm pacis, diſtribuentibus, ita ut nihil ſit grave, quod non prius cũ ſelectiſsimis omniũ ordinum viris pro rerum conditione communicent, conſulantque, & iuxta eorundẽ conſultationes expediant. 20

Qua in re latiùs calamum excurrere ſinerem, niſi iam id ab alijs tã noſtris, quàm exteris Scriptoribus diſtinctè tractatum, & plenè lau- 21

datum

datum ſupraque omnem Romanorum induſtriam ſublimatum, ani-
madverteré. Qui tamen meminiſſe potuerunt Concilij Tolerani IV. Concil.Tolet.III. apud Loaiſam, pag.
ubi hoc, non ſolum in vim moniti, ſed præcepti, eiſdem noſtris Regi-
bus his verbis iniungitur: *Ne quiſquam veſtrum ſolus in cauſis capitum, aut rerum ſententiam ferat: ſed conſenſu publico, cum rectoribus ex iudicio manifeſto delinquentium culpa pateſcat; ſervata vobis in offenſis mãſuetudine, ut non ſeveritate magis in illis, quàm indulgentia polleatis: ut dum omnia hæc, Auctore Deo, pio à vobis moderamine conſervantur, & Reges in populis, & populi in Regibus, & Deus in utriſque lætetur, &c.*

22 Et Theodorici Gothorum noſtrorum Regis, apud Caſsiodorum, Caſsiod.li.2.ep.6.
ita reſcribentis: *Deliberationis noſtræ conſilium, virorum prudentium requirit obſequium, ut utilitatis publicæ ratio, ſapientum miniſterio cōpleatur.*

23 Quod Rex Sapiens Alfonſus inter ſuas ſeptem Partitas leges ma-
giſtraliter extulit, inquiens cum Seneca: *Que uno de los ſeſſos que ome* L.5.tit.9.par.2.
mejor puede aver, es de conſejarſe ſobre todos los fechos que quiere fazer, ante que los comience. Et poſtquàm huius ſententiæ rationes reddidit, & boni Conſilij, ac Conſiliarii munus parteſque deſcripſit, & cur oculis comparentur, ſic finit: *Onde en todas guiſas ha meneſter que el Rei aya buenos Conſejeros, è ſeanſus amigos, è omes de grand ſeſſo, è de gran poridad.*

24 Et iterum alia in lege ſic habet: *El ſeñorio no quiere compañero, ni lo* L.1.eod.tit.9.p.2
ha meneſter, comoquiera que en todas guiſas conviene que aya omes buenos,
è ſabidores, que le aconſejen, è le ayuden. Et in alia: *Onde ſi todo ome debe* L.2.eod.tit & par.
trabajar de aver Conſejeros, mucho mas lo debe fazer el Rei.

25 Cuius doctrinæ æquè conſcius Alfonſus XI. in Curijs Matritenſi- Cortes de Madrid apud Saavedra in Id.polit. pag.402.
bus dixit: *Digna accion es de la Real magnificencia, tener ſegun ſu loable coſtumbre Varones de Conſejo cerca de ſi, i ordenar todas las coſas por ſus conſejos; porque ſi todo ome debe trabajar de aver Conſejeros, mucho mas*
lo debe fazer el Rei. Et Aragonius Rex D.Ioannes II. apud Marianam, Marian.hiſt. Hiſp. lib.23.
morti iam proximus, Catholicis Hiſpaniæ Regibus ſuis filijs hoc Monitum, veluti in amoris pignus, pretioſumque legatum, reliquit: *Que ninguna coſa hizieſſen ſin conſejo de Varones virtuoſos, i prudentes.*

26 Prudentiſsimè quidem omnes, nam, ut præter ſuprà relatos Neo- Bias in ſylva 10. pag.315.
thericus quidam ſcribit:

------------- Regia virtus
Sit quamvis ſatis ipſa ſibi, tamen inſitus error
Rebus ineſt, qui ſæpè vias obcludit ad illa,
Quæ ratio facienda iubet, nec ſufficit una
Mens operi, ſeu noſtra velit ſuadere voluntas,
Quod ſentit, ſeu ſit melius ſe credere multis,
Conſilio fit res, indigeſtoſque laborum
Ordinat eventus maturi cura Senatus.
Quid Sceptrum niſi pondus iners, & vanus avaræ
Maieſtatis honos, ſi non cum lege regatur
Conſilij, teneantque Patrum decreta ſecures?

Non Reges diadema facit, trabeæque madentes
Murice; fida facit conſultis curia rebus:
Et licèt agnoſcas, quàm ſit tranquilla potentis
Vis animi, certuſque tuis tractatibus ordo,
Sufficiaſque, tibi tamen inconſulta poteſtas
Nil peragit, paretque lubens, quibus optima ſenſit
Pars melior, nulloque levis terrore moveri,
Nec nova mirari facilis, conſtantius hæres,
Et rata fixa iubes; nec te tua ſola voluntas,
Quamvis æqua, trahit, conſultantemque veretur,
Quem ſibi præfecit, &c.

Lorin. in Sapient. cap. 6. verſ. 2. pag. 167.

Liviꝰ lib. 4. 2. bell. Punici.

Vnde Hebræis idem ſonat *Conſilium*, quod *Fundamentum*, ut benè 27
Lorinus conſiderat. Ruat quippè neceſſe eſt, omnis ſine conſilio Reſpublica, omniumque ſuffragio damnatus fuit Cæſar, quòd nec in dictatura, nec in Conſulatu, conſilio Senatus uſus: Nero, qui Senatum capitaliter oderat, & Hiero Siciliæ Tyrannus, qui teſtante Livio, nulla de re convocavit, vel conſuluit publicum Conſilium.

Machiav. in tract. de Princip. cap. 23. Bodin 3. de Rep. cap. 1. & alij apud Berneg. in q. 52. ad Tacit. de morib. carm. ubi de hoc diſputare audet.

In quibus quidem referendis, idcircò paulò longius, quàm res ipſa 28
(meo iudicio) depoſcit, inſiſtere volui, ut facilius impij Machiavelli, ſuique ſectatoris Ioannis Bodini, impia & væcordia Theoremata cõvincantur, qui minimè neceſſarium, quin potius ſuperfluum, & rebus gerendis impedimentoſum, auſi ſunt affirmare, Supremos Principes, his Paraſtis, Adiutoribus, ſive Conſultoribus indigere. Nam ſi ſapiẽs eſt, inquiunt, ex ipſius Principis mente ac prudentia, bona, & opportuna conſilia naſci debent: ſin autem inſipiens, ei facilè conſilia, quãtumvis recta, & ſalutaria dari ſuaderivè non poſſint, cum eiuſmodi genus hominum, de ſe plus multò, quàm de cæteris fidat, atque præſumat, & æquè ſuorum, atque exterorum fidem ſuſpectam habeat, illudque Comici certum eſſe demonſtret:

Terent. in Adelph.

Homine imperito nunquam quidquam iniuſtius,
Qui niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Senec. epiſt. 9.

Et Senecæ: *Omnis ſtultitia laborat faſtidio ſui: niſi ſapienti ſua non placent.*

Antimach. lib. 1. Theo. 1. Coning. 2. part. c. 26. Andr. Rey in tract. de Cõſil. & Conſult. diſcurſ. 1.

Eccleſ. 1. 5.

Oſſor. de Regis inſtitut.

Hæc etenim abſurda perverſaque dogmata, ſatis iam ab alijs con- 29
victa reperiuntur, & vel tacentibus omnibus, ſe ipſa facilè produnt, intelligendoque faciunt, ut eorum Aſſertores nihil intelligere videãtur. Etenim ſi prudens ſapienſque Princeps contingat, eo ſapientior & prudentior erit, ſi (ut iam ſupra diximus) de ſe omnia nõ præſumat, & illud Eccleſiaſtici obſervet: *Audiendo ſapiens, ſapientior erit*; & Euripidis, *Rex ſapiens ſapientium commercio*, agnoſcatque cum Hieronymo Oſſorio, uno tantùm ingenio cuncta, quæ ſunt Regibus excogitãda, provideri, aut unius oculis omnia, quæ ſunt in Republica diligenter ſpeculanda, cerni, comprehendi, & ad deſtinatum exitum perduci non poſſe. Cogitationeſque quorumlibet, etiam cordatiſsimorũ ho-

mi-

minum, ut Salomon docuit, conſilijs roborari gubernaculis, bella eſſe tractanda; & è contrario diſsipari, ubi hæc à pluribus non petuntur; nec fruſtra ex Euripidis diſciplina Adagium fluxiſſe: *Vir unus haud videt omnia, unus vir nullus vir.* Proverb. 15.22. 20.18.24.6. Eraſ. in hoc Adag. pag. 115.

30 Quod, cum ad varios uſus deflecti poſsit, ad nullum commodius, quàm ad iudicium in rebus arduis haud quaquam uni ſoli committẽdum, vel deferendum, cum vel iure ipſo docente diſcamus, perfectiſſimam veritatem per plurium oculos facilius inveniri, ac ſecurius manifeſtari, & ne locum quidem inſidijs relinqui in ijs, quæ multis ſunt oculis ſpectata, multis inſinuata ſenſibus, multis inſuper in tuto locata manibus. Cap. prudentiã 21. de off. deleg. l. fin. C. de fideic. l. hac cõſultiſsima, in fine, C. qui teſtum. facer. poſſ. cũ aiijs.

31 Addo & Homerum, apud quem Diomedes ab Agamemnone miſſus, ut Troianorũ caſtra exploraret, ſibi ſociũ expoſcit Vlyſſem, ſic inquiens: Homer. Illiad. 10. verſ. 223.

Si modò conſilij comitem ſociumque laboris,
Des aliquem, nam maior adeſt, & plena duobus
Pectoris, atque animi præſtantia, &c.
At qui ſolus erit, ſi fortè quid utile rebus
Cogitet, inveniatque, animo perſæpe labanti
Deficit, & timidum fugit omnis conſilij vis.

Ex quo monito, ſive exemplo Alciatus nobile illud Emblema conſtruxit, quo unum nihil, duos plurimum, ſe ita mutuæ iuvantes, poſſem his elegantiſsimis oſtendit carminibus: Alciat. Embl. 41.

Laerte genitum, genitum quoque Tydeos unà
Hac cera expreſsit Zenalis apta manus:
Viribus hic præſtat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cum duo coniuncti veniunt, victoria certa eſt.
Solam mens hominem, dextra vè deſtituit.

Et ex Noſtro Celada: *Illum præſtare in arte gubernandi, & cæteris Sapientiorem eſſe, cui eſt cor audiens, & cor docile, non cui ineſt ferreum ingenium, & pertinax ratio.* Celada in 1. Iudit. num 68.

32 Vnde Valerius Maximus, de Xerxe ſermonẽ faciens, cuius, inquit, nomen ſuperbiam, & impotentiam indicabat, meritò in dubiũ vocat, inſolentius ne, an imprudentius ſe habuerit, cum Græciæ indicturus bellum, adhibitis Aſiæ Principibus, dixit: *Ne videar meo tantùm modo uſus conſilio, vos contraxi, cæterum mementote parendum magis vobis, quàm ſuadendum.* Valer. Max. lib. 9. cap. 5. §. 12.

33 Ad id autem quod ſubditur, de difficultate recti conſilij imperitis, ac ferocientibus Regibus ſuadendi, fateor quidem aliquos ea vel philautia, vel mẽtis inopia eſſe, ut ſua ſentẽtia omnia agere velint, & propriæ ſapientiæ opinione excæcati, illud Senecæ verum reddant, Senec. in Medæa.

Sceptris ſuperbas quiſquis admovit manus,
Quà cœpit ire, Regia didici mea.

Z Et

Idem in Hyppol. Et iterum: *Nec me fugit, quàm durus, & veri inſolens,*
Ad recta flecti Regius nolit tumor.

Ammian. Marc. lib. 14. Solent enim ſæpè, ut Ammianus Marcellinus ſcribit, manum iniectantibus fatis, hebetari ſenſus hominum, & obtundi, & Deus, Reges, quos punire vult, in manu peſsimi ſui conſilij ſæpè relinquit, de quo pluribus Philippus Camerarius noviſsimè diſſerit, & Ovidius egit dum dixit: Camer. cēt. 1. ſubceſs. c. 1. & 3. c. 20.

Ovid. lib. 4. de Pōto, Eleg. 12.

Crede mihi miſeros prudentia prima relinquit,
Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.

Tacit. 15. Annal. Cæterum Nos non de monſtris eiuſmodi agimus, ſed cum Regibus, & de Regibus loquimur, qui vel hoc nomine digni ſunt, vel ſe eodem, quo meliori poſſunt modo, dignos reddere volunt. Hoc eſt, prudentium, ſapientiumque virorum conſilijs utendo, quamvis ipſi per ſe, non ſummè prudentes, ſagaces, & rerum agendarum experientijs ſuffulti, reperiantur. 34

Sidon. lib. 5. epiſ. 1. Quippè ut Sidonius ait: *Satis eminet ingenij proprij meritis, qui fuerit fautor alieni*; ac ſecundùm Q. Curtiū: *Natura mortalium hoc quoque nomine prava, & ſiniſtra dici poteſt, quod in ſuo quiſque negotio hebetior eſt, quàm in alieno. Turbida ſunt conſilia eorum, qui ſibi ſuadent.* Curtius lib. 8.

Et hoc conſulendi ſtudium eſt vinculum, per quod Reſpublica cohæret; hoc ſpiritus ille vitalis (Senecæ verbis utor) quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur. Heſiodoque docente: 35 Senec. li. 1. de Clement. cap. 4.

Heſiod. in Ergis.

Optimus hic, ſe ſe, qui novit cuncta, magiſtro
Proſpiciens rerum fines: meliora ſequutus.
Dignum laude virum parentem recta monenti
Credemus; ille tamen, qui non ſibi conſulit, & qui
Alterius præcepta fugit, vir inutilis ille eſt.

Tit. Liv. lib. 22. Quod Titus etiam Livius ſub perſona Fabij ſic dixit: *Sæpè Ego audivi, Milites, Primum eum eſſe virum, qui ipſe conſulat, quid in rem ſit; ſecundùm eum, qui benè monenti obediat. Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, extremi eſſe ingenij.* Et valdè ad rem noſtram Themiſtius Conſtantinum Imperatorem ad hanc virtutem petendi conſilij, & parendi rectè conſultantibus hortans, nullam magis Regiam ex Zenonis doctrina eſſe inquit, adducto dicto Heſiodi carmine, & ita ſubiungens: *Neque enim fieri poteſt, ut Imperator unus, etiamſi maximè divinus exiſtat, tot curis præfectus, in omnibus, quod expediat, aſſequatur. Cæterum ſi illud, quod dico, parendi obſequendique in ſe unus habeat, corrogare à multis poterit, quæ multitudo negotiorū omnia à ſe habere nō permittit:* 36 Themiſt. orat. 6.

Pluribus inter ſe rem conſultare paratis,
Huic pare, melior cui ſtat ſententia menti.

Qua in ultima claſſe fuiſſe legitur Iuſtinianus II. dum ſexdecim natus annos, ut narrat Cuſpinianus, Imperium adeptus, proprijs conſilijs illud regere voluit, & maxima in commoda Romano nomini attulit. 37 Cuſpin. in Iuſt. 11.

tulit. Neque enim fruſtra Caſsiodorus ſcripſit: *Hoc eſt profectò difficillimum regnandi genus, exercere Iuvenem in ſuis ſenſibus Principatum; rarum omninò bonum eſt Dominum triumphare de moribus, & hoc conſequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana prudentia pervenire.* Caſsiod. lib. 11. epiſt. 1.

38 Eademque Stultitia à Nicephoro Gregora in Andronico Iuniore notata fuit, qui pariter nullius conſilium admittebat, ſui unius ſententiæ, & ſcientiæ inſiſtens. Et Sigibertum Angliæ Regem, ut Polidorus narrat, ac Baiacethem Turcarum Regem, ut Chalcocondylas, in perniciem deduxit. Ioannes quoque Magnus, de Botuildo Suenonũ Rege commemorat, navali expeditione infœliciter geſta, in hæc verba prorupiſſe: *Enim verò nimis diu oblitus ſum Procerum meorum cõſilia audire, cuius oblivionis pœnas nunc do.* Gregora lib. 11. Polyd. lib. 4. Chalcocond. lib. 3 Ioan. Magn. lib. 2.

39 Cum ex adverſo, plures alios Reges extitiſſe legamus, qui licèt nõ adeò eſſent prudentes, tamen conſilijs agnati alicuius, aut virorũ probitate & prudentia illuſtrium, fœliciſsimè gubernaverint, quorum copioſam nomenclaturam Anti-Machiavellus, & alij nobis exhibuerũt, & pro multis doceri poteſt, vel ex ſolo exemplo Ioas, qui, ut ſacra Pagina perhibet, & ſi ſeptem ſolum modo annorum eſſet, cum regnare cœpit, interim tamen egregiè Regnũ adminiſtravit, quia Ioiadæ ſummi Sacerdotis, aliorumque optimatum Conſilijs uſus eſt, ijſque obtẽperavit. Anti-Mach. d. lib. 1. c. 1. And. Rey, & alij apud Coning. d. c. 26. pag. 187. Lib. 4. Reg. c. 11. Pet. Greg. de Rep. lib. 26. c. 5. n. 5.

40 Idemque, Annales Romani, de primis annis Imperij Neronis ſcribunt, dũ Senecæ ac Burrhi monitis paruit: de Gordiano undecim annos nato, ad Imperium evecto, & Miſiſthei ſoceri conſilijs adiuto. De Theodoſio Arcadij filio, ſub mammis adhuc exiſtente, Imperij hærede relicto, & Iſdigetis Regis Perſarum curæ à patre commiſſo.

41 Et qui voluerit copioſum Catalogum aliorum omnium nationum Regum, in tenera ætate ſub proborum curatorum, ac Conſiliariorum directione Regna ſua fœliciter moderantium, adire poterit, atque aperire refertiſsimam penũ doctiſsimi noſtri, & mihi à primis ferè incunabulis dilectiſsimi D. Ioan. Baptiſtæ Valençuelæ Velazquez, poſt varios dignitatum gradus, propria virtute, & litteris partos, in Salmãticẽſem Epiſcopatum evecti, inibique (heu) nuper defuncti, ubi ex noſtris Hiſpaniæ Regibus Alfonſum Aragoniũ, & Iacobũ I. recenſet, & Alfonſum IV. & VIII. Henricũ I. & III. Ferdinãdũ IV. Alfonſum XI. & Ioannẽ II. in quo obſervando, educãdo, eiuſque Regno benè adminiſtrando, ſumma fides & prudentia Ferdinandi Infantis patrui eius enituit. Dom. Valẽz. cõſ. 198. ex num. 7. vol. 2. vide etiam D. Ioſeph. Velam diſſertat. 3. ex n. 12. & Greg. Lopez in l. 3. tit. 25. par. 2.

42 Meminiſſeque etiam potuit Invictiſsimi Noſtri Regis Imperatoris Caroli V. Maximi, qui anno xvij. regnare cœpit, & D. D. Philippi IV. nunc Dei benignitate regnantis, qui nondum completo xvj. tanti Imperij habenas aſſumſit, & cum glorioſæ memoriæ D. Philippus III. eius Pater, in extremis conſtitutus eſſet, & Proceres Conſilij Status convenirent, ut quid in Regni moderatione agendum eſſet, diſcuterent, aulam, ubi convenerant, ingreſſus, illis dixiſſe fertur: *Que no ſe embaraçaſſen en tales platicas, que ſi Dios ſe ſirvieſſe* Perez de Lara in Compend. vir. homin. cap. 16. n. 11.

de llevar de eſta vida al Rei ſu Padre, i Señor, èl quedaba por Rei, i ellos harian lo que èl les mandaſſe.

Eiuſdemque doctrinæ veritatem agnovit, & exemplo Regis noſtri Henrici III. comprobavit Ferdinãdus Perez de Guzman, inquiẽs, quòd licèt hic Rex, ob corporis ægritudinem, nec valdè præſtantem mentis habitudinem, minùs idoneus ad tanti Regni gubernationem videri potuit, adhuc tamen: *Alcançò diſcrecion para conocer, i elegir buenas perſonas para el ſu Conſejo: lo qual no es pequeña virtud para el Principe; è aſsi con tales maneras tenia ſu hazienda bien ordenada, i el Reino pacifico, i ſoſſegado. E que a los Reyes menos ſeſſo, i esfuerço les baſta para regir, que à otros hombres, porque de muchos ſabios pueden aver conſejo, è ſu poder es tan grande, eſpecialmente de los Reyes de Caſtilla, que con poca hombredad que tengan, ſeran mui temidos, tanto, que ellos ayan ende ſu preſuncion, i no ſe dexen governar de otros.* 43

(Fernand. Perez de Guzm. en ſu Mar de hiſtor. cap. 128. fol. 51.)

Neque his obſtare quis putet Apophtegma illud ſapientiſsimi Regis Alfonſi Aragonum I. ab Antonio Panormitano relatum, quatenus dicere ſolitus erat: *Abſurdum eſſe Reges ab alijs Regi, & Duces ab alijs duci.* His quippè verbis, haud quaquam Conſiliorũ, & Conſiliariorum utilitatem, neceſsitatemque negavit, quæ nihil de Regia dignitate, ac Maieſtate diminuit, cum Reges non cogat; ſed dirigat, ipſiſque poſteà, auditis, penſatiſque omnibus, liberum ſit, quod optimum factu videbitur facere: *Dum* (Caſsiodoro teſtante) *omnibus utile eſt iudicium Principis ſequi, & ipſe facit propria, qui gratanter ſuſcipit aliena.* Et ut alibi Valentinianus, & Theodoſius Auguſti reſcribunt: *Non minùs plenam gratiam mereatur, qui præſtanda ſuggeſſit, quàm qui ſuggeſta concedat. unum providi iudicis eſt, alterum munificentiæ principalis.* Quibus modernus quidam Scriptor adridet, ſic inquiens: *Nec quicquam præterea gloriæ Principum decedit, quod res benè gerant aliorũ conſilijs: cum ſummi etiam gubernatores in magnis tempeſtatibus ſæpè à vectoribus admoneantur.* 44

(Panorm. lib. 2. de dict. & fact. Reg. Alfonſ. — Caſsiod. lib. 8. epiſtol. 11. — Valent. & Theod. in Novell. — Ioan. Boch. in hiſt. in Augur. Alberti & Iſabell. pag. 277)

Quod ergo Alfonſus notare voluit, ad nimiam aliquorum Principum & Magnatum animi demiſsionem, ſive ſubmiſsionem dirigitur, qui cum Imperij, & Principatus titulum ſibi vendicent, alieno tantùm conſilio, etiam nolentes, reguntur, & à ſe omnes prorſus Imperij curas abiiciunt, quod quantum Regio muneri noceat ac detrahat, iam alio loco probavimus. 45

(Sup. Embl. 18.)

Vel in alios Principes tendit, qui cum in ipſi Senatorũ, ſive Conſiliariorum cœtibus præſint, nihil ex proprio Marte dignum Regijs ſenſibus proferunt. Cum tamen iuxta Taciti aliorumq; monimentũ: *Ratio & conſilium ſint propriæ Ducis artes.* Et qui ſummum occupant locum, ſumma ope niti debeant, cæteris, ut in alijs, ita & in loquendi, conſulẽdi, prævidendi, ac providendi dexteritate, ac maturitate præcellere. Vnde Ageſilaus apud Stobæum percontatus, quid Ducem belli præcipuè exornaret? Reſpondit: *Adverſus hoſtes audacia, & in oblata opportunitate ratio & conſilium.* 46

(Tacit. lib. 3. hiſt. & alij apud Cepol. in tract. de Imp. milit. deligen. in prin. — Stob. ſerm. 1.)

Et Rex, Regum omnium ſapientiſsimus, Salomon, inter alias cauſas ob quas valdè enixè ſapientiam optaſſe, & à Deo poſtulaſſe,

(Sap. 8. 10. & ſeqq.)

com-

commemorat, hanc in primis proponit, ut inter ſuos Conſiliarios in ferendis rogandiſque ſuffragijs acutus, & admirabilis appareret, ſic etenim inquit: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuvenis: & acutus inveniar in iudicio, & in conſpectu Potentium admirabilis ero, & facies Principum mirabuntur me: tacentem me ſuſtinebunt, & loquentem me reſpicient, & ſermocinantem me plura, manus ori ſuo imponent, &c.*

47 Quod ſi quis adhuc urgeat, eundem Alfonſum, apud eundem Panormitanum, hanc conſiliandi ſedulitatem parvi pendiſſe videri, dum dixit: *Regum Conſiliarios, aut Reges eſſe, aut Regum animos habere oportere.* Sic indicans, plurima interdum Conſiliarijs privatiſque hominibus pro ſuo captu convenire videri, quæ Reges non deceant, nec niſi Regio ſpiritu elatis, atque inflatis mentibus dignè poſsint deliberari. Quod ſatis oſtendit Alexander Magnus, qui, ut Quintus Curtius, Valerius Maximus, & alij recenſent, cum Parmenio in Conſilium vocatus, ſuper reddendis Dario uxore, & duabus filiabus, quas captivas habebat, triginta millibus auri talentis, quæ pro illis offerebat, acceptis, dixiſſet, ſe, ſi Alexander eſſet, conditione, quæ offerebatur uſurum: ille, cui ingrata hæc oratio fuit, ſtatim reſpondit: *Et ego uterer, ſi Parmenio eſſem, & pecuniam quàm gloriam mallem; nunc Alexander, de paupertate ſecurus ſum, & me non mercatorem memini, ſed Regem, captivos ſi placet reddi, honeſtius dono dabimus, quàm pretio remittemus.*

Panorm. lib. 1. ubi vide etiã Æn. Sylv. in notis.

Curtius lib. 4. c. 26. Valer li. 6. c. 4. §. 3. Plutarc. in vita Alex. & in Apoph. lib. 6. c. 1. Arrian. lib. 2.

48 Hoc quidem veritati doctrinæ, quam adſtruimus, non repugnat, nam cum ſit difficile, ut ſemper Reges Regibus conſulere poſsint, ad privatos eundum eſt, inter quos, plures, omnibus ſæculis reperti ſunt, qui recta conſilia ſuis Regibus præbuerunt, Regioſque ſpiritus imbiberunt, etſi ipſi Reges non eſſent: *Intelligendi quippè natura* (ut Symmachus præclarè in quadam epiſtola inquit) *indulgentius patet; alioqui præclara rerum paucis probarentur, ſi boni cuiuſque ſenſus, etiam ad impares non veniret.*

Symmach. in epiſtolis.

49 Nec minùs rectè à Livio Salinatore tràditum fuit, neminem fideliùs dare poſſe conſilium, quàm eum, qui id alteri ſuaderet, quod ipſe, ſi in eodem loco eſſet, facturus fuiſſet: quem locum Eraſmus adducere potuit, dum illud Adagium commentatur: *Suade, o quod ipſe facturus eſſem*, ex illo Calypſi carmine ſumtum:

Sentio, ſuadeboque tibi, quibus haud graver uti
Ipſa, mihi ſimilis ſi quando occurreret uſus.

Tit. Livius lib. 7. decad. 7.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 128.

Firmis hærendum.

EMBLEMA XLVI.



Immerſam ponto firmat gravis Anchora puppim,
Et Bolis æquoreum nautica tentat iter.
Vt Regni ſluctus ſuperet benè tuta carina,
Anchora ius ſiſtat: Conſiliumq́; Bolis.

COMMENTARIVS.

Ioã. Magn. Barth. Philippus, Han. à Collibus, Freder. Ceriola, Kochier, & D. Laur. Ramir. de Prado in eius notis, Gaſp. Ensl. Coning. Cãpanus, & Brantius de Senat. & alij paſsim.
L. quiſquis, C. ad leg. Iul. Maieſt. §. filius fam. Inſtit. quib. mod. ius pat. l.7. tit.1. p.4. latè Alex. 4. Gen. c.11. ubi Tiraq. & Ego de mun. honor. ex n.343.
Claud. in Eutrop. lib.2.

ETSI Affatim de Cõſilij utilitate, & neceſsitate dixiſſe videamur, argumenti gravitas exigit, ut manum ab hac tabula nõ levemus, prius quàm lineas aliquas de eiuſdem qualitatibus deducamus. Nõ quia velim lõgam hac de re tractationem inire, quam ab alijs præoccupatam eſſe cognoſco; ſed ut melius intelligant Principes, parũ ſe in petendis, exquirendiſq́ue conſilijs proficere, niſi prius ad hoc munus viros virtute præſtantes, ſapientes, prudentes, varijſq́ue rerum experientijs dotatos, ſibiq́ue ſuper omnia fidos, & amicos ſelegerint, & evexerint, qui dubijs in caſibus ſciant, iuſtum ab iniquo, utile à noxio ſecernere, cõſilia rebus, locis, tẽporibus ac perſonis aptare, firmis hærere, & tales denique ſe pra ſtare, ut nõ ſolùm Patriæ, verùm & ipſorum Principũ Patres, imò & Partes eſſe, ac vocari mereantur, ut in multis legibus dicitur, quibus cõvenit illud Claudiani: 1

-------------- Genitorq́ue vocatur
Principis, & famulum dignatur Regia Patrem.

Et

Corippi: *Conſcripti Patres, noſtri pars magna Senatus.*

Corip. lib.2.

2 Et de eiſdem Boni Conſiliarij partibus agens, Luſitanus Tullius Hieronymus Oſſorius, ſic inquiens: *In primis neceſſe eſt, ut Regis Conſiliarij ſint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculti, longo rerum uſu periti, in hiſtorijs diligentiſsimè verſati, neque præſentia tantùm ſagaciter odorantes, ſed longè in poſterum, quod utile futurum Reipublicæ ſit, cõiectura providentes.* Iſtud eſt quippè ſapere, ut Demeas apud Comicũ dixit:

Non quod ante pedes modo eſt, videre,
Sed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere.

Oſſor. de Regis inſtit. lib.7.
Terent. in Adelph.

3 Iuſtus etiam Lipſius Conſiliariorum veluti definitioné tradens, eos demum hoc nomine dignos docet: *Qui fidi, rerum hominumque periti, ſalutaria ſuggerunt Principi, ſive bello, ſive pace.*

Lipſ. lib.3. polit. cap.4.

4 Et Thomas Balasſius de Fidelitate ſubditorum, erga ſuos Reges ſcribens, hanc in primis in Conſiliarijs requirit: *Qui ſunt eorum quaſi anima, quaſi mens, quaſi ratio, quaſi voluntas. Vnde neceſſarium eſt, & affectu in Regem bono eſſe, & in ſe ipſis divites rerũ rationibus, ac pruendtia.*

Balasſ. d. tract. c.9. ex pag.61.

5 Et valdè ad rem noſtram Noſter Alfonſus Rex, qui in quadam ex ſuis ſeptem Partitis legibus ſic ſcripſit: *Eeſte Conſejo ha de tomar con omes, que ayan en ſi dos coſas. La primera, que ſean ſus amigos. La ſegunda, que ſean bien entendidos, è de buen ſeſſo. Ca ſi tales non fueſſen, poderleia ende venir gran peligro, &c.*

L.5. tit.9. par.2.

6 Vnde apud Tertullianũ legimus, inter præcipua Romani Populi vota, illud fuiſſe, ut ſuis Principibus Prudens, ac Fidelis Senatus contingeret: *Precamur* (inquit) *Imperatoribus vitam prolixam, exercitus fortes, Senatum fidelem, hæc Cæſaris vota ſunt*; quia re vera, ut ſcitiſsimum, ita & certiſsimum eſt illud Lampridij: *Meliorem eſſe Rempublicã, & prope tutiorem, in qua Princeps malus eſt, ea, in qua ſunt Amici Principis mali. Siquidem unus malus poteſt à pluribus corrigi; multi autem mali non poſſunt ab uno, quamvis bono, ulla ratione ſuperari*; prout & Homulus Trajano reſpondit, cum ab eo audijſſet, Domitianum peſsimũ fuiſſe Imperatorem, amicos tamen & Conſiliarios optimos habuiſſe.

Tertul. in Apolog. cap.30.
Lamprid. in Alex. Sever. Fulgoſ. lib. 7. c.2. idem dictũ tribuit Mar. Max. Cuſpinian. in Conſulib. vide Gaſp. Enſl. in Nucleo hiſt. polit. pag.247

7 Quòd in cauſa fuit, ut Diocletianus, Imperio relicto, ad privatã vitam receſſerit, & in ea, ut Flavius Vopiſcus memorat, dicere ſoleret, nihil difficilius, quàm benè imperare: *Colligunt quippè ſe quatuor, vel quinque, atque unum concilium ad decipiendum Imperatorẽ capiunt. Dicunt quod probandũ ſit; Imperator qui domi clauſus eſt, vera non novit: cogitur hoc tantùm facere, quòd illi loquuntur. Facit Iudices, quos fieri non oportet, amovet à Republica, quos debeat retinere. Quid multa? Bonus, Cautus, Optimus venditur Imperator.*

Vopiſc. in Aureliano, Eraſmus lib.6. Apoph.

8 Et ut ex adverſo, Sigiſmundus Imperator (Ænea Sylvio referẽte) Beatos eſſe in terris diceret Reges, ſi excluſsis ſuperbis, viros mãſuetudinis & miſericordiæ cultores, in Curia Aſſeſſores, & Conſiliarios haberent, quod & prius Veſpaſianus apud Philoſtratum exoptavit, cum ſcribat: *A Dijs ipſum exoptaſſe, ut & ſapientum Imperator eſſet, & viciſsim ſapientibus pareret.*

Æn. Sylv. de geſtis Sigiſm. Imp.
Philoſtrat. lib.

9 Quales quondam Romanos Senatores fuiſſe, ſatis, poſt Salluſtiũ, oſtendit D. Auguſtinus, qui Catonem ita loquentem inducit: *Nolite*

Saluſt. in Catilin.
D. Aug. lib.5. de civit. Dei. c.12.

exiſtimare Maiores noſtros armis Rempublicam ex parva magnam feciſſe: ſed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris iuſtum Imperium, animus in conſulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius.

Camer. 1. par. ſubciſ. cap. 32.

Et conſtare poterit, vel ex arctiſsima formula iuramenti, quod ipſi ijdem Senatores emittebant, dum Curiam intrantes, charitate privata abiecta, publicā induebant, & ut latiùs Camerarius refert, Deos hominesque obteſtabantur, ſe neque gratiæ, neque odio, neque muneribus iudicium, conſultumvè ſuum ſervire paſſuros, neque privatis commodis, aut affectibus ſententiam ſuam addicturos: ſed tantùm communi utilitati patriæ, atq; Reipublicæ pro viribus proſpecturos, non aliter, atque is fecit, qui uſquam Senator laudatiſsimus extitit. 10

Beyerlinc. in Thea. verb. *Conſilium*, pag 403.

Quò ſpectat, Beyerlinchio teſtante atque recenſente, vetus ille Rythmus, & comprehenſa in illo monitio. 11

O Conſultores, rectos aſſumite mores;
Publica privatis præponite commoda gratis,
Ne damnet veſtras Animas divina Poteſtas.

Salluſt. in orat. 2. ad Cæſarē de Rep. ordin.

Neque aliud nos commonere voluit Salluſtius, dum ſe, tota vita, legendo, audiendo, atque experiendo, comperiſſe teſtatur: *Omnia Regna, Civitates, Nationes, uſque eò proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt.* 12

Tull. 2. offic.

Agath. lib. 2. hiſt.

Tacit. 2. An. c. 26.

Quod ipſum Monitum ſatis etiam comprobat Tullius, ſic inquiens: *Qui cuncta agunt Conſilio, reguntur ſapientia, & quicquid ordine, & regimine caret, lætos non habet exitus.* Verè enim verum eſt, tam toga, quàm bello, plura prudentia & conſilio, quàm armis, & viribus fœliciter contigiſſe, ut Agathias ſcriptum reliquit, poſt Tacitum, qui ſic habet: *Pleraque in ſumma fortuna, auſpicijs & conſilijs, quā telis & manibus geri.* Quod ortum ab illo Euripidis habuit: 13

Mens una ſapiens, plurium vincit manus.

Sap. 6. 1. Eccl. 9. 18

Alciat Embl. 14.

Beyerlin. in Thea. verb. *Conſilium*, pag 403. & ſeqq.

Et certioribus teſtimonijs Sacræ Scripturæ docetur, in qua legimus: *Melior eſt Sapientia, quam vires. Melior eſt Sapientia, quam arma bellica*; quibus inſiſtens Alciatus, idem ſuo Emblemate deſignavit, ſub figura Bellerophontis chimæram ſuperantis, & his carminibus: 14

Bellerophon ut fortis eques ſuperare chimæram,
Et Lycij potuit ſternere monſtra ſoli:
Sic tu Pegaſeis vectus petis æthera pennis,
Conſilioque animi, monſtra ſuperba domas.

Saaved. Empr. 84. ex pag. 632. & Empreſ. 63. ex pag. 478. vide Eraſm. in Adag. *Anchoris duabus fultus*; & *Bonum eſt duabus niti anchoris*, pag. 627. & 628.

Poſſemque in eiuſdem doctrinæ comprobationem, plura omnium ſeculorum exempla referre, niſi iam eſſent ab alijs Auctoribus luculenter congeſta, & noviſsimè à Noſtro D. Didaco de Saavedra, qui ad hoc idem magis ac magis demonſtrandum, inter ſua Symbola, duo excuſsit. Quorum in uno ingenioſam ad levandos lapides rotam, Vulcani Lemnij ferrarijs fabricis contraponit: in altero, navim depin- 15

git,

git, validis duabus ad puppim ac proram anchoris religatam, ſic à antiquis ſignificatum inquiens, in Conſilijs ſumendis, rei gerendæ initium, ſive ingreſſum expendere non ſufficere, niſi & finis etiam, progreſſus, & egreſſus, ſive exitus inſpiciatur.

16 Quod ſumſit ex Cicerone, qui ad ſuum Tyronem ſcribens, Græcorum paræmiam, ſive proverbium citat, de *Prora, & puppi, quo ſummam conſilij noſtri* (inquit) *ſignificamus, propterea quòd à prora & puppi, tanquam à capite & calce, pendeat tota navis*; licèt Eraſmus (meo iudicio rectius) hoc Adagio, cuiuslibet rei integrum corpus, ſive integram inſpectionem, & conſiderationem eius, in quo totius negotij cardo vertitur, ſignificari tradat, & pluribus alijs locis relatis evincat.

Cicer. lib ult. fam. epiſt.

Eraſm. in Adag. *Prora & puppis*, pag 9.

17 Nos autem inſinuare volentes, in eiſdem Conſilijs, firmis ſolidiſque rationibus innitendum, nihilque abſque prævia, gravi, & matura rei vel cauſæ, de qua conſulitur, inquiſitione, cognitione, exactaque circumſtantiarum omnium penſitatione, deliberandum, præſens Emblema Noſtris Regibus ob oculos ponimus. Quo, ut apparet, navis depingitur, quam dum providi expertique Naucleri, adverſus procelloſi maris fluctus ſalvam ac ſecuram reddere geſtiunt, prius ipſius maris fundum, ſive altitudinem, ſemel & iterum, iactabolide, explorant, & ubi firmum locum reperiunt, anchoras iaciunt. Quod ab illis Orientalibus Dymnoſophiſtis, ſuo tempore omnium mortalium prudentiſſimis iudicatis, mutuavimus, quorũ Legati, ut Philoſtratus memorat, loco Mercurialis Caducei, anguibus complicati, quo alij communiter pro inſigni ſui muneris uti ſolebant, unde & Caduceatores dici conſueverunt, anchoram auream manu gerebant, propterea quod omnia coërcet, ſive prius prudenter tentat, firmiſque & ſecuris inhæret, quod maximè Legatis, in negotijs ſibi iniunctis, expediendis, incumbit.

Philoſtr. in vita Apoll. lib. 3. c. 3. pag. 117.

Paſchal. de leg lib. 1. cap. 5. Alber. Gẽtis. lib. 1. c. 18. Marſalaer. li. 1. diſſert. 25.

Ioan. Horoſc. Covarr. in Embl. lib. 1 c. 12. in princip. D. Chriſt. à Benavẽte in ſuis adverſ. c. 3. pag 36.

18 Vnde confirmari vel potius novo ſenſu illuſtrari poteſt illud Alciati, qui in Regibus, eiuſdem Anchoræ inſigne, officiumque deſiderat, eidem Delphinum involutum depingens, & ſic inquiens:

Alcial. Embl. 143.

Titanij quoties conturbant æquora fratres,
Tum miſeros nautas anchora iacta iuvat:
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius ut poſsit figier illa vadis.
Quam decet hac memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo.

Et adhuc magis aptè ipſorum Regum Conſiliarijs attribui, de quibus, ex Platone, & Græcorum ſententijs, in Proverbium abijt, *Res Sacra Conſultor. Conſilium res Sacra.* Quod Suidas apud Eraſmum, dictũ, dicendumque indicat, ubi deliberatur de rebus periculoſis, ut ſimile videatur illi: *Sacram Anchoram iacere, ſeu ſolvere*, quo ſignificare ſolemus, ad extrema præſidia confugere, translatum à nautis, qui validiſsimam anchoram, *Sacram* vocant, eamque tum demum mittunt, cum extremo diſcrimine ſe laborare præſentiunt.

Plat. in Theag. ſive de Sapient. & in epiſt. ad Perdicam.

Eraſm. d. Adagijs, pag. 128.

Idẽ Eraſm. in hoc Adag. pag. 229.

Et

Boet.deCõſol.lib. 1. proſ. 3. vide Fileſac.2.ſelect. tit.1 cap.2.
Senec. de Conſol. ad Polyb.cap.28.

Et planè cum omnium hominum vita non ſolùm navigatio, verùm & naufragium ſit, in quo, ut Boëtius ait, circumdantibus agitamur procellis, & verum eſſe illud Senecæ experimur: *In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis æſtibus reciprocum, & modò allevans nos ſubitis incrementis, modò maioribus damnis deſerens, aſsiduèque iactans, nunquam ſtabili conſiſtimus loco, pendemus, & fluctuamur, & alter in alterum allidimur, & aliquando naufragium facimus, ſæpè timemus*; ſi hac, de qua loquimur, ſacra recti Conſilij anchora deſtituamur, nihil erit quod nos, tot ſubiectos periculis, defendere poſsit. 19

Salluſt. in Catilin.
Tacit.lib.1.Annal. cap.33.
Livius decad.3. lib.2.

Quapropter benè monuit Salluſtius: *Prius quàm quid incipiamus conſultò, & ubi maturè conſuluerimus, facto opus eſſe.* Et Mimographus: *Deliberandum eſſe diu, quod ſemel ſtatuendum ſit.* Quod perinde eſt ac ſi dicerent, non niſi iacta bolide, & benè penſatis omnibus, in rebus arduis quicquam reſolvi, & executioni mandari debere. Quia ut Tacitus docet: *Scelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt.* Et ſecundùm Livium: *Omnia non properanti clara certaque ſunt, feſtinatio improvida eſt, & cæca*; nulliſque nõ ſeculis præcipitantes præcipites egit, & pluribus damnis, atque ærumnis affecit. 20

Camerar. 3. to. c. 23. & 1. tom. c. ex pag. 240. Beyerlinc. in Theat. ver. Conſiliũ, pag. 420. & litt. I. pag. 374. & litt. N. pag. 20.
Claudian. de bell. Gildon.

In quorum exemplis referendis multi ſunt, Camerarius, Beyerlinchius, & alij, quibus valdè conſonat Claudianus, dum perfectum Ducem deſcribens, ſic inquit: 21

-------------- Ductorque placebat,
Non qui præcipiti traheret ſimul omnia caſu,
Sed qui maturo, vel læta, vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens, nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu tumidus, ſpatiumque morandi,
Vincendique modum, mutatis noſſet habenis.

Soph. in Oed. Tyr.

Et ſatis notum eſt Sophoclis illud:

Periculoſa eſt præpopera prudentia.

Eraſm. in his Adag. pag. 239. & 240. vide ſup. Emb. 42.
Tull. in Cat. maio.

Et iuxta Publij Mimum: *Deliberare utilia moram tutiſsimam eſſe.*

Quod occaſionem fecit Adagijs, quibus *Lentè feſtinandum, & nimium properantes ſerius abſolvere*, admonemur. In quorum expoſitione Eraſmus plura congeſsit, & uberrimum copioſæ orationis quaſi fluvium emiſsit. Inter quæ illud de cunctatione Quincti Fabij Maximi, quæ in re bellica plus multo Romanis profuit, quàm præceps M. Minutij temeritas. Vnde præclarè Ennius apud M. Tullium dicere potuit: 22

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Plutarch. de Iſid. & Oſirid. Suid. & alij apud Eraſm. in Adag. *Feſtina lẽtè*, pag. 241.

Atque, ut à noſtra Anchora non abſcedamus, hoc idem Ægyptij per illam, in medio circuli à Delphino obtorto corpore circumplexam, ſignificabant. Anchora quippè, quoniam navim remoratur, alligat, & ſiſtit, tarditatem indicabat. Delphinus, quòd hoc nullum animal celerius, aut impetu perniciore, velocitatem exprimebat, quibus ſcitè connexis, colligebatur, ſemper lentè feſtinandum eſſe, ſed tamẽ 23

ita,

ita, (prout & Nos in noſtris Conſiliarijs requirimus) ut prudentiſſimum Taciti monitum obſervent, & interdum ſciant: *Nullum cunctationi locum eſſe in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum, nec cũctatione opus, ubi pernicioſior ſit quies, quàm temeritas.* Tacit. 1. hiſt. proſequitur Saavedra Empr. 80. ex pag. 597.

24 Rerum quippè & temporum caſus efficiunt, ut qui nimiũ feſtinat, incitato gradu ad exitium tendat: qui diutius moratur, aut commodũ ſuum, aut ſalutem intermittat, ut benè concludit Nicolaus Berneggerus, poſt huius quæſtionis diſputationem, *Probanda ne ſit in conſultando cunctatio?* In celeritate etenim temeritatem, in mora conſilij inopiam cavere debemus. Quia ut rectè etiam quidam nuperus Auctor animadvertit: *Qui moratur cum res poſcit, iam feſtinat, qui feſtinat cum oportet, ſatis diu moratus eſt. Qui moratur ubi feſtinandum erat, currentem fortunam tarditate ſua ſiſtit, qui feſtinat, ubi morandum eſt, in malo ſuo commoratur. Vnde in utroque temperamentum, & prudentiam ſequi debemus. Temperamentum, ne in uno peccemus, dum alterum declinamus: Prudentiam, ut quid eorum facto opus ſit, videamus.* Berneg. ad Tacit. de morib. German. quæſt. 54. Zuerius Boxhorn. Embl. 14. pag. 104

25 Et hoc ipſum eſt, quod prius Seneca monuit, ſic inquiens: *Conſilia rebus aptantur, res noſtræ feruntur, imò volvuntur: ergo conſilium ſub die naſci debet; & hoc quoque tardum eſt nimis, ſub manu quod aiunt naſcatur.* Idemque Demoſthenes docuit, tradens: *Tempeſtivè, ſi res non ſit ſubita, deliberandum, & ſicut Imperatoris eſt præire exercitui: ſic benè conſulti viri, ipſis negotijs, & prout illa exegerint feſtinare, vel maturare.* Senec. epiſt. 72. Demoſt. Phil. 1.

26 Qua ratione M. Curij Dentati feſtinationem, *Præveniendi periculi cauſa*, excuſavit Valerius Maximus, & in hoc omnes convenire eruditè Alciatus inſinuavit, excuſſo Emblemate, à ſuprà dicto Anchoræ, & Delphini non valdè remoto, quo Remora piſcis ſagittæ complicatus depingitur, cum Epigraphè, *Maturandum*, & his, quæ ſequuntur carminibus: Valer. Max. lib. 6. cap. 3. §. 4.

Maturare iubent properè, & cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum Echeneide telum:
Hæc tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

Cui ſimilis Ioachimus Camerarius, ſub Mori arboris ſymbolo, quæ nimis tardè ſuos fructus emittere, & cunctando proficere ſolet, hoc carmen appoſuit:

Feſtinare nocet, nocet & cunctatio ſæpè:
Tempore quæque ſuo qui facit, ille ſapit.

27 Planè ubi res quæ in conſultationem deducitur valdè non urget, nemo verius illud Taciti eſſe negabit: *Duces, providendo, conſultando, cunctatione ſæpius, quàm temeritate prodeſſe.* Quia iuxta Herodoti ſententiam: *Feſtinare quod vis negotium gignit errores, unde maxima detrimenta exoriri ſolent: at in cunctando, bona inſunt, quæ ſi non ſtatim talia videantur, in tempore bona quis eſſe reperiat.* Tacit. lib. 3. hiſt. Herodot. lib. 7.

28 Vnde Damocritus Ætolorum Prætor apud Livium dixit: *Rem* Livius lib.

magni diſcriminis conſilijs, nullam eſſe tam inimicam, quàm celeritatem. celerem enim pœnitentiam, ſed eandem ſeram, & inutilem ſequi: cum præcipitata raptim conſilia, neque revocari, neque in integrum reſtitui poſſint.

Enricius Corduſ. in Poëm. pag 220.

Et quidam, utinam ita Catholicus ac bonus Poeta, præcipitantiā 29
ſatis exactè hoc carmine delineavit:

Dicite vos, quoniam me non videt illa, nec audit,
Quæ prope ſtat pronis ſemi caduca rotis?
Nonnè vides titulum? Lege, Præcipitantia fertur;
Moria quam Genitrix Impete patre tulit.
Cur habet obductum cæco velamine vultum?
Quidque quòd adverſas obſtruit auriculas?
Non circumſpecta eſt, nec provida, ſurdaque nullum
Conſilium admittit, det licèt ipſe Solon.
Quis tu, quæque tibi ſocia, & quæ denique cauſa eſt
Pone quod adſtrictos vos Dea ſunc tenet?
Error Ego, adſtanti nomen Metanœæ ſorori,
Nos ſecum Comites, quò ruit illa, trahit.

Ariſt. 6. Ethic c. 9. Plato in Protag. in princip.

Et hac de cauſa ſemper mihi damnoſæ, & reformatione dignæ viſæ 30
fuerunt noſtri temporis conſultationes, ad quas ſolent ſæpè Senatores vocari, abſque prævia rerum, de quibus agendum ſit cognitione, & ſtatim de ſuis ſententijs rogari, & ex tempore ad deliberandum compelli. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm Conſiliorum naturam temerare, quæ iuxta Antiquorum monitum, tarditatem expoſcunt, ipſoſque ſuffragantes, licèt alioqui prudentiſsimi, & peritiſsimi ſint, in erroris præcipitium inducere, & quod ſæpè accidit, in eiuſdem perſeverantiam, cum multi eo ſint ingenio, ut quod ſemel, etiam imparati, protulerint, poſtmodū (cognito licèt errore) defendere velint. Quod quia graviter & prudenter præſenſit, & admonuit Thomas Morus, ipſius hìc verba, ſic ſe habentia, inſerere placet: *Non debent conſultationes proponi, & ſtatim reſolvi; ſed in ſequentem Senatum differendæ ſunt; ne quis, dum quod in buccam venerit temerè effutierit, ea potius excogitet poſteà, quibus decreta tueatur ſua, quàm quæ è Reip. uſu ſint, malitque ſalutis publicæ, quàm opinionis de ſe iacturam facere, perverſo quidem ac præpoſtero pudore, ne initio parum proſpexiſſe videatur, cui proſpiciendum initio fuit, ut conſulto potiùs, quam cito loqueretur.*

Thom. Mor. in Repub. Anglic. lib. 2. tit. de Magiſtratib.

Paleot. de Sacri Cōſiſt. conſult. par. 4. q. 5. per totam.

Idemque ipſum, non minori prudentia, de conſultationibus ſacri 31
Conſiſtorij Cardinalium agens, tradit Eminentiſsimus Paleotus (niſi ubi ea emergunt negotia, quæ ullam vix moram patiantur, atque de illis ſtatim conſtitui neceſſe ſit) pluribus ad hoc probandum locis, & Pontificijs civilibuſque Decretis, & conſtitutionibus ponderatis. Inter quæ illud Calixti Papæ apud Gratianum, qui dicere ſolebat: *Nos tempore indigemus, ut aliquid maturè agamus; non præcipitemus conſilia, & opera noſtra, neque eorum ordinem corrumpamus*. Vnde dici

Grat. in cap pōderet, 50. diſt.

ſo-

ſolet gladiatorum eſſe,non Senatorum,capere in arena conſilium.

Eraſm.in Adag. pag 638.

32 Et potuit etiam adducere memorabile exemplum Imperatoris Alexandri Severi, de quo Lampridius recenſet, nullam unquam ſacraviſſe conſtitutionem, niſi adhibitis prius in conſiliũ viginti Iuris-Peritis,alijſque viris diſſertiſsimis,non minùs quinquaginta: *Dato etiam ſpatio ad diſquirendum cogitandumque, priùs quàm dicerent, ne in cogitati dicere cogerentur de rebus ingẽtibus.* In hoc enim,ut & in alijs, Naturam imitari debemus,quæ iuxta illud Lucretij:

Lamprid.in Alex. Severo.

------------- *Nil edere magnum*
Spectandumque ſolet,longo niſi tempore adultum.

Lucret.de nat. rer.

33 Et hercle, qui vel hac,vel alijs de cauſis,in erroneis ſuffragijs perſiſtunt,illud Senecæ ignorare,contemnereve videntur, dicentis: *Non eſſe levitatem à cognito,& damnato errore diſcedere,nec ſe mutuare ſapiẽtem, ſed aptare,dum ut portum veritatis, in quem tendit, aſſequi poſſit, neglecto proprio,ſanius conſilium amplectitur; vel dum fatetur ſe neſcire, quod neſcit,& ſine mendacio candorem oſtendit.*

Senec.ap. Canon her.1.tom.Aphoriſm.pag.285.& apud Lipſ. 3 polit. cap. 5.

34 Porrò,ut iam ad alia tranſeamus, qui ſacra iſta recti ſanique conſilij Anchora,de qua loquimur,ſe,vel alios,opportunè iuvare, & in tuto ponere voluerit,privatis utilitatibus affectibuſque poſtpoſitis,quæ ut rectè Livius docuit,plurimũ ſemper offecere,officientque publicis conſilijs, quia ut non minùs etiam rectè Tacitus dixit: *Peſsimum veri affectus,& iudicij venenum,ſua cuique utilitas.* Antequàm labyrinthũ, de quo extricando deliberant,ingrediãtur, exitum inſpicere debent, & media, quæ adoptatum finem conducant, ac perducant,prudenter diſponere, is enim demum, qui ad hunc adtendit, benè cœpit, benè progreſſus eſt, ut ſcitè quidam nuper,depicto labyrinthi Emblemate, monuit, & ſcitiùs longè Cornelius Tacitus, cuius hac in parte doctrinam,omnes qui conſulunt,& conſuluntur,memoriæ quidem mandare deberent, eaque ſic habet: *Omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur Reipublicæ utile, ipſis glorioſum, aut promtum effectu, aut certè non arduum ſit. Simul ipſe, qui ſuadet, conſiderandus eſt,adiiciat ne conſilio periculũ ſuum: & ſi fortuna cœptis affuerit, cui ſummum decus acquiratur.* Cui loco alia ſimilia addiicit Ioannes à Chokier, ſed omiſsit inſignem illum Innocentij III. Pontificis Maximi, qui in omni negotio tria præcipuè adtendenda duxit,& dixit: *Quid liceat ſecundùm æquitatem, quid deceat ſecundum honeſtatem,& quid expediat ſecundum utilitatem.*

Livius lib.22.
Tacit.1.hiſtor.
Buxhorn.Emb.14
Tacit.lib.2.hiſtor.
Saaved.pag.480.
ChoKier in Theſ. pol.lib.4. c.5.n.6.
Innoc.Põt.in cap. magnæ devoto.

35 Quod Monitum,pro Bolide ſuorum Conſiliorum Chriſtianis Principibus haberi debere cenſeo, cum iuxta aliud Ciceronis: *Fundamentum perpetuæ commendationis iuſtitia ſit, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.* Et in eo ſatis illud D. Cypriani Martyris exprimatur, qui *Legem divinam omnium Conſiliorum gubernaculum eſſe docuit.* Aqua quidquid, vel in minimo deviat, nec licitum, nec honeſtum, neque expediens unquam eſſe poterit, & tandem eum ſortietur exitum, quem Livius (licèt Ethnicus) conſilijs callidis comminatur: *Conſilia callida, & audacia prima ſpecie læta ſunt, tractatu dura, eventu triſtia.* Quod ſenciẽs

Cicer.3.offic.
D.Cypr.epiſt.
Livius lib.35.

D.Aug.epiſ.124.

Plin.in Paneg. ad Trajan.in princ.

D. Auguſtinus: *Non eſſe Chriſtianum cenſendum* (inquit) *qui non ſalva Religione & pietate Rempublicam adminiſtrat.* Vniversè enim, vel Plinio Iuniore docente, verum eſt: *Nihil ritè, nihilque providenter homines, ſine Deorum immortalium ope, auxilio, honore, auſpicari.*

Lipſ.3.polit.c.5.

Spinaſat.in Polit. lib.1.cap.1.

Quod latiùs Iuſtus Lipſius illuſtrat, & ante eum Albanus Spinaſatus, nihil boni illis conſilijs ineſſe poſſe, quæ divinis præceptis non innituntur, his, inter alia, carminibus probans: 36

Quid enim tenere bonum, aut verum queant,
Qui non tenent ſummæ caput
Veri boniquè fomitem, ac fontem Deum,
Quem nemo niſi in Chriſto videt.

Alex.4.Gen.c.11.
Sueton.in Auguſt.
Stob.ſerm.42.

Et agnoviſſe Romani, & aliæ Nationes videntur, quibus, ut Alexander ab Alexandro, & alij litteris produnt, in more fuit, nunquam Senatum cogere, nec publicis conſultationibus operam dare, quin prius ſacra præmitterent, & Dijs ex more litarent. 37

Boter. de Ratione Status lib.2.c.pen.

Idemque, piè pariter ac prudenter, admonuiſſe videtur Ioannes Boterus, dum dixit: *Quòd debent Principes cavere, & iubere, ut nihil prius decidatur in Conſilio Status, quin prius viſum ac diſcuſſum fuerit in alio Conſilio Conſcientiæ.* Quod, quàm enixè Religioſiſsimus Rex Noſter curare, & optare videatur, ſatis oſtendunt verba Decreti, cuius in Epiſtola Dedicatoria meminimus, quodque veluti ſcopum noſtrarū Commentàtionum præfiximus, dum à ſuis Conſiliarijs exigit & requirit: *Que tengan gran cuidado i vigilancia en que ſe guarde firmemente la ſanta Lei de Dios en todos ſus Conſejos, ſin que por ningun caſo de la tierra ſe diſpenſe en la mas minima parte; pues mas quiero perder todos mis Reinos juntos guardandola, que recobrar quanto ſe ha perdido, ſi ha de ſer con rieſgo de piſar la raya de los divinos preceptos.* 38

Eraſmus in Adag. *Anchoræ iactum Deus prævertit,* pag.271.& in Adag. *Anchora rupta,* pag.380.

Plaut.in Pſeud.

Vellei.Paterc.li.2.

Salluſt. in orat. ad Cæſar.

Petron.in ſatyr.

Et hoc quidem, ubi in ſumendis Conſilij præcedit, ſatis ſuo muneri Principes feciſſe cenſendi ſunt, & ſub ſacris firmiſque Anchoris ſuam Navem religaſſe, tametſi ſæpè (ut eſt in Adagio) illarum iactum Deus antevertere, vel prævertere ſoleat, & adhuc deſævientis fortunæ æſtu rumpi contingat, & de ſalute periclitari. Quæ Plauto teſtante: *Centū doctūm hominum conſilia ſola hæc evincit Dea.* Et ſecundùm Patercul ū: *Profectò inevitabilis fatorum vis conſilia corrumpit, efficitque (quod miſerrimum eſt) ut quod accidit, id etiam meritò accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.* Quod prius etiam dixit Salluſtius his verbis: *Sæpè prava magis, quàm bona conſilia proſperè eveniunt, quia pleraſque res fortuna ex libidine ſua agitat.* Et Petronius: *Non multum oportet conſilio credere, quia ſuam habet fortuna rationem.* 39

Ariſtoph.in concionatricib.

Et idem vulgò olim Athenienſibus tributum fuiſſe, ſatis indicat hi Ariſtophanis verſus: 40

Eſt ſermo quidam ductus à maioribus,
Fatua licèt ſtatuamus, & vecordia,
In melius attamen omnia nobis cedere.

Eraſ.in hoc Adag pag.265. Alex.4. Gen.cap.11.

Quorum meminit Eraſmus explicans Adagium quod inde ſumtum

videtur: *Athenienſium inconſulta temeritas*; & Iacobus Maria Campanacius, lepidam hiſtoriam recenſens, de quodam Veneto, cum altero Genuenſe, de ſuarum Rerum publicarum amplificatione certante.

Campanac in hiſt. mor. Gen. pag. 8.

41 Præter quàm quòd his non obſtantibus, certius eſt, & frequentius, recta ſanaque conſilia à Deo non tantùm probari, verùm & iuvari ſolere. Hæcque in pretio, & in laude eſſe, & ſi iuſtis ſuis iudicijs, vel alijs de cauſis, optato, prudenterque præviſo ac proviſo fine, fruſtrentur: ſcitè enim dixit Apuleius: *Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt.* Et apud Cornelium Tacitum: *Suetonio Paulino cauta potius cum ratione conſilia, quàm proſpera ex caſu placebant; ſatis cito incipere victoriam ratus, ubi proviſum fuerit, ne vinceretur.*

Apulei. 4 Florid. à quo habuit Cominæ[9] lib. 5. hiſt.

Tacit. lib. 2. hiſtor. cap. 25.

42 Atque hoc nimirum eſt, quod Ovidius, vel pueris notus, docuit, dum edixit:

Exitus acta probat, careat ſucceſsibus opto,
Quiſquis ab eventu facta probanda putat.

Et inter ærumnas mortalium meritò connumeravit Boëtius, ſic inquiens: *Hic etiam noſtris malis cumulus accedit, quod æſtimatio plurimorum, non rerum merita, ſed fortunæ ſpectat eventum; eaque tantum iudicat eſſe proviſa, quæ fœlicitas commendavit. Quò fit ut exiſtimatio bona, prima omnium deſerat infœlices:* Vnde & Tacitus dixit: *Vulgi morem eſſe fortuita ad culpam trahere.* Et Heliodorus: *Solent enim ſæpè homines ad rationem eorum quæ accidunt, accommodare animum.*

Ovid. in epiſt. Phillidi, latè Ensl. in Nucleo pag. 232. & ſeq. Tiraq. quē vide de pœn. temp. cauſ. 52. ex num. 9 Barbatiā, qui plura adducit, coſ. 46.

Boët de conſol. lib. 1. proſ 4.

Tacit. 4. Annal.

Heliod. in hiſt. Æthiop. pag. mihi 402.

43 Quod non minùs iniquum, quàm uſu receptum Plinius Iunior ſic retulit: *Eſt omninò iniquum, ſed uſu receptum, quòd honeſta conſilia, vel turpia, prout malè, aut proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta, modo diligentiæ, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen recipiunt.* Quò & tendit illud Euripidis: *Et res ſecundæ ſunt, eundem putamus ſapere.* Pindari: *Voti compotes, & quibus arridet fortuna ſapere videntur omnium iudicio.* Ciceronis: *Hoc plerumque facimus, ut Conſilia eventu ponderemus: & cui bene quod proceſſerit, multum illum providiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus.*

Plin Iunior lib. 5. epiſt. ult.

Eurip.

Pind. olymp. 5.

Cicer pro Rabirio

44 Cum tamen hoc (ut iam dixi) abſurdum ſit, prout & Sidonius Apollinaris agnovit, ſic inquiens: *Siquidem prudentibus; cordicitus inſitum eſt, vitare fortuita: ſicut itidem abſurdum eſt, ſi cœptis audacibus adverſetur eventus, conſurgere in querimonias, & in conſultarum diſpoſitionum culpabiles exitus, ad infamanda caſuum incerta convertere.* Et etiam valdè aptè Illuſtriſsimus, & multis nominibus laudandus Dom. D. Ioannes de Palafox & Mendoza, nunc pro meritis Tlaxcallenſis Epiſcopus, his verbis, relatu digniſsimis: *Porque la piedra donde ha de tocar la Cenſura Politica los acaecimientos publicos, no han de ſer los ſucceſſos, ſino los acuerdos. I es Maxima llana, i mui natural, que à prudentes medios correſponden ordinariamente mui felizes fines; i que ſi los primeros fueron bien governados, diſculpa tienen, comoquiera que ſucedan los ſegundos*, quæ conſonat cum alijs ſimilibus Herodoto.

Sidon. lib. 4. ep. 6.

D. Ioan. Palafox. in Relar. ſucceſ. ann. 1638. pag. 4.

Herodot. lib. 7. quem vide.

45 Et ad hæc eadem reſpiciens Seneca, ea, qua ſolet, prudentia ſcripſit

Senec. li. de benef.

reli-

reliquit: *Laus enim Imperatori, etiam victo, & Duci redditur, ſi & prudentia, & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt.*

Canonher. in Aphoriſm. polit. tom. 1. pag 274.

Et Petrus Andræas Canonherius idem ad Medicum applicat, qui licèt minimè morbum depulerit, non eſt imperitus cenſendus, ſi modo nihil prætermiſerit, quo morbum expelleret, & ſecundùm artem omnia fecerit. Quod prius Quintilianus, ab eo non viſus, aut certè nō citatus, his verbis ſcripſerat: *Nam & Medicus ſanitatem ægri petit, ſi tamen, aut valetudinis vi, aut intemperantia ægri, aliovè quo caſu, ſumma non contigit, dum ipſe omnia ſecundùm rationem fecerit, medicinæ fine non excidit.* 46

Quintil. lib. 2. Inſt. cap. 17.

Cicer. Philip. 11.

Maneat ergo illud Ciceronis in corde: *In recta ſententia, ne victa quidem cauſa vituperanda eſt*, nunquamque mentem ex exitu æſtimari debere, quia ſecundùm Senecam Patrem: *Omnia honeſta opera voluntas incohat, occaſio perficit. Sæpè honorata virtus eſt, etiam ubi eam fefellit exitus. Scelera quoque, quamvis citra exitum ſubſederunt, puniuntur. nec infœlix virtus amittit gloriæ titulum: nec gloriam virtutis intercipit fortuita fœlicitas.* 47

Senec. Pater declam. 6. lib. 4.

Cuiac. 15. obſer. c. 25. Brant. de Senat. lib. 1. cap. 24.

Quem locum egregiè Doctiſsimus Cuiacius, noviſsimuſque Ioan. Brantius illuſtrant, & premere videtur Apuleius, quatenus poſtquam dixit, bonos conatus in laude eſſe, quamvis eis non reſpondeat effectus, eadem argumentatione utitur a ſceleribus ducta, & ita concludit: *Ergo ſicut ad pœnam ſufficit meditari punienda, ſic & ad laudem ſatis eſt conari prædicanda.* 48

Apulei. 4. Florid. ad finem.

Queis addo, non ſolùm rectum conſilium, etiam effectu vacuum, laudari debere; verùm & erroneum excuſandum, & exculpandum, ſi modò quis bona mente, & ex animi ſui ſententia, citra ullum dolum, vel fraudem in eo proferendo ſe habeat. Nam cum in omnibus, cuiuſvis hominis ſit errare, adeò ut Petronius meritò dixerit: *Nemo noſtrum non peccat, homines ſumus non dij.* Hoc maximè inferendis rebus in arduis conſilijs, ſæpè contingit, quod Clemens Alexandrinus ad ignorationē ſimilitudinis, & diſsimilitudinis referre videtur. Eaque propter Mecænas Auguſto conſuluit: *Mentem Senatorum, qui ei aderant, conſiderare oportere, non autem aberrationem caſtigare.* Et Darius apud Q. Curtium, cum à ſuis rogaretur, ut quoſdam Græcos milites, qui ſibi minùs ſanum, (ut eis videbatur) conſilium dederant, circumdatos exercitu toto, telis obrueret, ita reſpondit: *Neminem ſtolidum conſilium capite luere debere, defuturos, qui ſuaderent, ſi ſuaſiſſe periculum eſſet. Denique, ipſos quotidie ad ſe vocari in conſilium, variaſque ſententias dicere: nec tamen melioris Fidei haberi, qui prudentius ſuaſerit, &c.* 49

Petron. in ſatyr.

Clem. Alex. lib. 6. Strom. cap.

Plut. & alij in vita Mecænat. Gaſpar. Enſl. in Nucl. pag. 232.

Curt. lib. 13. c. 13.

Papin. in l. fraudis 79. D. de reg. iur.

Et in idem tendit Papinianus noſter, dum docuit: *Fraudis interpretationem ſemper in iure civili, non ex eventu duntaxat, ſed ex conſilio quoque deſiderari.* Quod perinde eſt ac ſi diceret, non eventum, ſed intentum in conſilijs fraudi eſſe, & qui abſque fraudandi animo errorē conſulit, ex hoc capite damnandum non eſſe. 50

Comin. lib. 8. pag. 563.

Maximè cum in Bellicis, Politiciſque negotijs, de quibus ſermonem habemus, Cominæo, ſatis experto teſte, docente: *Certo conſtet, nullum eſſe Principem tam prudentem, qui non erret, & labatur aliquādo,* 51

imò

imò ſæpè numero, ſi longior ei vita contingat, ut ex illorum actionibus, ac Conſilijs, ſi verè perſcriberentur omnia, facilè iudicari poſſet, omnes profectò omnium temporum Senatores, ac viros præſtantes, qui vel fuerunt aliquando, vel hodie ſunt, errarunt, & ſæpè errare poſſunt, atque labi.

52 Ex quibus præceptis Scriptores Politici illud aliud Monitum colligunt, quod Arcanum dogma vocat Lipſius, à Radero laudatus, nēpè *Vt Principes ſinè diſcrimine audiant, & nec bona quidem conſilia præmijs adficiant, ne quis, ſpe adipiſcendi, à vero deflectat, & præter animi mentē, & ad gratiam loquatur. Nec mala ſupplicijs, ne deſint, qui ſuadeāt, ſi malè ſuaſiſſe periculū ſit;* quod qualiter accipi debeat, alio in loco dicemus.

Lipſ. & alij ap. Rader. ad Curtiū ubi ſup. pag. 66.

Infrà Embl. 53.

53 Prædictis etiam adiicio, cautum & prudentem Principem, non ex Conſulentiū numero, & dignitate, cōſilia æſtimare debere, ſed ex rationibus, quibus illa nituntur. Nam ubi numerantur non ponderantur ſententiæ, ſæpè, ut docet Cicero, accidit, quòd melior pars à maiori vincatur, & ut vetus Proverbiū monet: *Sæpè eſt etiā holitor, vel ſtultus,* (ut Eraſmus legendum contēdit) *valdè opportuna loquutus, & ſub ſordido pallio ſapientia, ſummaque ingenia in occulto iaceant.*

Agel. 2. noct. Att. c. 6. Eraſ. in Adag. pag. 274.

54 Quò etiam reſpicit illud Iuſtiniani Imperatoris: *Sed neque ex multitudine auctorum, quid melius & æquius eſt iudicatote: cū poſsit unius forſan & deterioris ſentētia, & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.*

Iuſtin. in l. 2. verſ. *Sed neque*, C. de vet. iur. enuc.

55 Et Apologus de Noctua a Dione Chryſoſtomo Æſopo tributus; & quod Agellius ex Æſchine, & Plutarchus, & Cragius apud Spartanos contigiſſe commemorant, proba ſententia, ab improbo cive prolata, per probum alium repeti iuſſa.

Dio Chryſoſ. orat. 72.

Agell. lib. 18. c. 3. Plut. in præcep. pol. lit. latè Nicol. Cragius de Rep. Laced. lib. 3. inſtit. 6. pag. 203.

56 Addo, & finio, non minus curare prudentem Principem oportere, quòd ubi negotia Regni ſui gubernationem, atque adminiſtrationem tangentia, per diſtinctas Senatuum, ac Senatorum claſſes aulaſvè diſtribuit (ut in noſtra Hiſpania prudentiſsimè, & providentiſsimè factū eſſe retulimus) unicuique Senatui, vel Tribunali cauſas, quæ ad illud ſpectant, relinquat, atque remittat. Ita ut ſinguli Miniſtri ſuis officijs conſueto tempore, & modo fungantur, nec niſi rarò, & ex magna cauſa, alij aliorum actionibus miſceantur, & privatis ſeſsionibus, quas *Iuntas* dicunt, negotia, quæ proprios habent Iudices terminentur, hoc enim ſæpè plus damni, quàm utilitatis afferre ſolet, cum propter conveniendi difficultatem, negotiorum expeditionē retardet, & ſæpè, ne dicam ſemper, eorū intelligentiā turbet, propter adlectos adiectoſvè, qui ea tanquàm novi deſtruuntur, & veluti in alium orbem ſe putant eſſe perlatos.

Alex. III. in c. novit, de ijs, quæ fiūt à Prælat.

L. humilioribus, C. de ſuſcep. & arcan. lib. 10.

57 Vnde Alexander III. Pont. Max. Epiſcopos reprehendit, qui ſuæ Eccleſiæ membris, ſive Canonicis, omiſsis, aliorum cōſilio in eius negotijs utuntur: *Cùm id non ſit dubium, & honeſtati, & ſanctorum Patrū inſtitutionibus contraire.* Et Imperatores Honorius & Theodoſius publicam authoritatem vacillare dicunt, ſi Curiales, Suſceptores, vel Arcarij, humilioribus, aut extraordinarijs oneribus occupentur.

Luc. de Pen. in d. l. humilioribus, & in l. omnes, C. de decur. poſt n. 40. Paleot. Ponte, Maſtrill. & alij ap. Mex. to. lib. 4. c. 10. ex n. 51. ad 54. & in pol. Ind. lib. 5. c. 13. pag. 881.

58 Quibus in locis, & in alijs, alia à Doctoribus ſubnotantur, expreſsè docentibus, & dolentibus: *Iniuria affici iudices, quando deſpectantibus ad eorum officium, alij conſuluntur, & quòd per has extraordinarias*

confeſsiones, ſeu delegationes, triſtitia maxima afficiuntur populi, Tribunalia exauthorantur, omniaque tandem confunduntur, & ſubvertuntur, & in grave Reipublicæ detrimentum expeditiones cauſarum in immenſum protrahi ſolent.

Ioan. à Sanct. Mar. in Polit. Chriſt. c. 13. Pedraza en ſu Secretario del Rey diſc. 3. fol. 25. Barboſa in lib. de Breved. de deſpachos, cap. 10.

Indeque pius, & prudens ſatis, Politicus noſter Ioannes à Sancta-Maria, quem alij Recentiores ſequuntur, ſentiens damnum, quod apud nos ex eiuſmodi coadunationibus oriebatur, & quotidie magis increbeſcebat, in eas invehitur, & tandem concludit: *Eſcuſen los Reyes de todas maneras las juntas, que ſe han introducido para cada negocio.* 59

Maſtrill. de Magiſtrat. lib. 5. cap. 6. num. 161.

Quæ quidem damna, cum in Regno Neapolitano experiri cœpta fuiſſent, Regia ſchedula, Maſtrillo referente, anno 1608. ad Comitem Beneventanum, ea tempeſtate Proregem, directa fuit, iubens, ut in poſterum ab his extraordinarijs cauſarum expeditionibus abſtineret; quas etiam nunc demum Glorioſus & Prudens Rex, ac Dom. Noſter Philippus IV. ex eiſdem rationibus aboleri, & exulare decrevit. 60

Cicer. 3. de legib. Ant. Auguſ. & alij ad leges P. D. verb. *Gabinia tabellaria* & Gruchius de Comitijs Roman.

Prout & pariter, cum hiſce noſtris temporibus ex Decreto Regio obſervari cœpiſſet, ut in rebus arduis, & gravibus, illiſque præſertim, quæ ad conſultationes Candidatorum Eccleſiaſticarum ſeculariumvè dignitatum, aut aliorum officiorum pertinerent, per ſchedulas ſecretas, propria exaratas manu, ſigilloque obſignatas, unuſquiſque ex Conſultantibus ſuffragium ſuum ad Principem mitteret: ea fortè ratione, quòd exiſtimatum fuerit, maiorem per hunc modum in ſuffragando libertatem ineſſe, quoniam ubi voce proponebantur, contingere ſæpè ſolebat, ut alij aliorum reſpectibus, mutuiſque inter ſe pactionibus, aut poſtulationibus ducerentur, & iurgijs, atque diſcordijs occaſio præſtaretur, prout in ſimili ex ſimili quoque ratione, Romæ olim cautum fuiſſe comperimus lege Gabinia, hinc Tabellaria dicta, quòd de ſuffragijs in electione Magiſtratuum per tabellas ferendis, edita fuiſſet, de qua Cicero, & alij mentionem fecerunt, quam ſuo tẽpore renovatam memorat Plinius Iunior. 61

Plin. Iun. lib. 3. ep. 20.

Salluſt. in Catillin.

Horat. epiſt. 16. lib. 1.

Plin. Iun. d. ep. 20.

Poſteà tamen, hoc quoque abolitum fuit, & mos antiquus ſervari iuſſus, publicè nimirum hac in re ſuffragandi, & nomen, ac merita eius, quem quiſque dignum cenſeret, ex animi ſui ſententia, proprio ore proferendi. Quoniam experientia compertum fuit, plura per ſecretam illam votandi formam damna, & inconvenientia oriri cœpiſſe, uſque adeò certum eſt Salluſtianum illud: *Omnia mala exempla à bonis initijs orſa, nihilque ita ſanctum, quod hominum fraudare non poſsit audacia.* Quæ, ut etiam Horatius ait: *Sit ſpes fallendi, miſcebit ſacra profanis.* Vnde idem ipſe Plinius Iunior, tametſi ſua ætate ad tacita ſuffragia, quaſi ad remedium, decurſum eſſe referat: *Vereri tamen* (ait) *ne procedente tempore, ex ipſo remedio vitia naſcantur. Eſt enim periculum ne tacitis ſuffragijs impudentia irrepat: nam quoto cuique eadem honeſtatis cura ſecretò, quæ palam? Multi famam, conſcientiam pauci verentur.* 62

(***)

Con-

Conſilia occultanda.

EMBLEMA XLVII.



Quis latet abſconſus? Conſus. Cur Templa teguntur
Sylvis? Conſulitur: Conſiliumq́; parat.
Ardua tunc vobis, Reges, fœlicia cedent,
Adſunt cum Conſi, Conſiliumq́; latet.

COMMENTARIVS.

1 EX prædictis igitur maneat, optimū illum & emendatiſ-
ſimum Principem cēſeri debere, qui licèt ea poteſtate
fungatur, quā Pambaſileam Ariſtoteles vocat, nihil illi
detrahi putat, neq; vim Maieſtatis infringi, cuncta ad
Senatū vocando, ut malè olim Tiberius apud Tacitū Tacit.1. Annal.vi-
ſenſiſſe videtur, ratus nō aliter Imperij rationē cōſtare de Saaved. Empr.
poſſe, quàm ſi uni reddatur. Cum potius ſe ſuis incrementis maiorem 57.pag.413.
oſtendat, ſi ipſum ad hoc ſublimitas tāti Honoris inclinet, & iuxta no-
viſsimi Aurelij Alexandri monitū, præter alios, quos iā ſuprà retuli, Aurel. Alexand.in
ſciat, vix eſſe, ut probè ſuis partibus fungi poſsit, quāvis Reipublicæ Axiom.Polit.c.11
gerendæ artifex conſummatiſsimus ſit, niſi ſibi diligentiſsimos & an-
xiè peritos rerū omniū Conſiliarios aſciſcat. Quibus ætas, prudētia,
rectè acta vita, & conſtāter per multos annos adminiſtrata Reſpubli-
ca, rerum omniū ſummam cognitionē tribuerit, & in quibus viva Re-
gis Corona, vivū Sceptrū repræſentetur, illiſq́; Regij verticis ornata
ſublimitas, vivos Maieſtatis ſuæ radios iaculetur, Regnū temperet, &

ſicut ſpiritus ſanguinē fert,ac animat,quo & caput,& omnia corporis membra,pro re ac tēpore,ſuis quæque officijs perfunganturita Conſiliariorū virtute,Rex imperando,ſubditi obtemperando,cōveniant.

Cæterùm quoniā ſatis nō eſt,recta ſanaque conſilia exquirere, vel 2
proferre,niſi quod in illis deliberatur,adoptatū finem perveniat,hocque nihil frequentius impedire ſoleat, quam ſi nec dum executioni mandata, propalari contingat, meritò nunc ſuperioribus addendum cenſemus, neminem verum bonumque Conſiliarium eſſe poſſe, qui non & Bonus ſit Secretarius, hoc eſt,Conſiliorum arcana,ita ſilentij clauſtris,& re pagulis contegat, & obfirmet, ut Angeronam ſibi matrem,& Harpocratem patrem exiſtimet:

Auſonius epiſ. 25. ad Paulin. vide Eraſm. in his Adag. pag.677.

Aut ſua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.

Balasfius de fidel. ſubd.c.9.pag.65.

Sæpè enim,ut Balasfius inquit: *Qui Regis conſilia protulit, Regē detulit,& prodidit,& perdidit interdū.* Et Maximo Valerio docente: *Taciturnitas eſt optimū,atque tutiſsimum rerū adminiſtrandarum vinculū.* Et iuxta aliā æquè veram Vegetij ſententiam: *Nulla* (in rebus præſertim bellicis) *ſunt meliora conſilia, quàm quæ ignoraverit adverſarius.* Quia hoſtiū nota conſilia,etiā prudentiſsima,fiunt inutila,ut Titus Livius animadvertit,hinc inferens,exploratoribus,qui ea verè referūt, magna præmia dari debere. Et ſecundū Ioannem Magnū,in Cōſilijs quærendis vigilantia opus eſt; in cuſtodiendis,atque occultādis,taciturnitate,quæ Conſiliorū eſt quaſi theſaurus. Fruſtra enim quæras,niſi invēta,& cogitata ſilētio tuearis,ne ab inimicis præripi, aut perverti poſsint. Et ideò in hac obſervatione eximiam curā adhibuiſſe legūtur Iaſſon, Pyrrhus, Aratus, & Quintus Metellus Macedonicus. De quo Plinius,& Plutarchus recenſent, quòd cum omnia proprio & ſubito conſilio ageret:amico cuidam roganti,quidnā acturus eſſet? *Tunicam* (inquit) *meam exuerē, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem.* 3 4 5

Valer.lib.2.cap.2.

Veget.de re milit. lib.3.c.26.&lib.2. cap.7.

Livius lib 9.

Latè de his & alij Theat. vitæ hum. lit.A.pag.709.

Plin. de vir. illuſt. cap.61.Plut. in Apoph.

Cui ſimilis,apud eundem Plutarchum, Antigonus, Philippo filio, multis præſentibus percontanti,ac dicenti,quādo caſtra movebimus? *Quid* (inquit) *num metuis,ne ſolus tubam non audias?* Notans adoleſcentis imperitiam,qui hoc patrem,multis præſentibus,interrogaret,cum in bello celanda ſint Principum conſilia: & quoties caſtra movenda ſunt,omnibus tuba det ſignum. Dion etiam eſt Auctor,Tiberiū Cæſarem,cum aliquando apud eum quiſpiam percontaretur,quid cauſæ eſſet,cur ſua Conſilia minimè committeret ijs,quibus tutò fidere poterat? reſpondiſſe: *Aut nulli, aut paucis cognitū eſſe oportere Principis conſilium.* Nec enim debent arcana, de quibus tam in bello,quàm in toga conſulitur,alijs, quàm ipſis Conſultoribus,cæteriſque,quos ſcire convenit,innoteſcere, ne videantur,ut Terentius alibi dixit: 6 7 8

Plutar. in Apoph. Rhodig.lib.13.c.5

Diō Caſs.in Tiber.

Terent. in Hecyra Act.5.Scen.4.

--------------- *Fieri hæc itidem ut in Comœdijs,*
Omnia omnes ubi reſciſcunt: Hìc,quos par fuerit reſciſcere
Sciant: quos non autē ſcire æquum eſt,neque reſciſcant,neq; ſciāt.

Quod quidem utiliſsimū documentum iā olim ſatis Romanis innotuit,qui Feſto Pompeio,& alijs teſtantibus, inter alia inſignia militaria,Minotaurum geſtabant,quē Dedalus,ut fabulæ narrāt,labyrinthi 9

Feſt.verb. *Vexilla* Veget. lib. 3. c.6. n. 4. Fracheta de rat.ſt.& bell.diſ. 46.Ovid.8. Met. & 2.de Arte.

late-

latebris,& amagibus clauſit,ſic indicare volentes,non minùs occulta Ducũ Principũq́ue conſilia eſſe debere. Vnde Alciatus hoc Emblema deduxit: *Limine quod cæco, obſcura & caligine monſtrum*

Alciat.Embl.12.

Gnoſiacis clauſit Dedalus in latebris:
Depictum Romana phalanx in prælia geſtat,
Semi viroque nitent ſigna ſuperba bove:
Noſque monent, debere Ducum ſecreta latere
Conſilia. Auctori cognita techna nocet.

10 Eiſdem etiam Romanis Divæ Angeronæ ſimulacrum, ore obligato obſignatoque, ſilentij ſymbolum erat, ut poſt Plinium, alij paſsim Auctores teſtantur. Licèt alij Angeroniam dictam tradant, quòd angorum, atque animorum ſolicitudines propitiata depellat: vel quod Pop. Romanus morbo, qui *Angina* dicitur, prævio voto, ſit liberatus.

Plin.lib.3.c.5. Macrob.3. Satur.c.9. Lipſ.3.antiq. lect. c 1. Farnel. in Apoph Polic.tit.23. c.15.Eraſ.in Adag. *Angerona os cohibeat*, pag.677.

11 Eruditus quoque alter Hieroglyphicorũ Scriptor tradit, idẽ ipsũ veteres ſignificare voluiſſe, dũ Plutonẽ pingebant galeatum, & Proſerpinã rapientem: tum quòd ſubterranea, quorũ deus dicitur Pluto, lateant abſconditaque ſint: tum quia raptus clam fiunt; tum denique, quòd cũ in capite conſilij ſedes eſſe putetur, galea illud tegens, aptè conſiliorum occultationem ſignificet.

Pier.Valer.lib.1. Hierogl.

12 Achilles Bochius ſymbolũ aliud ad idẽ oſtendũ ſculpſit, Alexãdri Magni effigie depicta, qui & anulo ſignatorio Hepheſtionis os clauſit, ſic illi ſilentiũ indicens, ne ſecretum litterarum matris ſuæ Olympiæ contra Antipatrum valdè ſibi dilectum, quas ei legere permiſerat, revelaret, cuius carmina apud ipſum legenda relinquo.

Achil Boch.ſymb. 119.pag.250.

13 Iacobus à Bruck, ad ſignificandũ conſilia iam hoſti patẽtia, inutilia eſſe, & nova alia quæri debere, Emblema cõfinxit ex igne domui iam admoto, & ſurſum flammas mittente, quem quis fruſtra occultare cõtendit, & his carminibus:

Ignem iam ardentem fruſtra occultare laboras,
Lumine quem prodit fama coruſca ſuo.
Fruſtra conſilium exequeris Dux, quod patet hoſti,
Hoc preme. Sed tenta calliditate novum.

14 Noſter etiã ſæpè laudatus D. Didacus Saavedra, ut idẽ oſtendat, alveariũ, quo ſedulæ & operoſæ apes ſolent mellificare, depingit, adiecto lẽmate, *Nulli patet*, indeque deducens, non minùs Principes cõſilia ſua celare debere, quàm apes mellis operationẽ, quã nemo hactenus plenè cognitã habere potuit, etſi aliqui vitreis alveis, vel ut Plinius ait: *Cornu laternæ trans lucido factis*, eam ſpectare contenderint.

Saaved.Empr. 62. ex pag.471.

Plinius lib.11.cap. 16.legẽdus ex c.5.

15 Nos autem, in idem tendentes, hac, quam cernis, Templi in abdito poſiti, & denſis ramis arborum obumbrati, pictura, utimur, ad antiquũ nimirum Romanorum morem alludentes, qui cum nullam Rempublicam in columem, orbatam publico conſilio crederent, ut Pacuvius Calabius apud Titum Livium edocuit, peculiarem Deum habebant, CONSVM appellatum, qui Conſiliorum Deus putabatur. Cui Romæ Templum in ipſo circo valdè tectum conſtituerunt, & alibi in

Livius lib.23.in princip.

Roſin.& Dempſt. lib.2. Theatr.vit. hum.liter.E. pag. 374.Herod.2.rer. ind.tit.8 c.8. Mā tua in Polym.c.11

opacis,& dēſis lucis ſylviſque compactum, eique Feſta Equeſtris cer-
taminis *Conſualia* dicta,magna celebritate annis ſingulis peragebant,
ut latè poſt alios Roſinus,& Dempſterus ſcribūt, hoc veluti ænigma-
te denotantes,Conſiliorum tractationem,& reſolutionem, in ſecreto
& abſcondito,quouſque executioni mandētur,eſſe debere; ſive,ut ait
Ludovicus Vives,D.Auguſtini locum,de his Conſi Aris agentem,ex-
ponens, quoniam Conſilium,non ſacra modo res eſt, quæ vel ex hoc,

D.Aug.de civ.Dei lib.2. c.17. & ibi Lud. Vives.

citra ingens piaculū violari revelarivè non poterat; ſed occulta quo-
que eſſe debet,ne aliàs ſuo fructu,atque effectu deſtituatur.

Theatr. lit. S.pag. 477.
Arnob. lib.3. pag. mihi 143.

Et ad hunc Deum reſpiciens,præter alios, Arnobius,& vanitatem 16
Gentilium ſubſannās,qui de eo valdè fidebant,ita inquit:*Salutaria &*
fida conſilia noſtris ſuggerit cogitationibus Conſus : & in contrarios exi-
tus cur aſsiduè vertitur placitorum inopinata mutatio?

Tertul.in lib.de Spect.cap.5.
Idem ibid.cap.8.

Tertullianus quoque,de eodem, illiuſque in circo reconditis aris, 17
ſic ait: *Et nunc Ara Conſo illi in Circo defoſſa eſt ad primas metas,ſub ter-*
ra,cum inſcriptione huiuſmodi,Conſus Conſilio. Et iterum:*Conſus, ut di*
ximus,Deus,apud metas ſub terra delitеſcit. Quibus in locis Pamelius,
& Cerda latè & doctè,quæ iſte, metæ eſſent , declarant , & de eiſdem
Aris ſub terra conditis, & quo tempore aperiri ſolerent,& cur Eque-
ſtribus certaminibus donarentur,ex Varrone , Halicarnaſæo , & Plu-
tarcho ſatis oſtendunt.

Valer. Max. lib.2. cap.2.

Enim verò,non Romani tantùm peculiarem,ſecretumque, vel Se- 18
cretarium Deum,ſuis Conſilijs præfecere , de quibus Valerius etiam
ſcripſit:*Fidum eis fuiſſe & altum Reipublicæ pectus Curia,ſilentijque ſa*
lubritate munitum, & vallatum undique. Cuius limen intrantes,abiecta
privata charitate, publicam induebant; ſed & Carthaginenſes , eorum
æmuli , pari modo Aſtartem ſuam deam , varijs titulis ac nominibus
cultam ,inter alia *Conſiliariam* appellitabant,numen ei Minervæ quo-

Pet.Fab.3.ſemeſt. c.2.pag.25.& c.3.

que forſitan tribuentes,ut ex Apuleio & Appiano,Petrus Faber ani-
madvertit,latè ſe ſe in eiuſdem deæ officijs diffundens.

L.ſi quis 39.§.trāſ fugæ, D. de pœn. l. cuius dolo, ad leg. Iul. Maieſt. l. quicunque, C.de op.pub.

Nullaque fuit Natio , quæ cum in omnibus ſecreta , præcipuè ad 19
commmune bonum pertinentia, revelare,turpe graviterque punien-
dum cenſuerit , in Conſiliarijs & Senatoribus id ipſum turpius, gra-
viorique ſupplicio dignius eſſe, non duxerit;unde verè Quintilianus
dicere potuit , non prodere ſecreta,primam fuiſſe ſapientiā in primis
illis mentium morumque Rectoribus. Ecce enim Ægyptij,Diodoro
Siculo teſte,acerba,ſed utili lege ſanxerunt, ijs abſcindi linguam,qui
Reipublicæ arcana , quæ tecta eſſe oporteret , alicui detexiſſent , aut

Diod.Sic.li.1.c.6.

belli Conſilia hoſtibus indicarent:ne poſthac linguæ licentia Reipu-
blicæ obeſſent.

Marcellin. lib.21.
Q.Curt.li.5.c.19.

Et apud Perſas , ut Ammianus Marcellinus commemorat, nemo 20
Conſiliorū cōſcius eſſe permittebatur, præter Optimates taciturnos,
& fidos: apud quos ſilentij quoque numen in Regum arcanis celādis,
ita colebatur,ut ſecundùm Q.Curtium: *Non metus,non opes vocem eli-*
ciat, qua prodantur occulta: vetus enim diſciplina Regum,ſilentium vitæ
periculo ſanxerat. Linguam gravius caſtigari, quàm ullum probrum: nec
magnam rem ſuſtineri poſſe putant ab eo,cui tacere grave ſit; quod homini

fa-

facillimum natura eſſe voluerit; quod videtur convenire cum illo Horatij, dum inquit:

Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere,
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Horat. ſatyr. 4. lib. 1.

21 Areopagitæ quoque, ex quibus delectus Athenienſiũ Senatus conſtabat, cum in multis alijs excelluerint, quæ de eis copioſè Iſocrates & Lucianus ſcribunt. Ita hac ſilentij virtute emicuerũt, ut vel Proverbio cauſam dederint: *Areopagita taciturnior, vel ſubticentior*. Quod ex Alciphrone, & alijs, Budeus, Eraſmus, & Braſsicanus comminiſcũtur. Addentes, extare hodie apud Veſphalos, reliquias huius generis Iudicum, qui vulgò *Certi* dicuntur. In quorum ordinem, qui admittuntur, magna religione ſilentium promittunt, eſt enim ratio quædã deprehendendi crimina, quam nullus præter illos Iuratos intelligit.

Iſocrat. in Areop. Lucian. in Anacharſia.

Budæus, Eraſm. & Braſsic. in hoc Adag. pag. 675. & 677.

22 Sereniſsima etiam Venetorum Reſpublica, ita conſtanter, & prudenter eandem legem ſervavit, & ſervat, ut licèt plurima alia, ex quibus valdè commendari poſsit, obtineat, quæ latè, præter alios, Trajanus Boccalinus recenſet, in hoc tamen (ipſo laudante, & admirante) reſplendeat, quòd cum eius Senatus ducentis quinquaginta, aut etiã pluribus Senatoribus conſtet, nunquam ab eorum aliquo, antiquis, & recentibus ſeculis, ſecretum earum rerum, quæ inibi tractantur, & reſolvuntur, propalatum eſſe legamus.

Boccalin. cent. 1. raggual. 5.

23 Et multis alijs relictis, quæ apud multos de eiuſ-em ſecreti commendatione, pœniſque revelantium, reperiuntur peculiari obſervatione dignum videtur, quod Ægidius Boſsi- de Franciſco Bellono Montisferratenſi Senatore commemorat, -quiens, in urbe Caſſallis capite plexum, ob id, quòd ſententiam -imi ſupplicij, qua reus quidã damnatus extiterat, ante eius pronu-ationem manifeſtavit.

24 Neque Hiſpani Noſtri Regni -ures leges omitti poſſunt, quæ varijs temporibus, ſub gravibus -nis, eandem ſecreti obſervantiam in Senatoribus, Auditoribus, -æteriſque Miniſtris Regijs expoſtulant, eoſdemque in officij ing-ſſu peculiare ius iurandum ſuper ea ſubire compellunt, & tranſgr-ſsionem, eodem ac-ordium, peculatus, repetundarumvè crimen, probari poſſe conſtituunt.

Simãc. de Repub. lib. 7. cap. 12. & 14. Decian. Menoch. Farin. & alij apud Valençuel. conſil. 162. Oſſor. de Reg. inſt. lib. 8. Narb. in l. 82. tit. 5 lib. 2. Recop. Menoc. conſ. 107. per tot. & de arbit. caſ. 537. Bobad. lib. 2. c. 5. Maſtrill. de Magiſtr. lib. 2 c. 2. ex n. 116 Cabreros de metu pag. 421. Ego in Polit. pag.

25 Sed quoniam de intimis Conſiliarijs ſermonem habemus, eis illã celebrem Alfonſi Regis X. intimari quoque debere cenſemus, quæ poſtquàm multa de Conſilio, & Conſiliarijs differuit, hoc Noſtri Emblematis Monitum his verbis comprehendit: *Quando algunos ſe quierã acoſtar à ellos por ſaber las poridades del Rei, que -s ſepan bien encerrar, è guardar, que las non deſcubran. Ca el que deſcubre -ridad de otro en coſa q̃ non debe, faze mal en dos maneras. La una à ſi miſm- porque ſe demueſtra de pocoſeſſo, è por falſo. E la otra, por el daño que pu- ende venir à aquel à quien meſtura. E ſi en todo mal Conſejero ai eſto; quan- mas en los Conſejeros del Rei, que hã de conſejar en las grãdes coſas, de q- odria venir mui grand daño à toda ſu tierra, quando mal lo conſejaſſen, ò q-ado deſcubrieſſen ſu poridad. Onde en todas guiſas ha meneſter, que el Re- -a buenos Conſejeros, è ſean ſus amigos, è omes de grand ſeſſo, è de gran port- &c.*

L. 5. & 8. tit. 9. l. fin. tit. 13. p. 2. l. fin. tit. 19. p. 3. l. 5. tit. 4 l. 82. tit. 5. lib. 2. Recop.

L. 5. tit. 9. par. 2.

Quam

Quam legem,& ſimiles,adeò utiles, & neceſſarias,in uſum , & ſtri- 26
ctiorem obſervationem reducere volens Rex & Dominus Noſter Pijſsimus, & Potentiſsimus , in Decreto , cuius iam ſæpè memini , illud,inter cætera, cavit : *Tambien os mando,queſe tenga gran cuidado en el ſecreto, porque ſin èl no ſe puede governar como ſe debe. I creo que ha avido poco cuidado en eſto , i queſe habla fuera de los Tribunales mas de lo que conviene.*

Proverb.c.11.13.

Iſocrat.ad Demonic.

Etenim,ut in Proverbijs Salomon ait: *Qui ambulat fraudulenter revelat arcana, qui autem fidelis eſt animi , celat amici conſilia.* Quæ iuxta Iſocratis documentum , non minus fideliter cuſtodiri debent,quàm pecunia depoſita , & veluti in arca reponi . Vnde & *Arcani* nomen, pro quolibet ſecreto , quod cuſtodiri & occultari debet , à Græcis & Latinis ductum videri poteſt. Et apud Hebræos (quod ad rem noſtram magis conducit) eadem voce , ut Pineda noſter animadvertit: *Secretum*,aut *arcanum*, qua *Conſilium*,aut *Concilium* ſignificatur , *quòd in Conciijs arcana tractentur,& conſilia non niſi ſecretò, ſummaque prudentia,& fidelitate capi,& iniri debeant.* In idemque tendit illud Livij de Nabide Lacedæmoniorum Tyranno verba facientis,à Iano Grutero laudatum, & explicatum : *Arcana Regum ipſi produnt Satellites*; Quod non de Regijs cuſtodibus,ſed de Regijs Conſiliarijs accipiendum eſſe,ipſe idem Gruterus pluribus probat. 27

Pineda in Iob cap. 15. v. 8. n. 3. pag. 699.

Gruter. in Flori leg.2.cap.pag.248

Vt vel hinc diſcant , qui Conſiliarij vocantur,quanta eos tacendi, 28
obſervandique ſecreti neceſsitas maneat , cum ipſum nomen hanc ipſis obligationem imponat , & æquè parem,aut certè maiorem, ijs, qui in eiſdem Conſilij adſiſtunt , & *Secretarij*,eadem ratione vocantur. Validum quippè eſt, atque efficax argumentum,quod ab etymologia vocabuli ſumitur , & quemadmodum qui Reipublicæ non conſulit , non erit Conſul , ita qui Conſilij ſecreta non ſervat , ſe Conſiliarij,vel Secretarij,& nomine, & munere indignum efficiet.

L. 2. §. appellata, D. ſi cert.pet.cum alijs apud Velaſc. in axiom. iur. litt. A.num.421.

Quod omnibus retrò ſæculis tan habitum fuit , ut in ſacra Pagi- 29
na, inter primos exoptimatibus, qui Davidi, & Salomoni adſidebãt, eorum Notarij , ſive Secretarij connumerantur , & apud Titum Livium legamus Porſenæ Regis ſcribam cum ipſo adſediſſe,parique ferè ornatu multa egiſſe,unde,hoc errore deceptus Scævola, illum pro Rege obtruncavit.

Reg.1.7.& 2.8.

Quod, & varia nomina & honores,quibus donari ornarique ſole- 30
bant intimi Regum Cancellarij , Notarij , ſive Secretarij , aliaque, quæ ad eorum officium & dignitatem ſpectant,quoniam doctè à Cuiacio, Zaſsio, Pancirolo, Caſſaneo,Langlæo,& alijs tractata ſunt,illud nunc dumtaxat adijciam,hæc omnia,ex hac,de qua agimus,Conſiliorum ſecretorumque Imperialium , vel Regalium communicatione , ac fideli obſervatione promanaſſe , quod ſemper maximi habitum fuit.

Cuiac. in Parat. c. de Primic. & Notar. lib.12. Zaſs.in l.2.de orig.iur.Pãcir.in not.utr.Imper.lib.1.c.2. Caſſan.in Catal.4.par. cõſid.29.Langlæ⁹ lib.7. c.14. & 19. Greg. Lop. in l.7. tit.9.p.2.&alij plures ap. Maſtrill.de Magiſtrat.li.5. 12. Pedraza in tractat. del Secret.del Rei, Saavedr. Emp.56. ex pag.408.

Vnde Theodoricus Rex apud Caſsiodorum , agens de eiuſdem 31
Caſsiodori progenitoribus , qui apud Valentinianum Imperatorem Tribuni,& Notarij laudabiliter geſſerant dignitatem : *Honor* (inquit) *qui tunc dabatur egregijs: dum ad Imperiale ſecretum tales conſtet eli-*

Caſsiod.li.1.ep.4.

gi,

gi, in quibus reprehenſionis vitium nequeat inveniri.

32 Et alibi latiùs, formulam Notariorum ſcribens, ſic habet: *Non eſt dubium ornare ſubiectos Principis ſecretum, dum nullis æſtimantur neceſſaria poſſe committi, niſi qui fuerint fide magna ſolidati. Publicum eſt quidem omne quod agimus: ſed multa non ſunt ante ſcienda, niſi cum fuerint, Deo auxiliante, perfecta. Quæ tanto plus debent occuli, quanto amplius deſiderantur agnoſci. Regis Conſilium ſolos decet ſcire graviſsimos, limitari debent armaria, quæ continent monumenta chartarum, ut quandiu ab ipſis aliqua inſtructio quæritur, tunc loquantur. Totum autem diſsimulare debent, quaſi neſciant ſcientes: Nam ſollicitis inquiſitoribus ſæpè & vultu proditur, quod tacetur. Aſsit innocentia, quæ cuncta commendat, quia in placida mente Regia decenter debent verba reponi.* Idem lib. 6. for. 16.

33 Hactenus Caſsiodorus, cuius verba cum Secretarijs loquentia, ad Conſiliarios quoque, & reliquos, quibus Principes ſua ſecreta committunt, referri poſſunt, qui ſcire, ut diximus, debent, ne nutu quidem ea eſſe vulganda, & quæ ne ipſi, de quibus tantum fiditur, intra ſui pectoris clauſtra obſerare contìnereque potuerũt, longè minùs ab alijs, quibus ea quolibet modo communicaverint, continenda occulendavè eſſe. Nam etſi cum Tacito fatear, in noſtra poteſtate eſſe tacere, Tacit. in Agricol. Ariſtotele tamen docente comperio, paucos eſſe, qui valeant linguæ ſuæ ſemper frænum iniicere, & vel timori, vel amori, naturali levitati, aut facilitati, alijſvè affectibus hac in parte aliquid non indulgeant.

34 Vnde ſummus ille Philoſophus apud Laërtium, rogatus, quid in vita foret difficillimum? Reſpondit: *Tacere non dicenda.* Iterumque rogatus à quodam, quis arcanum ſermonem continere poſſet? Reſpondit: *Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere poteſt.* Et Philippides Athenienſis, Plutarcho narrante, cum Lyſimacho Regi ob virtutem charus, ac per quàm familiaris eſſet, cum ei Rex dixiſſet, Numquid rerum ſuarum expeteret? Incunctanter reſpondit: *Solum, ò Rex, ne arcanorum tuorum quicquam mihi credas.* Laert. lib. 1. cap. 1. Max. Tyr. ſer. 20. Ant. in Meliſs. par. 1. ſer. 73. Plut. in Lyſim.

35 Euripides etiam, vel ut alij (ſecundùm Eraſmum) Demoſthenes, Eraſ. lib. 8. Apoph. hanc arcanorum obſervationem, non ſibi parum glorioſam oſtendit, cum cuidam grave olentiam oris opprobranti, reſponderit: *Multa nimirum in illo occulta computruerunt,* ſignificans, ſe poſſe arcana cõtinere; ſolent enim res in occulto congeſtæ computreſcere.

36 Sed præſtat elegantiſsima Petronij carmina, non valdè alijs nota Petron. Arbitr. in ſubtexere, qui ſub fabula Midæ, de qua plenius egit Ovidius, hanc Epigram. continendi ſecreti difficultatem, & damna, quæ in Palatijs Regum ex eius ſolent propalatione contingere, ſic peritiſsimè, ac penitiſsimè Ovid. lib. 11. Met. decantavit:

Nam citius flamas mortales ore tenebunt,
Quàm ſecreta tegant: quicquid dimittis in aula,
Effluit, & ſubitis rumoribus oppida pulſat.
Nec ſatis eſt vulgaſſe fidem: ſimulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.

Sic

Sic commiſſa ferens avidus reſerare Miniſter,
Fodit humum, Regiſque latentes prodidit aures.
Excepit nam terra ſonos, calamique loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

Burg. in lib. de vitijs linguæ, Embl. 1. & 2.

Eandem in continenda lingua difficultatem, pluribus oſtendit An- 37
tonius à Burgundia, in doctis ſuis de linguæ vitijs Emblematis, inter
quæ primum & ſecundum depicta torquilla, & anguilla, quæ laqueos
piſcantis effugit, ſic habent:

Torquillam anguinea linguoſam cuſpide, nullus
Hactenus edomuit aucupis aſtus, avem:
Altera Torquillæ ſoror, Echûs filia, lingua eſt:
Hanc quoque, vel ſtudio nemo, vel arte domat.
Erumpit manibus, erepit lubrica vinclis
Anguilla, & Davi facta magiſtra, fugit.
Quid tibi cum Davo? tua ride. Te tua lingua
Dentibus, & labris, & prece vincta, fugit.

Tacit lib. 1. Ann. vide Saaved. Emp. 62. pag. 472.

Mich. 7. 5.

Quod maximè in illis contingere ſolet, qui nimis uxorij, ſive ſuis 38
uxoribus dediti, illarum illecebris deliniti, magno ſuo, & Reipublicæ
malo, eiſdem arcana revelant, ut Maximus feciſſe apud Tacitum legi-
tur, cum tamen à Michea Propheta diſcere poſsint: *Ab ea quæ dormit*
in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui; à Marco Catone, pœnitentiam,
ſi unquam ſecretum aliquod mulieri credidiſſet. A Prætextato pue-
ro artem, & thecnas quibus in eiuſmodi caſibus illas fallere va-
leant.

Plut. in lib. de Garrulit.

Tiraq. in l. 9. conu. ex num. 33.


Cui caſui, alium lepidiorem quem Plurarchus recenſet, adnecte- 39
rem, niſi prolixitatem vererer, & ad cognoſcendam mulierum loqua-
citatem & garrulitatem, ultra innumera alia, quæ Tiraquellus copio-
ſè congeſsit, illud Plauti ſufficiat, dum Eunomiam Megadori ſororē,
ſic loquentem inducit:

Quamquam haud falſa ſum, nos odioſas haberi:
Nam multum loquaces omnes meritò habemur.
Nec mutam profecto repertam ullam eſſe
Hodie dicunt mulierem ullo ſæculo.

Ca-

Caſura niſi invicem obſtarent.

EMBLEMA XLVIII.



Aſpice ut adverſo firmetur marmore fornix;
Concilietq́; unus concamerata lapis.
Saxoſam cohibet molem concordia diſcors,
Et Clavi immenſum comprimit abſis onus.
Sint plures ſenſus, modò dirigat una voluntas,
Et Regni moles firmior abſis erit.

COMMENTARIVS.

1 VErumenimverò, quoniam de Conſilijs, & Conſiliarijs agere cœpimus, è re erit, ut aliqua circa illam quæſtionem ſubdamus, an magis expediens Regi, & Reipublicæ, cui deſerviunt, & conſulunt, eſſe poſsit, ipſos inter ſe diverſis, aut interdum contrarijs opinionibus & rationibus in ſententijs ſuffragijſque ferendis diſsidere, aut in unum, ſine aliquo diſcrimine, facilè convenire?

2 In qua quidem, ſi Bodinum conſulimus, parum dubitationis habere videbitur, cum hic (qua ſolet temeritate) ſtatus rationem Chriſtianæ Religionis regulis præferens, non ſolùm in iudicijs, verùm & in animis, intimiſque præcordijs, Regum Conſiliarios ſibi invicem æmulos, & oppoſitos eſſe velit, idque vel ab ipſis Regibus curandum ſuadeat, ut hoc pacto alij aliorum delationem timentes, nihil audeant

Bodin.lib.4. de Repub.cap.5.

mo-

Berneger. in q.122 ad Tacit.de moribus Germanor.

moliri,vel machinari,quod eorum ſaluti,auctoritati, vel utilitati poſſit eſſe contrarium. Quo & tendit ſimilis diſputatio Nicolai Bernegeri: *Num ſit è Republica, factionibus, & diſcordijs inteſtinis ſubditos agitari?*

Marq. in Gubern. Chriſt.lib.1.c.27. pag. 171. & ſeqq. vide Lipſ.6.Polit. c.3.& Iuniũ q. Polit. 25. Saaved.Empreſ.89. pag. 663. Ariſt.5. polit. c.8.

Dio lib.52.

3 Cæterum hæc opinio,quæ futilibus quibuſdam rationibus, & exẽplis innititur, ſatis alijs verioribus,& ſolidioribus ab Ariſtotele, D. Thoma,Philippo Cominæo,& alijs, petitis, à noſtro eloquentiſsimo M.Marquez convincitur, & exploditur, & noviſsimè, eo non relato, non minori ſtudio,à D.Didaco Saavedra damnatur.Eſtque Ariſtotelis præcepto omninò contraria: *Nobilium contentiones, & partes, etiã legibus prohibere conari*; & Mæcenatis,qui,ut memorat Dio, Auguſto conſuluit:*Optimũ verò inimicitias omnes, & ambitioſa certamina prorſus excindere; atque adeò nec nomina nova, aut aliquid ex quo oriri diſcordia poſsit illis permittere.*

Plin.Iun.lib.2.ep. 5.

L.rerũ mixtura, D.de uſucap.

4 Et quod Nos nunc in quæſtionem vocamus, non quidem ad animorum,ſed ad iudiciorum diſſenſionem dirigitur.Quæ tantùm abeſt, ut in Conſiliariorũ Senatorumvè cœtibus poſsit eſſe damnoſa, quod potius, ſicut in cæteris omnibus, (ut aliàs Plinius Iunior ſcripſit) univerſitatem varietas ipſa commendet.

Bald. in cap. cùm cauſam, ante n. 1. de probat. Pacian. eod.tract. lib.1. c. 14 n.5.& 6.

L.item ſi unus 19. §.principaliter, D. de arbit. l.quia poterat 4.D. ad Trebell.

Perſ.ſatyr.5.

5 Et ut in humano corpore,ex multis membris ſibi invicem cohærẽtibus,ſit perfectum corpus,& in melodijs,ex tono, & ſemitono, multiſque alijs conſonantijs, conſtat Armonia,ſive quædam eſſentia,quæ eſt integritas ex proprijs ſuis partibus benè conſtans, ut alibi Baldus, agens de probationibus, magiſtraliter docuit; ita hominum in opinãdo, & circa eandem rem diſſerendo, ac deliberando diverſitas, ipſam naturam humanam non vitiat,neque corrumpit,quin verius ornat, ac fulcit,& nativis veluti coloribus exprimit: cum in ea,vel noſtris IureConſultis agnoſcentibus & teſtantibus, connaturalis ſit hominum ad diſſentiendum facilitas,& ut cum Perſio loquar:

Mille hominum ſpecies,& rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt:nec voto vivitur uno.

Terent.in Phorm. Act.2.Scen.3.

Eraſ.in hoc Adag. pag.mihi 31.

6 Quò & Terentianum illud veriverbium, iam in Adagium translatum,ſpectat: *Quot homines tot ſententiæ, ſuus cuique mos*; cum è tribus advocatis, quos Demipho cõſulebat,primum aientem,ſecundum negantem inducit,& tertium tempus ad deliberandum petentem.

Cicer.1. offic.

7 Et elegantiſsimè Cicero, benè conſiderans,hanc varietatem iudiciorum,corporis diſsimilitudinibus reſpondere,rarus eſt enim,qui alterius referat faciem, vel vocis ſonum, addo & inſcribendo eandem formam obtineat, licèt hæc omnia eiſdem membris, & inſtrumentis conſtent ac peragantur.Cuius verba ſunt hæc: *Vt in corporibus magnæ diſsimilitudines ſunt,alios enim videmus velocitate ad curſum,alios viribus ad luctandum valere: itemque informis, alijs dignitatem ineſſe, alijs venuſtatem: ſic in animis exiſtunt etiam maiores varietates.*

Polybius.

Plin.Iun.lib.1. epiſt.20.

8 Cui conſonans Polybius ait: *Vſque adeò natura hominum, non ſolùm corpora,verùm etiam animos diſsimiles finxit.* Et multum ad rem,de qua agimus,Plinius Iunior,ſic inquiens: *Varia ſunt hominum iudicia, variæ*

vo-

voluntates: inde qui eandem cauſam ſimul audierunt, ſæpè diverſum, interdum idem, ſed ex diverſis animi motibus, ſentiunt.

9 Neque aliud ſenſit Horatius, dum non minori veritate, quàm gravitate, ſub decentiſsima hac allegoria ſcriptum reliquit: Horat. lib. 2. epiſt. 2. ad Florum.

Denique non omnes eadem mirantur amantque;
Carmine tu gaudes: hic delectatur Iambis,
Ille Bioneis ſermonibus, & ſale nigro.
Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter,
Quod petis, id ſanè eſt inviſum accidumque duobus.

10 Idem quoque Horatius, primam omnium Odam huius argumento ſententiæ conſcripſit: *Alijs ſtudijs alios duci. Alijs alia cordi eſſe.* Hùcque etiam alluſiſſe videtur Divus Paulus Apoſtolus, cum admonet, ut ad præcludendam æmulationem, ſinamus unumquemque ſuo ſenſu abundare; & Ioannes Sambucus, vel ad mortuos, ſub lepida quadam anus Fabela, hoc ipſum in Emblemate quodam extendit, cuius hæc ſunt carmina; Idem lib. 1. carm. Od. 1. D. Paul. ad Rom. 14. 15. Sambuc. in Embl. pag. mihi 63.

Quædam anus in ſacrum portabat crania collem,
Oſsibus humanis ne minuatur honos.
Sed titubans ægris pedibus, cum verticem adiret,
Concidit, ac varium crania verſat iter:
Illa videns labi diverſè cuncta retrorſum,
Quodque adeò diſcors ſemita ferretonus.
Quòd mirum ſi tot ſenſus, quot in orbe figuræ
Sunt, ait, in vivis? num oſsibus una via eſt?

11 Quapropter Ceſtius Orator apud Senecā, cum ei cliens quidam omnia in ſermone concederet, ille iam longa aſſentatione faſtidiatus: *Dic* (ait) *contra, ut duo eſſe videamur.* Et idem iterum docuit: *Totam huius mundi concordiam ex diſcordibus conſtare. Non vides quàm contraria interſe elementa ſint? Gravia & levia ſunt, frigida & calida, humida, & ſicca.* Senec. in declamatione. Idem lib. 7. natur. quæſt. cap. 27.

12 Et alibi, ut oſtendat hanc contrarietatem Reipublicæ non officere, ſed potius vel ea ipſa fulciri, & in debito contineri, eleganti comparatione utitur, operis fornicati, cuius ſtructuram diverſi, ſimulque adverſi, lapides firmant, & quæ, ſi in unum tenderent, peſſum iret, quia ſibi obſtant invicem, ſuſtētatur, verba eius hæc ſunt: *Societas noſtra lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura, niſi invicem obſtarent, hoc ipſo continetur.* Idem epiſt. 97.

13 Ex quo loco, & picturam, & lemma præſentis Emblematis (ut ex eo apparet) deduximus. Nam licèt hæc ſimilitudo poſsit etiam Regibus & Regnis aptari, quorum æmulatione ſolet ſæpè Deus libertati ſubditorum conſulere, vel ne ad externa bella properent, impedire,

ut

Saaved. Empr. 95. & pag. 698.
Comin. lib. 10. pagin. mihi 658.
Mager. de advoc. armat.

ut Nicephorus Calliſtus inſinuat, cuius verba, & aliqua exempla in idem tendentia, Noſter Saavedra recenſet, & concinunt alia Cominæi, docentis, & diffuſè probantis: *In rebus humanis ita comparatum eſſe, ut nullus ferè ſit populus, cui non æmulum, & adverſarium aliquem Deus excitarit.* Et vulgatum illud Politicorum Adagium latè à Martino Magero exornatum: *Mutuus metus facit ſocietatem fidelem*: proprius tamen diſſentientibus iudicijs, de quibus loquimur, convenit, quorum varietas, & contrarietas Rempublicam ſuſtinet, efficitque, ut qui illis imperant Principes, & Gubernatores, auditis expenſiſque rationibus ad partes adductis, quamvis ipſi ex ſe ſe valdè ingenio non præſtent, quid melius, quid utilius, & rei gerendæ aptius, cognoſcere queant.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 430. vide Saaved. Empr. 16. ex pag. 103.
Quintill. lib. 12. init. orat.

Certiſsimum quippè iudicium ex collatione naſcitur, & ut eſt in 14
Adagio: *Purpura iuxta purpuram diiudicanda eſt*; quodque perorante aliquo, probandum, ac ſequendum videri potuit, ſæpè evaneſcit, & moritur, (ut in ſimili Quintilianus ſcripſit) *Comparatione ſequentis meliorisque orationis, ut lana tincta fuco, citra purpuras placet, at ſi contuleris, etiam lucerna conſpectu melioris obruitur.*

Sup. Embl 45.

Vnde Homerus, cuius ſuprà iam memini, Neſtorem inducit, Aga- 15
memnoni ſuadentem:

----------- *Audire multos, & dicere multa,*
Et quæ ſunt meliora ſequi.

Herod. lib. 7.

Et Artabanus apud Herodotum ſic Xerxem alloquitur: *Rex, niſi diverſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorem, ſed neceſſe habet ea, quæ dicta eſt, uti: At cum plures dictæ ſunt, licet tanquam aurum purum deligere, quod per ſe diſcerni cum nequeat, comparatum cum altero diſcerni poteſt.*

Philoſt. lib. 4. c. 2.

Apollonius quoque Thianæus, referente Philoſtrato, in eiuſmodi 16
diſcordia, concordiam ad ſalutem civitatis valdè conducentem, his verbis conſtituit, atque commendat: *Album quidem & nigrum unum fieri idem nunquam poſſunt, neque amarum dulci rectè commiſcetur. Concordia verò, quandoque diſſentiens, ſalutem civitatibus affert. Quod autem dico, tale quid eſt. Seditio, quæ ad gladios mutuaſvè plagas cives deducit, à Civitatibus exterminanda penitus eſt, civitas enim pace, puerorum alumna, & viris indiget, à quibus & verba & actiones prodeunt. Mutua autem Civium æmulatio, pro communi civitatis bono, ſeu quod alius alio melius ſententiam dicat, aut Magiſtratum rectius gerat, aut præclarius legatione fungatur, aut etiam ſplendidiora conſtruat ædificia, aut in aliquo huiuſmodi excellat, talis inquam contentio, aut æmulatio, civitati plurimum confert, licèt inter ſe cives pro communi bono faciat diſſidere.*

Iſocrat. in oratione de pace.

Idem docuit Iſocrates, inquiens: *Qui fieri poteſt, ut ulli vel de* 17
præteritis rectè iudicent, vel de futuris prudenter deliberent, niſi contrarias inter ſe rationes conferant, & æquos utriſque auditores ſe præbeant?

In quo tamen, ea, inter Conſiliarios, cæteroſque qui in ſimilibus 18
cœtibus, ac negotijs ſuffragantur, cautio obſervanda eſt, ut licèt in ſententijs differant, animo tamen & voluntate cohæreant: nam quam-

vis

vis ſecundùm Ciceronem: *Vetus illa eſt lex iuſtitiæ, veræque amicitiæ, ut idem amici ſemper velint, neque ſit ullum certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus, & ſocietas Conſiliorum.* Hoc tamen, ubi de privatis ipſorum rebus agitur, intelligi debet, ubi verò Reipublicæ ſalus, vel quid aliud, quod eius gubernationem, rectamvè iuſtitiæ adminiſtrationem concernat, in quæſtionem, ac conſilium dedùcitur, ſentiendi opinandique diverſitas, & libertas, etiam inter amicos permiſſa eſt, cum hæc voluntati nihil officiat, vel adverſetur, quæ potius in omnibus eadem eſt, cum in eundem finem, hoc eſt commune bonum, tendat & dirigatur, licèt in medijs variare contingat. Cic. in orat. pro Gn. Planco.

19 Quod ipſe idem Cicero de ſe apertè teſtatur, ubi in Senatu à ſententijs Quinti Fuſij Caleni ſibi amiciſsimi diſsidere ſolebat: *Amicitiam* (inquiens) *non minuebat perpetua diſſenſio, & magis cum cauſa, quàm cum homine diſsidebam.* Idemque, alio loco, ſibi cum Iulio Cæſare contigiſſe commemorat, his verbis: *Poſteà quàm ſum penitus in Rempublicam ingreſſus, ita diſſenſi ab illo, ut in disiunctione ſententiæ, coniuncti tamen amicitia maneremus.* Quod etiam inter Lucium Lentulum, & Marcum Catonem ſæpè accidiſſe in Tuſculanis enarrat: *Nulla tamen uſquam inter eos viſa concertatione.* Cic. Phil. 10. & 11. Idẽ Cicer. in orat. de provin. Cõſul. Idem 3. Tuſc.

20 Et Cornelius Tacitus idem de Marco Apro teſtatur, concludens: *Hanc eſſe eiuſmodi ſermonum legem, iudicium animi citra damnum affectus proferre.* Et de Vitellio ab Helvidio disſentiente, inquiens: *Nihil novi accidiſſe quòd duo Senatores in Republica diſſentirent, ſolitum ſe etiam; Traſſeæ contradicere.* Plutarchus quoque, eidem ſententiæ adhærens, Senatus Principem monet: *Vt ſi qui ex ſuis Conſiliarijs alicubi diſſonare, ac diſcrepare videntur, hos amicè & placidè, velut muſicum ad modum, atque concinnitatem reducere curet: non iracundè, duriter, atque per contumeliam adoriri.* Quibus locis, & exẽplis, plura alia Catonis, Phocionis, Solonis, Piſiſtrati, Tiberij Grachi, Octavij Tribuni, & univerſæ Academicorum ſectæ, quæ hanc in ſentiendo libertatem profitebatur, ad nauſeam uſque Ianus Langleius congeſsit. Tacit. in Dialog. de Oratorib. Idẽ 2. hiſt. cap. 91. Plutar. in Polit. Lãglei. li. 7. ſerm. c. 6. Iunius d. q. polit. 25.

21 Nobis ſatis ſit, prædicta ad noſtri Emblematis explicationem, & comprobationem tetigiſſe. Simul tamen cum Plinio Iuniore, & Sidonio Apollinari, eos Conſiliarios notantes, qui niſi quod ipſi dicunt, ac probant, nihil rectum putant, eaque philautia ducuntur, ut Narciſſum imitantes, meritò vulgari illo Alciati Emblemate comprehendi videantur: Plin. lib. 1. epiſt. 20. & Sidon. in. epiſt. Alciat. Embl. 69.

Quòd nimium tua forma tibi Narciſſe placebat,
In florem, & noti eſt verſa ſtuporis olus.
Ingenij eſt marcor cladeſque Philautia, doctos
Quæ peſſum plures datque deditque viros.
Qui veterum abiecta methodo, nova dogmata quærunt,
Nilque ſuas præter tradere phantaſias.

22 Quibus peiores adhuc ſunt, qui dũ alijs infenſi, vel æmuli exiſtũt, ob hanc ſolam cauſam à rectis eorum ſuffragijs deſciſcunt, & ne illorum exiſtimationem augeant, etiam cum propriæ periculo ſimultatẽ

affe-

Plutar. in Lyſand.
Virgil. Æneid. 11.

affectant, ut Ageſilaus apud Plutarchum, cum Lyſandri ſententijs ſe habere ſolebat, & de Drance, Turno infenſo, canit Poëta:

Tum Drances idem infenſus, quem gloria Turni,
Obliqua invidia, ſtimulíſque agitabat amaris,
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.

Tacit. 15. Annal.
Idem lib. 1. hiſtor. cap. 26.

Et de Cæſonio Peto Cornelius Tacitus, qui *Ne alienæ ſententiæ indigere videretur, in adverſa, & deteriora tranſibat*; & melius alibi de Lacone loquens, qui erat *Conſilij, quamvis egregij, quod non ipſe afferret, inimicus, & adverſus peritos pervicax.*

Herod. lib. 7.
Cicer. lib. de finib. & in Proœm. 2. & 4. Tuſcul.
Horat. lib. 1. ep. 1.

Cum tamen ij, qui vero & candido Reipublicæ iuvādæ, ſuíque muneris benè fungendi zelo ducuntur, putare debeant, ſibi non minorem laudem in probandis ſequendiſque rectis aliorum ſententijs manere, quàm in ſuis proferendis, ſi melioribus ſolidioribuſque rationibus innitantur, ut graviter dixit Herodotus ſub perſona Artabani, his verbis: *Apud me Rex, tantundem valet benè ſentire per ſe, & alteri bonam dicenti ſententiam accedere.* Quod & Cicero de ſe, & univerſa Academicorum ſchola ſcriptum reliquit, & Horatius, qui eiuſdē ſectæ fuiſſe videtur, ſic inquiens: 23

Quid verum, atque decens curo & rogo, & omnis in hoc ſum.
Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter?
Nullius addictus iurare in verba magiſtri,
Quò me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Feſtus verb. *Pedarium*, Agel. lib. 3. c. 18. Rolin. lib. 7. c. 5. Funger. in Etym. ver. *Pedaris.*
Laber. in Mimis.

Planè etenim, ut demiſsi animi praviq́ue ſeu parvi iudicij ſemper habitum fuit, aliorum ſuffragijs, vel ob ignorantiam, vel ob timorem, aut adulationem, oculis (quod aiunt) clauſis, hærere, eoſque Senatores, qui ſe ita gerebant, Antiqui, ut Feſtus, & alij tradunt, *Pedarios, Agipedeſ*vè vocabant, ad quos Laberianus ille Mimus ſpectat, 24

Caput ſine lingua, Pedaria ſententia eſt.

Sidon. lib. 5. ep. 1.

Ita quoque nobilis & ingenui, veras ſolidaſq́ue rerum, quas in Cōſilium vocari contigerit, ſententias, & deliberationes, etiam ab alijs prolatas, laudare, & amplecti, & ubi res popoſcerit communire: *Nam* (ut rectè Sidonius Apollinaris ſcripſit) *ſatis eminet ingenij proprij meritis, qui fuerit fautor alieni. Magnumq́ue hoc eſt, & litterarum viro convenientiſsimum, cum ſtudijs ipſe maximis polleas, ea in alijs etiam minima complecti, ex quo ipſo cum latiſsima tibi gloria reponderatur.* 25

L. 18. & 33. tit. 2. lib. 2. Recop.
Grim. de opt. Sen.

Quò Noſtri Hiſpani Regni leges ſpectant, quæ tantùm abeſt, ut priorum rectas ſententias ſequi, ijs qui poſt illos ſuam dicturi ſunt, vitio vel probro vertant, ut potius ſummopere laudent, iubeātque: *Que ſi les pareciere bien lo dicho, ſe lleguen à ello; i ſi quiſieren alegar de nuevo algunas razones, las puedan dezir, ſin repetir los unos las razones i motivos que los otros huvieren dicho.* Hocq́ue ad utilitatem publicam pertinere, benè advertit Laurentius Grimaldus, ſic inquiens: *Vtile eſt Reipublicæ in ſapientum & proborum Senatorum ſententias pedibus ire: contingit enim ut omnium idem ſit ſenſus, eademque de re aliqua voluntas; loquacitatiſque fugiēdæ cauſa, melius eſt adhærere alij, quàm ſexquipeda-* 26

libus

27 *libus verbis diem conterere.* Noſter etiam Septimacenſis Epiſcopus, ea ferè omnia, quæ hucuſque diximus, veluti in Epilogum congerens: *Non debent* (inquit) *iudices pertinacibus argumentis adverſus collegas contendere, neque diſputare nimium. Nihil tamen prohibet contrarias diverſaſque ſententias dicere, ac leni diſputatione comiter modeſtèque veritatem inquirere.* Et Caſtellus de Bobadilla, vel in decurionibus Civitatum, ſermonis prolixitatem, & repetitionem eorum, quæ iam ab alijs expenſa fuerunt, meritò notat, addens, melius prudentiuſque eſſe, ut in eorum ſententias pedibus tranſeant, nec tempus vanis iſtis repetitionibus terant.

Septimac. de Rep. lib. 7. cap. 12.

Bobad. lib. 3. Polit. cap. 7. n. 40.

28 Quod item vitium, in omnium iudicum conſeſsibus valdè novicivum eſſe, & cauſarum, quæ in eiſdem expediri debēt, retardativum, Iacobus Rebuffus his, relatu dignis, verbis oſtendit, & damnat: *Ergo citò à iudicibus decidi poterit, niſi reperirentur quidam inflati iudices, qui ſuas opiniones protraherent ad montem ventoſum, ut ibi videantur docti in gloria, quibus debent Capita reſiſtere: nam plures cauſæ deciderentur, ſi brevi quilibet ſuam exprimeret ſententiam: vel ſi omnes ſequantur relatoris ſententiam, quòd omnes ſic acquieſcerent: ſi verò alterius ſententiæ eſſent, quod illi contradicerent, & poſteà Præſes hoc conciliaret.*

Rebuff. ad leges Gallic. tit. de ſupplicat. nu. 80. fol. 308.

29 Neque enim Sapientia in multiloquio conſiſtit, cum potius iuxta Xiſti Philoſophi ſententiam: *Brevis ſit in ſermonibus ſapiens, indicium imperitiæ ſit longa narratio*; & ab Eccleſiaſte doceamur, quod *Stultus verba multiplicat.*

Xiſtus Philoſoph.

Eccleſ. c. 10. v. 14.

30 Vnde Hiſpanum nomen, *Loco*, quaſi *Loquax*, à loquacitate nimia abſque dubio mihi dictum videtur, quicquid Covarruvias hæreat, & alias etymologias comminiſcatur. Et tales orationes in Æmiliano carpſit Apuleius, quæ *Rebus flaccent, ſtrepitu vigent*; & in Serapione Seneca, inquiens, ſolitum eſſe magno curſu verba convolvere, quæ nō effunderet, ſed premeret, & urgeret: plura etiam ſtatim ſubiungens, quibus Multiloquium cum ſtultitia, & quadam perfrictæ frontis impudentia coniungit; ad quod etiam tendit argutum illud Nicoſtrati:

Si continuò, & multa, celeriterque loqui,
Signum eſſet prudentiæ, tum hirundines
Dicerentur multò ſapientiores nobis.

D. Seb. Covarr. in Theſau. ling. Hiſp. verb. *Loco.*

Apulei. Apolog. 1.

Senec. epiſt. 40.

Nicoſtratus.

31 Et hac propter, Petro Gregorio, & Ioanne Brantio, poſt Ciceronem, teſtantibus, tria hæc iuſſa Romano Senatori præcipuè indicta fuiſſe leguntur: *Vt adſit, ut loco dicat, ut modò dicat*, id eſt, ne ſit infinitus: nam brevitas non modò Senatoris, ſed etiam Oratoris magna laus eſt in ſententia: illaque oratio utiliſsima cenſetur, qua non ſolùm quod opus eſt dicitur, ſed etiam quod non opus eſt, non dicitur. Nam ut in Proverbijs habetur: *Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.* Quod Iuſtus Lipſius his verbis explicuit: *Vt corpore tenues, veſte ſe dilatant; ſic qui ingenij, aut ſapientiæ inopes, diffundunt ſe in verbis.* Et Noſter Pineda his: *Itaque inania ſapiētiæ pectora, ſicut vacua vaſcula, multum crepitant, & ſono retinniunt.*

Cicer. 3. de legib. Pet. Greg. ſynt. g. iur. 3 p. lib. 47. c. 25. n. 15. Brant. in Senat. lib. 2. c. 17.

Proverb. 14.

Lipſ. inſt. epiſtol. cap. 7.

Pineda in Eccleſ. ubi ſup. pag. 1008.

Quintil. vel Tacit. in Dialog. de claris Orator. cap. 41.

Et ut valdè ad rem noſtram Quintilianus, ſive ut alij malunt, Cornelius Tacitus, in Dialogo de claris oratoribus, dixit: *Quid opus eſt longis in Senatu ſententijs, cum optimi citò conſentiant? Quid multis apud Populum concionibus; cum de Republica non imperiti, & multi deliberēt, ſed ſapientiſsimus & unus.*

Ioan. Arboreus relatus à Delrio in Adag. ſacr. tom. 2. pag. 245.

Quod planè cum ſemper, tum maximè à Conſiliarijs obſervari 32
debebit, ubi coram Principibus adſident, & perorant, quibus certum eſt, ut benè Ioannes Arboreus animadvertit: *Linguæ parcimoniam ſummopere placere, loquacitatem vehementius diſplicere, & ut verba volitantia detractis pennis intra ſepimentum cobibeantur, ac demum oratio non in ore, ſed in pectore naſcatur.*

Agell. lib. 4. c. 10. Budæus in annot. ad l. fin. D. de Senator. Plin. Iun. li. 1. epiſ. 20. ad Corn. Tacit.

Cum eo tamen ſalis, (ut dicitur) grano, niſi cauſæ gravitas lon- 33
giorem orationem expoſtulet, tunc enim, Agellio, & Budæo teſtantibus, permiſſum Senatoribus fuit, liberè ac latè, quid ex animi ſui ſententia factu optimum ducerent, perorare. Et ut cum Plinio Iuniore loquar: *Non minus non ſervat modum, qui infra rem, quàm qui ſuprà: qui adſtrictius, quàm qui effuſius dixit. Et prævaricatio eſt trãſire dicenda, prævaricatio etiam curſim & leviter attingere, quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda: nam pleriſque longiore tractatu vis quædam & pondus accedit; utque corpori ferrum, ſic oratio animo, non ictu magis, quàm mora imprimitur.*

Quintil. lib. 4. c. 2. Plin. Iun. lib. 5. epiſt. 6.

Nos igitur, cum Quintiliano, brevitatem in eo ponimus, non ut 34
minùs, ſed ne plus dicatur, quàm oportet; & in optimo Conſiliario, ut & in optimo Scriptore, iuxta eundem Plinium Iuniorem: *Primum officium eſſe exiſtimamus, ut titulum ſuum legat, & identidem interroget ſe, quid cœperit ſcribere, ſciàtque, ſi materiæ immoratur, non eſſe longum, longiſsimum, ſi aliquid accerſit, atque attrahit.* Quem locum premere, ſeu potius exprimere magis videtur Divus Iſidorus Peluſiota, ſic inquiens: *Vera brevitas cum perſpicuitate coniuncta, non in argumentorum prætermiſsione, ſed in earum rerum, quæ ad inſtitutam materiam nihil opis conferunt, reiectione, ſita eſt. Vt enim ea, quæ ab orationis argumento aliena ſunt ponere, ſupervacuum eſt: ita etiam eorum, quæ ad ipſius confirmationem aliquid momenti afferunt, nihil omittere neceſſe eſt. Quo circa, ne tu quoque ſi in pugnacem, atque argumentatricem orationem incidas, prolixitatem accuſes: verùm illud cogita, non aliter id, quod quærebatur, perſpicuè declarare potuiſſe, niſi longo verborum ambitu uteretur.*

Peluſiot. lib. 2. epiſt. 57. ex traductione Iacob. Bilij.

Marquez lib. 1. c. 5. §. 2. pag. 26. Saaved. emp. 30. pag. 204. & ſeqq.

Ex quibus omnibus ſatis probatum relinquitur, Conſiliariorum 35
in ſuis ſententijs varietate, aut etiam contrarietate, non perverti Rempublicam, ſed iuvari, dum pari omnes ſtudio, atque animo ad illius commune bonum citra fraudem, & damnatam pernicioſamq; æmulationem intendant. Quod etiam ipſum contingere, conſequique ſolere, Politici tradunt, dum ad conſilium iuvenes cum ſenibus, flegmatici cum colericis, animoſi & præcipites cum cautis, & cunctatoribus commiſcẽtur: nam pariter ex eiuſmodi mixtura ſalutaria conſilia in utilitatem corporis totius Reipublicæ ſæpè reſultant, dum alij aliorum ardorem cohibent, vel frigiditatem tepefaciunt, ſicut & in

hu-

humano videmus contingere, cuius perfecta ſalus ex contrarijs etiam humoribus conſtat. Alij namque alios temperant, & ex diſsidentibus extremis in medium coitur, quod ſolet in rebus omnibus tutiſsimum eſſe.

36 Quam eandem ſententiam Florentius Schoonhovius, de picto Horologio, cuius perfecta gubernatio ex rotis in contrarium tendentibus provenit, ſic inquit: Schoonc. Embl. 7. pag. 22.

Vt orbium diverſus in contraria
Niſus, coercet fervidum motum rotæ;
Sic & ſenectæ providens cunctatio
Calidos iuventæ frænat auſus, & regit.
Idcircò Princeps eligat ſibi ſenes
Ad conſulendum; iuniores comparet
Ad exequendum iuſſa prudentum ſenum.

37 Abſit autem, ut plures iuvenes negotijs gravibus, tam bellicis, quàm civilibus admiſceamus; nam præcox eorum ætas, præcocia quoque, & minùs ſalutaria conſilia proferre, probareque ſolet, quæ quantum damni ſemper attulerint, latè pluribus exemplis Philippus Camerarius, & alij demonſtrant; & vel ſolus Roboami caſus oſtendit, qui quoniam iuvenum conſilium ſequutus, ut Sacra Pagina narrat, populum tributis levare noluit; ſed in tyrannicam illam vocem prorupit: *Meorum digitorum minimus, craſsior eſt, quàm patris mei medius corporis truncus: ſi pater ſcuticis in vos animadvertit, ego ſcorpionibus in vos animadvertam.* Regno exutus miſerè perijt. Camer. cēt. 3. cap. 23. & 24. Reg. 3. 12. Plin. Iun. lib. 3. ep. 1.

38 Eſt quippè ætas, ut Plautus ait, condimentum ſapientiæ, & iuxta Plinium Iuniorem: *Sola ex ſenectute prudentia.* Vnde Romani, ut Valerius Maximus inquit, iuvenum manu, ſenum autem conſilio, imperium ſuum ad altiſsimum Maieſtatis faſtigium evexerunt. Quod & Ovidius, probans, hac ex cauſa Senatus, & Senatorum nomen ortū fuiſſe, his verbis ſcribit: Valer Max. Ovid. lib. 5. Faſt.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.
Martis opus iuvenes animoſaque bella gerebant,
Et pro dijs aderant in ſtatione ſuis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis,
Conſilio Patriæ ſæpè ferebat opem.
Nec niſi poſt annos patuit tunc Curia ſeros,
Nomen & ætatis mite Senatus habet:
Iura dabat populo ſenior, finitaque certis
Legibus eſt ætas, unde petatur honor.

39 Quem anteivit Cicero inquiens conſilium, & rationem in eiuſmodi congreſsibus deſiderari: *Quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum Conſilium, maiores noſtri appellaſſent Senatum*; & ſtatim illud ex Nævij Cicer. in Caton. maior. ſive de ſenect. cap. 6.

Salluſt. in Catil.

Ludo lubiciens; *Cedo qui veſtram Rempublicam tantam amiſiſtis tam citò? Proventabant Oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli.* Cui conſonans Salluſtius: *Delecti* (inquit) *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reipublicæ conſulebant, hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine, Patres appellabantur.*

Simãc. de Repub. lib. 7. c. 7. & 8. Menoch. de arbit. caſ. 540. Maſtrill. de Magiſt. lib. 2. c. 5. Marquez lib. 1. c. 5. Bobad. lib. 1. c. 7 Brantius de Senat. lib. 1. c. 26. Narbona de ætatib. hom. ex pag. 337. Langlei. in ſemeſtrib. lib. 7. c. 10. ex pag. 368. Ego de munerib. honor. ex nu. 356. Caſsiod. lib. 9. epiſ. 7. Plin. Iun. li. 6. epiſ. 13.

Et pluribus omiſsis, quæ circa hanc rem à Simanca, Menochio, & alijs latè tradita ſunt, illud ex Caſsiodoro addere licet, iuvenes ſenibus mixtos, ſenes in Senatibus eſſe debere, & ſenum mores, ut illis benè conſonent, ſumere. Eius verba ſunt hæc: *Quid ſit maturitatis, quid prudentiæ in ordinis ipſius æſtimatione cognoſcis, cuius primæva germina, mox cum adoleverint, Patres vocantur. Adoleſcentia illic incobat à maturitate conſilij: tractant Iuvenes cum modeſtia ſenium: ubi morum pondus in flore permittitur, quod vix alibi cana ætate generatur.* 40

Porrò, licèt interim dum de rebus ad Conſilium Senatumvè deductis, confertur, vel deliberatur, utilis, ut diximus, & laudabilis ſit opinionum in ſuffragando diverſitas, ubi tamen calatis, quod aiunt, Comitijs, de negotio tranſactum fuerit, iam non amplius ſuffragari, nec refragari licebit, ſed potiùs ab omnibus humero uno, eorum executio & obſervatio curanda erit, quod à maiori fuerit parte, licèt non uno ore, deliberatum, ut graviter Plinius Iunior admonuit, Senatum Romanum hac in parte *Mirificum* appellans, quòd in cuiuſdam Vareni cauſa, hi etiam Senatores, qui contra eum ſenſerant, pro eo cenſuerunt, ſic inquiens. *Senatus ipſe mirificus; nam illi quoque, qui prius negarant Vareno, quæ petebat, eadem danda, poſtquàm erant data, cẽſuerunt. Singulos enim integra re diſſentire fas eſſe; peracta, quod pluribus placuiſſet, cunctis tuendum.* 41

Eraſm. in his Adag. pag 165. & 327. Briſſ. de formul. pag. 484. L. 41. tit. 5. lib. 2. Recop. Paleot. de ſacr Cõſiſt. 5. p. q. 9. verſ. *Hic igitur*, Franc. Marc. Rovitus, & alij apud Me in Polit. lib. 5. c. 8. pag. 820.

Quò vetus illa iudiciorum formula pertinet, *Actum eſt, vel Actum agere*; qua, res ſemel iam tractatas, & deciſſas, retractare vetamur. Et nobilis Regni noſtri lex quædam, quæ iubet, ut ſententijs a maiori Senatorum parte prolatis, cæteri ſe quoque ſubſcribant, qui in contraria fuerunt, propter rationes ibidem expreſſas, de quarum ſtylo, & praxi latè Paleotus, & alij tractarunt. 42

Tacit. lib. 1. hiſt.

Agell lib. 1. c. 13.

Alioqui (ut ea ſolet prudentia Tacitus inquit:) *Si ubi iubeantur, ſingulis quærere liceat, pereunte obſequio, etiam Imperium intercidit.* Quod Agellius etiam his verbis edocuit: *Corrumpitur atque diſſolvitur omne officium imperandi, ſi quis ad id, quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondeat.* Cum quibus conſonat Symmachi Papæ repetita locutio: *Quos obſequendi neceſſitas manet, non authoritas imperandi, aut conſulendi.* Et Caſsiodori: *Deliberationis noſtræ conſilium, virorum prudentium requirit obſequium: ut utilitatis publicæ ratio, ſapientium miniſterio compleatur.* 43

Cap. benè quidem 96. diſt. cap. nõ placuit 16. q. 7.

Caſsiod. lib. 2. ep. 6 Plin. lib. 1. epiſt. 20

Non tamen negaverim, eiuſmodi in caſibus, prudenter facturũ Principem, qui executionem rei deliberatæ, illis potius, quàm alijs commiſerit, qui pro ea conſuluerunt, cum cæteris paribus, ſperare poſsit, promtius & alacrius hos illam curaturos, vel ex eo, quòd præter publicam utilitatem, ſuffragium ſuum fœlici exitu comprobari deſiderent: *Suæ enim quiſque inventioni favet*, ut Plinius Iunior dixit. Et 44

quem-

quemadmodum nulla res eſt facilis, quam invitus facias, aut in vita Minerva, & iuxta ſententiam Senecæ: *Malè coacta ingenia reſpondent*: ita ex adverſo, hilarius capeſsimus, & facilius, ac promtius exequimur, quod voto, ac dictamini noſtro cohæret. Quam ſententiam noviſsimè Saavedra noſter his verbis expoſuit: *Es mui neceſſario, que los que han de executar las ordenes, las aprueben. Porque quien las contradixo, ò no las juzgò por convenientes, ò hallò dificultad en ellas, ni ſe aplicarà como conviene, ni ſe le darà mucho que ſe yerren. El Miniſtro que las aconſejò, ſerà mejor executor, porque tiene empeñada ſu reputació en el acierto.*

Seneca apud Eraſ. in Adag. in vita Minerva pag. 151.

Saaved Empr. 64. in fin. pag. 487.

Denique, hucuſque dictis addendum cenſeo, quòd ut concedamus
45 aliquo caſu, vel reſpectu, Principibus utile, vel expediens eſſe poſſe, Conſiliarios, vel alios, qui ei deſerviunt Miniſtros, ſibi invicem æmulantes, vel adverſantes habere; nunquam tamen ullatenus expedire, ut vel ijdem ſibi eoſdem ſuſpectos habeant, vel ab alijs, niſi ex benè fundatis rationibus, atque indicijs, in ſuſpicionem deduci permittãt, ut paſsim multi graves Auctores animadvertunt. Namque etſi non negem, nimiam confidentiam periculoſam eſſe ſolere, æquè, aut magis nocivum, & periculoſum erit, ſi Princeps de nullis confidat, cum multorum auxilijs, conſilijs, & manibus egeat, quorum animos, vel ob hanc ſuſpicionem à ſe alieniores efficiet, ut rectè Ioannes Mariana, hoc vitium in Rege Ferdinando Legionenſi notans, his verbis oſtendit: *Ferdinandus aliorum criminationibus aures accommodando, Procerum ſtudia alienavit, natura ſuſpicioſus, qui morbus, niſi ratione coerceatur, in perniciem vertitur.*

Ioã. And. in d. cap. novit, Põte de poteſt. Proreg tit. de delegat. n. 18. ubi allegat Avẽdañ. & alios, & in tract. de abund. civit. §. 1. n. 24. Rebuff. in trac. de evocat cauſ. q. 6. num. 57.

Mariana de rebus Hiſp. lib. 11. c. 5.

Vnde elegantiſsimè & prudentiſsimè Caſsiodorus Principem lau-
46 dat, qui facilè nihil ſequius de ſuis Miniſtris præſumit, & eoſdem, vel ex hac confidentia, ad fidelius obſequium, & miniſterium impellit. *Nullæ vos* (inquit) *ineptæ ſuſpiciones, nulla timoris umbra deterreat. Habetis Principem, qui pietatis ſtudio, optet in vobis invenire quod diligat.* Quod etiam prius ex Theophraſto monuit Seneca, inquiens: *Ante amicitiam iudicandum eſſe; poſt amicitiam credendum. Malè faciunt, qui chariſsimorum conſcientiam reformidant: cautum te velim, ſuſpicacem nolim: nam multi fallere docuerunt, dum timent falli, & alijs ius peccandi ſuſpicando fecerunt.* Et qui plura alia circa hunc articulum velit, poterit Saavedram Noſtrum, de eo luculenter agentem, & plura exempla cumulantem, adire; Nobis, hæc ab illo prætermiſſa, tetigiſſe ſufficiat.

(* * *)

Caſsiodor. lib. 10. epiſt. 14.

Senec. epiſt. 3.

Saaved. empr. 51. ex pag. 364. ad 373

In Principes veri oſſores.

EMBLEMA XLIX.



En Præjaſpiadis, furentis arcu
Regis, procubuit tenellus infans.
Multo tunc etiam madens Lyæo,
Obiectum ſibi vendicat Tyrannus
Per patrem vitium, hoc ſati cruore.
Regi eſt optima veritas amara.

COMMENTARIVS.

IMMENSI prope laboris eſſet, ſi omnia, quæ in bonis Conſilijs, & Conſiliarijs Principũ requiruntur, peculiari commẽtatione perſequi vellẽ. Sed quamvis alia apud alios legẽda relinquam, illud præterire nõ poſſum, parum vel nihil utroſque hac in parte proficere, niſi Cõſiliarij in ſuis ſuffragijs veritatem ſemper præ oculis habeant, omnibus affectibus ante ponant, & qua decet libertate proferant, & defendant, proculque, ut alibi Tacitus inquit, ab ira, à metu, adulationibus, vel æmulationibus abſint: & Principes, quibus conſulunt, pariter, eandẽ ab eiſdem audire deſiderent, nulloque animi motu, imò nec nutu, ſuffragantium libertatem impediant, quin potius, ut Iſocrates monet, Nicoclem: *Fideles exiſtiment eos nõ qui quidquid, aut dicant, aut faciant, laudent; ſed qui delicta liberè accuſent.* 1

Tacit. 1. Annal.

Iſocrat. ad Nicoc.

Eſt

2 Eſt enim Veritas, ut Philoſophi finiunt: *Rerum quæ divinitus ſub animum cadunt, qualitas eſſentialis, & rei ad intellectum adæquatio, iuſtitiæ annexa.* Et hac propter candorem amat, latebras odit, fucos horreſcit, aditus patentes quærit, libera eſt, ſervire neſcit, aliena umbra tegi non vult, ſuo lumine delectatur, cum ſervili ignavoque hominũ genere commerciũ non habet, ſolis liberis, & ſpeculãtibus præſtò eſt.

Ariſt. 2. Metaph. Cicer. in Rhet. D. Thom. 2. 2. q. 109.

3 Eamque tanti Pythagoras fecit, ut Æliano teſte, dicere ſolitus eſſet: *Duo divinitus hominibus data eſſe longè pulcherrima: veritatem amplecti, & alijs benefacere; & addebat, utrumque cum Deorum immortaliũ operibus comparari poſſe, ſive Deo ſimiles homines facere.*

Ælian. lib. 12. de var. hiſtor. cap. 59. Stob. ſerm 11. Maxim. Tyr. ſerm. 8. hoc Demoſtheni tribuit.

4 Quod neque alios Ethnicos latuit, qui, ut Lilius Giraldus ſcribit, illam Deam exiſtimabant, & ſub Græco *Aletbiæ*, nomine, virtutis matrem effingebant, Saturni, ſive temporis, imò & ipſius Iovis Olympici filiam faciebant, peculiaribuſque aris, & ſimulacris, illius iuſtitiam, & neceſsitatem ſignificantibus, colere, ac donare ſolebant.

Girald. de Diis Gent. ſynt. 1. pag. 26.

5 Cuius ſanè amor, cultus, & obſervatio Principibus viris, eorumque Conſiliarijs præcæteris convenit, vel ex eo, quòd maiori cæteris dignitate præfulgent, vel quòd hac virtute ſubmota, & in puteo, ubi eam Democritus, & ex eo Lactantius, latere dixit, relicta, nihil ex tãti muneris debito præſtare ullatenus poſsint.

Lactant. 3. inſt. c. 28. alijapud Eraſm. in Adag. *Veritas in profundo*, pag. 453.

6 Quod ſatis expreſsit vetus illa pictura, quæ, ut ex Diodoro Baptiſta Leo recenſet, in Sepulchro Simandij quondam inſculpta, & inventa fuit; Iudicem nimirùm, & Primatum conventum repræſentans, ſacris indumentis veſtitos, ex quorum collo ad pectus pendebat ſuſpenſa veritas, clauſis ſubnutans oculis, forma quidem pulcherrima, cultu tamen ſimplici, licèt ſplendido, & qui ſtellarum fulgorẽ imitari videretur, prout & Hippocrates eam alibi depinxiſſe conſpicitur.

Bapt. Leo lib. 7. Girald. d. pag. 26.

Hippocr. in epiſt. ad Philopæmen.

7 Ad quod Ægyptij quoque alludebant, dum ſimili modo, ut Ælianus inquit, ſummus Sacerdos, qui & Supremus erat Iudex, geſtabat collo appenſam imaginem ex Saphiro, quæ appellabatur *Veritas*, aptiſsimè expreſſam, ac delineatam. Et Hebræi, dum in Summi ſui Sacerdotis Rationali, quod tot tantiſque lapidibus, & myſterijs plenum fuiſſe, in ſacra Pagina legimus, nobilis gemma in medio pectore portabatur, cui hæc verba à Deo inſcribi ſunt iuſſa, *Vrim*, & *Tummin*, quæ Latinè *Doctrinam, & Veritatem* ſignificant, ſic nobis indicare volentes (ut latè ex ſanctis Patribus Cornelius à Lapide probat, & explicat) tum in corde, tum in ore Summorum Principum, ac Magiſtratuum veritatem eſſe debere, ipſiſque interpretationem, & tutelam veritatis publicæ, id eſt, iuſtitiæ convenire.

Ælian. lib. 14. c. 34

Exod. c. 28. 30. & ſeqq.

Cornel à Lapid. in d. c. 28. Exod.

8 Quæ ſecundùm Ageſilaum, à Plutarcho relatum, multò magis Rempublicam commendat, quàm fortitudo; cuiuſque tanta vis eſt, ut verè Cicero de ea dicere potuerit. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas hominum inſidias facilè ſe ipſa defendat, multorum improbitate depreſſa emergat, & in defenſionem innocentium intercluſa reſpiret.*

Plut. in Apoph. Ageſil.

Cicer. in orat. pro M. Cœl. & in orat. pro Cluen. & in epiſt.

Eſdr.lib.3.c.3.&4.

Et in Eſdræ libro legamus trium Iuvenum corporis Regis Darij cuſtodum,ſuper re,quæ fortior,& magis invicta eſſet,certamẽ,in quo tertius tandem victor evaſit,qui pro veritate pugnans, oſtendit, eam vino,Rege,& muliere,eſſe longè fortiorem, quia *Manet & invaleſcit in æternum, & vivit,& obtinet in ſæcula ſæculorum. Neque eſt apud eam accipere perſonas, neque differentias: ſed quæ iuſta ſunt facit omnibus,iuſtis, ac malignis, & omnes benignantur in operibus eius. Et non eſt in iudicio eius iniquum,ſed fortitudo,& Regnum,& poteſtas, & maieſtas omnium ævorum. Benedictus Deus veritatis.* 9

Arrianus de rebus Alex.

Proverb.29.

Proverb.3.

Vnde meritò Arrianus ſcripſit: *Non debet Rex erga ſubditos ſuos, alius quàm verax eſſe: neque quiſquam ſubditorum aliter affectus eſſe debet,quàm ut Regem veracem eſſe credat.* Verèque Salomon dixit: *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Ideòque Deum alibi orat,ut vanitatem & verba mendacij longè faceret ab ipſo. 10

Ariſtæas c.19.Midendorp.ex eo in q.Polit.pag.149.

Et in Ariſteæ libro refertur, quòd cum Ptolomæus Philadelphus Ægyptiorum Rex, à ſeptuaginta duobus Sacræ Scripturæ Interpretibus,quos in unum congeſſerat, inter alia quæſijſſet, quomodo veritatem coleret, & diligeret? Hoc ab illis reſponſum accepit: *Si ſtatuas, quod magnum dedecus omnibus hominibus ſit mentiri: multòque maiorem notam Regibus inurat: nam quando poteſtatem habent, quod volunt faciendi, cuius rei gratia mentientur? deinde,ſi etiam conſideres, quod Deus veritatis amator exiſtit.* 11

Ammian. Marcel. lib.22. in Codice Lindemberg.pag. 239.

Iſocrat.in orat. Parænet.ad Nicoc.

De Iuliano etiam Imperatore (impio quamvis & ſacrilego Principe) Ammianus Marcellinus enarrat, quod levitatem agnoſcens cõmotioris ingenij ſui,Præfectis proximiſque ſuis permiſit, ut fidenter ei vera conſulerent, & impetus ſuos aliorſum tendentes, ad quæ decebat, monitu opportuno frænarent.Et Iſocrates, Nicoclem Regem hortatur, ut adeò per omnem vitam veri amator, & obſervator appareat, ut ſuis dictis potius habeatur fides, quàm cæterorum iuriiurando. 12

Sup. Embl.28. in fine.

Quod dictum ornari poteſt ex alijs, quæ iam alio in loco retulimus, & longè præſtantius ex Potentiſsimi, ac Præſtantiſsimi Regis, ac Domini noſtri Philippi IV. verbis,in laudato illo Decreto prolatis,cuius iam ſæpè mentionem fecimus,ubi ſe huius doctrinæ eximiũ Monitorem, atque Amatorem oſtendens, eandem ſuis Conſiliarijs his enixis verbis commendavit: *En tercer lugar os mando con toda preciſsion, que ſiempre me trateis verdad liſamente, aunque os parezca que ſea en coſa contra mi guſto; que aunque eſtoi cierto, que ſi Dios no me dexa de ſu mano, Yo no le tendrè en nada, que ſea contra lo que os digo, como hombre puede ſer que falte en algo. I para eſte caſo es, quando mas he meneſter q̃ mis Miniſtros me hablen claro, i no me dexen errar, &c.* 13

Cæterùm quoniam nimia multorum Regum potentia in impotentiam ſuperbiamvè converſa,ita ab hac Veritatis obſervatione & dilectione, qua potiſsimum ſplendere debebant,omni tempore deviavit, ut nulla magis virtus ab eorum aulis exulet, nulloſque maiori odio perſequi ſoleant, quàm eos, qui veritatem amantes,veri aliquid, ſuis 14

vi-

vitijs,delicijs,iudicijſvè contrarium,ipſorum auribus ſuggerunt. Vnde hanc lucem Ducemque omnium bonarum actionum, longè à ſuis Palatijs fugarunt, meritò ſummus quidam ex ipſis Principibus dicere potuit:

Maff. Barbarin. poſteà Vrban. VIII. Pont. Max. in ſuis carmin.

Fugit Potentum limina veritas,
Quanquam ſalutis nuntia.

15 Et Seneca, eorum in ſumma opulentia huius eximiæ virtutis indigentiam, & damna quæ inde proveniunt, his verbis miſereri, dignis quidem, ut ne dum æneis, ſed aureis litteris inſcribantur: *Omnia ſanè excluſerit opulenta fœlicitas; monſtrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſsidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipſaque conſuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuque falſorum. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſervile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandiſsimè fallat? Ignoravere vires ſuas, & dum ſe tam magnos quàm audiunt credunt, attraxere ſupervacua, & in diſcrimen omnium per ventura bella: utilem & neceſſariā rupere concordiam: ſecuti iram, quam nemo revocabat, multorum ſanguinem hauſerunt, fuſuri noviſsimè ſuum, dum vindicant inexplorata pro certis, flectique non minus exiſtimant turpe, quàm vinci, & perpetua credūt, quæ in ſummum perducta, maximè nutant. Ingentia ſuper ſe, ac ſuos Regna fregerunt, neque intellexerunt, in illa ſcena, & vanis & citò diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipſos nihil non adverſi exſpectare debuiſſe, ex quo nihil veri audire potuerunt.*

Senec. de beneffic. lib. 6. c. 30. refert & extollit Lipſ in Polit lib. 3. cap. 5. in notis.

16 Hactenus Seneca, qui pro multis ſufficere poterit, qui ad eandem Veritatis ab aulis Principum exulātis, atque eiulantis, comprobationem, adduci facilè poſſent. Sed non eſt omittendus Galenus, cuius inſignem locum noſtro Euſebio Noriembergio debere me fateor, qui cum hominum mores, & humores ex eorundem actionibus, atque occupationibus dignoſcendos coniectandoſvè eſſe, oſtendere vellet, illos minimè veraces iudicari poſſe inquit: *Qui apprimè Potentium, aut etiam Principum, ac Tyrannorum ædes frquentāt. Obſequia quippè iſtius modi, mendacium ſequi conſuevit, quiſquis enim huiuſce generis vitam ſibi ſequendam propoſuit, non ſolùm non verax eſſe conſuevit, ſed etiam omnem malitiam habere neceſſario, &c.*

Galen. in Method. ap. Euſeb. in Theopolit. 2. par. lib. 2. cap. 7. pag. 441.

17 Quod ſenſit etiam Ludovicus XI. Francorum Rex, quem ferunt, aliquando dixiſſe, ſe ſua in aula rebus omnibus, una excepta, abundare, interrogatuſque, quæ illa? *Veritatem eſſe*, reſpondit. Ioannes Sariſberienſis, dum air: *Inter omnia quæ viris ſolent obeſſe Principibus, nihil pernitioſius eſſe arbitror, quàm quòd eis fortunæ blandientis illecebra aſpectum ſubtrahit veritatis.* Et Epigrammatarius Anglus, qui non minus ſcitè Regum ſtatum ob hunc veritatis defectum hoc carmine aperuit;

Patric. de hiſtor. Dial. 5. Beyerlinc. in Apoph. Chriſt.

Sariſberienſ. in Policrat lib. 3 cap. 6.

Oven. lib. 2 epigr. 132.

Dum non vult alter, timet alter dicere verum
Regibus. O miſerum Regis in orbe ſtatum.

Nos

Nos autem, ut Chriſtianos, cum quibus loquimur, Reges, Veritatis, quæ Chriſtum refert, amantiſsimos efficiamus, & damna, quæ ex odio, vel deſpectu adeò neceſſariæ Regiæque virtutis proveniunt, velut in ſpeculo, ſub aliorum exemplis, repræſentemus, hoc Emblema intuendum proponimus, ex Cambyſis Perſarum Regis, & Præjaſpis, ei chariſsimi, hiſtoria deductum, quàm poſt Herodotum, Petrus Crinitus, & Alij, latè recenſent, & Seneca ita graviter perſtrinxit, ut ipſius verbis illam exponere valdè conducere exiſtimem, quæ ſic habent: *Cambyſen Regem nimis deditum vino, Præjaſpes, unus ex chariſsimis, monebat, ut parcius biberet: turpem eſſe dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aureſque ſequerentur. Ad hoc ille: ut ſcias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, approbabo iam, & oculos poſt vinum in officio eſſe, & manus. Bibit deinde liberalius, quàm aliàs, capacioribus ſcyphis: & iam gravis, & temulentus, obiurgatoris ſui filium procedere ultra limen iubet, allevataque ſuper caput ſiniſtra manu ſtare. Tunc intendit arcum, & ipſum cor adoleſcentis (id enim ſe petere dixerat) figit, reciſoque pectore, hærens in ipſo corde ſpiculum oſtendit, ac reſpiciens patrē, an ſatis certam haberet manum? At ille negavit Apollinem potuiſſe certius dimittere, &c.* 18

Herod. lib. 3. Crinit. lib. 6. c. 2. Fulgoſ. lib. 9. c. 5. fol. 327. Theat. lit. V. pag. Camer. cent. 1. c. 90. pag. 421.
Senec. lib. 3. de Ira cap. 14.

Pergit ſtatim Seneca, hunc Regem cruentum appellans, & dignū, in quem omnium ſuorum arcus verterentur, cum odio veritatis tam immane facinus perpetraverit: ſed nec minùs Præjaſpem reprehendens, quòd eius rei laudator fuerit, quam ſi in amanda, ut cœpit, veritate perſiſteret, increpare debuiſſet, etiam ſi in ſe alterum eiuſdem Regis iactum, & certiorem manum revocaret. 19

Acceſsit hic itaque ad eorum numerum, qui ſuis cladibus oſtenderunt, quanti conſtarent Regum amicis bona conſilia, à quibus id totum facilè poteſt effici, quod illis libitum ſit. Et ad eundem, idem Seneca Harpagum refert, cui Aſtyages filium epulandum apponit, & ſubinde quæſijt, an placeret conditura? Illiuſque caput iuſsit afferri, licèt Herodotus aliam fuiſſe huius tragœdiæ cauſam comminiſcatur. 20

Senec. d. lib. 3. cap. 15.
Herod. lib. 1. pag. mihi 68.

Planè Calliſthenes Philoſophus, Alexandro Magno familiaris, ob hanc ipſam, de qua loquimur, perijt; nam illum Alexander, quia nunquam aſſentantium accommodatus ingenio erat, & liberè adorationis Perſicæ morem interpellavit, coniurationis conſcium eſſe criminatus, truncatis membris, abſciſsiſque auribus ac naſo, labijſque deformatum, cum cane in cavea clauſum, circumferri iuſsit, diuque tortum, ut Quintus Curtius, & Alij, latiùs recenſet, tandem necavit. Quam crudelitatem ita exagerat Seneca, ut omnibus Alexandri glorijs, atque victorijs officere, his elegantiſsimis verbis ſcribat: *Hoc eſt Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum fœlicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit, Occidit Perſarum multa millia, opponetur, & Calliſthenem. Quoties dictum fuerit, occidit Darium, penes quem tunc magnum Regnum erat: opponetur, & Calliſthenem. Quotiens dictum erit omnia Oceano tenus vicit; ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & Imperium ex angulis Thraciæ uſque ad Orientis terminos protu-* 21

Curt. lib. 8. c. 16. Arrian. lib 4. Valer. lib. 7. cap. 2. & lib. 9. cap. 3.
Senec. lib. 6. natur. quæſt. cap. 23.

lit:

lit: dicitur, ſed Calliſthenem occidit. Omnia licèt antiqua documenta, Regumque exempla tranſierit, ex his, quæ fecit, nihil tam magnũ erit, quàm ſcelus Calliſthenes.

22 Idem quoque Alexander, Clitum, etiam temulentus, ſpiculo traiecit, quòd in convivio quodam liberius in Perſicos amores invectus fuit, & Caſandri caput vehementer ad parietem contudit, quòd cum barbaros venerabundos illum ſalutantes conſpexiſſet, ut in libertate innutritus Græca, atque ad huiuſmodi ſpectaculi hactenus inſolẽs, in cachinum effuſus eſt.

Curtius lib. 8. c. 2. Plutarc. in Alex

23 De Philoxeno quoque Poëta Lyrico memorat Suidas, quòd cum aliquando apud Dionyſium Tyrannum ageret, tragœdiaſque eius, in quibus ille ambitioſiſsimus erat, minime laudaret, in Jatomias cõiectus fuit, indeque Tarentum aufugit. Dionyſio verò, eum per litteras revocare conanti, hoc tantùm monoſyllabo *Non* ſæpius iterato, reſpondit.

Suid. verb. *Philoxenus*. Girald. hiſt. Poët. lib. 9.

24 Similibus exemplis Veritatis Principibus exoſſæ, & punitæ, Sacræ Litteræ ſcatent, in Saule occidente Prophetas, Ioſaphat adverſus Michæam excandeſcente, Eſaia in duas partes diſecto, Ieremia lapidibus obruto, Amos vecte per tempora transfixo, & in Herode, Divũ Ioannem Baptiſtam ob reprehenſum inceſtum decapitante. Sicque etiam Darius Charidemum, Philippus Macedo Aratum, Ægyptius Philadelphus Sotadem, Perſeus Euctum, & Eudemum ſuo ærario præfectos, Caius Silanum, & Macronem, Adrianus Apollodorum nobilem Architectum, Caracalla Papinianum, omnium Iuriſ-conſultorum facilè Principem, Theodoricus Gotthorum Rex, Severinũ Boëtium, & Symmachum eius ſocerum, Sigibertus Occidentalium Saxonum in Anglia Rex, Cumbranum, Selymus Turcarum Imperator, Chendemum Baſſam, & alij alios, diverſis temporibus varijs ſupplicijs affecerunt, de quibus, qui copioſam velit nomenclaturam, Camerarium, Arniſæum, Schombornerum, Beyerlinchium, & Saavedram noſtrum adire poterit.

Paralip. cap. 24. 3. Reg. 22. Matth. 14. Marc. 6.

M. Marul. lib. 4. cap. 4.

Camerar. cent. 1. cap. 90. fol. 421. & cent. 3. c. 56. Arniſ. lib. 1. doct. Polit. cap. 15 fol. 355. Schomb. lib. 3. Polit. c. 24. Beyerlin. in Theat. verb. *Reprehenſio*, pag. 311. Saaved. Empr. 48. pag. 318. & ſeqq.

25 Dum modo interim inſignem illum Angliæ Cancellarium Thomam Morum non prætereamus, qui, quòd adverſus Henrici IIX. nova & perverſa in Anglia dogmata, pro Fide Catholica, Romanæ Sedis veneratione, & contra interdictum, inceſtuoſumque Annæ Bolenæ matrimonium, pugnavit, poſt longi carceris tædium, cum nec promiſsis, nec uxoris liberorumque blanditijs, à ſententia removeri poſſet, tandem capite plexus fuit, ut latiùs Cardinalis Capuanus in eius vita recenſet, & Epitaphium, quo à Ioanne Secundo Hagienſi donatus fuit, dignum quidem, ut hiſce noſtris lucubrationibus inſeratur:

Iovius in Elog. hom. Doct. Surius in hiſt. ſui Temp. Ribad. in Schiſm. Ang.

Quis iacet hic? Truncus, cuius caput enſe reciſum eſt?
Quæ nat in tetro ſanguine canicies?
Hinc iſte ille Thomas Morus: ſic fata rependit
Triſtia multa bonis, & bona multa malis.
Qua circumſiſtunt Divæ lugubre cadaver?
Diva tenax veri, Sancta, Fides, Nemeſis,

Quarum prima fuit cauſa,& fuit altera mortis,
Vltrix iniuſtæ Tertia cædis erit.

Prava hæc igitur & veſana malè moratorum Principum conſuetudo,qui,ut quidam dixit, plus ſæpè, ne dicam ſemper, Placentiam ſolent, quàm Veronam amare, & cum Salomone monente: *Conſilium audire deberent, ſuſcipere diſciplinam, labia iuſta habere, eoſque, qui recta loquuntur, diligere,* illos potius odio habent,& ſupplicijs afficiunt, effecit, ut hac pretioſa gemma careant, quæ præcipuè eorum tempora ornare poterat,& debebat,& ut pauci ſint,qui nudam eis veritatem, quam minùs gratanter audituros verentur,ſine fuco & lenocinatione proponere audeant. 26

Proverb.16.14. & 19.2.

Adeò,ut Seneca tradat,vel ipſum Auguſtum Cæſarem (quem tantopere doluiſſe Agripæ & Mecænatis mortem, qui ei vera ſuggerebant conſilia, Suetonius ſcribit) forſitan ſi diutius vixiſſent, æquali cæteris,de quibus egimus,exitu,mulctaturū: *Non eſt* (inquit) *quòd exiſtimemus Agrippam & Mæcenatē ſolitos illi vera dicere, qui ſi vixiſſent, inter diſſimulantes fuiſſent. Regalis ingenij mos eſt, in præſentium contumeliam amiſſa laudare, & his virtutem dare vera dicendi, à quibus audiēdi periculum non eſt.* 27

Senec.lib.6.de benef.c.32. in fin.
Suet.in Aug. c.66.

Vnde fortè Sanctus Iobus, dum ſe ad loquendum & diſputandum cum Regibus præparabat, tot ſe cautionibus communivit: *Audite, quæſo, ſermones meos, & agite pœnitentiam, ſuſtinete me, & Ego loquar, & poſt, mea, ſi videbitur, verba ridete, &c.* Et Moyſes, dum loqui ad populum iuſſus fuit,nullam excuſationem adhibuit, ubi verò ad Ægyptium Regem Pharaonem cum legatione mendatur, ſe in circumciſum labijs eſſe proponit, & à Pharaone vocem ſuam exaudiri non poſſe cauſatur. 28

Iob.21.
Exod.cap.6.31.

Et ipſum idem in cauſa fuiſſe videtur, ut Michæas Regi Achab, Eliſæus Banadabo, Daniel Nabuchodonoſoro, &ſi à Deo electi probatique Prophetæ eſſent, non niſi poſt longam moram, variumque circuitum, veritatem manifeſtaverint, ſciebant enim eam eſſe Principum conditionem, ut quamvis vera ſibi nuntiari, poſcere videantur: *Videntibus tamen* (ut Iſaias ait) *dicunt, nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere quæ recta ſunt, loquimini mihi placentia.* 29

3.Reg.22.4.8.
Daniel.4.
Eſaiæ 30.8.

Quod non latuit Agathonem dum apud Athenæum, ab alio Rege ſimiliter rogatus ſententiam dicere,prius eiuſdē animum ita tentavit: 30

Si vera dicam tibi voluptati aut ero;
Si ſim voluptati haud tibi vera dixero.

Et Demaratum, apud Herodotum, qui cum à Xerxe in expeditione contra Græcos ſententiam dicere iuſſus eſſet: *Vtra* (inquit) *apud te, Rex utar, veritate ne, an iucunditate?*

Athenæ.lib.5.
Herod.lib.7.

Qua de cauſa Plutarchus, Solonē Cræſſo dixiſſe narrat: *Cum Principibus, aut modicè, aut iucundè agendum;* & ita malè etiam Chriſtiani Principes ob hoc vitium apud Paganos audierunt,ut Martinus Delrius, poſt Michaelem Palacium, recenſeat,quòd cum Monachus quidam Martyrij amore ſuccenſus ad Soldanum abiret. Ab hoc rogatus: 31

Plutarc. in Solon.
Delrius in Adag.2. tom.pag.508.

Quor-

Quorſum veniſſet? Reſpondit: *Vt mortem inveniam, veritatem tibi prædicando.* Tunc Soldanus: *Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos invenies.*

32 Quod ipſum ſentiens, & dolens Petrus Gregorius Tholoſanus, eorum conditionem deplorat, quòd multos miniſtros habeant, qui ijs omnium ferculorum copiam ad menſam afferũt, nullus autem ſit, qui ferculum veritatis afferre audeat. Pet. Greg. lib. 24. de Rep. cap. 5. Coning. in Theſ. Pol. 2. p. c. 30. n. 49.

33 Cuius planè defectum, & indigentiam, eorum plures tandem agnoviſſe comperimus. Cum de Gordiano Imperatore apud Capitolinum legamus, Miſsithæo ſocero per epiſtolam queſtum fuiſſe, quòd hoc adiumento careret: *Miſerumque eſſe Imperatorem, apud quem vera reticentur, qui cum ipſe publicè ambulare non poſsit, neceſſe eſt ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet.* Hancque ſententiam, *Princeps miſer, quem latet veritas*, pro ſymbolo deinceps geſtaſſe, Sylveſter à Petraſancta recenſet. Iul. Capitolin. in Gordian. Petraſanct. de ſymbol. heroic. lib. 6. pag. 183.

34 Et Conſtantinus Magnus, ut huic morbo ſuccurret, legem tulit, qua precibus & præmijs ſubditos invitavit, ut verè ac libere quicquid vel à ſe, vel à ſuis Palatinis malè geſtum ſentirent, eidem indicarent: *Ipſe* (inquiens) *me vindicabo de eo, qui me uſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit: illum autem qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo; ita mihi ſumma Divinitas ſemper propitia ſit, & incolumem præſtet, ut cupio, fœliciſsima & florente Republica.* L. 4. lib. 9. tit. de accuſat. in Codice Theodoſ.

35 Carolus quoque Octavus, Galliæ Rex, ut Annales illius Regni teſtantur, pridie quam moreretur, cubicularium ſuum interrogaſſe dicitur: *Qui fieret, quòd tam pauci Reges Sanctorum numero adſcriberentur?* Eoque tacente, reſpondit: *Quia paucos penes ſe habent, qui vera dicant.* Annal. Franc. Daroult. in Catecheſi.

36 Et de Antiocho refert Plutarchus, & alij, quòd cum in venatione à ſuis aberraſſet, & in caſam pauperum quorundam, quibus ignotus erat, introiſſet, intercænandum ab eiſdem, iniecta Regis mentione, audijſſe, quòd inter cætera quidem probus erat, ſed pleraſque functiones mandabat amicis, ipſe ad eorum facta connivens. Tum, quòd immodico venandi ſtudio, frequenter neceſſaria negligeret. Quod ipſe ſuis ſatellitibus, diluculo adventantibus, enarravit, purpura, ſimul cum diademate allata, teſtatus: *Ex quo hæc inſignia indui, heri primum vera de me ipſo audivi.* Nam ut Plutarchus ſubdit: *Hoc ferè ſtudium eſt his, qui vivunt in aulis Principum, ne quid niſi blandum auribus audiant.* Plut. in Apophth. Saaved. id Id. Pol. pag. 200.

37 Ex qua fortè hiſtoria, alij quoque Principes, quos Camerarius, & alij recenſent, anſam ſumſerunt, ſimulato habitu, ſe plebeis cœtibus immiſcendi, & vel à ſimpliciſsimis hominibus, quid de eis ſentiret populus, eruendi, quaſi, *Gloria ſit Regum inveſtigare ſermonem*, ut in Proverbijs Salomon inquit, id eſt, ut aliqui exponunt, ea, quæ de ipſis populus dicit, vel ſentit, inquirere. Camer. cent. 1. c. 90. pag. 418. Thea. verb. *Veritas*, pag. 84. Saaved. in Id. Polit. pag. 327. Proverb. 25. 2.

38 Quod Noricus quidam Dux, cuius nomen non exprimitur, ſæpè feciſſe legitur, ut Georgius Sabinus in quodam ex ſuis carminibus narrat, quòd propter eius elegantiam, & quia valdè ad rem noſtram conducit, hic inſerere libet, & ita ſe habet: Georg. Sabin. in ſuis Poem.

Sæpè

Sæpè rudes inter mutata veſte colonos,
Noricus agricolæ Dux faciebat opus.
Nunc paſcebat oves, nunc gramina falce ſecabat,
Vomere proſcindens, nunc ſubigebat humum.
Et ſimul illato de ſe ſermone rogabat
Plurima, nempè quibus moribus ipſe foret?
Iuſtus an exigeret pœnas à ſontibus ultor?
Debita conferret præmia num ne bonis?
Quærenti verò cauſam cur Regibus ortus
Princeps, agricolam ſe ſimularet, ait.
Me iuvat è rudibus cognoſcere vera colonis,
Servit adulatrix auribus aula meis.

Amm. Marcellin. lib. 14.

Eraſ. in Adag. *Midas Auriculas aſini*, pag. 299. & in Adag. *Multæ Regum aures*, pag. 158

Et hoc ſanè medium ad veritatem inquirendam, (licèt raro exequendum) ſanius mihi videtur eo, quo alij uti ſolent, ſuſurronibus, & delatoribus gratas aures præſtando, vel, ut Gallus Cæſar, Marcellino referente, feciſſe legitur, homines quoſdam ignotos, vilitate ipſa parum cavendos, per provincias dimittendo, ut rumores, qui de Principe ſparguntur, colligant, & quidquid noſcere poſsint, vel audire, ad eos latenter deferant. Quod de Mida etiam Rege aliqui, ut Eraſmus memorat, tradunt, & quoniam per hos corycæos, vel ſubauſcultatores, omnia audiebat, & ſciebat, occaſionem dediſſe fabulæ: *Vt aſini auriculas habere diceretur.* 39

Io. Fileſ. 2. ſelect. c. 6. pag. 34. Tacit. Annal. 4. Plin. Iun. in Paneg. Senec. de Tranq. cap. 12.

Has quippè inquiſitiones iuſtiſsimè damnat Ioannes Fileſacus, Tacito, & Plinio Iuniore relatis, & præclaris illis Senecæ verbis: *Teterrimum vitium auſcultatio, & publicorum, ſecretorumque inquiſitio, & multarum rerum ſcientia, quæ nec tutò narrantur, nec tutò audiuntur.* 40

Lamb. Danæ[9] lib. 4. Eth. Chriſt. Camerar. cent. 1. cap. 66. pag. 296. Beſſol. in Theſ. pract. verb. *Paſquillus*, pag. 679. Beverlin. in Apoph. Chriſt. & in Theat. verb. *Paſquillus*, Saavedra in Id. Pol. pag. 93 & ſeqq.

Quo in numero Ego Paſquillorum (quos vocant) ſive famoſorum libellorum deteſtabilem uſum habendum eſſe cenſeo, licèt non deſint graves aliqui Politici Auctores, qui illum defendant, utilemque eſſe iudicent (plura ſimul de Paſquilli, ſive Paſquini nomine, & antiquitate tradentes) ut vel hoc ſaltem modò veritas ad Principum aures nuda perveniat, & quæ in ſe ipſis emendatione digna notari cognoverint, in poſterum reforment, atque ut eſt apud Demoſthenem, 41

Calumniantium maledicta bonis factis diluant.

Addentes, quòd ut habet in monitis Baudius: 42

Lex nulla pœnis ſobrios ſales premit,
Dum ne qua labes inferatur integris.

Suid. in hiſt. Ariſtophan. in Neb. Lucian. in Iove Tragœd.

Et ex Suida, & alijs, veterem fuiſſe apud Alexandrinos, Athenienſes, & alias nationes morem, fabulas in plauſtris agere à iuvenibus, ore fece collito, ne poſſent agnoſci, qui plauſtris, ſive curribus vecti, totam urbem peragrabant, & ubi vellent ſtantes, magna licentia in obvium quemque dicteria iacebant, veraque de eo, non falſa convicia de plauſtro canebant; prius enim operam dabant, ut accuratè probra

ci-

civium exquirerent, hæcque incorrupte proferrent, ut ob hoc omnes improbitatem averſarentur. Vnde Eraſmus deduxit originem Adagij, *De Plauſtro loqui*, quòd libertas harum comœdiarũ eouſque progreſſa fuit, ut nõ ſolùm civium Primates, verùmetiam Deos nominatim taxaret.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 449.

43 Etenim, eiuſmodi, adinvẽta ad veritatem de ſe, vel de alijs, Principibus ingerendam, & mali exempli ſunt, & periculis plena, quæ late ab Eccleſiaſtico recenſentur, atque ut cum D. Bernardo loquar: *Hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, ut omnem, qui palàm veretur dicere, ſuſpectum habeas.*

Eccleſ. 28. 15. & ſeqq. D. Bernard.

44 Eaque propter melius facturos Principes arbitror, ſi illud Perſij monitum ſervent, *Ne te quæſiveris extra*, quin potiùs ſe ipſos intra ſe ipſos noſcentes, & concutientes, ut veteri, & cœlitus miſſo circumfertur Adagio, Senecam audiant, monentem: *Intus te ipſum conſidera; non qualis ſis alijs credas; plerumque boni inepti, & inertes vocantur: mihi contingat iſte de riſus. Æquo animo audienda ſunt Imperatorum convitia, & ad honeſta vadenti, contemnendus eſt iſte contemtus.* Et tandẽ intelligant, veritatem eſſe, quæ eos Regia dignitate dignos reddere poſsit, & tã in ſe, quam in ſuis Aulicis, & Conſiliarijs, hanc ament, hanc quærant, & ita vivant, ut nihil de vulgi rumoribus, vel timoribus vereantur, ut Druſus ille quondam Tribunus, qui Architecto pollicẽti ſe ita illi domum fabricaturũ, ut nulla ex parte ab alijs conſpici poſſet, Paterculo narrante; reſpondit: *Tu verò ſi quid in te artis eſt, ita compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus proſpici poſsit.*

Perſ. ſatyr. 1. Eraſm. in Adag. *Noſce te ipſum*. pag. 506. Horat. lib. 1. ſatyr. 3. ibi: *Denique te ipſum concute*, &c. Senec. epiſt. 77. Velle. Patercul. lib. 2.

45 Nullam quippè maiorẽ iacturam facere poſſunt, quàm ſi Heroicæ huic virtuti liberũ ad ſe undecunque aditum intercludant, & dũ Alethiã ſibi comitem reſpuunt Mœthanæam eius loco ſortiantur, & cum Sapiente clamare incipiant: *Ergo erravimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.*

Sapient. 5.

46 Quod præſertim, dũ de publicis negotijs conſulũt, & in Senatu, vel inter Senatores deliberant, fugere debent, cum horũ prima lex ſit, ut alibi Tacitus inquit: *Licere Patribus quoties ius ſentẽtiæ accepiſſent, quæ vellent exprimere, relationemque in ea poſtulare, & in Senatu, etiã de rebus levibus cum libertate loqui, iudiciumque animi citra damnum affectus proferre.* Ideòque Homerus Diomedẽ Agamemnoni dicentẽ inducit:

Atrida, ſi verba tibi nunc ſtulta loquenti,
Acrius inſiſtam, ne bilem traxeris ullam:
Prima etenim lex eſt, in cœtu quemque loquentem,
Dicere quæ libeat, tum libera verba profari.

Et M. Tullius inquit: *In omnibus conſultationibus, neque gratiam ſpectandam, neque odia exiſtimo; ſed eam unumquemque dicere ſententiã debere, quam ipſe optimam cenſeat.*

Tacit. lib. 13. Ann. & in Dial. de Oratore. Homer. Illiad. 7.

47 Vnde & illa Octavij Auguſti laus apud Suetonium, quòd ipſi in Senatu verba facienti, dictum fuit, *Non intellexi*; & ab alio, *Contradicerem tibi, ſi locum haberem.* Et quòd interdum ob immodicas altercationes diſceptantium, è Curia per iram ſe proripienti, quidam ingeſ-

Suet. in Oct. c. 54.

ſe-

ſerunt, *Licere oportere Senatoribus de Republica loqui.* Quibus ille reſ-
pondit: ***Suum quemque iudicium habere.*** Neque ideò libertas, aut con-
tumacia cuiquam fraudi fuit.

Ælian. lib. 12. de var. hiſtor. cap. 52.

Et apud omnes benè ſentientes, Perſarum illa lex huic contraria, 48
ut iniqua, & ſtulta damnata fuit, quæ, ut Ælianus, poſt alios Hiſtori-
cos, memorat, flagris cædi iubebat eos, qui in conſilijs aliquid Regis
voluntati contrarium dixiſſent. Et Domitiani Tyrannis, & inſolētia,

Plin. in Panegir.

ſub cuius Imperio in rogandis ſententijs nemo, Plinio Iuniore teſtan-
te, loqui vel hiſcere audebat, præter miſeros illos, qui primi interro-
gantur, ita ut unus ille ſolus diceret, cenſeret, mandaret, quod ſeque-
rentur omnes.

Vbi enim liberas eſſe oportet Conſultorum ſententias, omnis me- 49
tus, atque reſpectus exulare debet, alioqui fruſtra quæras, ac deli-
beres, præſertim apud Principem, in cuius propenſionem, vel me-
tu ceſſante, plerumque ſententiæ Conſiliariorum inclinant, ut copio-

Gruter. in notis ad Tacit. ann. 1.

ſiſsimè Ianus Gruterus oſtendit, & Quintus Curtius inſinuat, dum de
Darij Conſiliarijs ſermonem habens: *Diu* (inquit) *nemo quid ſentiret
auſus eſt dicere, incerta Regis voluntate*; & nebulo ille Gn. Piſo apud

Q. Curtius lib. 3.

Tacitum, qui coram Tiberio ſuffragium laturus, non erubuit veſtigia

Tacit. 1. Annal.

morientis libertatis manifeſtare, ſic orſus: *Quo loco cenſebis Cæſar? Si
primus, habebo quod ſequar; ſi poſt omnes, vereor ne imprudens diſſen-
tiam.*

Qua de cauſa, vel ipſe idem Tiberius, quamvis tyrannidis amicus, 50
hoc adulationis ſtudium in primarijs Reipublicæ Romanæ viris de-
teſtabatur, adeòque indignè ferebat, ut referente eodem Tacito:

Idē Tacit. 3. Ann.

*Quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitus eſ-
ſet, ò Homines, ad ſervitutem paratos, ſive ò togata mancipia: ſcilicet etiā
illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ ſervientium patien-

Idem lib. 1. hiſt. in princip.

tiæ tædebat.* Ipſeque idem Tacitus, Nervæ, & Trajani tempora, ex ra-
ra fœlicitate laudat: *Quòd in illis, & ſentire, quæ velis, & quæ ſentias
dicere licuit.*

Plin. in Panegyr.

Ad eàdemque ipſa reſpiciens Plinius Iunior, & Domitiani tem- 51
poribus contraponens, Trajanum extollit, ſub quo, inquit: *Inter-
rogavit quiſque quod placuit, diſſentire, diſcedere, & copiam iudicij ſui
Reipublicæ facere, tutum fuit. Conſulti omnes, atque etiam dinumerati
ſumus, vicitque ſententia non prima, ſed melior.* Et iterum alio in loco,

Idem Plin. lib. 8. epiſt. 14. ad Ariſt.

eadem contrapoſitione utens, ſub Domitiano ſe *Curiam trepidam, &
elinguem vidiſſe* (ait) *cum dicere quod velles periculoſum; quod nolles, mi-
ſerum eſſet. Quum Senatus, aut ad otium ſummum, aut ad ſummum nefas
vocaretur, & modò ludibrio, modò dolori retentus, nunquam ſeria, triſtia
ſæpè cenſeret, Breve tempus* (ſcilicet ſub Trajano) *nam tanto brevius
omne quāto felicius, quo libet ſcire quid ſcimus, libet exercere quod ſumus.*

Caſsiod. lib. 8. epiſt. 9.

Caſsiodorus quoque, ſub Athalarici nomine, Tolonicum laudat, 52
quòd cum ipſius avo à Conſilijs fuiſſet, ſæpè in illis ei contrarius exi-
ſtebat, & ipſum pariter avum, quòd hoc patienter tolerabat. Eius ver-
ba ſunt hæc: *Amaſti in audiendo patientiam, in ſuggeſtione veritatem; ſæ-
pè quæ ad eum falsò pervenerant, recti ſtudio corrigebas, & quod ...arum*

con-

confidentiæ genus eſt, interdum reſiſtebas contra vota Principis, ſed pro opinione Rectoris. Patiebatur enim invictus ille præiijs, pro ſua fama ſuperari, & dulcis erat iuſto Principi, rationabilis contrarietas obſequentis.

53 Poſſemque facilè plura alia tũ Principum, tum Senatorũ hanc libertatem, & veritatem in dicendis ſententijs amantium, timentium, vel impedientiũ, exempla referre, niſi longè multa, vel ex ſolo Tacito colligi poſſent, & iam plura ad ſaturitatem à Iano Langlæo congeſta reperiantur. Inter quæ illud Criſpi Senatoris, à Iuvenali meritò reprehenſi, qui ad longam uſque ſenectutem pervenit, nunquam quicquam, (ut & hodie multi, proh dolor facere ſolent) etiam cõtra animi ſui ſententiam proferre audens, niſi quod Principibus gratum, & ſibi expediens eſſe cenſeret, Iuvenalis verba ſunt hæc:

Langlæus lib. 7. ſemeſt. cap. 6.

Iuven. ſatyr. 4.

--------- *Venit & Criſpi iucunda ſenectus*
Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem: nec civis erat, qui liberè poſſet
Verba animi proferre, & vitam impendere vero.
Sic multas hiemes, atque octogeſsima vidit
Solſtitia, his armis, illa quoque tutus in aula.

54 Longè planè aliter ac M. Cato apud Suetonium, Scævola apud Briſſonium, Valerius Meſſalla apud Tacitum, Q. Capitolinus apud Liviũ, quos nec Iulij Cæſaris, nec Syllæ, nec Tiberij, nec Populi graves comminationes perducere potuerũt, ut in his quæ ad Rempublicã pertinerent, conſilio niſi ſuo uterentur, vel cum periculo offenſionis. Quibus non poſſum non Helvidium Priſcum aducere, ſummè ob cõſtantiam in eiuſdem veritatis, & libertatis ardore, quam Græci *Parreſiam* dicunt, à Cornelio Tacito, & Plinio Iuniore laudatum, & tandẽ a Veſpaſiano interfici iuſſum, licèt ſtatim, irrito tamen voto, ut Suetonius narrat, illũ ſervare voluerit. Inter cuius hac de cauſa altercationes, notabilis, & ſcitu digna eſt illa, quæ ab Arriano his verbis refertur, *Hic, cum ad eũ Imperator Veſpaſianus dixiſſet, ne in Senatũ amplius veniret. Penes te eſt, reſpondit, ne me Senatorem patiaris, quamdiu autẽ me loco non moves, eſt in Curiam mihi veniendũ. Age, at ingreſſus taceto, ait Imperator. Ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum; & mihi dicendũ, quod putavero rectum. Verùm ſi dixeris, occidam te. Quando ego dixi me immortalem eſſe? Tu tuum facies, Ego meum. Tuum eſt occidere, meum mori, non trementem. Tuum relegare, meum exire non triſtem.*

Suet. in Iul. Cæſ. c. 14. Briſſ. 2. antiq. c. 1. Tacit. 1. Annal. Livius lib. 3

Tacit. lib. 16. Ann. & init. lib. 4. Hiſt. Iuven. ſaty. 5. Plin. Iun. lib. 4. epiſ. 21.

Sueton. in Veſpaſ. cap. 13.

Arrian in diſſert. Epict. lib. 1. c. 11.

55 Hæc iſte immortalis Heros, cui pares, licèt paucos reperiam, plurimos opto, qui vel hoc exemplo diſcant: *Nulla magis omnibus diſplicere, quàm quæ ſic fiunt, tanquam omnibus placeant*; ut Plinius Iunior, hac de re agens, ſubiecit. Et melius eſſe pro veritate pati ſupplicium, quã pro adulatione recipere beneficium, atque, ut Eccleſiaſticus monet: *Non eſſe verbum retinendum in tempore ſalutis, neque abſcondendam Sapientiam in decore ſuo.*

Plin. Iun. in Paneg.

C. nemo peritorũ 81. 11. q. 3. Ego 2. to. lib. 4. c. 12. ex n. 30.

Eccleſ. cap. 4.

56 Inde Sapiens ille Rex Aragonum Alfonſus, referente Panormitano, illos ſibi, Conſiliarios chariſsimos eſſe dicebat, qui eum nõ magis timerent, quàm Deum. Et Fridericus Imperator, Beyerlinchio, & alijs

Panorm. lib. 3. Beyerli. in Apoph. pag. 158. Camer. 2. cent. pag. 202.

narrantibus,valdè exoptaſſe fertur, ut ſui Conſiliarij in ingreſſu Palatij ſimulationem, & diſsimulationem deponerent. Et Cardinalis Paleotus hoc præſtari debere docet,& multis teſtimonijs illuſtrat, etiam ſi Conſiliarius ſciat, ſe in ſua ſententia ſolum permanſurum. 57

Paleot.de ſacro Conſiſt.3.p.q.7. pag.128.

Plin. Iun. epiſt. 9. lib.2.

D.Aug.lib.10.Cõfeſſ. c.23. Salaz.in Proverb.c.8. n.28 c.16.n.56.& c.10 ex n.69.

Præſertim cum experientia oſtendat, & rectiſsimè à Plinio Iuniore tradatur,quòd *Licèt fides in præſentia, quibus reſiſtit,offendere videatur, deinde illis ipſis ſuſpicitur, laudaturque.* Odium quippè, quod veritas parit,non eſt durabile,cum non tam partus,quam abortus ſit, ut D.Auguſtinus a noſtro Salazario laudatus, & explicatus, ſapientiſsimè docuit, apud quem plura, qui velit, de vi, & effectibus veritatis legere poterit.

Curt.lib.3.c.24.

Quam tamen (ut iam receptui hac in cõmentatione canamus) pru- 58
dentes Senatores, & Conſiliarij,cæterique,qui in Regum aulis miniſtrant,ita eis proponere,ſuadereque debent, ne nimia libertate, aut dicacitate, quos flectere nituntur,infringant, atque aures,& animos, quos lenire cupiunt,exaſperent. Hephæſtionem imitantes,de quo Q. Curtius enarrat,ita Magno Alexandro chariſsimum fuiſſe,ut libertatis in eo admonendo alius ius non haberet: *Quod tamen ita uſurpabat, ut magis à Rege permiſſum,quàm vindicatum ab eo videretur.*

Seneca epiſt.94.

Tacit.4.Annal.

Exaſperat enim libera,aut immodeſta correctio,& ut Seneca conſulit: *Liberius emendare,non admonere, ſed offendere eſt,nec tantùm videndum eſt, an quod dicitur verum ſit? Sed etiam,an veri patiens,cui dicitur?* Cui conſonans Tacitus inquit: *Contumacius loqui, non eſt tutum apud aures ſuperbas,& offenſioni promores.*

Schild. exerc. in xv. ann. Tacit. pag.92.Plin.inPaneg.ad Trajan.

Tacit.in Agricola.

Hincque ſunt, qui exiſtiment, orationes Panegyricas Principibus 59
factas, ut leniter nimirùm in eorum animos veritas influeret, & ſub laudum, gratiarumvè agendarum prætextu, eis ob oculos recognoſcendum proponeretur, quid orbis à tam ſublimibus dignitatibus expectaret. Non eſt enim,ut præclarè Tacitus monet: *Contumacia, neque inani iactatione libertatis, famafatumque provocandum,* quin potius,ut ſtatim ſub ſoceri ſui Agricolæ exemplo demonſtrat: *Scire debent,quibus moris illicita mirari, poſſe etiam ſub malis Principibus magnos viros eſſe: obſequiumque, ac modeſtiam, ſi induſtria,ac vigor adſint,eò laudis excedere, quò plerique per abrupta,ſed in nullum rei p. uſum,ambitioſa morte inclaruerunt.*

Idem 14. Annal.

Idem 4.Annal.

Idem Ann.6.

Certè enim apud eundem Tacitum Pæto Thraſeæ rigidæ honeſta- 60
tis exactio: *Quia cunctas adulationes tranſmiſit, ſibi cauſam periculi fecit,& exitium Senatui,cæteris initium libertatis non præbuit.* Prudentiuſque,eodem Auctore teſtante, M. Lepidus, & Lucius Piſo ſe habuiſſe videntur. Quorum ille: *Pleraque abſævis adulationibus aliorum in melius deflexit, neque tamen temperamentis egebat, cum æquabili auctoritate, & gratia apud Tiberium viguerit.* Ille, *Nullius ſervilis ſententiæ ſponte auctor, quoties neceſsitas ingrueret, ſapienter moderabatur.*

Philoſt.de vitis Sophiſt.lib.2.

Vnde Philoſtratus Dionis orationes ex eo valdè commẽdat,quòd quoties impotentes,ac inſolentes Reſpublicas increpat,neque cõtumelioſus,neque importunus videtur,ſed perinde earũ,ac equorũ fero

ciam

ciam fræno potius, quam flagello compeſcere. Et Divus Ioannes Chryſoſtomus inquit: *Admonitiones laudationibus temperandæ ſunt: nam hoc modo in bonam partem accipiuntur, cum eos, quos monemus, ad ſuã ipſorum imitationem provocamus.*

D.Chryſoſt. hom. 8.ad Philipp.

58 Divus quoque Iſidorus Peluſiota ſatis longam ſcripſit epiſtolam de modo in corrigendis Principibus adhibendo, quam divini verbi concionatoribus legendam ſuadeo, qui aliquando illum imprudenter, ne dicam impudenter, excedunt, & quos ſanare intendebant, deteriores efficiunt, ut benè Chilenſis Epiſcopus animadvertit, poſt plures alios, qui de eodem miniſterio agentes, idem pluribus probant, quos in unum Ego alibi non ſine diligentia congeſsi, & leges Partitarum, quæ Epiſcopos in hoc parum cautos: *Feridores de palabra*, hoc eſt, *Percutientes*, ſive *Percuſſores in verbis*, appellant. Quorum imprudentiam noviſsimè, & eruditiſsimè carpit Noſter Nyſſenus. Inter alia, has Principum reprehenſiones Pillulis Capitalibus ſimiles faciens, quæ auratæ præberi ægrotantibus debent, & aromatibus abundare, & locum Divi Chryſoſtomi eleganter expendens, qui de Samuelis concione ad populum, poſtquam Saulem in Regem unxerat, ſermonem faciens, ideò inquit: *Se ipſum in ea Samuelem purgare voluiſſe, non ut plauſum, & gloriam captaret, ſed quia Regem creaturus erat, ſub purgationis ſpecie eum erudire voluit, ut lenem ſe, ac placidum præbeat.* Habent quippè Reges guttam, ſive podagram in aure, ut idem Auctor ex Cluniacenſi ſubiungit. Ideòque blandè remedia, quæ ad hunc morbum curandum deſtinantur, adhiberi debent. Ita tamen, ut remedia ſint, & non lenocinia, quibus frequentiùs Aulæ Regum abundant, ut in ſequenti commentatione dicemus; & Petrus Bleſenſis ſic eleganter ſcriptum reliquit: *Frequenter in Palatijs converſantur, qui mollibus, & delicatis auribus Principum etiam in turpibus blando lenocinantur applauſu. Ponentes cervicalia ſub capite, & plumaria ſub omni cubitu manus. Vix invenitur in Curijs, qui non vendat oleum; qui caput peccatoris oleo non impinguet.*

D.Peluſ.lib.4. epiſt.145.

Villaroel in Iudic. c.18.n.9.pag.620.

Ego 2.tom. lib. 3. c.27.ex n.62.

Fr.Did.Nyſſen. in lib.4 de laud. Ioã. Evang.c.7.ex pag. 127.

D.Chryſoſ in 2.ad Corint. 11.homil. 24.

1.Reg.12.

Bleſenſ. epiſt.113.

(* * *)

Adulatores fugiendi.

EMBLEMA L.



Impiger ætherea Cervus fugit ocyor aura,
Ocyor atque Noto, Turturis ala ſecat.
At capitur Cervus, capitur quoq; ab aucupe Turtur;
Dulci ſonos capiens ſtultus uterque dolos.
Te capit, ò Princeps, Te faſcinat improbus ille,
Blandicijs pleno gutture dulce ſonans.

COMMENTARIVS.

QVI veritatem adeò cupiendam, atque amandam Principibus dixi, ſatis ſimul dixiſſe videri potero, quo ſtudio Adulationem, ei omninò contrariam, fugere debeant, & tam in ſuis Conſiliarijs, quàm in cæteris Aulicis, inſectari. Cæterùm quoniam hæc lues in ima eorum præcordia frequenter obrepit, & fallaci laude ſeducit, arbitror è re eſſe, ſi ex multis quæ de eius cautione, & deteſtatione à multis paſsim tradita ſunt, aliqua ſubtexuerim, quibus longè procul à ſuis Palatijs eliminandã ſuadeam, ubi magis quàm alibi cõmorari, vel ipſum ipſius nomen oſtendit, quòd ſecundùm aliquos, non tam ab *Adlaudando*, quàm ab *Adauladando* ſumtum videtur, quòd in Aulis perverſum hoc aſſentationis, & lenocinationis vitium exerceri, ac dominari potiſsimè ſoleat, & nocentiore effectus producere. 1

Plut. de dignit adulat. Senec. lib. 8. epiſ 3. Rob. ſerm. 12 Sarisb. in Policrat. li. 3. Bruſſon. lib. 5. c. 9. Theatr. verb *Adulat*, Fileſ. c. de idol. polit c. 2. & alij paſſim.

Vnde illud Alciati: 2

Alciat. Embl. 35.

Regia quem morem Principis omnis habet.
Et quod in Proverbij Salomon dixit: *Stellio nititur manibus, & mo-* Proverb.30.28.
ratur in ædibus Regum. Quo ſymbolo, ut poſt Expoſitores ibidem,
Noſter Saavedra Fajardus obſervat, Adulatores exprimere voluit, Saaved Empr.48.
qui huic animali ſimiles ſunt, (de cuius natura multa Ariſtoteles, & ex pag.322. quem
Plinius ſcribunt) circa aularum quippè fores, & forium cardines ver- etiã vide pag.306.
ſari conſuevit, coloremque & pellem facilè mutat, varijſque alijs do- Ariſt.de hiſt.anim.
lis techniſque utitur, quæ Iuriſconſultis cauſam dederunt, ut doloſum Plin.lib.30.c.10.
fraudatoriumque omne crimen, quod proprium nomen non haberet,
ſtellionatum appellitarent. L.4.& per tot. D.
3 Idem quoque de eiſdem Adulatoribus Tacitus ſentit, dum inquit: & C.de crim. ſtel-
Iis omnia Principũ honeſta, atque inhoneſta laudare, moris eſſe, cumque ip- lionat.
ſorum potius fortuna, quàm cum ipſis loqui, ita compoſitos, ut ex eventu
rerum adverſa abnuant, vel proſpera agnoſcant, veri copiam non faciã, ſed Tacit. 2.& 11.ann.
ſuſpenſã, & quò ducantur inclinatura, reſpondeant. Et ut Seianus facie- & hiſt.2.& 3.
bat: *Spes ac vota ſua, non prius ad Deos, quam ad Principum aures ſeſe cõ-* Idẽ Tacit. 4.Ann.
4 *ferre teſtentur.* Plinius Iunior, dum aureũ ſub ſuo Trajano ſæculum,
cum ſuperioribus comparans, ita inquit: *Iam etiam, & in privatorũ ani-* Plin.Iun.inPaneg.
mis exoleverat priſcum mortalium bonum Amicitia: Cuius in locũ migra-
verant aſſentationes, blanditiæ, & peior odio amoris ſimulatio. Etenim in Q.Curt.lib.8.
Principum domo nomen tantum amicitiæ inane irriſumque manebat.
5 Et Q.Curtius, eos *Perpetuum Regum malum appellans, quorum opes* Paterc.lib.2.
ſæpius aſſentatio, quam hoſtis evertit. Velleius Paterculus inquiens:
Semper magnæ fortunæ comes eſt adulatio. Nicetas, quòd *Aulæ in perni-* Nicet.in Andron.
ciem ſuã eos alunt; laudatores malorum, bonorũ iuſtitiam ſimulantes. Cõ- lib.7.
ſtantinus Imperator, qui, Aurelio Victore, & Nicephoro Callixto te-
ſtantibus: *Spadonum, atque aſſentatorum in Principum aulis tantus erat* Aurel.Vict.inCõ
hoſtis, ut eos tineas atque ſorices Palatij appellare crebrò ſolitus eſſet. Et ſtant. Nicephor. in
Rex Aragonum Alfonſus I. qui ut refert Panormitanus: *Adulatores* hiſt.Eccl.lib.8.c.5
Peſtem Principum appellare conſuevit, & varijs interdum pœnis, & cru- Panorm. de dict.
6 *ciatibus affecit.* Et cæteris adhuc melius Polybius, ſic inquiens; *Novus* & fact.Alf.I.lib.1.
quippè modus calumniæ inventus eſt, non vituperando, ſed laudando, fa- Polyb. in ſuis hiſt.
mæ ac commodis hominum inſidiari. Quod vitium in aulis Principum or-
tum, uſque adeò inolevit, ut ea loca, tanquàm proprias quaſdam ſedes, ſibi
videatur elegiſſe. Et Petrus Bleſenſis dum ait: *Illi ſoli ad Magnatum gra-* Bleſenſ.epiſt.77.
tiã admittuntur, qui palpant blanditijs, & aures famæ bibulas calice Ba-
bylonis inebriant. Ampliant eos beneficijs quos torquere debuerant, & à
præſumtione adulandi ſupplicijs deterrere. Niceph.lib.10.
7 A quibus non diſſentiens Themiſtius, ut idem Nicephorus narrat, cap.42.
cum videret Ioviani Romanorum Imperatoris Aulam aſſentatoribus
refertam eſſe, perfacetè atque luculenter illos irridens: *Ex moribus*
deprehendi (ait) *purpuram ipſos magis quam Deum colere: nec aliqua re*
ab Euripo differre, nunc huc, nunc illuc, atque in contrarium adeò momen- Socr. in hiſt. Eccl.
tum refluente. lib.3.cap.21.
8 Quod dictum Socrates, Imperatori Iuliano tribuiſſe comperitur.
Et cum eo convenit aliud Regis Alfonſi Aragonij apud Panormita- Panorm. de dict.
num, qui interrogatus, quos ſibi fidos Conſiliarios putaret, eos reſ- Alfonſ.lib.2.

pondit: *Qui non ipſum magis, quàm Deum timerent.*

Multus quoque, & ſatis elegans in deſcribendis palponum ſimula- 9
Iuven. ſatyr. 3. tionibus, & adulationibus eſt Iuvenalis per integrã ſatyram, præcipuè dum inquit:

Quid quod adulandi gens peritiſsima laudat
Sermonem indocti, faciem deformis amici;
Nocte dieque poteſt alienum ſumere vultum,
Concutitur, flet, ſi lachrymas conſpexit amici,
Si dixerit æſtuo, ſudat.

De quorum etiam ridiculis hac de cauſa figmentis, & commentis, 10
Athenæ. lib. 6. plurima, ſatis Lectori iucunda, congeſsit Athæneus infinitæ lectionis ſcriptor. Sed omnes exceſsit perfidus ille Ecebolius Sophiſta, qui, ut Socrat. lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 11. Socrates narrat, regnante Conſtantino, ut gratior eſſet Imperatori, iũgi voluit, inferique commercio Chriſtianorũ. Poſtea regnante Iuliano Apoſtata, aplauſit huius impietati, rurſuſque palam hoſtis factus Chriſtianorum, adiuvit ſæviriam adverſus eos. Sequutus Iovinianus, hunc ut placaret iratum, redijt ad Chriſtianos, Religionum ſpeciem ſemper ad tempora & dominos accommodans.

Et propter gravia damna, quæ ex eiuſmodi adulationibus oriũtur, 11
Ovid. 2. Triſt. meritò Ovidius dicere potuit:

Impia ſub dulci melle venena latent.

Senec. in proverb. Seneca: *Habet ſuum venenum blanda oratio.* Salomõ: *Meliora ſunt amici* Proverb. cap. 27. v. 6. *verbera, quàm inimici blandimẽta; meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.* Iſaias: *Populus meus, qui te beatum dicũt,* Iſai. 3. 12. *ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.* Eccleſiaſticus: *Me-* Eccleſ. 7. 6. *lius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulationibus decipi.*

Eoque progreditur D. Hieronymus, ut eſſe hoſtes, & ſcintillas dia- 12
D. Hier. Proverb. 1. & ſup. Pſalm. boli dicat: & plus nocere linguã adulatoris, quàm gladium proſequutoris. Quos Anaxilas apud Athenæũ, & alios, *Vermes divitum* appellare ſolebat, Diogenes Cynicus, ſive ut alij malũt, Antiſthenes, corvos, Athenæ. Theop. & alij apud Rhodig. lib. 20. cap. 32. & corvis peiores, quoniã hi morticinia tantum modò conſectãtur, illi, etiã num vivos bonoſque laniatu peſtifero ex carnificare non deſinãt. Bion quoque, apud Laërtium, & Plutarchum, interrogatus, quod eſſet animal omnium maximè noxium? *Si de feris* (inquit) *percontaris, Tyrãnus, ſi de mitibus, aut cicuribus, Adulator.*

Laert. lib. 5. cap. 1. Bruſſon. lib. 1. c. 7. Idem Laert. lib. 1. c. 6. & Plutarc. in Apoph.

Hucque reſpiciens Iacobus Billius, ſic habet:

Billius in An. thol. ſacra.

Non inter cicures palpone nocentior ulla eſt
Bellua: nec quæ plus gignat in orbe mali.
Vix etenim eſt ullus, cui non per verba propinet,
Quæ magis ſunt ipſo dulcia melle, necem.
Ac licèt extincto corvus ſe corpore paſcat,
Corporibus vivis abſtinet ille tamen.
Sævior at contra palpo, nec parcit ademtis:
Ac vivos blandis morſibus uſque petit.

Cu-

Cuius ſimilitudinis vis gravior, certiorque redderur, ſi animadvertamus, apud Græcos valdè quoque corvorum, & adulatorum nomē ſimile eſſe, cum ille *Corax* iſte *Colax* vocetur.

13 Sunt etiam qui Canibus, Scorpionibus, Apibus, Harpijs, Hyenis Lupis, Lolligini piſci, & alijs animalibus ſatis appoſitè euſdem adulatores ſimiles faciant, & appoſitiſsimè Auctor Anthologiæ meſſoribus comparat, qui ariſtas, quas una manu cordi ac pectori applicare videntur; altera, admota falce, ſuccidunt.

14 Noſter autem Alciatus, qui cæteris Emblematarijs palmā præripuiſſe videtur, ſub Chamæleōtis illos figura depingit, de cuius natura latè Plinius ſcribit, & ſimiles in utriſque mores his carminibus exprimit, Alciat. Embl. 53. Plin. lib. 8. cap. 33.

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram
Reciprocat Chamæleon:
Et mutat faciem, varios ſumitque colores,
Præter rubrum, vel candidum:
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hianſque cuncta devorat;
Et ſolùm mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici neſcius.

15 Ad quam ſimilitudinem Polypus quoque pertinere videtur, qui ut Plinius, & alij ſcribūt, perſequētibus piſcatoribus ſe ſe petris affigit, & cuicunque petræ adhæſerit, eius colorē corpore imitatur, ne deprehendi queat, & quē demergere parat, amplectitur: unde adulatores, & homines ſua natura verſatiles, quique iuxta illud Pindari: Plin. lib. 9. cap. 29. Lucian. in ſerm. Menal. & Protei.

Proque loco nunc hunc fieri, nunc expedit illum.

Polypos appellari, & Polypi mentem ob itinere dici, pluribus, in his Adagijs, Eraſmus confirmat, qui allegare potuit Philem., Græcum Poëtam non extremi nominis; à Ioanne Fileſaco relatum, qui Tharādrum, Scythiæ feram, in colores mille pilos ſuos convertere, tradit, prout & Aulicos, de quibus loquimur, dum rem ſuam facere cupiunt, præſtare videmus. Eraſm. in Adag. pag. 81. & pag. 344 Fileſac. 2. ſelectar. tract. 1. c. 6. pag. 35

16 Quos etiam pulchrè Plutarchus ſimiæ comparavit; hæc enim cum neſciat domū tueri, ut canis: arare, ut bos: onera deferre, ut aſinus: omniū tamen actiones imitatur, ut recreet. Sic adulator, cū in rebus ſerijs neſciat eſſe uſui, voluptatum miniſter eſt. Qua cōparatione prius uſus fuit Ariſtophanes, ſimias vocans eos, qui plebi aſſentātur, & obſecundāt, & Græco verbo idem ſignificare, *Simiari*, quod *Fallere* indicans. Plutarc. in moral. Ariſtoph. in Com.

17 Hincque item Hadrianus Iunius, oſtendere volēs, Adulatores Reipublicæ graves, & ab ea puniendos expellendoſque eſſe, leonem pingit, ſimiam unguibus diſſecantem; his ſubiectis carminibus: Iunius Embl. 22.

Vt leo, quem cæci vis lancinat effera morbi,
Sentit opem, ſi ſimium edat, citam:
Palponem, & dirum ſycophantam, qui eiicit aula,
Rex, viru Regnum vacat gravi.

Ioachim. Camer. cent. 2. Embl. 8.

Quod etiam Ioachimus Camerarius brevius hoc Diſticho clauſit:

Ipſe ſui eſt morbi Medicus leo. Vos quoque Reges,
Aſſentatores pellite ſponte malos.

Plin. Ælian. de var. hiſt. lib. 1. c. 9. & de animal. lib. 5. c. 39. Philo Strat. in vita Apollon.

Eſt quippe a Plinio, Æliano, & alijs Auctoribus proditum, leoni- 18
bus, quartana, ut ſolent, febri ægrotantibus, nullum potentius præſentiuſque remedium eſſe, quàm ſi ſimijs veſcantur, & earum ſe ſanguine proluant. Vnde dicti Auctores aptè deducunt, Principes, ad leonis imitationem, à morbis, quos in eorum Palatijs impoſtores, aſſentatores, & paraſiti cauſare ſolent, dum ſemper ad gratiam loquuntur, & eorum auribus inſidiantur, nullo melius modo ſanari poſſe, quàm ſi tales peſtes aulis exturbent, & ut alter Augias, ſtabulum repurgent, & cum Hercule, ac Conſtantino, horum Monſtrorum domitores dici mereantur.

Zuer. Embl. 4.

Marcus Zuerius Boxhornius noviſſimè, ut Aulã videamus, Sphin- 19
gem triforme monſtrum, in altero Emblemate cudit, cum lemmate, *Et unus, & omnia.* Sic inſinuans, in Principum aulis, homines eſſe, qui ad omnia ſe componunt, & inſtar Protei, ſe in eas omnes formas mutant, quas ſibi expedire cognoſcunt. Quod invenio etiam apud Iuſtũ Reiſembergium, cum hoc Diſticho:

Reiſemb. in Embl. Polit. 15. pag. 33.

Monſtrum horrendum, informe, ingens, ſed fronte coruſcum,
Sphinx, aulæ ſemper deſidet ante fores.

Burgund. in ling. vitijs, pag. 45. Emblem. 22.

Antonius à Burgundia aliud excogitavit; de Nympha Echo, ad 20
voces hominis reſpondente, & hæc carmina ſubdit;

Quæris adulãtrix, an tecum ſentiat Echo?
Crede; Deæ iurat in tua verba labor.
Dic Plaudo, hæc Laudo, dic Abhorreo, & Horreo reddet
Mima. Stupes? Omnis hoc paraſitus habet.

Idem Embl. 19. pag. 137.

Idem quoque Auctor, Alciati veſtigijs inſiſtens, ſub pictura Cha- 21
mæleontis, ſic habet:

Hæc fera, candoris quæ neſcia, cætera nullam
Non abit in ſpeciem, te, paraſite, notat.
Excipe candorem, ſis omnibus omnia. Rectè:
Omnia ſi verè es omnibus, & nebulo es.

Idẽ Embl. 21. pag. 141. ex Geſnero.

Et iterum, pingens Crocodilum, cuius gingivas trochilus avis blã- 22
dè demulcet, & interim hydrus per ipſius fauces ad intima penetrans, viſcera morſu dilaniat, ita inquit:

Dum mulcet trochilus, ſubit hydrus & ilia vaſtans,
Rodit inexpleta te, Crocodile, fame.
Mulcet adulator? ſcelerum ſubit hydrus, & acti
Dilanians morſu viſcera, fert animam.

Schoonh. Emb. 39. pag. 120. Plin. lib. 8. cap. 25.

Florentius Schoonhovius ſub pictura eiuſdem Crocodili, qui, ut 23
Plinius ait, Nili animal, terra pariter, ac flumine infeſtum, quem dilacerare ſtatuit, inſequentẽ fugit, fugientem ſequitur, & ut facilius hominem fallat, eo conſpecto, lachrymas ſolet emittere. Vnde in Ada-

gio

gio eſt, *Crocodili lacbrymæ*; diffidendum ab his Aulicis palponibus monet, & vel nihil illis credendum, vel ſuſpectos habendos, nec enim fruſtra Tragicus exclamavit, [Eraſ. in hoc Adag pag.]

O vita fallax abditos ſenſus geris. [Senec.]

Et Mimographus dixit, [Pub. Syrꝰ in Mim.]

Malus, ubi ſe bonum fingit, tunc eſt peſſimus.

24 Horoſcius Covarruvias Mercurium pingit, Argum, licèt centoculum, ſuo modulamine dormire facientem, ut ei poſſet vaccam ſufurari, aitque, ſub hac fabula adulatores intelligi, qui ſuis blandimentis Principum oculos & mentes excæcant: [Horoſc. Embl. 13. lib. 2. fol. 25.]

Que al mas deſpierto engaña de ligero,
El dulce ſon del falſo liſongero.

Subditque ex Xenophonte, Sirenum cantus apud Homerum, Mythologicè de eiſdem adulationibus accipiendos. [Xenoph. de fact. & dict. Iſoc.]

25 Ego verò ex multis quæ poſſem, hoc, quod cernis, Emblema ſelegi, cæteris (iudicio meo) ad rem, de qua agimus, congruentius, ex naturali turturum aliarumque avium, & cervorum proprietate deductũ, quos quaſque, ex Plinio, & alijs Auctoribus notum eſt, ab aucupibus, & venatoribus, fiſtulis, & alijs inſtrumentis muſicis, ita in fatuari, ut volatum, ac curſum oblivifcantur, & facili negotio ſe capi & cõprehendi ſinant; prout & illis contingit, qui ſe blandis adulatorum vocibus, doloſiſque concentibus deliniri mulcerique patiuntur. Quod inter ſua Hieroglyphica iam pridem Pierius Valerianus inſeruit, & ante eum ſatis inſinuavit Dionyſius Cato, in uno ex ſuis Diſtichis dicẽs: [Plin. lib. 8. cap. 32.] [Pier. lib. 53.]

Noli homines blando nimium ſermone probare, [Cat. in Diſtic. li. 1.]
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Et ille, qui id ipſum, ſub leoninis, quos vocant, verſibus ita complexus fuit,

Non benè creduntur, nimium qui blanda loquuntur,
Decipiuntur aves, per cantus ſæpè ſuaves.

26 Et de Cervis agens, aliud Emblema formavit Iacobus Bruchius, cervum depingens, veloci ſuo curſu uti nitentem, fruſtra iam tamen, ac tardè, pedibus, ac manibus illaqueatis. Carmina, quibus illud donavit, hæc ſunt: [BrucK. in ſymb. 27.]

Fide, vide tutò cui poſſis fidere: ſæpè
Nomen amicitiæ magna pericla tulit.
Inſidias fugeret cervus, ni ſponte dediſſet
Stringendos, vocis captus amore, pedes.

27 Paſtinacas quoque, Murænas, Paguros, Thriſſos, & alios piſces, eodem aſtu, ac cantu facilè à piſcatoribus capi, latè Ælianus recenſet, à quo habuit Nicolaus Cauſinus, hinc inferens, tales eſſe, qui ſe blandis adulatorum vocibus commodant, ridendoque in exitium ruunt, & quod ait Satyricus, [Ælian. lib. 1. de anim. c. 39. & lib. 6. c. 31. & 32.] [Cauſin. in Poliſth. ſymb. lib. 8. c. 60. pag. 463.]

Non unquam reputant, quanti ſibi gaudia conſtent.

Pla-

28 Planè in ſerpentibus,& aſpidibus idem contingit,ſed hæ quia prudentiores ſunt in ſua generatione, ne cantibus & veneficijs hominum illaqueentur, extremo caudæ ſuas aures obturant, & naturali inſtinctu,ſuam conſervationem edoctæ, ſe adverſus incantatores præmuniunt,ut Regius Pſaltes his verbis oſtendit:

David Pſal.57.5.6

Furor illius ſecundum ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter. Quo loci eas ſurdas appellat, non quòd natura ſint ſurdæ;ſed quòd ſeco,quo dixi,modo ſurdas efficiant.

29 Quem pariter Reges cæterique Magnates ſervare debent, vel lõgè à ſuis auribus,atque aulis omne aſſentatorum, palponum,ac paraſitorum genus ablegare. Alioquì enim,velint,nolint,horum incantationibus ſubiacebunt, quas ob humanæ naturæ fragilitatem cæcumque amorem ſui, pauci ſunt qui non gratanter accipiant, & illud Senecæ documentum veriſsimum eſſe proprijs periculis experiantur:

Senec.epiſt.60.

Citò nobis placemus, ſi invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudẽtes, qui ſanctos. Non ſumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio ſine pudore congeſsit, tanquam debitum prendimus, optimos nos eſſe,& ſanctiſsimos affirmantibus aſſentimur; cùm ſciamus ſæpè illos mentiri. Adeòque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id,cuius contraria maximè facimus. Et iterùm:

Idem lib.4. natur. quæſt.

Habent hoc in ſe naturale blanditiæ, etiam cum reiiciuntur placent, ſæpè excluſæ,noviſsimè recipiuntur.

30 Quæ loca neſcio an viderit, ſed certè ſatis premit Divus Hieronymus,ſive,ut alij putant Paulinus,in illa epiſtola,quæ ad Celantiam inſcribitur,inquiens:

D. Hieron. epiſt. ad Celant.

Adulatorum quoque aſſentationes, & nota blandimẽta fallacia, velut quaſdam peſtes animæ fuge. Nihil eſt, quod tam facilè corrumpat mentes hominum; nihil quod tam dulci, & molli vulnere animã feriat. Vnde & quidam Sapiens ait, verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. &c. Quæ eſt tanta levitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conſcientia, alienam opinionem ſequi, & quidem fictã, atque ſimulatam? Rapi vento falſæ laudationis, gaudare ad circumventionem ſuam, & illuſionem pro beneficio accipere. Rurſuſque alio in loco ſic habet:

Idem Hier. in epiſ. 22. ad Euſtoch.

Naturali ducimur malo, adulatoribus noſtris libenter favemus, & quamquam nos reſpondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam intrinſecus anima lætatur.

31 Atque hoc planè eſt quod Salomon conſulit,inquiens:

Salom.Prover.1. 10.

Si te lactaverint peccatores, non acquieſces eis; quod ſecundùm Bedam, & alios Expoſitores,idem eſt,ac ſi diceret,non eſſe acquieſcendum Adulatoribus, qui nos ad mala perpetranda ſuis blandimentis pelliciunt, & commiſſa, favoribus, & laudibus proſequuntur. Quibus præiſſe videtur Divus Gregorius Magnus, eandem expoſitionem his verbis, valdè ad rem noſtram conducentibus, ſequens, & ornans:

D.Gregor.lib.4. Moral.cap.25.

Hinc fit, ut inceſſanter creſcat culpa favoribus nutrita: curari enim vulnus negligitur, quod dignum laudibus videtur. Vnde benè per Salomonem dicitur, ſi te lactaverint peccatores, &c. Peccatores enim lactãt, cùm vel perpetranda mala blandimentis ingerunt, vel perpetrata favoribus extollunt.

In

32 In eandem ſententiam, poſtquàm plura contra adulationem in ſuo illo elegantiſsimo Centone Policratici, Ioannes Sarisberienſis Carnotenſis Epiſcopus cumulavit, ſic loquitur: *Populum qui ſibi credat habent aſſentatores, qui de ſe magis alienæ linguæ acquieſcat, quàm propriæ iudicio conſcientiæ, dum ſe ipſum quilibet extra ſe quærit, & noſſe dedignatur, quàm ſit ſibi curta ſuppellex. Nil enim quod credere de ſe non poſsit cùm laudatur, non modo Dijs æqua poteſtas, ſed quæcunque anima de fermento ſuperbiæ intumeſcit.* Policrat. lib. 3. c. 4.

33 Suum quoque calculum ſuprà dictis adiicit Caſsiodorus, dum inquit: *Adulatio blanda omnibus applaudit, omnibus ſalve dicit. Prodigos vocat liberales; avaros, parcos, & ſapientes: laſcivos, curiales; garrulos, affabiles; obſtinatos, conſtantes; pigros, maturos, & graves. Hæc ſagitta leviter volat, & citò infigitur.* Et Petrus Bleſenſis, ſic inquiens: *Illud etiam apud Palatinos plurimum promovet conditionis adulatoriæ ſortem, quod etſi non omnes laudem appetant, nemo tamen renuit, aut contemnit oblatam.* Caſsiod. Bleſenſ. epiſt. 77.

34 Neque omitti poteſt Petrus Ravenas, qui Palatia Principum, & adulationis damna plenius adhuc deſcribens, hæc in verba prorupit: *Eliminat à Palatijs adulatio veritatem. Illi ſoli in Magiſtratuum gratiã admittuntur, qui palpant blanditijs, & aures famæ bibulas calice Babylonis inebriant. Benè cum Magnatibus ageretur, ſi ſcirent inter adulationem, & laudem diſtinguere; ſed cæca laudis ambitio, plus credens alijs de ſe ipſo, quàm ſibi, utrumque decipit indiſtinctè; Amplians eos beneficijs, quos torquere debuerant, & a præſumtione adulandi ſupplicijs terrere. Mordaciſsimus detractor in abſentia nihil principaliter proponit, niſi quod placere exiſtimat. Verba oris eius iniquitas & dolus: cum enim ſal correctionis in omni ſacrificio acceptetur à Domino, mel in omni ſacrificio reprobatur.* Petr. Ravenas in quadam epiſtola.

35 Et relictis innumeris alijs, quæ de cognoſcenda, cavenda, & deteſtanda Adulatorum aliorumque Aulicorum conditione, & quàm ſit, ac ſemper fuerit frequens, damnoſa & antiqua hæc in omnibus Palatijs Principum peſtis, ultra Policraticum omninò legendum, noviſsimè, & latiſsimè Canonherius, Lipſius, Fileſacus, Schildius, Buxhornius, & alij paſsim adducunt, audiant illi, vice ac voce omniũ precor, Marcum Prætorium, his eoſdem carminibus admonentem:

Sit procul à noſtri generoſa Principis aula
Mollis adulator, veri ſimulator, & arte
Palponum inſtructus; fictos qui ſumere vultus
Albaque de nigris, deque albis nigra viciſsim
Verborum phaleris, & fando reddere norit.
Hoc hominum exitiale genus, quam ſæpè ruinas
Regibus, & Regnis peperit cladem que ſupremam.
Has tibi technas, latebroſi has pectoris artes
Indagans noſter Princeps, fraudiſque doliquè
Iam gnarus, faciles non det gnathonibus aures.

Policrat. de Curn. lib. 3 per tot. Canonher. in Aphor. Polit. ex pag. 853. ad 874. Lipſius in monit. polit. Fileſac. 2 ſelectar. in Eurip. ſæc. cap. 6. & ſeqq. & de Idol. pol per tot. Schild. ad Tacit. exercit. 5. Buxhor. Embl. 4. Camer. 1. tom. ſubciſ. cap. 87.

M. Prætorius de Princip. prud. lib. 2.

Nec temerè hunc credat, ſibi qui blanditur, amicum,
Qui ſemel aſtuta te voce fefellerit, idem
Fallendi fuerit quoties occaſio fallet.

Dio Chryſoſt. orat. 3. de Regn.

Quòd ſi fortè proletarios monitores dedignentur, & claſsicos, 36
aut Baſilicos ambiant, audiant Dionem Chryſoſtomum, qui adulatores eiuſcemodi per ſimiles eſſe contendit ijs, qui probam monetam adulterare, vel falſum teſtimonium dicere ſolent, quos tot leges ſeveriſsimè damnant.

Curt. lib. 8. cap. 20. optimè Senec. lib. 8. epiſt. 3.
Plutarch. in vita Alexand.

Audiant Alexandrum Magnum, qui cũ ab aſſentatoribus ſeductus, 37
ſe Deum exiſtimaret, tandem gravi vulnere ſaucius, ebrium impoſturam agnoſcens, in hæc verba, referente Curtio, prorupit: *Se quidem Iovis filium dici, ſed corporis ægri vitia ſentire.* Sive ut Plutarchus ait, verſum Homeri uſurpans, cuius librum ſibi familiariſsimum habuit:

Hic ſanguis non dijs, ut ſolitus manare beatis.

Homer. Iliad. 5.
Iulian. Imp. in Miſopog.
Senec. epiſt. 7.

Audiant Iulianum Imperatorem, aulæ peritiſsimum, dicentem: *Eos* 38
qui ſimulatione aulica laudant, maiore odio proſequi, quàm inimiciſsimo, Principiſque naturam optimam à proximis depravari. Siquidem teſte Seneca, malignus comes, quamvis cordato, & ſimplici, rubiginem ſuã affricat.

Vopiſc. in Aurel.

Audiant Flavium Vopiſcum quærentem, quæ res quidem malos 39
Principes faciat? ſibique reſpondentem: *Iam primum nimia licentia, deinde rerum copia; Amici prætereà improbi, ſatellites deteſtandi, Eunuchi avariſsimi, Aulici, vel ſtulti, vel deteſtabiles, & (quod negari non poteſt) rerum publicarum ignorantia.*

Maffeus Barbar. in ſuis carmin.

Audiãt denique ſumma, quibus ſcribimus, Culmina, Vrbanũ VIII. 40
Pont. Max. qui pro meritis ad ſummum dignitatum culmen aſcendit, & hæc ferè, quæ diximus, omnia, hoc elegantiſsimo carmine, veluti in compendium redegit:

Cui ſenſa mentis providus abdita
Rex credat? aut quos caverit? omnium,
Sincera, ſeu fallax, eodem
Obſequio tegitur voluntas.
Fugit Potentum limina veritas
Quamquam ſalutis nuntia: nauſeam
Inviſa proritat, vel iram,
Sæpè magis iuvat hoſtis hoſtem.
Ictus ſagitta Rex Macedo, videt
Non eſſe prolem ſe Iovis. Irrita
Xerxem tumentem ſpe, trecentis
Thermopylæ cohibent Sariſsis.
Docentque fractum clade, quid Aulici
Sint verba plauſus. Vt nocet, ut placet

Stillans Adulatrix latenti
Lingua favos madidos veneno.
Hæc in theatri pulvere barbarum
Infecit atro ſanguine Commodum,
Probriſque fœdavit Neronem,
Perdidit illecebris utrumque.
Artes nocendi mille tegit dolis
Imbuta: Quis tam lynceus aſpicit
Quid vitet? Intentus canentis
Mercurij numeris ſopore.
Centena claudent lumina, ſenſibus
Abreptus, aures dum vacuas melos
Demulcet, exemplum peremtus
Exitij grave præbet Argus.

43 Quæ cum ita ſe habeant, par eſt ut Principes, tot teſtimonijs, & exemplis moniti, atque muniti, tandem agnoſcant, bonum quidem eſſe laudari, ſed præſtantius, eſſe laudabiles; *Peſſimumque* (ut Tacitus inquit) *inimicorum genus, adulatoriè laudantes*; quorum blandam orationem, non ex animo proficiſcentem, ſed ad gratiam compoſitam, Diogenes apud Laertium, melleum laqueum vocare ſolebat. Neque eo, ut noſtri Emblematis aves, & cervi, irretiantur, ſed irritentur potius, & exaſperentur, ubi doloſum ſenſerint melos, ut leopardus facere ſolet, de quo quidam poſt Geſnerum noviſsimè dixit: Tacit. in Agric. Laert. lib. 6. Geſner. de quadr. & Burgund. in vitijs ling Emb. 33. pag. 73.

Efferat hanc crebro vox quoque blanda feram.

Et, ut Æneas Sylvius Sigiſmundum Imperatorem feciſſe commemorat, dum uni ex ſuis Proceribus, ſe ſupra modum laudanti, & Dijs ſimilem eſſe dicenti, alapam inflixit; quærentique illi: *Cur me cedis? Cur tu me mordes?* Imperator reſpondit. Æn. Sylv. in notis ad Panorm. lib. 1.

44 A quo non abſimilis, invictus, & in omnibus Maximus, noſter Carolus V. cum per Lutetiam tranſiens, honorificentiſsimè exceptus, & in publica concione valdè laudatus eſſet, oratoris benevolentiam rependit; laudes verò ſibi tributas, non tanquàm veras, ſed tanquàm commonitorias, qualis ipſe eſſe deberet, prudenter & humanè, ſe ſuſcipere dixit. Cithræus, & alij in vita eiuſd. Caroli.

45 Ac planè quia pauci ex Regibus eo ſunt ingenio, ut vera audire ſoleant, vel cupiant, veluti in proverbium illud Carneadis abijt: *Nihil ab eis rectè diſci, præter artem equitādi*; proptereà quòd ſolus equus, quoniam Principis, aut plebei diſcrimen non ſentit, adulari neſcit, & à ſe omnem ſeſſorem excutit, qui benè eius dorſo inſidere non noverit. Quò haud dubiè reſpexit Alciatus, dum nobili ſuo Emblemate *Adulari neſcientes*, per ferocem equum, & ei inſidentem hominem ſignat, his ſubiectis carminibus: Plut. de dignoſc. adul. Minoes ad Alciat. Emb. 33. Alciat. Embl. 35.

Scire cupis dominos toties cur Theſſalis ora

Mutet,& ut varios quærat habere Duces?
Neſcit adulari,cuipiamvè obtrudere palpum:
Regia quem morem Principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus ſonipes,dorſo excutit omnem,
Qui moderari ipſum neſciat Hippocomon.
Nec ſævire tamen Domino fas: ultio ſola eſt,
Dura ferum ut iubeat ferre lupata magis...

Stob.ſerm.46.
Panorm.lib.3.

Et ob eandem etiam cauſam Demetrius Phalereus apud Stobæũ, 46
Ptolomæum Regem hortatur,ut libros de Regno ſcriptos,emeret,ac
legeret; & Rex Aragonius Alfonſus apud Panormitanum, optimos
Conſiliarios, & quibus magis delectaretur, *Mortuos* eſſe dicebat, de
eiſdem nimirum libris intelligens, quia adulari neſciunt, & ſine me-
tu,ſine gratia, ſine fuco, omnia quæ ab illis audire, vel diſcere volu-
mus,fideliter & candidè nobis aperiunt, & ut benè in quadam epiſto-
la addit Eraſmus: *Arcana ipſi ſua celant nunquam,commiſſa ſumma cum*
fide continent, nihil foras, quæ liberius inter familiares ſolemus, renun-
tiant: vocati præſtò ſunt, invocati non ingerunt ſe ſe: iuſſi loquuntur, in-
iuſſi tacent: loquuntur quæ voles, quantum voles,quod voles: nihil aſſen-
tantur,fingunt nihil, nihil diſsimulant: vitia tua tibi liberè indicant,ne-
mini obtrectant, aut iucunda dicunt, aut ſalutaria, ſecundis in rebus mo-
derantur, conſolantur in afflictis, cum fortuna minimè variantur: in om-
nia pericula te ſequuntur: ad extremos uſque rogos perdurant, nihil ipſis
inter illos candidius.

Eraſm.cent.7. epiſt.12.

Cato lib.1.

Verus quoque liber erit, ſe ipſum inſpicere,& illud Catunculi me- 47
miniſſe,

Cum quis te laudat iudex tuus eſſe memento,
Plus alijs de te,quam tu tibi credere noli.

Cicer. in Lælio, ſive de amicit.

Nam,ut præclarè Cicero docet: *Aſſentatio quamvis pernicioſa ſit,noce-*
re tamen nemini poteſt,niſi ei, qui eam recipit,eaque delectatur. Ita fit,ut
is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè,qui ipſe ſibi aſſentatur, &
ſe maximè ipſe delectat.

Cæterùm quoniam Regiæ domus, non minùs Delatoribus, quàm 48
Adulatoribus,frequentiſsimè patent, & æquè, aut ſæpè gravius, illi,
quàm hi, Regibus & Reipublicæ damnoſi eſſe ſolent, pariter quoque
curare debent, ut hæc hominũ vitia procul à ſuis auribus, & aulis eli-
minent, qui nulla neceſsitudine cogēte, ſuis commodis,vel odijs,aut
invidijs deſervientes, ex optimorum calamitate ſua incrementa ve-
nantur,& falſa pro veris facundè,& artificiosè ſuggerentes,& ſuadē-
tes,tot excellentes,& divina virtute viros, invidiæ Principum, quaſi
victimas, obiecerunt,ut multis alijs omiſsis, in Boëtio,& Symmacho
eius ſocero, ſub Theodorico Gothorum Rege contigiſſe ex Proco-
pio, & alijs, latè Camerarius recenſet. Addens qualiter Symmachi
ſpectrum,eidem Theodorico apparuerit, ciuſque minantibus oculis,
& monſtroſa viſione territus,ſuccubuerit.

Procop.in Gothic. lib.1. fol.167. Camerar.3.ſuccifsiv. cap.56.

Ho-

49 Horum Delatorum ſub Tiberio, Domitiano, & alijs Romanis Imperatoribus, dolos, artes, impoſturas; & damna hinc paſsim exorta, graviter in ſuis Annalibus Tacitus refert & dolet: *Genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coercitum*, quodã in loco eos vocans: & in alio, *Exitiabile, & vel ad primores Senatus, cũ communi bonorum omnium confuſione, & intimidatione protenſum*. Et iterum in vita Agricolæ, tradens, quòd ſub anterioribus Principibus per has inquiſitiones, & loquẽdi, & audiẽdi commerciũ ademtũ erat.

Tacit. 4. & 6. Ann. & alibi paſsim.

Idem in Agricol. in Præfat.

50 Et ſanè actum eſſet ob hanc luem de magnitudine Romana, niſi Trajanus, laudatiſsimus Princeps, eius damna præſentiens, hoc inteſtinum malum excinderet, exemploque ſuo cæteris, qui laudabiles eſſe cupiunt, exemplum relinqueret; delatores veluti piaculares publicæ ſollicitudinis victimas, in bonorum omnium exultationem, ſuprà ſanguinem noxiorum, ad lenta ſupplicia, gravioreſque pœnas duci debere. Quod factum referens & extollens Plinius Iunior, ſic inquit: *Congeſti ſunt delatores in navigia raptim conquiſita, ac tempeſtatibus dediti, abirent, fugerentque vaſtatas delationibus terras; ac ſi quem fluctus, & procellæ ſcopulis reſervaſſent, hic nuda ſaxa, & inhoſpitale littus excoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictaque poſt tergum totius humani generis ſecuritate, mœreret.*

Plin. Iun. in Paneg.

51 Trajanum in eodem ſupplicio Titus præivit, ut Suetonius in eius vita commemorat; & ad hunc, vel ad illum reſpicit Martialis in ſuo Amphitheatro dum inquit:

Suet. in Tito, c. 8.

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ ſemper miſeras ſollicitabat opes;
Traducta eſt Getulas (alij legunt Gyaris) *nec cœpit arena nocentes;*
Et delator habet, quod dabat exſilium:
Exulat Auſonia profugus delator ab urbe,
Impenſis utinam Principis annumeret.

Martial. in Amph. epigr. 4.

52 Verùm quoniam de his Delatoribus eorumque apud varios Principes præmijs, vel pœnis alij plura dixerunt, hæc tetigiſſe contenti, ad alia tranſitum facimus, interim tamen duo alia Batilij Emblemata, Adulatores pingentia ac pungentia, & poſt hæc ſcripta reperta, ſuper addentes. Quorum primum ex Lupis Calpentis aſſellum, quem devorare parat, effigie formavit. Alterum verò ad noſtrum Cervum alludens, & hoc Diſticho claudens:

A'ex. Tiraq. Menoch. Dempſter. Oſuald. Cuiac. Petr. Greg. & alij ap. Amaiam in Rubr. C. de delat. lib. 10.

Talis blanda iuvant quem, & dulcia verba morantur
Aſſentatoris captus ab arte perit.

Batil. Embl. 117. & 118.

No-

Novum omne cave.

EMBLEMA LI.



Non niſi pendente laqueo de gutture profert
Locrenſi populo, qui nova iura dabat.
Funis vitam adimit, Patribus niſi dicta placerent,
Præmia ſed pariunt, dicta probata, viro.
O ſi funis adeſt, ſi nex, ſi pœna fuiſſet,
Quàm minor arbitrijs ſedula turba novis.

COMMENTARIVS.

SVSPECTOS quoque, non minùs quàm Adulatores, 1
vel Delatores, cuiuslibet ſortis, ac conditionis homines habere Principes debent, qui facilè ſibi conſtituta Maiorum, quidpiamvè aliud, ad communem Reipublicæ ſtatum ſpectans, vel novis oneribus populum gravans; mutandum, innovandum, ſive introducendum, ſuadent. Nam & hi ſolent ſæpè ſub ſpecie recti decipere, gratiora, quàm veriora ſuggerere, & ſub publicæ utilitatis prætextu, privatis ſuis commodis inhiare, Horatianumque illud, re ipſa, veriſſimum reddere:

Horat. lib. 2. ſat. 3.

------- Poſtquàm omnis res ſua Ianum
Ad medium fracta eſt, aliena negotia curant,
Excuſſi proprijs.

Vel Plautini Paraſiti:

Sed curioſi ſunt hìc quàmplures mali,
Alienas res qui curant ſtudio maximo;
Quibus ipſis nulla res eſt, quam procurant ſua,
Et curioſus nemo eſt, quin ſit malevolus.

Plaut. in Stich. Act. 2. Scen. 1.

2 Hos vulgò *Arbitriſtas*, vocare ſolemus, quorũ naturam, ingenium, & impoſturas, ultra alios, paucis noſter Ioan. Marquez ſatis eleganter perſtringit, inquiens à Palatijs eliminari debere, quia ſæpè ſolent vana, iniuſta, indecentia, vel effectu praxique impoſsibilia, ac ſemper pernicioſa, ſub exiguo præmio proponere; illiſque reſpondendũ eſſe, quod in ſimili, alijs, qui magnos theſauros, parva accepta mercede, ſe detecturos pollicentur, Ennius apud Ciceronem ſcripſit,

Magnas divitias promittunt, & dragma petunt,
Ex ijs divitijs ſibi deducant dragma, reddant cætera.

Marq. in gub. Chr. lib. 1. c. 16. pag. 95.
Enn. apud Cicer. lib. 1. de divin. in fine.

3 Nos, eandem doctrinam æqua lance in cæteris ſuſcipiendã, parique ſtudio ſuſpectandam eſſe, conſulimus, cordatumque quemlibet Principẽ, lento gradu, cautoque admodũ iudicio, in his conſilijs admittendis, vel exequendis progredi debere, monemus, quæ quicquam ex antiquis innovãt: Pro quibus, in dubio utilitatis ac rectitudinis præſumtionem extare, graviter Politicorũ omnium gravis ille Magiſter Tacitus docuit, dum dixit: *Super omnibus negotijs melius, atque rectius olim proviſum, & quæ convertuntur, in deterius mutari.*

Tacit. lib. 14. Ann. vide Lipſ. in polit. lib. 4. c. 9. & lib. 6. cap. 3.
Thucyd. li. 3. Cleoni tribuit Lycoſthenes in Apoph. pag. 442.
Dio Caſs. lib. 52.

4 Vnde Thucydides, eã Rempublicã, quæ malis quidẽ, ſed immotis legibus utitur, præſtantiorẽ illa eſſe inquit, quæ bonis quidẽ, ſed tamẽ mobilibus, & incõſtantibus. Et Dio Caſsi⁹ memorat, Auguſtũ Cæſarẽ ita Senatũ Romanũ exhortatum fuiſſe: *Poſitas ſemel leges conſtanter ſervate, nec ullã earũ immutate: nã quæ in ſuo ſtatu eadẽq; ſemper manẽt, & ſi non nihil vitioſa, utiliora tamen ſunt ijs, quæ per innovationẽ, vel meliora iudicantur.* 5 Caſsiodorus quoque, ſub Theoderici Regis perſona, ſic in quadã epiſtola inquit: *Delectamur vetuſtatis invento, & ſequi regulas conſtitutas libenter amplectimur, quia locus ſubreptionibus non relinquitur, quoties rationabiliter cõſtituta ſervantur.* 6 In idemque ipſum tendit frequens illa apud noſtros IurisConſultos animadverſio: *Nil facilè ex ſolemnibus immutandum, vel quæ interpretationem certam ſemper habuerunt, & in rebus novis ſtatuendis evidentem utilitatem eſſe debere, ut recedatur ab eo iure, quod diu æquum viſum eſt.* 7 Quibus ſexcẽta alia ſimilia cõgerere poſsẽ, quæ paſsim apud alios, tã Leguleios, quã Politicos obvia ſunt. Inter quos Bald. à Menoch. latè illuſtratus, hinc infert, quòd *Omnis novitas mala præſumitur.* Ancharran. quòd *Novitates ſemper pariunt diſcordias, ideò odioſæ, & per conſequens nõ favendũ eis.* Nevizanus, qui, *Eas, filias diaboli vocat, & quòd iudices, ne intrent in infernũ, non debent placere eorum dominis, ſuper novitatibus inducendis.*

Caſsiod. li. 2 epiſ. 4
L. etſi nihil, D. de reg. iur. l. minimè, D. de legib. l. in rebus, de cõ. t. Princ. l. fin. cit. fin. part. 7.
Ego plurimos refero in Alleg. de præced. n. 18. & 2. to. lib. 1. c. 4. ex n. 73. & lib. 2. cap. 30. ex n 99.
Bald. d. l. in rebus.
Menoc. li. 3. præſ. 122. n. 116. lib. 5. præſ. 32. ex n. 2.
Anchar. conſ. 157. num. 8.
Neviz. conſ. 11. n. 3. Morot. reſp. 9. ex n. 21. Valenç. cõſ. 114. num. 28. 146. n 47. 184. n. 6

8 Sed omitti nõ poteſt Tertullianus, ea, qua ſolet alia, gravitate, ac maturitate, nos docens: *Novum omne, & incognitum quod eſt, ſuſpectũ eſt.* Et D. Thomas, qui non contentus, quodã loco dixiſſe, nõ ſolùm evidẽtem, ſed evidentiſsimã, maximãque utilitatem eſſe debere, quæ nos ad

Tertull. de præſcr.
D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1.

Idem d.q.9.art.2.
L.18.tit.1.par.1.
L. teſtamenta 18. C.de teſtam.

res novas tentandas, & admittendas, ſuadeat, in alio, ſic elegãtiſsimè ait: *Lex non eſt mutanda, quoties experientia quippiam melius affert, ni tantum ſit bonũ, ut mala infinita novatio vincat.* Quæ verba ſumta vi- 9
dentur ex lege quadã noſtri Regis Alfonſi X. quæ pariter leges ſolvi mutarivè prohibuit, niſi *La ſobejania, i aſperedumbre del mal, q̃ de ellas ſe experimenta, aventaje una gran partida la bondad del bien, q̃ podia eſperarſe de ſu obſervancia.* Et in idem reſpiciens alia Impp. Arcadij, & Honorij, *Morem fideliſsimæ vetuſtatis* retineri præcepit.

Symmach. lib.10. epiſt.54.
Idẽ lib.10. ep. 47.
D.Aug. epiſt.118.
Dio lib.51.
Caſsiod.lib.12. epiſt 25.

Eiuſque ſolius argumentatione, & veneratione Symmachus, (quã- 10
vis impiè) eoſdẽ Auguſtos ad tolerandã Ethnicorum iam cadentem Religionẽ hortatur, dũ inquit: *Servanda eſt tot ſæculis Fides, & ſequẽdi ſunt nobis parentes, qui ſe quuti ſunt fœliciter ſuos, &c. videro quale ſit, quòd inſtituendũ putetur, ſera tamen, & contumelioſa eſt emẽdatio ſenectutis.* Et iterùm: *Inſitam divinis ſenſibus veſtris ore iuſtitiã, ne adverſum divi Gratiani definitionẽ, adverſus reſcripta tot Principum, novũ hoc indu-*
catis exemplum. Nititurque hoc doctrinà in damnis, quæ Reſpublica 11
ferè ſemper, ex novarum legum, conſuetudinũ, aliarumvè rerum mutationibus, & innovationibus patitur. Quod in cauſa fuit, ut Cornelius Gallus rectiſsimè dixerit:

Eventus varios res nova ſemper habet.

Lucian.var. hiſt. lib.1.fol.mihi 125.
D.Th. 1.2. q.97. art.2.
Balduin.in §. ſed naturalia, n.24.&25. Inſt.de iur.nat.

Et ſignãter D. Auguſt. docere potuerit: *Ipſa mutatio conſuetudinis, etiã quæ adiuvat utilitate, novitate perturbat.* Et Mecænas ad Auguſtum apud Dionẽ: *Optimum eſſe ne nova quidem nomina in Rep. permittere.*

Quibus conſentiens Caſsiodorus: *Plerumque* (inquit) *ſoliciti ſunt,* 12
qui mutatos rerũ ordines intuentur, quia ſæpè protendunt aliqua, quæ cõſuetudini probantur adverſa. Lucianus: *Sed ut videtur, ſæpè numero mutatio in melius, maiorem malorum conſuevit eſſe principium.*

Pet.Greg. de Rep. lib.5.c.1.n.20.

Et D. Thomas: *Lex* (inquit) *non eſt mutanda, quoties experiẽtia quip-* 13
piã melius affert, ni tantum ſit bonũ, ut mala infinita novatio vincat. Balduinus: *Periculoſa eſt quidẽ omnis in Republica legum mutatio. Nam eam ſequitur repentina quædã, & morum & vitæ mutatio.* Petr. Gregorius: *Sæpè cõtingit in Republica, neglecta paulatim quædã immutatio, quæ ſi nõ curetur, & emendetur, ad corruptionem, & interitum facilè eam perducit, fit enim formæ immutatio, & hinc ſequitur eius, quod erat, deſtructio.*

Ariſt.6.pol.cap.6. Canonh.in Aph.1. to.pag.690.&ſeq. Koch.Simanc.Paliarg.Amirat. Valenç. & alij plures apud Me 2 to. de Ind.gub.lib.1. c.4 ex n.73.& lib.2.c.30.ex n.99. Cõtz. 4. polit. c.25. §.9. & 13. noviſs. Saaved.in Id.pol pag.139.Euſeb.in Theopol.pag.466. Cauſin. in Poliſt.li.12. cap.33.ex Pauſ. in Lacon.
Plato in Dialogo de Iuſto.

Vnde inter omnes Politicos, & IurisConſultos, nihil communius, 14
Ariſtotele præeunte, receptũ eſt, quàm Novitates, & Novatores cavendas, cavendoſque eſſe, docere, & longo tẽpore conſuetis, etiam ſi deteriora ſint, perſiſtendum, quia minùs moleſta inſuetis eſſe ſolent. Quod Nicolaus Cauſinus non malè ſignificari poſſe inquit, per citharam Timothei Mileſij Muſici, quam, Pauſania teſtante, Lacedæmonij ad Sciadem ſuſpenderunt, eundem multantes, quòd ſeptem lyræ fidibus, quatuor addidiſſet. Hac veluti parabola ſignificantes: *Nihil in Republica novandum*, ut Plato præmonuit, eiuſdem mentionem faciens, & ſic inquiens: *Novam ne muſicæ formam introducamus, omninò cavendum: in quo periculum ſummum eſt, nunquam enim muſici numeri immutantur, ſine legibus civitatis, iiſque maximis.* De qua hiſtoria latiùs poſt Boëtiũ meminerũt Lilius Giraldus,

&

& Philippus Camerarius, Lacedæmoniorũ de hac re decretũ ad literam referentes, licèt Plutarchus, & alij à noſtro Bobadilla laudati, hunc Muſicum, à Lacedæmonijs exulare iuſſum, *Frinem* appellent; & duas tantùm chordas antiquis citharis addidiſſe tradant.

Lil Girald. in hiſt. Poët dial. 9. Cam. 1. ſubciſ. c. 18. in fi.

15 Nos verò, aptius, ni fallimur, de eiſdẽ Novitatis periculis ſub hoc, quod vides, Emblemate, noſtrũ Principem commonemus, ex Locrenſium more deſumto, qui, ut poſt Demoſthenẽ, plures alij paſsim Auctores enarrant, ad deterrendos ab incœpto Novatores, ſtatuerunt, ne quis novam legem, novumvè aliquod inſtitutum ad populũ ferret, niſi prius inſertò in laqueum collo, illud palã exponeret, ut ſi populo placeret, Auctore laudato, & remunerato, reciperetur, ſin minùs, confeſtim ſtricto laqueo ſuffocaretur, temeritatiſque & inconſultæ innovationis pœnam acciperet.

Plutarc. in Agide. Bobadil. plura alia cõtra novitates adducẽs in polit. lib. 1. c. 13. n. 1. & melius c. 5. n. 9. & 10.

16 Qui ſanè mos, à Perſarũ lege non multum diſcedit, qua, ut Ælianus commemorat, receptũ fuit, ut ſi quis de rebus novis, ambiguiſvè, atq; obſcuris Conſilium Regi dare vellet, ſuper aureo latere ſtaret, atque ſi bona ſalubriaque in mediũ cõſuluiſſe videretur, latere, in cõſilij præmiũ, accepto, diſcederet; ſin verò contrariũ, flagris aſperrimè cæderetur. Erat quippè apud eoſdẽ Perſas ſancitũ, ut in hiſtoria Danielis refertur: *Ne mutari ullo modo poſſet ullũ edictum, aut lex, quã Rex Perſarũ condidiſſet*; licèt ipſi omninò eiſdem legibus planè ſoluti eſſent, ut iuris Perſici prudentes Cambyſi apud Herodotum reſpondiſſe leguntur.

Demoſth. in orat. cõt. Timocrat. Balduin. & Aldrobãd. in d. §. ſed naturalia, Conan. lib. 1. c. 9. n. 2. Spinoſ. in politiſſimo, lib. 2. c. 12. Mathecz. de via, & rat. iur. li. 1. c. 23

Ælian. de var. hiſt. lib. 12. c. 12. vide Conin. in th. pol. 2. p. pag. 241. Briſſ. lib. 1. de Reg. Perſ. pag. 24.

Dan. cap. 6.

17 Cretenſes quoque, adeò Novitatis damna exhorrebant, ut inter primas ad Deũ preces, illam haberent, ne nova aliqua conſuetudo in ipſorum civitatem irreperet. Et Alexãder ab Alexandro recenſet, apud Æginetas cautum, ut qui novæ condendæ legis cauſam daret, inviſus omnibus, & execrabilis fieret. Sicque & apud Indos, ſi quis aliquid pernicioſius inveniſſet, niſi protinus remedio ſuccurreret, morte plecti ſolere.

Herod. lib. 3. Briſſ. ſup. pag. 22.

Alex. 6. Gen. c. 14.

18 Tantique hoc ad Reipublicæ ſalutem, & conſervationem expedire putavit Lycurgus, ut, Plutarcho, & Suida referentibus, cum Lacedæmonijs leges, quas illis utiles eſſe putavit, dediſſet, rogaturus, ut aiũt, Apollinem de alijs quibuſdam, iure iurando eoſdem Lacedæmonios adegit, ne quã ex ijs, quæ iã ſancitæ eſſent, abrogarẽt, donec ipſe rediiſſet. Qui cũ iuraſſent, audito Oraculo, fœlicem fore urbem, ſi leges ipſius retineret: nõ revertendum ſibi cenſuit, conſervationẽque illarũ propriæ vitæ anteponens, voluntario exilio in Cretam, ſive, ut legunt alij, Cryſſam, abiens, ſibi ipſi manus attulit, cineresque ſuos in mare proiici iuſsit, ne fortè illis in patriã relatis, cives ſe ſacramento ſolutos arbitrari poſſent, ſaluberrimaſque leges abrogari prætenderent.

Plutar. in Lycurg. & Suid. ex eo, verbo *Lycurgus*.

19 Quam hiſtoriã Alexius etiã Venegas, non malè doctus ſuæ tempeſtatis Scriptor, litteris prodidit, addens tamen (neſcio quibus motus rationibus) non in Cretam, vel Criſſam, ſed in Vaſconiã noſtræ Hiſpaniæ, quam nunc *Vizcayam* dicimus, Lycurgum adventaſſe, eique genti linguam Laconicam communicaſſe, quæ eſt illa, qua hodie utũtur, & ex Laconia Vaſconiæ nomen accepit.

Alex. Vanegas in Com. Comœdiæ Samarides.

20 Sed non minùs notabilis, & ad rem noſtram conducens, illa mihi vi-

Muller.in hiſt.Septẽt fol.31 Beſold. in diſſert. de Monarch.c.5. pag.24.

detur, quam ex Mullero Beſſoldus enarrat, inquiens, in Libonia ruſticos, ac agreſtes homines nobilium miſera mancipia eſſe, & ſi vel diurnum laboris penſum dominis non ſolvant, vel alio modo eoſdem irritent, miſerrimè vapulare. Quos cùm Poloniæ Rex Stephanus, anno 1582. vocari, ac ſignificari iuſſiſſet, duræ ſe illorũ conditionis miſereri, ideòque velle eos à plagis, & verberibus vindicare, ac ſi peccaverint, mitiſsimam deinceps mulctam imponere: ei Ruſtici, antiquas ſe cõſuetudines mutari nolle, omniaque dura malle perpeti, reſponderunt, quàm novitatem aliquam introduci.

Bened. XI. in Extravag. 1. de privil. in princip.

Celeſt. III. in cap. quod dilectio, in fin. de conſang. & affin. vide etiã tex. in cap. ſi quis neſciat, diſt. 11.

Neque ſilentio involvi poſſunt Pontificiæ ſanctiones, quarũ una hu- 21
ius doctrinæ hanc reddit rationẽ: *Nec mirum, quia plerumque pariunt novitates diſcordiã, præſertim dum ab eo, quod diu æquũ viſum eſt, per novã conſtitutionem receditur, nec quare recedatur utilitas evidens, vel alia cauſa ſubeſt.* Et altera: *In hac cauſa* (inquit) *cõſultius duximus, multitudini, & obſervatæ conſuetudini deferendum, quàm aliud in diſſenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate.*

Greg. Pap. in cap. ſi ea 4. 25. q. 5.

Decian. cõſ. 25. ex n. 41. ad 48. vol. 1. Oſaſc. deciſ. 139. n. 11. Georg. alleg. 15. ex n. 12. ad 16. Ego 2. to. lib. 2. c. 27. ex n. 76. & lib. 4. c. 9. ex n. 35.

Ideòque, omnibus ſemper ſæculis, & apud Nationes omnes, impro- 22
bata eſt frequens illa novorum Regum, ac Principũ conſuetudo, qui vix Imperij habenas adepti, ſe ſolos ſapere putant, & arcem tetigiſſe Minervæ, facilèq; à ſuorum prædeceſſorũ legibus, ſtylo, modovè procedendi, diſcedunt, eorũ geſta contemnentes, mutantes, aut innovantes. Quos hac de cauſa Gregorius Papa, non Conſtructores, ſed Everſores appellat, & pluribus Tiberius Decianus reprehendit, adiiciens poſt Baldum: *Quòd ſucceſſor Principis, contraveniens factis Anteceſſoris, dicitur contravenire ſibi ipſi, ex quo ſemper eſt unum Imperium, & ab alijs ſpectet ſucceſſoribus, quod ipſe Prædeceſſori ſuo præſtitit.*

Aimoin. de geſt. Franc. lib. 4. c. 30. Briſſ. de form lib. 7. pag. 772.

Quam Talionis comminationem, iam dudũ Dagobertus Rex Frã- 23
corum, referente Aimoino, & Briſſonio, filijs ſuis his verbis, notatu dignis, ſcriptam reliquit: *Deinde revereminí me Patrem veſtrum, qui rogare malo, cum poſsim iubere, ut ſtatuta noſtra inconvulſa ſervetis, ſicut i veſtra à ſucceſſoribus veſtris ſervare voletis. Profectò ſcientes, quod ſi à nobis ſancita contemtui habueritis (quod non arbitror) pari modo & veſtra à poſteris contemnentur decreta.*

D. Greg. li. 5. epiſ. 12. ad Montan. relatus in cap. iuſtitię 25. q. 1.

Et hoc iuſtitiæ rationem poſtulare D. 24
Gregorius, his quoq; verbis ad Montanũ ſcripſit: *Iuſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat.*

Neviz. in Sylva nup. pag. 395. nu. 154.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 518.

Sup. Embl. 29. per totum.

Pluribuſque Ioannes Nevizanus oſtendit, inquiens, ob frequentẽ 25
Principũ conſuetudinẽ, in his ſanctiſsimis documẽtis violandis, effectum, ut veluti in Adagiũ tranſierit, *Novitatẽ Regis inducere novitatẽ legis.* Quod idẽ valet, atque illud, *Novus Rex, nova lex.* Quod in Eraſmi chiliadibus reperitur, & in hunc ſenſum, meo iudicio, accipi debet, licèt Eraſmus ipſe in aliũ referat, & non tam de ſcripta lege, quàm de moribus Regũ intelligat, ad quos populi ſtatim accõmodantur, quiq; ſæpè efficacius ſubditorum animos, quàm leges ipſæ movere ſolent, iuxta ea, quæ latè in commentario alterius Emblematis adnotavi.

Pet. Greg. de Rep. lib. 7. c. 19. num. 3. pag. 484.

Cæterùm pro mea expoſitione, ultra Auctores ſuprà relatos, ſtare 26
etiam videtur Petrus Gregorius, qui hanc conſuetudinem, de qua lo-

qui-

quimur, & eius damna, his verbis proponit: *Deinde, ut experientia docuit, ſemper cum novo Rege, nova lex ſequitur, novi Magiſtratus, novi amici, nova conſilia, novi inimici, nova veſtimenta, novus modus vivendi: inſumma omnia innovătur, nec alia interdum de cauſa, quàm ut ſui memoriam ex innovatione relinquant: quod non ſolùm ſingulis, ſed etiam corpori Reipublicæ maximè damnoſum eſt. Nam fœdera ceſſant, armantur vicini, confœderati invadunt, prædantur fortiores eos, qui debiliores ſunt, &c.*

27 Neque abeſt Noſter Saavedra, qui cum quodam in loco plura de damnis multiplicandarum, aut innovandarum legum dixiſſet, in altero ita ſeriò ſuum Principem admonet: *Procure el Principe acomodar ſus acciones al eſtilo del Pais, i al que obſervaron ſus Anteceſſores; porque aun las virtudes nuevas del ſuceſſor, no conocidas en el Anteceſſor, ò en la Provincia, las tiene por vicios el pueblo, i las aborrece.*

Saaved. in Id. pol. pag. 139. & 441.

28 Quod & ipſum, valdè à Prætoribus civitatum curari, & obſervari debere, ſatis doctè admonet, ex eiſdem rationibus, Bobadilla, apud quem alia loca reperies, & præcipuè verba Franciſci Patritij, quæ ſic habent: *Civitatis ſtatum diligant, contentique eo, nihil moliantur, nihilque cogitent, quod alienum novumque ſit, ſed eam viam ire pergant, quam Maiores inſtituerant, quæque aliorum veſtigijs attrita ſit: Novarũ enim rerum ſtudium ſæpius Remp. labefactare ſolet, quàm eam aliqua ex parte meliorem reddere.*

Bobad. in Polit. lib. 1. cap. 5. n. 9.

Patric. de Repub. lib. 3. cap. 1.

29 Porrò cum in omnibus, ut diximus, ſuſpecta, periculoſa, & quantum fieri poſsit, vitanda Novitas ſit, tum maximè id Chriſtiani Principes in rebus ad Religionem pertinentibus, curare debent, non ſolùm ubi opinionum varietas, aut conſcientiæ, quam vocant, libertas, in rebus ad Fidem Catholicam pertinentibus, & ab Eccleſia iam dudũ ventilatis, ac definitis, intenditur, quòd, quam ſit damnoſum, & execrandum, iam ſuprà alio loco retulimus; verùmetiam, ubi de novorum Sanctorum, & Reliquiarum veneratione tractatur, aut de novis Monachorum cœtibus, collegijs, atque inſtitutis introducendis, vel rebus quibuslibet alijs, quæ receptum, & antiquum Eccleſiæ cultum innovent, ut piè pariter, ac graviter in ſacris Canonibus edocemur.

Sup. Embl. 10.

Text & gloſſ. opt. in c. fin. de Relig. dom. & in c. unic. eod. tit. in 6. Par. Ribad. in vita S. Ignat. lib. 2. cap. 17. Sim. de Rep. lib. 4. cap. 10. & ſeqq.

30 Re enim vera, ſola Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt Fons veritatis, hoc eſt Domicilium Fidei, hoc Templum Dei. Quò ſi quis non intraverit, vel à quo, ſi quis exiverit, à ſpe vitæ, ac ſalutis æternæ alienus erit, ut Lactantius Firmianus eiſdem propemodum verbis ſcripſit. Nec aliter quies, ac fœlicitas rerum publicarum, iuxta D. Leonis Papæ certiſsimum documentum, acquiri cõſervarique poteſt; niſi quæ ad Divinam Confeſsionẽ, Fidem, & Doctrinam Catholicam pertinent, politica quoque, ac ſecularis Poteſtas ſolicitè tueatur, & à quibuslibet Novationibus hac in parte defendat, & Novatores in omnibus caveat, & inſectetur.

Lactan. lib. 4. inſt. cap. ult.

D. Leo epiſt. 26. & 31.

31 Quo nomine ipſa Eccleſia, multis iam ab hinc annis Sectarios appellat, ſic, valdè ad rem noſtram, indicans, quàm ſit omnis Novitas pernicioſa, cum nullum aliud vocabulum, quo eos magis notare, & exprimere poſſet, invenerit. Adverſus quos facit illud Ciceronis: *More Maiorum, quæ eſſent Religiones, tenendas;* & vetus ille verſus, quo

Cicer. 2. de legib.

Delr. in Adag. ſacr. 2. tom. pag. 242.

Livius olim, ut Delrius tradit, ſolebat pro ſymbolo uti:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Proverb. 22. 20.

Et propriùs quod in Proverbijs habetur: *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.*

Lirinenſ. in lib. adverſ. proph. hæreſ. novit.

Quem locum in eos contorſit Vincentius Lirinenſis, ſic appoſitiſsimè inquiens: *Quæ cum ita ſint, iterum, atque iterum eadem mecum revolvens, ac reputans, mirari ſatis nequeo, tantam quorundam hominum veſaniam; tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremo errandi libidinem, ut contenti non ſint tradita ſemel, & accepta antiquitus credendi regula, ſed nova ac nova in diem quærant, ſemperque aliud geſtiant Religioni addere, mutare, detrahere. Quaſi non cœleſte dogma ſit, quod ſemel revelatum eſſe ſufficit, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici, niſi aſsidua emendatione, imò potius reprehenſione non poſſet, cum divina clament oracula, Ne transferas terminos, quos poſuerunt patres tui.* 31

Cæterùm licèt hæc veriſsima ſint, ſemperque Novitas timeri caverique debeat, ut ex ſuprà dictis apparet, non tamen ita ſtrictè hoc accipi volumus, quin exigente id temporum rerumque ratione, vel evidentis utilitatis conſideratione, (ut iam ſuprà ex doctrina noſtrorum Iuriſconſultorum tetigimus) iuſtum & licitum ſit, aliquid ex Maiorum legibus, aut moribus innovare. Nam, ut Innocentius III. edixit non debet irreprehenſibile iudicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoque prædictis ex cauſis varientur humana. 32

Innoc. in cap. non debet, de cõſang. & affinit Prooem. Clement. verſ. *Vix aliquid.*

Symmach. lib. 10.

Iuret. ad Sym. lib. 2.

Et quamvis Symmachus dixerit: *Leges in commune bonum procedentes, nunquam occaſum pati*; veriùs tamen eſt, conſeneſcere eas, languere interdum, & mori, ut ex optimis Auctoribus docet Franciſcus Iuretus, & apertè Claudianus dum dixit: 33

Claudian.

----------- Priſcamque reſumunt
Caniciem leges, emendanturque vetuſtæ
Accedunt que novæ.

Livius lib. 34. Ego de parricid. lib. 1. cap. 5. pag. 16. & latiùs in 2. tõ. li. 2. cap. 30. ex n. 63.

Vnde apud Livium Lucius Valerius de lege Oppia abroganda agens: *Quemadmodum* (inquit) *ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ utilitatis cauſa in æternum latæ ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam, aut uſus coarguit, aut ſtatus aliquis Reip. inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, & temporibus ipſis mutabiles eſſe video.* 34

Agel. lib. 20. c. 1.

Iuſtin. in l. 2. C. de veter. iur. enucl. verſ. *Quia in eo.*

Martian. Imper. in Novell. tit. 5.

L. 11. tit. 1. par. 1.

Peluſ. lib. 2. ep. 46.

Quod & Sextus Cecilius I.C. apud Agellium non inficiatur, & ab antiqua Proſapia, hoc eſt ipſorum Maiorum, ac Iuriſprudentium diſciplina deſcendere, graviter Imperator Iuſtinianus teſtatur. Quem ſequutus Martianus: *Æquali* (inquit) *in utroque æquitas eſt, vel promulgare quæ iuſta ſunt, vel antiquare quæ gravia.* Et Rex noſter Alfonſus: *Emendar ſus leyes, quando entendiere, ò le moſtraren razon, porque lo deba hazer.* Et Iſidorus Peluſiota ſic inquiens: *Non grave, ac ſceleratũ eſt aliquid innovare, cũ utilitas novitati adiuncta eſt. Nõ enim noxia & utilia vetuſtate perpendũtur, verũ id explorandũ eſt, an in antiquioribus vitium inveniatur, an contra in recentioribus virtus reperiatur.* 35

36 Cum quibus ſentiens Thomas Morus,inter alia,quibus ſuum Principem inſtruit,illud eſt,ut non ſolùm inutiles,vel damnoſas leges emẽdet: *Sed & abrogatas conſuetudine,haud temerè revocet, præſertim quæ diu deſitæ,nunquam deſideratæ ſunt.*

> Thom. Morus in Vtopia,lib.1.pag. mihi 42.

37 Certè enim,cum ſecundùm eundem Iuſtinianum,omnis noſter ſtatus ſub perpetua mutatione conſiſtat,ipſius temporis viciſsitudo, cui ſemper parendum eſſe, omnium ſapientum Apophthegmata nos docent,ut ſuprà latè tradidimus,has quoque interdum legum, ut & aliarum rerum mutationes,& innovationes expoſtulat: *Neque erubeſcendum eſt* (eodem Iuſtiniano docente) *ſi quid melius etiam eorum, quæ ipſi priores diximus, ad inveniamus, hoc ſancire, & competentem prioribus imponere correctionem.*

> Iuſtin.Imp.in Authent.de nõ alien. §.ut autem lex.
>
> Sup.Embl 43.
>
> Iuſtin. in Auth. de nuptijs,§.nos autẽ

38 Politicique, iuxta doctrinam Canonherij, facere debent, quod Medici, qui contraria remedia morbis adhibent, quando priora nihil profeciſſe cognoſcunt.Quod etiam Michael Hoſpitalius, his quæ ſequuntur carminibus eleganter expreſsit:

Quam melius Medici, qui quo nihil ante priora
Profeciſſe vident, adhibent contraria, leges
Decepti medicas, artemque valere iubentes:
Hoc nos illa modo, nuper quæ cepimus arma
Ponere ne pudeat, hominesque errata fateri,
Et magis apta malis, quæ ſunt medicamina noſtris
Quærere.

> Canonh.inAphor. pol.1.to.pag.519.
>
> Hoſpit. lib.1. carmin. cuius & aliorum in ſimili memini Ego in 2. to. lib.2.c.30.n.63.& ſeqq.

39 Quibus addo,quòd licèt ſuprà ex Tacito docuerimus,ſuper omnibus negotijs melius olim ab Antiquis videri proviſum; hoc tamen nõ impedire, quin tempus,quod ſapientiſsimum eſſe dixit Thales Mileſius,quia omnia invenit,quodque,ut eſt in Adagio,*Omnia revelat*,aliquid,quod ſit utile & laudabile nobis inveniendum, atque exequendum reſervet, ut idem ipſe Tacitus Claudium Imperatorem in Senatu peroraſſe commemorat, dum de alienigenis in plenum civitatis Romanæ ius cooptandis, tractaretur, his verbis: *Omnia Patres Conſcripti,quæ nunc vetuſtiſsima creduntur, nova fuere. Plebei Magiſtratus poſt Patricios, Latini poſt plebeios, cæterarum Italiæ gentium poſt Latinos. Inveteraſcet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.* Et alibi,inquiens: *Nec omnia apud priores meliora; ſed noſtra quoque ætas multa laudis,& artium imitanda poſteris tradidit.*

> Thales ap. Laert. lib.1.cap.1.
>
> Eraſm.pag.362.ex Tertul.in Apolog. & alijs, Ego 1.to. lib.1.c.12.n.11.& ſeqq.Bobad.d.lib. 1.cap.5.n.9.
>
> Tacit.lib.11.Ann.
>
> Idẽ 3.Ann.c.55.

40 Quæ verba, ut Lipſius ibidem animadvertit, haud diſparibus ſanè alijs Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus ſic expreſsit: *Multas rerum utilium tempus invenit, aut correxit. Non omnia ad exempla fiunt, & ſingula quæ facta ſunt, initium ſemel habuerunt. Demus & Nos principium meliori conſuetudini.* Et ſimiliter licèt brevius Tertullianus: *Omnis res anterior poſteriori normam præminiſtravit*;& alij plures,quos & multa ſacræ Scripturæ exempla in eandem ſententiam adduxit M. Fr. Antonius Perez,meritiſsimus Abulenſis Epiſcopus.

> Lipſ. in notis ad Tacit. pag. mihi 177.
>
> Syneſ.epiſt.57.
>
> Tert.adv. Marc.1. cap.9.
>
> M. Ant. Perez in Penth. de Fide Act. Apoſt.pag.58.

In Principes, ineptos Iudices eligentes.

EMBLEMA LII.



Iudice pro ſtulto Piſtoiæ ſedit aſſellus,
Dicere, vel nullus ius, vel uterque poteſt:
Si pudet, invigilet Princeps, populiſq; remittat
Rectores, quales convenit eſſe viris.

COMMENTARIVS.

CVm ergo iam ſatis ex ſuprà dictis eluceat, quantopere Principes, ſi boni, ut oportet, eſſe deſiderent, bonis quoque Conſilijs, Conſiliarijs, ac Magiſtratibus egeant, par eſt, ut eoſdem de ſumma cura, & ſollicitudine, quam in eorum delectu habere debent, tantiſper admoneamus; ut ſic illud Caſsiodori verum efficiant: *Pompa meritorum eſt Regale iudicium, quia neſcimus iſta niſi dignis impendere, ut illud magis æſtimemur elegiſſe, quod cunctos dignum eſt approbare. Nam quibus fas eſt de cunctis optimos quærere, videntur ſemper meritos elegiſſe.* 1

Caſsiodor. lib. 1. epiſt. 12. & 43.

Qui idem alibi, hoc in honorem ipſius Principis cedere, non minori verborum pondere, ſic effatur: *Ad ornatum Palatij noſtri credimus pertinere, aptas dignitatibus perſonas eligere: quia de claritate ſervientium creſcit fama dominorum. Tales enim provehere Principem decet, ut quoties Procerem ſuum fuerit dignatus aſpicere, toties ſe cognoſcat recta iudicia habuiſſe.* Et iterum: *Neceſſarium probatur eſſe Reipub. perſonas* 2

Idem lib. 4. epiſt. 3

Idem lib. 3. epiſ. 25

dig-

dignitatibus aptas eligere, ut cui iuſtitia committitur, maxima ſcientia decoretur, & bonis moribus ornetur; alioqui inefficax eſt ab homine exigere, quod agnoſcitur non habere, & confidenter petitur, quod ineſſe ſentitur.

3 Firmiuſque teſtimonium Regius in eandẽ rem nobis exhibet Pſaltes, qui ſuos ſe oculos ad fideles terræ habere dicebat, ut ſecum in via immaculata ſederent, ſibique miniſtrarent, quod perinde eſt ac ſi diceret, nullam non vigilantiam & diligentiam in bonis iudicibus, & Magiſtratibus populis præponendis, adhibuiſſe.

David Pſalm. 100. ubi Lorin. & alij.

4 Salomon quoque eius filius, tametſi infuſam cœlitus ſcientiam habere meruerit, nihil prius à Deò poſtulandum cenſuit, quàm probos doctoſque ſibi comites, & conſiliarios concedi, quorum ope Regnũ ſibi commiſſum, rectè gubernare valeret, & hanc ſapientiam aſsiſtricem ſuam vocat, & habere deſiderat, ut latiùs noſter Ioãnnes Pineda conſiderat, & iuris civilis teſtimonijs illuſtrat.

Pineda in Salom. lib. 3. cap 6. & 9.

5 Vnde Iuſtinianus Imperator, & poſt eum Politici paſsim, & iuridicæ facultatis Auctores, multi ſunt in eadem cura Regibus, ac Principibus commendanda, & in dotibus ſapientiæ, prudentiæ, experientiæ, cæterarũque virtutum, quæ communiter in eiuſmodi Conſiliarijs, ac Magiſtratibus requiruntur, quas noviſsimè ad epitomẽ redegit Ioãnes Maria Campana, & ante ipſum plenè & luculenter Rex Noſter Alfonſus X. ab eadem vigilantia & diligentia, quam Reges in hac parte habere debent, exordiens, & ſic inquiens: *Acuciojamente, è con gran femencia debe ſer catado, que aquellos que fueren eſcogidos para ſer Iuezes, ò Adelantados; que ſean quales diximos en la ſegunda Partida de eſte libro. Pero ſi tales en todo non los pudieren fallar, que ayan en ſi alomenos eſtas coſas; que ſean leales, è amadores de ſu Rei, è de buena fama, è ſin mala codicia, è que ayan ſabiduria para judgar los pleitos derechamente, por ſu ſaber, ò por uſo de luengo tiempo. E que ſean manſos, è de buena palabra à los que vinieren ante ellos à juizio, è ſobre todo que teman à Dios, &c.*

Iuſtin. Imp. in Authent. ut iud. ſine quoque ſuffrag. §. eos, & §. ideoque, Matienç Iunius, Bobad. Maſtrill. Torrell & alij ap. Me 2. to. lib. 4. c 4 n. 2. Zipæus in tract. de Iud. & Magiſt. Brantius de Senat. lib. 1. cap. 4.

Campana in tract. de requiſit. in iud. creat.

L. 3. tit. 4. p. 3.

L. 18. & 22. tit. 9. p. 2. ubi Gre. Lop.

6 Neque placet, quod quidã dicunt, & frequenter (proh dolor) in praxim deducunt, incognitos eligentes, eorumque ſufficientiam in ipſis negotijs detegi, & informari poſſe ſperãtes. Hos enim ſatis redarguit D. Bernardus, dum æquè prudenter atque eleganter ſcripſit: *In Monaſteria admitti poſſe homines ſpe proficiendi: officia verò bonos facilius recipere, quàm facere. Et hac propter ad ea viros probatos oportere deligi, non probandos.*

D. Bernar de conſid. ad Eug. lib. 4. cap. 5.

7 Quod ſenſit etiam Imperator Iuſtinianus, dum præcedens bonitatis teſtimonium requirit, his verbis: *Quis enim non diligat eum, & honeſtate compleri magna putet, ſi noſtro decreto, iudicioque tui culminis ad cingulum veniet, teſtimonium quidem habens, quia ſit optimus.* Nec longè abeſt Tacitus inquiens: *Melius eſt officijs, & adminiſtrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare cum peccaverint*; & magis in terminis Caſsiodorus ſtatim latiùs referendus, qui in primo provectu cunctationem, requirit: *Dum multi fallunt Principis animum, cui ſemper votum eſt præſtitiſſe.* Et Ennodius ſic inquiens: *Expertis bonos debetur*

Iuſtin. d. Auth. §. eos.

Tacit. in Agric.

Caſsiod. lib. 8. epiſtol. 22.

Ennod. dict. 5.

inge-

ingenijs: vix mediocrem cultum exigunt non probati. Illa ſunt vera præconia, quæ longus ſudor elicuit, blandimentum eſt, nō iudicium, quotiens laborem gloria ingeſta præceſſerit, &c.

[Tacit.4.Ann. Brātius in Senatore, lib.2.cap.4.]
[Boët. lib.2. cōſol. proſa 6.]

Maximè cum ſint multi, qui vel valdè experti & probati: *Acribus initijs, incurioſo tamen fine*, ſe in his muneribus habent, ut verbis Taciti utar, quæ benè Ioannes Brantius illuſtrat. Et certum ſit, iuxta Boëtij ſententiam, quòd, *Collata improbis dignitas, non modò non efficit dignos, ſed prodit potius & oſtentat indignos.* Cuius rei ſtatim elegantem hanc rationem adſignat: *Si ipſis dignitatibus, ac poteſtatibus ineſſet aliquid naturalis, ac proprij boni, nunquam peſſimis provenirent: neque enim ſibi ſolent adverſa ſociari. Ita cum peſſimos plerumque dignitatibus fungi dubium non ſit, illud etiam liquet, natura ſui bona non eſſe, quæ ſe peſſimis hærere patiantur.* 8

[Idem Boet. lib. 3. proſa 4.]
[Salv. lib.4. de provident.]

Et alio loco: *Non ea vis eſt Magiſtratibus, ut utentium mentibus virtutes inſerant, vitia depellant. At qui non fugare, ſed illuſtrare potius nequitiam ſolent, nec poſſumus ob honores, reverētia dignos iudicare, quos ipſis honoribus iudicamus indignos.* 9

[D. Bernar. lib.2. de cōſid. ad Eug. c.7.]

Quod effecit, ut meritò dicere potuerit Salvianus: *Quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto?* D.Bernardus: *Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putas.* Et anteà Publius Syrus Mimographus: 10

Loco ignominiæ eſt, apud indignum dignitas.

[Simāc. de rep. lib. 2. c.12. n. 18. Bobad. in polit. lib.2. cap.1.n.12.]

Et noſter Septimacenſis Epiſcopus, à Bobadilla relatus, de Hiſpaniæ Tribunalibus condolere: *Tot Iudices, tot Tribunalia ubique à Pijſsimis noſtris Regibus erecta reperiri, & adhuc minorem curam iuſtitiæ, & Reipublicæ eſſe.*

[Bleſenſ. epiſt. 25. vide Meipſum 2 to. lib.3.c.8.n.25.]

Et generaliter Petrus Bleſenſis: *Officium officialium eſſe hodie iura confundere, lites ſuſcitare, tranſactiones reſcindere, dilationes innectere, ſupprimere veritatem, fovere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, verſutias concinnare, &c.* 11

[Æn. Sylv. epiſt. 10.]

Et Æneas Sylvius, ſic in quadam epiſtola ad Portugalliæ Doctorem Lupum ſcribens: *Vtinam omnibus Principibus idem animus eſſet; nō ſic omnes ignorātia plenæ forent provinciæ; nec ſummi Magiſtratus propter iniuſtitiam Officialium deturbarentur; atque dignitas ab Officiali, non verò Officialis propter dignitatem illuſtraretur.* 12

[Abb. in cap. bonæ, el2. de poſtul. prel. plures apud Maſtrill. lib. 2. cap.1. n.68. & ſeqq.]
[Perſ. ſatyr. 5.]

Quapropter iuſtè docuiſſe videtur Abbas Panormitanus, communiter ab alijs receptus: *Quod eligentes non ſalvant conſcientiam ſuam, eligendo illum, cuius plenam non habent notitiam.* Meritòque à Perſio notantur, qui imperitis officia Reip. conferunt, dum ait: 13

Non Prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia, atque uſum rapidæ permittere vitæ:
Sambucam citius caloni aptaveris alto;
Diluis elleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.
Navem ſi poſcat ſibi peronatus arator

Luciferi rudis, exclamet Melicerta periiſſe
Frontem de rebus, &c.

14 Accedit his, quòd quemadmodum ubi eiuſmodi dignitates, & officia dignis creduntur, digni quoque, & boni omnes exhilarantur, quia ut Caſsiodorus ait: *Quicquid digno creditur, omnibus prò voto collatum eſſe ſentitur.* Cui convenit illud Imperatoris Iuſtiniani: *Nam univerſis redditur, quod pro voto omnium, primatibus indulgetur.* Plinij Iunioris: *Omnium quæ merentibus tribuuntur, non ad ipſos gaudium magis, quàm ad ſimiles redundat.* Iſocratis: *Omnes boni & docti, eos, qui præſtantibus doctrina honorem habent, non magis laudant, & honorantur, quàm ſi in ipſos omnia collata fuiſſent.* Ita ex adverſo, vel Agathia docente: *Animorum vis bebetatur, cum Reipublicæ dignitates alijs conferri ſentiunt, nec honoribus extolluntur, quos laboraſſe conſpiciunt.* Caſsiod.lib.4. epiſt.4. Iuſtin. in l. reſtituendæ, C. de advocat. diverſ. iudic. Plin. in Paneg. ad Trajan. Iſocrat. ad Phil. ep. 4. Agath. lib. 5. hiſt.

15 Et vel ipſæ eædem dignitates indignis collatæ vileſcunt, ac decolorantur, ut à D. Hieronymo traditur, dum ita ad Pammachium ſcribit: *Quamvis clarus honor, vileſcit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipſa dignitas, quam multi indigni poſsident.* Vt ſic non miremur Catullum ob hanc cauſam mortem optaſſe, dum in Nonium Strumã his verſibus ſtylum ſtringit: D. Hier. in epiſt. ad Pammach. Catul. Epigr. 53.

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sella in Curuli Struma Nonius ſedet.
Per conſulatum peierat Vatinius,
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

16 In eadem etiam querimonia multus eſt Petrus Coſtalius, dolens Bacchum, non ſolum in templis, ut apud Indos olim, verùm hodie apud Nos in pluribus Tribunalibus poſitum eſſe, & præſidem agere, & hoc ſcitiſsimo carmine in ſimiles Iudices, & eorum Electores inſurgens: Petr. Coſtal. in Pegm. pag. 102.

Pampineis Lenæe Pater redimite corollis,
Faſcia cui longum cingit odora caput:
Cui philera intextæ præcingunt tempora vittæ.
Inficit & rubeas uva Falerna genas;
Cuique gravi exundat pendens abdomine venter
Iureque lætitiæ diceris eſſe dator:
Quæ te adlegerunt noſtris ſuffragia roſtris?
Quæ tibi in orcheſtra fata dedere locum?
Quæ vota in noſtrum te conſcripſere Senatum?
Vnde tibi latus clavus, & unde toga?
Te iurata latent Sancti conſulta Senatus,
Te legum & iuris Pagina ſacra fugit:
Quid diſtent noſtri cellis Chia vina Falernis;
Ergo tibi vitæ ſit ſtatus ille tuæ.
An te Patricium Regina pecunia fecit?

Illa

Illa Magiſtratus una creare poteſt.
Noſtra quoque ignavis ſubſellia complet onagris,
Et queritur Populus iura deeſſe ſibi:
Ecce igitur ſtomachans, rubricam tendit Apelles,
Ne ſutor ſoleas egrediare tuas.

Fileſac.lib.2 ſelec. tract.1.c.4.pag.26

Aurel.Victor. in Veſpaſ.

Ammian.lib.28.

Ioannes quoque Fileſacus de hoc argumento eruditè pertractans, ex Aurelio Victore commemorat, Præfecti Prætorio dignitatē Conſtantini Magni ævo viluiſſe, propter indignitatem eorum, qui illam geſsiſſent. Et ex Ammiano Marcellino, ſcopas, quibus nobilitatis Curia mundabatur, florere viſas, & iſtud non aliud portendiſſe, quàm indignos, & ſordidos homines extollendos. 17

Idem lib.27.

Sed adhuc magis memorandum fuit aliud portentum, quod Piſtorij in Hetruria contigiſſe, idem ipſe Ammianus enarrat, dum in ea urbe Aſinus, ipſo meridie, Tribunal conſcendit, & ſellam Magiſtratui deputari ſolitam, plenis clunibus occupavit. Quod, augurium fuiſſe inquit, indignæ promotionis cuiuſdam piſtoris, qui paulò poſt eandem in urbem, atque provinciam, ad Præturam electus, & mandatus fuit. 18

L.ſi cōſtat, de appellat.c.2.deelect. c.1.quæ ſint Regalia, cur latè adductis à Me de mun. honorar n.131. & ſeqq. Eraſm. in Adag.pag,182.

Quo ex Portento, utpotè, iudicio meo, ad rem de qua tractamus appoſitiſsimo, noſtrum hoc, quod vides, Emblema formavimus, rati, Principes, quibus Deus hanc ſupremam creandorum Magiſtratuum poteſtatem conceſsit, & à quibus eorum dignitas, auctoritas, & iuriſdictio, tanquàm à fonte dimanat, ut paſsim iura nos docent, vel ex eo admoneri poſſe, quo ſtudio, qua cura, ſe in eorū electione habere debeant, & ubi ineptos deligunt, ſe Aſinos deligere planè, ac plenè cognoſcant, vel Boves in civitate ponere, ut eſt in Adagio, quo Eraſmus eos ſignificari inquit: *Qui præter meritum evehuntur ad ſummos honores, &c.* 19

Panorm de dict.& fact.Alf. lib.1.c.6. ſive Æn. Sylv. in not. ad eum. Petr.Gregor. de Repub.li.10.c.6.n.16

Nam ſi Alfonſus Rex ipſe Neapolis I, de ipſis Regibus, Panormino referente, dicere veritus non fuit: *Regem illiteratum, eſſe Aſinum coronatum*, ſatis apparet, multò magis id iudicibus, qui prudentia, & iuris ſcientia carent, aptari, neque aliud ad ſtolidos Magiſtratus ornamentum propiùs, quàm aſininas Midæ auriculas pertinere. 20

Horus, & alij apud Pier.lib.12. hierogly. c.1. fol. mihi 18.

Eraſ in hoc Adag. pag.174.

Bobad. lib. 1. c.6. & 7. Pineda in Eccleſ.pag.1015. Matienç in Dial.relat. 3.p. c.7. Cur.Philip.1.p.c.2. Iunius q.polit.c.18.& 82

Aſinus quippè, ut ex Ægyptiorum litteris Horus Apollo, & Pierius Valerianus teſtantur, in fabulis, & in hieroglyphicis, pro imperitiſsima perſona ponitur, & in argumentum fatuitatis, atque dementiæ ſemper habetur, atque ideò, homo rerum omnium ignarus, per aſelli caput ſignificatur. Græciſque, & Latinis Auctoribus Adagium illud uſitatiſsimum eſt, *Aſinus ad lyram*, in eos, ut Eraſmus inquit, iactari ſolitum, qui propter imperitiam nullo ſunt iudicio, craſsiſque auribus; illius teſtamentum, ex Marco Varrone, & Agellio, ſatis notabile citans, qui filios ſibi natos, vel naſcituros, *Si Aſini ad Lyrā* eſſent, exhæredavit. 21

Et planè non facilè exprimi poſſunt damna, quæ Regibus, ac Principibus ipſis, eorumque vaſſallis, & populis generantur, ubi ignorantes, improbivè, aut petulantes Conſiliarij, & Magiſtratus, atque etiā 22

inexperti, & ex Tyrunculis eliguntur, quæ latiùs apud alios legenda lugendaque relinquo, certè Iamblicus apud Stobæum, nullum maius malum Reipublicæ contingere poſſe inquit; & Cicero, plus nocivos eſſe, quàm hoſtes, pluribus probat, eam reddens rationem, quòd omnes omnium facultates poſitæ ſint in poteſtate iudicantium, nemoque quicquam ſe obtinere dicere poterit, cum ad iudicandum datur iudex nequam & levis.

Iamb. apud Stob. ſerm. 44.

Cic. orat. 4. in Verrem.

23 Et alibi, dolens, *Quòd eiuſmodi in provincias homines mittimus, ut etiamſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbes ſociorum, non multum ab hoſtili expugnatione differant*. Ad quem locum quaſi reſpiciens D. Iſidorus: *Gravius* (inquit) *lacerantur pauperes à pravis iudicibus, quàm à cruentiſsimis hoſtibus: nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quàm Iudex iniquus in ſuis.*

Idem pro lege Manil. col. 4.

D. Iſidor. lib. 3. de ſumm. bon.

24 Et eandem ſimilitudinem præoccupavit Amos Propheta, ſic inquiens: *Quia cognovi multa ſcelera veſtra, & fortia peccata veſtra, hoſtes iuſti, accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.* Et latè proſequitur Ioannes Sarisberienſis, rectè etiam addens, tales Magiſtratus gravius, atque inſolentius peccare, quàm fures: *Quia fur* (inquit) *& et timens furatur: hi autem delinquunt confidenter. Fur laqueos legis timet, hi quicquid fecerint, legem putant. Lex furem deterret ab illicitis; hi ad illicitum malitiæ ſuæ compendium, legem trahunt.*

Amos 5.

Sarisb. in Policr. lib. 6. cap. 1.

25 Quod, quàm ſit durum, & acerbum, ſatis apparet, cum nulla ſpes ultra ſalutis reſtare videatur, quãdo ab ijs venena porriguntur, à quibus erat antidotum ſperandum. Vel contra legum & Sancti Concilij Tridentini decreta, iniuriæ naſcuntur, unde iura iuriumque ac legum cuſtodia, & obſervatio deſiderabatur. Quod omnium malorum extremum appellavit Caſsiodorus, ſic inquiens: *Deteſtabilis eſt quidem omnis iniuria, & quicquid contra leges admittitur, iuſta execratione damnatur; ſed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta ſuſcipere, unde credebantur auxilia provenire. Exaggerat enim culpam in contrarium verſa crudelitas, & maius reatui pontus eſt, inopinata deceptio.* Et Alfonſus Rex noſter, & Legiſlator, maiorem mundi peſtem, his verbis: *I por eſto dixeron los Sabios antiguos, que en el mundo no avia mayor peſtilencia, que recebir ome daño de aquel en que ſe fia.*

L. meminerint, C. unde vi, l. 1. in fin. C. de his qui ven. æt. cap. penult. de pœn. Trid ſeſſ 24. de reform. Matr. c. 9. latè Valenç. conſ. 161. n. 85. & conſ. 163. n. 140. Caſsiodor. lib. 4. epiſt. 27.

L. 3. tit. 19. par. 2.

26 Omnes ſanè rectiſsimè, cum ubi Magiſtratus tales, qui ſuo reſpondeant muneri, deligũtur, creber Provincialium ſermo ſit, ut Sidonius Apollinaris ſcripſit: *Annum bonum de magnis non tam fructibus, quàm Poteſtatibus exiſtimandum*; quam ſententiam auream appellat, doctus & diligens eiuſdem Sidonij Scholiaſtes Ioannes Savaro, dignamque, ut pro foribus Capitoliorum ſcriberetur, cum Kalendis Ianuarijs Magiſtratus, Scabini, & Defenſores civitatum nominantur. In quibus, ob eandem ſpectationem, moris erat, ut ipſi anno, ex electis Conſulibus, Cõſularibus factis nomen daretur, quaſi (ut poſt Boetium Caſsiodorus ſcribit) *Fœlix à Conſule ſummat annus auſpicium, portãque dierum tali nomine dicatus annus, tempus introeat, faveatque reliquæ parti fortuna Principis*; ubi fortè, non minùs aptè legi poſſet, *Principij.*

Sid. Apollin. lib. 3. ep. 6. in fine, & Boet. de cõſol Philoſoph lib. 1.

Boet. lib. 1. de cõſ. Caſsiod. lib. 2. ep. 1

Queis

27 Queis addo, in eiſdem kalendis, ubi Principes nomina eorum, quos ex candidatis in Conſules deſignabant, populo proponebant, ab eodem populo valida voce *Bonos, vel Optimos* acclamari ſolitos eſſe, ut Plinius Iunior inſinuat, cum de Trajano in eius Panegyrico dixit: *Faciebas ergo, cum diceres Optimos, nec ipſorum modò vita à te, ſed iudicium Senatus comprobabatur, ornarique ſe, nō illos magis, quos laudabas, lætabatur.* Quo loci Iuſtus Lipſius, hunc ritum, ab alijs inobſervatum, adnotavit, & ex eo alteri Senecæ lucem intulit, ubi ait: *Itaque verbo illo, quaſi publico uſus es, & ſic Amicos dixiſti, quomodo omnes Candidatos viros Bonos dicimus.*

Plin. in Paneg.
Lipſ. in notis ad Paneg. Plin.
Senec. epiſt. 111.

28 Indeque fluit, ut ad eiuſmodi Honores, dum à Regibus conferuntur, non ineptè transferre poſsimus illud Pſalmographi, *Honor Regis, iudicium diligit*; & Solonis Trochaicum: *Non erunt honores unquam fortuiti muneris*; licèt alij alias tradant expoſitiones. Maximè cum iure cautum legamus, quòd, *Diſputare de Principali iudicio non oportet. Sacrilegij enim inſtar eſt dubitare, an is dignus ſit, quem elegerit Imperator.* Quod D. Ioannes Chryſoſtomus his verbis imitari videtur: *Neque enim Rege ſuffragioſuo aliquem eligente, aut honorem alicui apud omnes præconio ſuo decernente, ſuſtinebit ſubditorum quiſquam contradicere.* Et ſolùm eo caſu, quo notoriè de electi malitia, vel de ſiniſtra & ſubreptitia eligentis informatione conſtat, limitandum eſſe, Auctores, qui de hoc tractant articulo, notavere.

Pſalm. 98. 3.
L. 2. C. de crim. ſacrileg. l. 11. tit. 18. par. 1.
D. Chryſoſt. hom. 14. ad Roman.
DD. d. l. 2. Mēdoz. de pact. lib. 1. c. 5. Modic. lib. 2. diſp. dubit. 33. Rodolf. cocl. 9. n. 9. cū aliis

29 Cum ergo in hac Magiſtratuum electione, ſimul cum Regni ſalute ipſorum quoque Regum, ac Principum exiſtimatio periclitetur, & iuxta Heliodori ſententiam: *Magna negotia, magnos apparatus deſiderent*; par eſt, ut ipſi per ſe, quantum maximè fieri poſsit, vel per prudentes, ac fidos Adminiſtros, ad has electiones conſultandas ſelectos, magnam etiam diligentiam adhibeant, nullumque non lapidem in probis, aptis, litteratis, & undequaque dignis, deligendis Magiſtratibus moveant, quos ante acta vita, litterarij gradus, atque progreſſus, quos ſplendens Collegiorū Maiorum ignis, in ſanguine, in moribus, in ſtudijs, ad obruſam examinaverit, vel expertum, ſubactumque in Regijs Tribunalibus, forenſibuſque actionibus ingenium iudiciumq́, commendet. Nam ſi, ut debent, quærantur, qui his officijs, ac miniſterijs dignè præeſſe poſsint, deeſſe nunquam poterunt, ut aliàs, de Epiſcopis agens, dixit D. Gregorius.

Heliodor. hiſt. Æthiop. lib.
Marq. in Gub. Chr. lib. 1. cap. 4. pag. 2. Brant. in Senat lib. 1. cap. 28. Ego 2 tom. lib. 4. c. 4. n. 8. & ſeqq.
D. Greg. lib. 1. Regeſt.

30 Ad Lydium quoque lapidem communis inter viros bonos, ac Deū timentes famæ & exiſtimationis, promovendorum merita tangere oportebit, ut Lipſius animadvertit, rectè enim Plinius Iunior admonuit: *Tales nos crede, qualis fama cuiuſquam eſt: ſinguli enim decipere, & decipi poſſunt, nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* Quod & Tacitus cenſuit, quodam in loco inquiens: *Haud ſemper errat fama, aliquando eligit.* Et in alio, ſub perſona Galbæ Imperatoris, *Si velis eligere, conſenſu monſtratur.*

Lipſ. lib. 3. polit. cap. 4.
Plin. Iun. in Paneg. ad Trajan.
Tacit. in Agric. n. 4.
Idem lib. 1. hiſt. n. 5.

31 Neque ſperni debebit illud inſignis Caſtellæ Præſidis, & Epiſcopi Segovienſis D. Didaci Covarruvias examen, qui, ut Bobadilla noſter enarrat, eiuſmodi honorum Candidatos ad convivium, data ope-

Bobad. in pol. lib. 1. c. 3. n. 18. Cāpan. de requiſit. elect. n. 92. pag. 104.

ra,

ra, vocare cõſueverat, inibique varios ſermones, & quæſtiones admiſcens, eorum prudentiam, ſcientiam, ac modeſtiam pertentare.

32 Pariter quoque hac in parte laudari, & imitari debebit Ferdinandi Primi Neapolitani Regis exemplum, qui, ut Matthæus de Afflictis, & alij recenſent: *Habebat libellum nominum, & cognominum virorum bonæ opinionis, ſecundùm diverſitatem officiorum, & ſic ipſe magis dignos eligebat, prævia ſecreta inquiſitione.*

Afflict. in conſtit. Neap. lib. 2. rub. 5. fol. 17. n. 3. Viſcotus in concl. iur. verb. *Rex*, Caſtill. to. 7. controv. cap. 41. num. 19.

33 Quod ſi non novus talis Candidatus in ordinem veniat, ſed de eius promotione ad ſuperius Tribunal agatur, qualiter ſe in minoribus geſſerit, quodque ſui ſpecimen præbuerit, inveſtigare oportebit, cum Evangelica veritate docente: *Qui in modico fidelis repertus fuit, ſuper magna conſtitui debeat.* Et de ſuo Trajano dixerit Plinius, nihil apud eum magis prodeſſe Candidatis ad ſequentes honores: *Quàm peractos optimè Magiſtratus. Magiſtratuſque Magiſtratu, honore honorẽ petendum eſſe.*

Lucæ 19. 17.

Plin in Paneg.

34 Cui conſonans Caſsiodorus, quendam laudans, qui ſe hoc modo ad maiora paraverat, inquit: *Quia enim de priore ſenſerimus præmio, ſecundæ dignitatis declaramus augmento. Nati ſunt tibi faſces ex faſcibus, & naturam retinentes fœtus arborei; pullulaverunt iterum decenter abſciſſi.*

Caſsiod. li. 1. ep. 12

35 Vnde paſsim in iure monemur, ut gradatim hæc munera conferantur, & data meritorum paritate, minoribus honoribus functi, ad maiora conſcendant. Neque quemquam celſiorem gradum obtinere, niſi cui laborum aſsiduitas, & ſtipendiorum prolixitas ſuffragatur. Et in hoc omnem cuiuſlibet benè conſtitutæ Reip. gubernationem, addo & ipſorum munerum maiorem æſtimationem conſiſtere, ſapienter docuit Ariſtoteles, inqniens: *Omnis conſervandæ Reip. ratio eſt, neminem ornare ſupra modum: ſed exiguos potius, & diuturnos honores tribuere, quàm celeriter magnos. His enim talibus deteriores fiunt, & ferre ſecundã fortunam non poſſunt.*

L. ut gradatim, l. honor, § gerendorũ, D. de muner. & hon. l. fin. C. de Tyron l. 1. C. ut omn. iud. l. 23. tit 21. p. 2. l. 17. tit. 13. l 6. tit. 22. ead. par. cũ alijs apud Me in tractat. de muner. don. n. 54. & ſeqq. text. omnino legẽdus, in l. ult. verſ. *Illud*, C. de primic. lib. 12.

36 Et elegantiſsimè Caſsiodorus, huius documenti rationem ſic præſtans: *Dignitas, Patres Conſcripti, dum ad incognitum venit, donum eſt: cum ad expertum compenſatio meritorum: quorum alter debitor iudicij; alter obnoxius eſt favori. Hos enim æſtimatione ſubvehimus, alios gratia promovemus, & ad omnes indulgentiæ vias noſtra ſe relaxat humanitas.* Et alibi: *Securus celſa conſcendit, qui ſe in paulò minoribus approbavit, & certo procedit veſtigio, qui gradatim deſiderio potitur accepto &c.* Qui & ipſe idẽ, Patritius creatus, de eo vehementer lætatur, *Quòd non fragili facilitate fortunæ, ad apicem faſcium repentinis ſucceſsibus evolavit, ſed ut creſcere virtutes ſolent, ad faſtigium præconij conſcendit gradibus dignitatum.* Et iterum Cyprianum laudans, ad Patritiatus dignitatẽ, poſt plures alias, evectum: *Si favore* (inquit) *veſtro dignus eſt, qui vel ſemel Regale potuit impetrare iudicium, quid P. C. vir magnificus merebitur Cyprianus, qui vobis toties gratior debet effici, quoties à nobis dignitates acceperit. De primo deniq; provectu poteſt eſſe cunctatio, dum multi fallant Principis animum, quando facilè eſt illudere, cui ſemper votum eſt prælitiſſe. Hæc eſt certa gloria, hæc indubitata ſententia, frequenter potuiſſe*

Ariſt. lib. 3 de Rep. cap. 8.

Caſsiod. lib. 1. epiſ. 13.

Idem lib. 8. epiſ. 13

Idem lib. 1. epiſ. 3. & 4.

Idem Caſsiod. lib. 8. epiſt, 22,

me-

mereri;per quod homines conſtat ornari. Hos etiam intrare noſtram curiã decet, qui ad primos honores non expendunt meritum ſuum, ſed cum magna ſuſceperint, iterum maiora promerentur. Ornant quippè tales & noſtra iudicia, quoniam benè prius electus creditur, qui ſæpius approbatur, &c.

Livius lib. 32.

37 Et hoc eſt adeò verum, ut vel apud Livium legamus, hac ſola ratione, Plebis Romanæ Tribunos repugnaſſe, ne Titus Quintius Flaminius veluti per ſaltum ex quæſtura ad Conſulatum tranſiret, ſic omnia turbari cauſantes: *Iam ædilitatem* (inquit) *præturamque faſtidiri, nec per honorum gradus documentum ſui dantes, nobiles homines tendere ad Conſulatum; ſed tranſcendendo media, ſumma imis continuare.*

Tacit. Ann. 3.

38 Et Cornelius Tacitus, nimiam hanc & præporam ambitionẽ, Brutidium, alioqui benè meritum, dum ad ſuprema non gradibus, ſed ſaltibus elevari geſtiebat, præcipitem egiſſe, his verbis oſtendit: *Brutidium, artibus honeſtis copioſum, & ſi rectum iter perageret, ad clariſsima quæque iturum, feſtinatio extimulabat, dum æquales, dein ſuperiores, poſtremo ſuaſmet ipſe ſpes anteire parat, quod multos etiam bonos pessumdedit, qui ſpretis, quæ tarda, cum ſecuritate, præmatura, vel cum exitio properant.*

L. 6. lib. 1. tit 1. Cod. Theodoſ.

39 Sed præſtat ſeveriſsimam Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij legem ſubiicere, quæ hos increpans ſaltus, ſic habet: *Nihil eſt tã iniurioſum in conſervandis, & cuſtodiendis gradibus dignitatis, quàm uſurpationis ambitio. Perit enim omnis prærogativa meritorum, ſi abſque reſpectu, & contemplatione, vel qualitate etiam provectionis emeritæ, cuſtodiendi, honoris locus præſumitur potius quàm tenetur: ut aut potioribus eripiatur id, quod eſt debitum, aut inferioribus proſit, quod videtur in debitum.*

Plin. in Panegyr.

40 Ac planè, verè Plinius in Panegyrico adſerit, utile, ac ſalutare eſſe Præſidibus provinciarum, hanc habere fiduciam, paratum eſſe induſtriæ ſanctitatique ſuæ maximum præmium, iudicium Principis, ſuffragium Principis. Additque ante Trajani Imperium, ſi quis quid benefeciſſet, Cæſarem neſciſſe, aut ſi ſciſſet, teſtimonium non reddidiſſe: *Ita eadem illa* (inquit) *negligentia, ſeu malignitas Principum, cum malè conſultis impunitatem: rectè factis nullum præmium polliceretur, nec illos à crimine, & ſorde, nec hos deterrebat à laude. At nunc, ſi benè aliquis provinciam rexerit, huicque iſta virtute dignitas offertur. patet enim omnibus honoris, & gloriæ campus.*

Ariſt. 5. polit. latè Bobad. lib. 1. c. 4. per tot. & Cãpana de requiſ. elect. n. 85. & ſeqq.

41 Caveant autem qui his muneribus impertiendis invigilant, ut non niſi raro, & ex magna cauſa ob ſolum Natalium ſplendorem, ea Nobilibus viris diſtribuant. Nam etſi non negem, cæteris paribus, imò & aliqua etiam inæqualitate exiſtente, iuſtum eſſe, ut nobilitati plurimum deferatur, pro qua & ipſa, rerum benè gerendarum præſumtionem extare Ariſtoteles, & plures alij à Bobadilla relati, conſtanter docuerunt. Hoc tamen, ut ipſi ijdem adiiciunt, ita accipi debet, ſi eadem Nobilitas, cum neceſſarijs alijs partibus, & artibus ad gerendum Magiſtratum, ſit coniuncta, nec omninò virtute deſtituta reperiatur.

Iuven. ſatyr. 8.

42 Alioqui nemo ambiget: *Miſerum eſſe* (ut Iuvenalis ait) *aliorum in*

cum-

cumbere famæ; atque ut Velleius Paterculus tradit; *Optimum quem, qui nobiliſsimum eſſe*;& in cuiuſcumque animo virtus inſit, ei plurimum eſſe tribuendum. Quemadmodum, iuxta ipſius Ariſtotelis doctrinam, & exemplum, ſi tibicinem, aut organicum quærere iuberemur, non nobilem, aut divitem quæreremus, cũ ſola nobilitas, atque opes, nihil omninò iuvent ad rectè, & ex arte canendum; ſed eum quidem, qui illa arte excelleret, & organorum poſſet exhibere præſtantiam: quẽ præivit ipſius Magiſter Plato: *Non ideò* (inquiens) *Magiſtratum alicui dabimus, quia dives eſt, aut huiuſmodi quicquã poſsideat, aut robores magnitudinẽ, vel generis claritatem; ſed ei, qui poſitis legibus parebit maximè, & hac re cæteris ſciens, in civitate præſtabit.*

Paterc apud Lipſ. lib. 3. polit. c. 10.

Ariſt. lib. 3. polit. c. 15. Pote de poteſt. Proreg. tit. de electión. off. §. 5. n. 9.

43 Hincque de Tiberio, antequam Principatum initio laudabilem, in deterius verteret, apud Tacitum legimus: *Sic in mandandis honoribus nobilitatem maiorum, militiæque claritudinem ſpectaſſe, ut ſimul in promovendo, inluſtres domi artes inſpiceret, ſicque ſatis conſtaret, non alios potiores fuiſſe*; & conducunt verba Apulei, quorum ſuprà in alio Emblemate memini.

Tacit. 4. Ann. 1.

Apulei. in lib. de Deo Socrat. Vide ſup. Embl. 34. Marquez lib. 1. c. 5. §. 2. pag. 25 Bobad. lib. 1. cap. 7. & 8.

44 Eadem quoque attentione, & ſedulitate in cavẽdis nimis ambitioſis, & minùs honeſtis, ac legitimis medijs ad eiuſmodi dignitates aſpirantibus, procedere oportebit, qui ſurſum, deorſum, rurſus, prorſus, ut benè Fileſacus animadvertit, omnia verſant, ut aliquo in pretio, tanquam rerũ omnium periti, ac proinde civilibus officijs digni, habeantur; quoſque, ut cum M. Varrone ſubdit: *Tãta invaſit cupiditas honorũ, ut vel cœlum ruere, dummodo Magiſtratum adipiſcantur, exoptent.* Cum tamen imperitiſsimi, ut plurimum eſſe ſoleant, & de illis de quibus Socrates apud Platonẽ conquerebatur, ad plebeias, & vulgares artes ſolere ſemper omnes ſuam imperitiam fateri, in quibus peccaſſe non tanti eſt, ad Rempublicam verò, in qua gerenda periculoſiſsimè peccatur, ſe omnes aptos, ac peritos eſſe præſumere.

Fileſac. 2. ſel. tract. 1. cap. 4. in fin.

Plat. Alcib. 1. ornat Bobad. lib. 1. c. 6. n. 1. & ſeq. Brãt: de Senat. lib. 1. c. 8.

45 Etenim vel ob ſolam hãc nimiam ambitionẽ, ſe ipſis muneribus indignos efficiunt, iuxta eiuſdem Platonis ex Socrate documentum, qui civiles honores hominibus, Imperij minimè cupidis, concedendos eſſe concludit, & mulcta impoſita, ſi laborem adminiſtrationis detrectent, cogendos, ac compellendos: *Turpeque ſibi videri, ut quis ad eam, vel ſua ſponte accederet, vel non coactus veniret, quamvis re vera non ſua cauſa faceret, ſed pro incolumitate civium: quòd ſemper relictus eſſet ſuſpicandi locus, ſe dignitatem, nõ aliorum utilitatẽ reſpicere.* Quod Galbã re ipſa exercuiſſe Trãquillus ſcribit, & in ſuis Trajanis, & Theodoſijs Plinius, & Pacatus valdè collaudãt, & in Alexãdro Severo Lãpridius, inquiẽs: *Invitos, non ambientes in Rempublicam collocandos eſſe dictitabat.*

Plat. lib. 1. & 7. de Rep.

Suet. in Galb. c. 15.

Lampr. in Alex: Severo.

46 Idemq; votum Symmachi urbis Præfecti fuiſſe videtur, dum in ſuis epiſtolis dixit: *Melius urbi noſtræ in poſterũ conſuletis, ſi eligatis invitos, nulloſque avidius trahatis, quàm nihil deſiderantes.* Et Martiani Imperatoris, qui ad res privatas, vel publicas ſinceriſsimè gubernãdas, homines invitos cogendos ſtatuit. Quippè inquiens: *Fœliciſsimã fore Rempublicam, ſi à nolentibus, & actus publicos recuſantibus, gubernaretur.*

Symmac. lib. 3. ep. 81. & 10. epiſt. 30.

Mart. Imp. in novell. tit. 1.

Et in hoc tendunt plurima Civilia & Canonica iura, quæ docent,

L.contra publicã, C.de re mil.lib.12 l. ſancimus, C. ad leg.Iul. rep. c.miramur, in fin. diſt. 61.c.ſancimus 17. q.7. Plin.Iun.lib.5. epiſtol.15. Claudian.lib.3. de laud.Sſtilic.

quòd *Honoris augmentum non ambitione,ſed labore ad unumquemq; convenit devenire,& quòd notari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adiuvant.* Necnõ & bonorum Auctorũ teſtimonia,quæ ultrò oblatos Magiſtratus,hac de cauſa pluris eſſe faciendos inquiunt.Quale eſt illud Plinij Iunioris de Cornuti Tertulli,ad Æmiliæ viæ curã promotione,lætantis: *Quòd ſit licèt,ſicut eſt ab omni ambitione longè remotus, debet tamen ei iucundus eſſe honor ultrò datus.* Et Claudiani,Stiliconem laudantis,quòd ſola fuerit virtute ad ſupremos Magiſtratus,nõ ſolùm vocatus,ſed coactus:

Ipſa Tibi trabeas ultrò dedit, ipſa Curulem
Obtulit.Hæc ultrò faſtos ornare coegit.

Idem in Cõſ.Mãl. Theod.in princ.

Qui idem repetit,de Manlij Theodori Conſulatu ſermonem habens, docenſque,quòd virtutem,ut in ſummo hoc viro contigit:

------- *In vitam blandè veſtigat, & ultrò*
Ambit honor.

47 Et generalius Claudius Mamertinus,hoc veluti requiſitũ in eiuſmodi electionibus ad meliorẽ ipſarum exitum poſtulat: *Vt otioſis, atque alia curantibus, Provinciæ, Præfecturæ, faſces, ſella curulis, atque inſignia omnia Magiſtratuum deferantur.* Nam ambitio,ut Salluſtius inquit, à noſtro Bobadilla laudatus: *Multos mortales falſos fieri ſubegit, magiſque vultum, quàm ingenium bonum habere.* Eorumque vitia,ut præclarè Tacitus addit, *Quò maiori dum prenſant bonitatis imagine obteguntur, eò in infenſius flagitium poſt Magiſtratum adeptum erumpunt, datumque eſt non rarò exemplum præcavendi, quomodo flagitijs commaculatos, ſic ſpecie bonarum artium falſos.*

Salluſt. in Catilin. Bobnd.lib.2.c.7. num.15. Tacit 1.ann.adfin. & 15.n 9.

48 Quod tamen nõ ita amarè & ſtrictè accipi volo,ut ob modicã ambitionẽ per legitimos tramites ductã,uſquequaque reprehẽdi excludivè debere cenſeã illos, qui ſuis litteris, & virtutibus nixi, & confiſi, ſe cognoſcendos eligentibus præbẽt, & Reipublicæ muneribus offerũt. Sæpè quippè aliàs,ut prudenter Ioan. Brantius animadvertit, ſumma ingenia in occulto laterent,ut Plautus in captivis dicebat, & iuxta illud Senecæ Tragici: *Nullis nota Quiritibus*

Ætas per tacitum flueret.

Brãt.in ſenect. lib. 1.c.11. & 20. Ego 2.tom. lib. 4. c.4. n.15.& ſeqq.

49 Neque enim ita nunc benè agitur cũ rebus humanis, ut virtutis & ſcientiæ fores ad præmia pulſentur,unde licitũ eſt,licitè vias tentare, quibus ſe quiſque poſsit tollere humo,& ſuæ fortunæ faber eſſe,à qua virtus derelicta ac deſerta,ſuum locũ, atque dignitatem tueri vix poteſt.Quis enim neget,ut dicebat Q. Curtius: *Eximiam quoque gloriam ſæpius fortunæ, quàm virtutis eſſe beneficium.* Et iuxta illud Plinij Iunioris: *Nulli cuiquam tam clarum ſtatim ingeniũ eſſe, ut poſsit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat.*

Curt.lib.3.

Plin.Iun.lib. epiſt.

50 Qua de cauſa Virgilius ſummi ſui ingenij vires agnoſcẽs, turpe nõ duxit,his modis viam ad illud propalandum ſternere, & liberè potuit ac ſine iactantiæ vitio,de ſe in ſuis Georgicis decantare:

Virgil.3.Georg.

-------- *Tentanda via eſt, qua me quoque poſsim*

Tol-

Tollere humo, victorque virum volitare per ora.
Primus ego in patriam (mecum, modo vita ſuperſit)
Aonio rediens, deducam vertice Muſas.
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

51 Illeque ipſe Plato, qui adeò rigidè in ambitioſos ſe habet, doctis & honeſtis viris permittit, ultrò ſe ad Reip. gubernationē inferre, tanquã ad rem neceſſariam, cum neque melioribus, neque ſimilibus eã committi videant, atque experiãtur. Et Iſaias Propheta eodē fortè charitatis zelo permotus, quærenti Deo, quem ad populũ mitteret? & quis ibit nobis? *Ecce ego, mitte me*; ultrò & incunctanter reſpondit, non pertimeſcens de diſcrimine vitæ, quod ſibi ex ea legatione ad cædē imminebat; quod, ut Hieronymus Regius, ultra plures alios, interpretatur, non tam fuit ultrò legationem expetere, ſed à Deo ſibi oblatã non repugnãter accipere, & in rem adeò neceſſariã, ſuum miniſteriũ offerre, promtamque, ac paratam obedientiam, purgatis iam ante ferro candenti labijs, manifeſtare.

Plato de Republ. dial. 1.

Iſai. cap 6. & 8.

Regi⁹ in Latrobio ſive de appet Epiſcop. fol. 15. & ſeq.

Senec. de provid. cap. 4.

52 Atque apud Senecam legimus, ſub Caij Cæſaris Imperio, Mirmillonem vixiſſe, qui cum ſe fortè ad Reipublicæ munera aptum agnoſceret, & nihilominus ad ea rarò vocari, *Quam bella ætas perit*, exclamare ſolebat, quaſi dolens, virtuti ſuæ occaſiones, quibus poſſet eniteſcere, non contingere.

Horat. 3. car. od. 2

53 Planè, ubi ſe eò extendit & profert Ambitionis exceſſus, ut pecunia quis eiuſmodi officia tētare audeat, quæ ſcire debuit ſola eſſe virtute paranda, cum hæc, ut Horatius ait, Repulſæ neſcia ſordidæ, incōtaminatis honoribus gaudeat; procul erit ab eorundem conſecutione mandandus. Nã etſi in ijs, quæ directè iuſtitiæ adminiſtrationē nō cōcernunt, qualia ſunt Tabellionatus, Decurionatus, & ſimilia, publicis neceſſitatibus ſuadentibus, tũ in Hiſpania noſtra, tũ alibi, receptũ iã ſit, in nundinationē poſſe deduci, ex cōſilio D. Thomæ ad Ducisã Brabãtiæ remiſſo, de cuius veritate, praxi, & intelligētia plurimi plurima tradiderunt, quos in unũ Ego alibi cōgeſſi, qua ſola allegatione contentus nunc ero. Non tamē deſunt, qui vel in his contrarium tueãtur, & receptæ praxis damna cōmemorent, ut cōſtat ex peculiari tractatu ab inſigni ſuæ tempeſtatis Theologo Fr. Franciſco à Victoria hac de re anno 1552. typis excuſſo. Et in reliquis, quibus iudicandi munus, iuſtitiæque populis dicendæ, & adminiſtrandæ ex ſua natura cohæret, concors omniũ bene ſentientiũ doctrina eſt, omnem venalitatem turpiſque lucri quæſtum, in eorum electione, & diſtributione exulare debere, reprobata Commodi, Zenonis, Anaſthaſij, & aliorũ Imperatorũ ac Regum, prava in contrariũ introductione, qui ex his venditionibus, ut Suidas, & alij referũt, ingentem pecuniarũ vim corrogaſſe legũtur.

D. Tho. in opuſc. ad Ducis Brab. latiſs. Lobad. Maſtrill. Porrel Diana, & alij apud Me 2. tom. lib. 5. cap. uni. n 101 & in Polit. li. 6. c. 13 pag. 594

Innumeri ap. Me, ubi ſup. Gaſp. Hiſp. de conſil. 2. part. pag. 28. & 29. Bo am. lib. 5. c. 4 pag. 884 Ammir. lib. 3. in Tacit. diſcurſ. 8. Menoch caſ 401. latè Alcaff. de ærar. ord. 188. 777. & 1359.

Suid. relatus à Cōtio in notis ad Authent. ut iud. ſine quoq. ſuffrag.

54 Quam, licèt Bodinus, & alij, urgentibus publici ærarij neceſſitatibus, defendi poſſe prætendãt, & Gallia hodieque paſſim obſervet, in qua ſunt, qui referant, Ludovicum XII. ex officiorum venditione triginta milliones librarum percepiſſe, eamque conſuetudinem imprudenter ne dicã impudenter à criminatione Modernus quidã excuſare

Bodin. de Rep. lib. 6. c. 2. fol. 1010. & alij ap. Alcaff. ſup.

Porer. lib 2. hiſtor. Dern. cap. 1. apud Alcaff. ord. 1359.

Euphor. ſive Barclaius de Iconib. anim. c. 3. ubi de Gallia, pag. mihi 394.

tentet ex eo: *Quòd ſatius videatur, profeſſo pretio, dignitates à Principe, molem publicam ſubeunte, proponi, quàm avaris purpuratorum* (hoc eſt conſultantium) *ſuffragijs, in prædam concedere, qui ubi hæc publica licitatio non eſt, obtrudunt Regibus candidatos, quos ſibi munere chariſsimos fecerint, & quod à domino impetrant, deinde clientibus vendunt,*

Hot. in Frãc. Gall. cap. 27 Benedict. verb. *Duas habẽs*, n. 55. Corral. in l. un. n. 14. de offic. Conſ. Petr. Greg. lib. 25. ſynt. c. 11. n. 7. lib. 36. c. 29. n. 20. & lib. 9. de Repub. c. 1. n. 35.

Planum tamen eſt, vel omnes recti iudicij eiuſdẽ Galliæ Auctores 55
contrarium ſentire, damnaque huius corruptelæ flebiliter deplorare, ut & nuper Ioannes Fileſacus latiſsimè fecit, in tractatu integro, quẽ in deteſtationem venalium dignitatum ſcripſit; & Ioannes Savaro in altero de iure annui, quo Regi ſuo conſuluit, parum è re, & dignitate Regni eſſe, ſi annua præſtatio tolleretur, niſi abrogaretur ipſa honorũ emtio, & virtuti reſtitueretur, quod dudum pecunia, & ambitio ipſi rapuerunt. Exemplum etiam proferens Divi Ludovici Regis, qui id præſtitit, ad gubernacula Reip. admotus.

Fileſac. 1. ſelect. tit. dignitas venalis. Salvian. lib 4. de provid.

Et priſcis anteà ſæculis Salvianus, & ipſe Gallus, his verbis eandẽ 56
venalitatẽ execratur: *Quid eſt aliud dignitas ſublimium, quã proſcriptio civitatũ? Aut quid aliud quorundã, quos taceo Præfecturæ, quàm prædæ? Ad hoc honor à paucis emitur, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur, &c.*

Aſcaff. dict. ordin. 539. Pet. Matth. in hiſt. mortis Henr. IV. Thuan. lib. 132. ad ann. 1604.

Quinimò & ipſe Ludovicus XII. hoc tandem animadvertiſſe dici 57
tur, eiuſmodi mercatores officiorum, quod emiſſent averſione, ſigillatim vendere ſolitos, inquiens. Et Henricus IV. ipſius etiã Galliæ Rex, qui Petro Matthæo, & Auguſto Thuano teſtãtibus, ſeriò hanc turpiſſimam Magiſtratuũ nundinationem expendit: *Duplicia tributa à ſubditis exigi queritans, unum pro Rege, alterum pro officialibus; ſed prius per poſterius fieri intolerabile, vixque caveri poſſe, ut Rex, & ſubditi, ſimul non ſpolientur*. Nam præter quàm quòd experientia docet, huic quæſtuariæ venalitati turpiter proſtitutas iacere dignitates ipſas iudiciales, etiam plebeculæ deſpicabiles, nullumque tam vilem cerdonem, vel coquum eſſe, qui non ſperet, ſe, filiumve ſuum, etiam Senatorem, vel Præſidem Parlamenti fieri poſſe, ſi pecunias undecũque corroſas adnumerare valeat. Quid eſt, quod miſer populus non patiatur ab his, qui non virtute parta, ſed numulis emta dignitate ſuperbiunt? dum pro uno aureo, quod Principi pendunt, infinitas revendendi carius iuſtitiam ſubditis occaſiones architectantur.

Quod præoculis habens Alexander Severus, inter optimos ex Ro- 58
manis Imperatoribus nõ immeritò computatus, nunquã Magiſtratuũ nundinationẽ, ut Lampridius memorat, permittere voluit: *Honorẽ iuris* (inquiens) *& gladij nunquã vendi paſſus eſt, dicens, neceſſe eſt, ut qui emit vendat. Ego non patiar mercatores Poteſtatũ, quos ſi patiar, damnare non poſſum. Erubeſco enim punire illum hominem, qui emit, & vendit.*

Lampr. in Alex. Severo.

Alex. Caſſan. in axiom. polit. ad Alex. Sever. cap. 15. pag. 90.

Quem locum latè, & eruditè illuſtrans Alexander Caſſaneus, qui 59
etiam ex Gallis eſſe conſpicitur, alia ei ſimilia congeſsit, inter quæ illud Salviani Maſsilienſis Epiſcopi, ſic inquientis: *Nulla maior pauperculorum eſt depopulatio, quàm Poteſtas, ad hoc enim emitur honor à paucis, ut cunctorum vaſtatione ſolvatur. Quo quid eſſe iniquius, quid indignius poteſt. Reddunt miſeri dignitatum pretia, quæ non emunt: commercium neſciunt, ſolutionem ſciunt.*

Eſſe-

60 Eſſeque uſitatiſsimum, ac veluti gentium iure permiſſum, ut quod quis emit vendere poſsit, & ſoleat, ante Alexandrum Severum, de eadem licitatione officiorũ agens, ſatis inſinuavit Ariſtoteles, inquiens: *Qui Magiſtratus emerint, hos quæſtibus aſſueſcere probabile eſt, cum ſumtu imperia ſint aſſequuti.* Senecaque dixit his verbis: *Nam Provincias ſpoliari, & num mariũ tribunal, audita utrimque licitatione, alteri addici, non mirũ: quando quæ emeris vẽdere, gentium ius eſt.* Et Cicero Verrẽ accuſans, & ſic inquiens: *Te autẽ Prætore, quis Cenſor, aut legẽ metuerit, qua non tenetur: quoniam creatus lege nõ erat. aut animadverſionem tuam, cum idem quod abs te emerat, vendidiſſet.* Vnde velut in Adagium verſus ille tranſivit:

Vendere iure potuit, emerat ipſe prius.

Quod miror ab Adagiographis prætermiſſum.

Alex. Sever. c. 15. pag. 90.

Ariſt. 2. polit. c. 9.

Senec. 1. de benef. cap 9.

Cicer. 4. in Verr.

61 Eademque ratio movit Iuſtinianum, & alios Imperatores, ut tantopere curaverint, Iudices, cæteroſque Magiſtratus, ſine quoquo ſuffragio, ullavè largitione, ad iuſtitiæ Tribunal accedere: *Conſideravimus enim, inquiunt, quòd licèt quæſtus immodicus imminuitur Imperio, attamen noſtri ſubiecti incrementum maximum percipient, ſi indemnes à iudicibus conſerventur; & Imperium, & Fiſcus abundabit, utens vaſſallis locupletibus.* Et poſt alia: *Nullo eos præſumente cum fiducia redarguere, cum illi repentè ſe emiſſe cingula pronuntient.*

Iuſtin. Novell. 8. in princip. & Novell. 86. c. 3. Idẽ Iuſtin. in l. 1. in princ. C. de off. Præf. Afric. cũ multis alijs ap. Med.to 2. lib. 4. c. 4. n. 14. & ſeqq.

62 Quas Novellas leges, illa famigerata Theodoſij, & Valentiniani Impp. præceſsit, quæ *Sancimus* (inquit) *eiuſmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris inſignia, non ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ, & amplitudinis tuæ ſolent teſtimonio promoveri.* Quæ ſupervenit ad tollendam aliam, quæ temporibus Honorij, & ipſius Theodoſij, quaſi in ſumma fiſci inopia, honores pretio addici permiſſerat, ea tamen lege, ut quis propria pecunia eos emeret, non etiã ut liceret in rem eam mutuam accipere. Certè enim Honorius, velut invitus, hanc licentiam conceſsit, nam eum contrarium ſemper optaſſe Claudianus ſic, de hoc ipſum laudans, ſcripſit:

Trudit avaritiam, cuius ſæviſsima nutrix
Ambitio, quæ veſtibulis, foribuſque potentum
Excubat, & pretijs commercia poſcit honorum.

L. ſancimus, C. ad leg. Iul. rep Canonizata apud Gratian. in cap. ſancimus.

L. pen. C. ſi cert. petat.

Claudian. in Conſ. Honor.

63 Quem etiam eundem ambitum, bella civilia inter Romanos peperiſſe, & tantæ urbi lethalem fuiſſe, his verſibus luget verius, quàm canit, Lucanus:

Hinc rapti pretio faſces, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, lethaliſque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo.

Lucan. 1. Pharſ.

64 Supradictis illa quoque accedit ratio, quæ vel cæteris deficiẽtibus ſatis urgens inſigni Magiſtro Aragonio videtur, nimirùm, quòd cum Regibus à ſubditis, ob Magiſtratuum conſtitutionem, & iuſtitiæ adminiſtrationem tributa pendantur, ut præter alios graviter docuit Caſ-

Aragon 2. 2. q. 63. art. 2. fol. 325.

Caſsiod.li.6.ep.24

ſiodorus, inquiēs: *Tributa nobis annua devotione perſolvitis; ſed nos maiore vicißitudine decoras vobis reddimus dignitates: ut vos ab incurſantium pravitate defendant, qui noſtris iuſsionibus obſecundant, &c.* Eis gratis illam præſtare debent, quod haud quaquam efficient, ſi ab ijs, quos huic muneri præficiunt, pecunias exigant, & ſic tacitè ſubditos ipſos eorundem rapacitati tributarios efficiant. In quo maius ſacrilegium, quàm in venditione Præbendarum committi, Petrus Bleſenſis doctis argumentis evincit, poſt alia ſic finiens: *Princeps ipſe doceat venerationem iuris, donans Tribunalia, non vendens, quid mirum ſi vendant Iudices iura, ſi ipſe Rex vendidit iudicia.*

Bleſenſ. relatus à P. EuſebioNoriēb. in Theopolit. 2.p. lib.3.cap.3.

Poteſt etiam denique altera ratio ſubiungi, quòd cum in hac Officialium, ſeu Magiſtratuum, de qua agimus, electione, in Regum Perſonis, ut ſaltem dignum eligant, in alijs, qui eis ad hoc coſulunt, & adſiſtunt, ut digniorem proponant, ſub peccati reatu, probati quique Auctores requirant, cum cautionibus, & temperamentis, quæ latè & doctè Ludovicus Molina, M. Marquez, & alij plena manu a Me alibi laudati, tradiderunt, ſatis apparet, hoc requiſitum ullo modo ſervari non poſſe, cum abſque prævia aliqua conſultatione, quæ ut idem Marquez benè ſubiunxit, has electiones ſecuriores facere ſolet, illi eliguntur, & promoventur, qui plus in licitatione pretij contulerint, quod ſatis prævidit, & his verbis ſcriptum reliquit D. Gregor. *Quid per hoc aliud agitur, niſi ut nulla de actu probatio, nulla ſolicitudo de moribus, nulla ſit de vita diſcuſsione, ſed ille ſolummodò dignus, qui pretium diſcuſſerit, æſtimetur.* Et iterum alio in loco: *Vbi non merita, ſed pecuniæ ſuffragantur, reſtat, ut nihil ſibi probitas, nihil ſibi deferat induſtria, ſed totum auri profanus amor obtineat.* 65

Molin. de primog. lib.2. cap.5. n.50. Marq. in gub. Chr. lib.1.c.11.§.4. Maſtrill. Ant. Velazq. Zapata, Acuña, & plures alij ap. Me 2. tom. lib.3. c. 7. n.8. & lib.3. c.15. n.66. & lib.4.c.12. num.31.

Marq. ſup. lib.1. c. 5.§.4. fol.128.

D.Greg. epiſ.110.

Idem epiſt.114.

Et contra venalitatem officiorū, vide alia loca apud Salazariū in Proverb. 2.tom.col.950.

In quibus quidem referendis, paulò latiùs calamum currere paſſus ſum, quòd his inquiſsimis ob peccata noſtra, & ingruentia bella, temporibus, non deſunt aliqui, qui hoc congerendarum pecuniarum medium proponant. Quibus, faxit Deus, ne Reges noſtri unquam pias aures accommodēt; ſed glorioſis Anteceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtant, apud quos, ut inquit P. Celada, antiquiſsimi, & laudatiſsimi moris fuit, ut meritis mercēturhæc munera, & ut quos in Magiſtratus eligunt, integritate muneris redimant honoris impenſas. An autem iuſtum, vel expediens videri poſsit, quòd Reges & Principes extraneos à ſuis Regnis homines, in conſilia ſua ſecretiora, tam Belli, quàm Togæ recipiant, vel eiſdem publica Magiſtratuum, & Adminiſtrationis iuſtitiæ munia, naturalibus neglectis, permittant, quæſtio eſt, quæ frequenter ſolet ab omnibus Iuridicis & Politicis Scriptoribus agitari, & quæ, ſi altius repetenda, & retractanda eſſet, integrum caput, imò & volumen expoſtularet. Cæterum quoniam alibi, omnes ferè, qui de ea agunt, plenè congeſsi, & quid in ea ſentiam, ſufficienter aperui, hac nunc remiſsione contentus, huic commentationi, quæ iam ſua mole laborat, finem impono. 66 67

Celada in Iudith. cap.3.§.3.n.8.

Ego 2. tom. lib.3. cap. 19. & rursùs lib.4.c.4.n.50. ubi plures allego, & inf. Embl.55. in fin.

(***)

Lu-

Lucernam alat,qui luce opus habet.

EMBLEMA LIII.



Inſtaurat rutilum radiato in lampade lychnum,
Quem iuvat exilis ſedula cura foci.
Sic Populi qui Rector amat radiare Miniſtros,
Præmia,quæ accendant lumina clara,dabit.
Namq; ut ab infuſa ſplendeſcit Pallade flamma,
Præmia iuſtitiam continuata fovent.

COMMENTARIVS.

1 EADEM ratio,quæ bonos & fidos Cõſiliarios, ac Magiſtratus Regibus Principibuſque commendat,æquo poſtulat iure,ut quos tales experti fuerint, ſummo in honore habeant, & iuſtis præmijs ac muneribus proſequantur. Nam licèt Iuſtus Lipſius, velut arcanum dogma ſuggerẽs,ſentire videatur,bona conſilia præmijs afficienda non eſſe, ne quis ſpe illa adipiſcendi à vero deflectat, & ad Principis conſulentis gratiam loquatur, vel ſuperbia tumere incipiat,dum ſe placere præſumit,ut iam ſuprà in alio Emblemate tetigi.Reliqui tamẽ Politici,quos Reinhard9 Coningus refert,& ſequitur,in cõtraria sũt opinione, vel illã Lipſij rectè limitãdã exiſtimant, ut licèt in continẽti,& ob ſingula ſuaſa & cõſilia,remunerari non debeãt, ne illa venalia habere videantur,& mercedẽ expectare pro eo,

Lipſ.lib.3.polit.c. 8.num.11.

Sup.Embl.46.

KecKerman.Althus. And. Rei, & alij apud Coning. in Th.pol.2. par. cap.32.pag 242.

Iul. Paul. in l. ult. de codict. ob turp. cauſ. cum ſimil. l. 48. tit. 14. par. 5.

quod gratis, & ex ſuſcepti officij obligatione facere tenentur, contra Iuris Conſulti Pauli reſponſum. Poſtmodùm tamen, ſummo ſtudio, ac vigilantia de ipſis, quos ſibi, longo temporis tractu, benè, ac fideliter inſerviſſe ac conſuluiſſe comperiunt, honorandis, amplificandis, ac locupletandis, curare Principes oportere, ut hoc pacto eoſdem in fide, & officio conſtantiores, atque alacriores efficiant, & alios ad parem gratiam promerendam accendant.

Caſsiod. li. 2. ep. 16. Infr. Embl. 72. Claudian. de laud. Stilic. lib. 2.

Nutriunt quippe (ut Caſsiodorus ait, & in alio loco latiùs dicemus) *præmiorum exempla virtutes: nec quiſquam eſt, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando remuneratum non relinquitur, quód conſcientia teſte laudatur.* Et ſecundùm Claudianum: 2

------ Egregios invitant præmia mores,
Hinc priſcæ redeunt artes, fœlicibus inde
Ingenijs aperitur iter, deſpectaque Muſæ
Colla levant.

Dio Caſs. in Aug. lib. 52.

Quam ſententiam ſatis probat, apertèque confirmat Mæcenatis ad Auguſtum Cæſarem monitum, quod a Dione Caſsio his verbis in eius vita refertur: *Eos qui rectam ſententiam, probamque dicent, & lauda, & honora, illorum enim inventis benè audies, &c.* 3

L. 18. in fin. tit. 9. p. 2. & in l. 5 in fin. eiuſd. tit. & part.

Eandemque animadverſionem, veluti in vim legis, à ſuis ſucceſſoribus ſervari voluit Rex noſter Alfonſus X. nam poſtquàm in una ex ſuis ſeptem Partis accuratè diſpoſuit, quas partes boni Iudices, & Magiſtratus habere, & quomodo ſe in his officijs gerere debeant, ſic ſubiungit: *E quando los Iuezes tales fueren, debeios el Rei amar, è fiarſe mucho en ellos, è fazerles mucho bien, è honra. E quando de otra guiſa lo fizieſſen, deben aver pena, ſegun el yerro que fuere.* Cui legi conſonat illa alia Zenonis Imperatoris, dum inquit: *Qui enim ſuis conſilijs, ſuiſque vigilijs pro toto orbe terrarum diu noctuque laborant, quare non habeant dignam ſua prærogativa fortunam.* 4

L. ult. C. de quad. præſcript. in fin.

Caſsiod. li. 1. ep. 42. Idē lib. 2. epiſt. 28.

Et magis in terminis Caſsiodorus, qui frequens eſt, in hac cura Principibus inſinuanda. Nam in quadam epiſtola, inquit: *Remuneratio meritorum iuſtum dominantis prodit Imperium, apud quem perire neſcit, quod quempiam laboraſſe contigerit.* Et in alia, poſtquàm eandem ſententiam repetijt, & Athletarum Circenſiumque æquorum exemplo commendavit, iuſtius hoc multò in Magiſtratibus probè ſervientibus, & conſulentibus, obſervari debere, his explicat verbis, ſic bonum Magiſtratum depingens, ut piaculum duxerim ea hìc ad litteram non transferre: *Quod ſi ita eſt, dignum videtur hoc homini reddere, qui per honeſta cognoſcitur obſequia placuiſſe. Per tot enim actionum lubricos caſus, fixum tenuiſti militiæ probatæ veſtigium: & quod rarò in ſerviente provenit, permutatio iudicum nunquam circa te variavit affectum. Nec erat in te alieni iudicij quiſquam invidus, cum etiam deceſſorum ſuorum ordinationibus redderetur adverſus. Placere ſiquidem meruiſti cunctis, cum ſemper diligenda cuſtodis, ſilentium in ſecretis, in actionibus efficaciam, in obſervationis labore frequentiam: & quod rarum continentiæ bonum crebra hominum vitia fecerunt, cum multis præberes officia, nulli tuam* 5

operam venditabas. Vocabulum Principis nulla ſorde maculaſti, ſervans dignitatem nominis, exercitatione virtutis. Rurſus in alia ſic habet: *S. Olympici currus agitator rapit præmia poſt labores: ſi ferarum certamen inhoneſtum, velociter ſolet coronare victores; quam celeritatem remunerationis merebitur, à quo laudabiliter militiæ Sacramenta peraguntur, &c.* Et denique ſignanter in alia: *Benè* (inquit) *antiqua moderatione proviſum eſt, ut laboris ſui pretia recipiant, qui publicis utilitatibus obſecundant, ne quis haberetur præteritus, qui probabili fuerat actione laudandus, &c.*

Idẽ lib.11.epiſ.35.

Idem eod.lib.11. epiſt.37.

6 Poſſemque facilè plura alia loca in eiuſdem rei comprobationem adducere, cum nihil magis certũ, magiſque rationi conſentaneum ſit, quam ut ijs, à quibus fidelis actus exigitur, compenſatio debeat imminuta præſtari, & paſsim noſtra iura proclament, virtutum præmia tribui Magiſtratibus merentibus convenire, iuſtiſsimoſque & vigilantiſsimos Iudices ſtatuis poſſe imaginibuſque donari: *Et publicis acclamationibus collaudari, ut honoris eis auctiores deferantur proceſſus*; tametſi hæc propriè ſolis Principibus Romana ſoleret antiquitas reſervare, ut latè Iuſtus Lipſius obſervat.

L. & virtutum, C. de ſtatuis, & imag. l. iuſtiſsimos, C. de off. rect. provinc.

7 Quem acclamationum honorem, etiam poſt depoſitam adminiſtrationem conſeruari, his verbis Impp. Arcadius & Honorius ſtatuerũt: *Qui ex quæſturæ honore, aut officiali magiſterio, aut comitiva utriuſque ærarij noſtri, attonito ſplendore viguerunt, acclamatione excipiantur ſolita, nec prætereantur ut incogniti.* Circa cuius legis, explicationem, & illuſtrationem plura notatu digna Ego alibi commentus ſum, poſt D. Sebaſtianum de Medina Cavallerum, qui circa eandem peculiarem repetitionem ſcripſit.

Lipſ. lib.2. elector. cap.10.

L. unic. C. de quæſtorib. lib.12.

Ego in tract. de muner. honor. n.289. & ſeqq.

8 Sed nihil mihi magis notatu dignum, vel quod ſtrictius poſsit Principum animos ad hanc curam adhibendam cogere, viſum, quàm Anaxagoræ Clazomenij Philoſophi dictum & exemplũ, quod hoc noſtrũ (quod vides) Emblema deſignat. Magnus enim hic vir, qui tempore Periclis Athenienſium Principis vixit, cuius & præceptor fuit, inſigniſque, & præclarus in contemplanda rerum natura habitus, adeò ut fatale totius Græciæ exitium prædixiſſe dicatur; cum eidem Pericli in adminiſtranda Republica, atque in alijs rebus, magno adiumento fuiſſet, in graveſcenteque iam ætate, ab eodem Pericle, alijs negotijs intento, irremuneratus ac veluti oblitus, negligeretur, inedia vitam finire decreverat. Quod cum tandem reſcijſſet Pericles, ad Philoſophi ædes accurrit, precibuſque ac lachrymis conatus eſt, illum ab inſtituto revocare, idque ſui ipſius cauſa, magis quàm Anaxagoræ. Cui ille, iam moribundus, atque animam agens, retecta facie, digitoque ad lucernam, quæ paupertinum tuguriolum illuſtrabat, intenſo: O (inquit) *Pericles, & quibus lucerna eſt opus, infundunt oleum.* Sic illi, amici, fidique ſubadiuvæ, ac Conſiliarij neglectum exprobrans, unde non vulgarem capiebat utilitatem. Scitum eſt namque eos, qui ob uſum qualemcumque lucerna egent, illam abſtergere, infuſoque oleo cibare debere, ut & agrum, quibus eius fructu eſt opus, ſtercorare:

Quæ

Plutar. in Pericle, Laërti⁹ de vit. Philoſophor. in Anaxar.
Eraſ. in Adag. pag. 269. & melius pag. 281.

Quæ hiſtoria a Plutarcho, Diogene Laërtio, & alijs latiùs refer- 9
tur, tantique præclarum illud prudenſque morientis Philoſophi documentum habitum eſt, ut vel iam ex tunc apud Græcos, & Latinos, (ut Eraſmus notat) in Adagium tranſierit: *Lucerna qui indigent, oleum affundunt, ſive lucernam alat, qui luce opus habet.*

M. Varro lib. 5. de ling. Latin Feſtus verb. *Fontinalia*, ubi Scalig. in notis, & Roſin. de antiq. Rom. lib. 4. cap. 14 pag. mihi 315.

Eſtque ei ſimilis alia, quæ ex antiquo Romanorum more deſumi 10
poteſt, dum iuxta M. Varronem, & alios, ſingulis annis ſacra quædam, Fontinalia dicta, ſolenni ritu peragere ſolebant, fontes & puteos corollis, floreiſque ſertis honorantes, quaſi dicerent: *Aquam hauſiſti, puteum corona*, & præmium, atque honorem ijs à quibus boni aliquid capimus, rependendum, ſignificarent.

Quod ſatis etiam novit, & exemplo ſuo comprobavit Dionyſius 11
Syracuſorum Tyrannus, qui licèt præter cæteros crudelis, & inexorabilis fuiſſe dicatur, tantum tamen honoris, & iudicij Platoni, ad ſe in conſilium venire iuſſo, detuliſſe fertur, ut illi navem vittatam miſerit, aurato curru in civitatem receperit, eumque ſummis muneribus, & incredibili liberalitate honoraverit. Ex quo exemplo Petrus Coſtalius Pegma deduxit, quo viros doctos, & Reipublicæ utiles, honorari debere, his verbis edocuit:

Coſtal. in Pegm. pag. 187.

Aſpice ut eximius niveis ad templa quadrigis,
Ante hac non ſolito pergat honore Plato.
Ecce Syracuſiæ Princeps immanis in ora
Vittatam mittit (Regia dona) ratem.
Heu quanta eſt linguæ, quanta eſt præſtantia cordis
Cogat, ut in frænos ponere colla duces.

Plin. lib. 7. cap. 30.
Alexād lib. 1. Gen. cap. 27.
Æl. Lāp. in Alex. Sever. l. 4. C. de loca. l. 4. C. de contr. ſtip. Aurel. Caſan. In axiom. pol. Alexād. Sever. c. 12.
Spart. in Aurelio.
Aurel. Caſſan. ubi ſup. vide Petil. qui hæc nomina fidis conſiliarijs donari ſolita, pluribus probat.

Pompeius quoque Magnus hoc honore Poſſidonium Philoſophũ 12
Stoicum affecit, ut ad illius domum venturus, lictores, demiſsis faſcibus, ut Plinius narrat, adſtare imperaret. Et Alexander Severus Vlpianum Iuris Conſultũ, cuius opera in gubernanda Republica plurimùm uſus eſt, non ſolùm honoribus, ac pecunijs immensè ditavit, verùm & Patris, atque Amici nomine illum indigitare dignatus eſt, Quemadmodum & Marcus Aurelius, teſtante Spartiano, ſuum Magiſtrum, & fidum Conſiliarium Ferentinum, cui & ſtatuam in Senatu ipſo poni mandavit, & Marcus & Verus Voluſium Metianum, & alios Iuris Conſultos, ſupremique ſui conſeſſus aſſeſſores. Præclaro hoc amicitiæ nomine nexum indicantes, in quo duo veluti extrema à ſe invicem longis ſpacijs diſsidentia, *Subditus*, & *Princeps*, admirabili cõſortione uniuntur, & in mutuos affectus, ille iuſti & rationabilis obſequij, hic gratioris benevolentiæ, unicè conſpirant. Adeò Regium eſt, & eſſe debet, honoribus & beneficijs proſequi, per quos ſibi ſalutaria ad Regium munus rectè exercendum conſilia miniſtrantur, vel rectis prudentibuſque iudicijs Reſpublica æquo libramine temperatur.

Caſsiod. li. 9. epiſt. 8

Vnde Caſsiodorus, hoc, Principale propoſitum vocat, & quaſi ſco- 13
pum, ad quem Regnantes oculorum ſuorum aciem dirigere debeant: *Principalis* (inquiens) *propoſiti eſſe debet, honeſtos labores palma remu-*

ne-

nerationis ornare, ut viciſsitudine, qua provecti gaudent, deſides mordeantur, ſibique imputare poſsint, quòd clemẽtiſsimis temporibus, iudicij Principalis præmia non merentur.

14 Et Siracides in Eccleſiaſtico, in duobus cor ſuum contriſtari, ſcriptum reliquit: *Vir bellator deficiens per inopiam, & vir ſenſatus contemptus.* Horatio quippè monente: Eccleſ. 26. 26. Horat. lib. 1. epiſ. 2

--------- Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus, & pretium rectè petit experiens vir.

15 Quod pluribus alijs antiquioribus exemplis relictis, nullus magis ſuo teſtatum reddidit, quam Leſcus Albus Polonorum Rex, qui, ut Cromerus tradit, & in noſtri Emblematis terminis Petrus Gregorius recoluit, cum à Polonorum legatis ad tanti Regni ſolium ſub ea lege vocatus eſſet, ut Gorovicium Ravitum Palatinum Sendomirienſem, cuius opera, fidiſque conſilijs, multis retrò annis utiliter uſus fuerat, procul à ſe amandaret. Ipſeque Gorovicius multis rationibus Leſcũ, ut oblatam conditionem acciperet, hortaretur: nec propter ſe unum ſeniculum, & pauculos, atque eos incertos dies vitæ ſuæ, in aliam familiam tranſire Principatum ſineret; Adhuc tamen ille, vel hac oratione magis commotus, conditionem magno animo repudiavit, illi cóque legatis reſpondit, non tanti ſe facere Principatum, ut eius adipiſcendi gratia, tam fidum Conſiliarium perderet, ac proderet, immerentemque, Magiſtratu ſimul, & patria eiiceret. Crom. in hiſt. pol. lib. 7. Pet. Gregor. de Rep. lib. 24. c. 3. num. 6.

16 Sunt enim, ut ſubdit Petrus Gregorius, Conſultores fidi, veluti canes, qui præſidio ſunt adverſus lupos ovibus, quibus ſubmotis, vagantur in incerto Principes, & multorum fallacijs, & deceptionibus exponuntur; & ut Africanus Rex ille Micipſa apud Salluſtim dixit: *Nõ exercitus, neque theſauri præſidia Regum ſunt, verùm amici.* Petr. Greg. d. c. 3. in fine. Salluſt. in Iugurt.

17 Quod & præclarè docuit Cyrus apud Xenophontem, inquiens: *Non aureum iſtud ſceptrum eſt, quod Regnum cuſtodit, ſed copia amicorum ea Regibus ſceptrum veriſsimum, tutiſsimumque.* Et Cicero, illud Agamemnonis adducens, quem tradit Homerus, plures ſibi Neſtores, hoc eſt fidos & prudentes Conſiliarios, contingere, quàm plures Aiaces, deſideraſſe. Xenoph. in Cyripœd. lib. 8. Cicer. de ſenect.

18 Quapropter expedit, ut eorum fides, ac virtus, qui in hoc excellere viſi fuerint, præmijs, & honoribus cumuletur, ut Cliſthenes Siciliæ Tyrannus, vel cum eo Conſiliario fecit, qui ſibi liberè, ſed verè, ac prudenter triumphum contradixit, quo facto, & populi gratiam Tyrannus magis adeptus fuit, ſimulque effecit, ut reliqui Cõſiliarij deinceps liberè, atque ex animi ſui ſententia ſuffragarentur. Cuius hiſtoriæ noſter Saavedra in terminis meminit, hoc axioma conſtituens: *Premie el Principe con demoſtraciones publicas a los que ingenuamente le dixeren verdades.* Et ex Mariana addens, Luſitaniæ Regem Ioannem Secundum, quibuſdam, vacantem quandam dignitatem ambiẽtibus, reſpõdiſſe, ſe eã in pectore iã prius Cõſiliario ita fido, ſibique utili reſervaſſe, qui nunquam ei adulatoriè vel ad placitum conſulebat, ſed id potius, quod ſibi ac Regno magis expedire cenſeret. Saaved. in Id. Pol. Emp. 48. pag. 329.

Hoc-

Hocque adeò eſt verum,& Regum ſemper ac Principũ animis infi- 19
gendum, ut nedum ipſos benemeritos Magiſtratus, & Conſiliarios, dum vivunt,præmijs, & honoribus proſequi debeant, verùm & in ipſorum filijs eadem continuare, & in parentum muneribus,& officijs, ſi ſe illis dignos, atque idoneos oſtenderint,cæteris anteponere, quẽadmodum multis iuribus ſtatuitur, & à pluribus Auctoribus Iuridicis, & Politicis illuſtratur, quos Ego alibi in unum congeſsi, & plena ac docta manu noviſsimus D. Hieronymus Altamiranus in copioſo tractatu,quem de hoc ſolo articulo typis mandavit.

L. unic. C. de filijs official. l. 5. tit. 10. lib. 5. Recop. late Tiraq. Fulvius Cõſtantius, Menoch. Marquez, Pet Fab. & plures alij apud Me 2. to. lib. 2. c. 30. ex n. 36.

Quibus adridens Seneca,etiam ad inertes filios,pro ſuo modo,re- 20
munerationis obligationem extendit: *Hoc enim* (inquit) *debemus virtutibus, ut non præſentes ſolùm illas, ſed etiam ablatas e conſpectu colamus, & qui egregijs maioribus ortus eſt, qualiſcumque ſit, ſub umbra ſuorum lateat, & ut loca ſordida repercuſſu Solis illuſtrantur, ita inertes, maiorum ſuorum luce reſplendeant.*

Senec. lib. 4. de benef. cap. 30.

Et adhuc magis ad rem noſtram Caſsiodorus, ſub Theoderici Go- 21
thorum Regis perſona, ſic loquens: *Non enim relinqui ingl'orios patimur, qui generis claritate prædicantur. Currat quinimò bonorum gratia per parentes. Sub Imperio boni Principis omnium Fortuna proficiat: nam quis deſperet augmentum, ubi eſt in amore donum, & præſtare propoſitum.* Et iterum inquiens: *Quid P.C. de vobis iudicemus expendite, cum ad ſummarum culmina dignitatum germinis veſtri viros, quos nunquam vidimus, eligamus; non faſtidio negligentiæ, ſed honorabili præſumtione naturæ.* Idemque ipſum monitum Hieronymus Oſſorius Regi, quem inſtituit, valdè commendat, his verbis: *Illorum virtutem, & debitis præmijs afficies, & eorum memoriam à quibus generati ſunt, grata voluntate proſequeris.*

Caſsiod. li. 2. ep. 2.

Idẽ lib. 9. epiſt. 23.

Oſſor. de Reg. inſtit. lib. 1. pag. 184.

Et hoc eſt, quod in Eccleſiaſtico dicitur, oſſa bonorum Iudicum de 22
loco ſuo, id eſt de cinere pullulare, & in eis gloriam illorum permanere, nimirùm, quòd in locum Parentnm ſubſtitui debeant, & quaſi novi Fenices ex eorum cineribus renaſcantur. Quod tamen, quantum ad Magiſtratuum continuationem, ita accipi debet, ſi ſe proprijs litteris, ac virrutibus illorum capaces oſtenderint, quod non infrequenter ſecus contingere ſolet, ut iam ſuprà tetigi, & pluribus exemplis illuſtrant noviſsimus Antonius Burgundia, & D. Alfonſus Nuñez de Caſtro. Alioqui in alijs rebus munerari, ſive honorari debebunt, & eis obiici poterit nobile illud Antigoni Secundi apud Plutarchum apophthegma, qui adoleſcẽti cuidam, qui patrem habuerat fortem, quamquàm ipſe non ad modum videbatur bonus miles, poſtulanti, ut patris ſapientia ac merito, ſtipendium ſolveretur, reſpondit: *At ego adoleſcens, non ob patrias, ſed ob proprias cuiuſque viri virtutes, mercedem, & munera dare ſoleo.*

Eccl. 46. 11. & ſeq.

Sup. Emb. 34. in fi.

Butgund. in Lap. Lyd. c. 33. Nuñez in quæſt. polit. cõtra Senec. q. 1.

Adminiſtri Principum.

EMBLEMA LIV.



En tibi plura gerit, quàm lumina præbuit Argos,
Rex; Aures totidem; quin totidemq́; manus.
Hæc opus Imperio, fidis ſupplenda Miniſtris,
Regi hi ſunt aures, lumina clara, manus.

COMMENTARIVS.

1 VIDEOR mihi in præfatis ſatis ſuperque bonorũ Conſiliorum, Conſiliariorum, ac Magiſtratuum neceſsitatem, qualitatem, atque auctoritatem, Principibus commendaſſe. Sed adhuc ex inſpectione præſentis Emblematis commendatiorem efficiam. Quo, dum Regem, tot ſimul oculis, auribus, ac manibus variegatum, exhibeo, ſatis oſtendo, non poſſe ſolis ſuis ſenſibus cuncta complecti, ut iam ſupra ex Tacito, & alijs probatum relinquo, neque magis, quàm unum hominem operari, ut noſter Rex Alſonſus, alios Reges admonuit, dum dixit: *El Emperador, ò el Rei, maguer ſean grandes Señores, non puede fazer cada uno de ellos mas que un ome.* Atque ideò, ſine aliquo ſuæ dignitatis dedecore, fidis Conſiliarijs, ac Magiſtratibus, quinimò intimis quoque, ſibique fidiſsimis, & amiciſsimis Aulicis Adminiſtris uti debere, qui ei ſuos quoque oculos, aures, & manus ad explendum tantum miniſterium fideliter, ac gnaviter commodent.

Tacit. 1. & 4. Ann. & Nos ſup. Embl. 45.
L. 12. tit. 1. par. 2.

Themiſth. in orat. 3. de amicitia, pag. 67.

Cui picturæ anſam præbuit Themiſthius, maximi inter Græcos 2
Philoſophos, & Oratores ſui temporis habitus, ut Georgius Rhemus, & Pater Petavius in Commentarijs ad eundem latè teſtantur. Hic enim, in quadam oratione, diſputare incipiens, quomodo ineunda, & conſervanda ſit inter homines amicitia, quamque eiſdem, & maximè viris Principibus, ſit neceſſaria, & cuiuſmodi amicos deligere, ac diligere oporteat, ſic habet: *Cumque vel privato homini, qui huius poſſeſſionis* (ſcilicet amicitiæ) *compos factus ſit, plurimum ex eo lucroſæ licitatis acceſſerit, multò tamen plus ei acceſſerit, cui & multis civitatibus, & ampliſsimæ regioni imperare contigerit. Cui enim audienda multa ſunt, & videnda multa, multorumque ſimul capeſſenda cura eſt, huic paucæ admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, unumque corpus, & unus animus: ſin amicitiæ ſibi opes quæſierit, videbit perſæpè, audietque; minimè etiam in confinio poſita, & longinqua, Vatum, ac divinorum inſtar, cognoſcet, ac pluribus, quemadmodum dij faciunt, ſimul intereſſe poterit, &c.*

Idē Themiſt. orat. 17. pag 444.

Ariſt. 1 polit. 12.

Quo in loco Temiſthius, Ariſtotelem ſequutus videtur, qui ſimiliter docuit, Principes ac Reges, ex his fidis Amicis, & Adminiſtris: 3
Nunc quoque multos ſibi oculos, multas aures, multas item manus, atque pedes facere; & utrumque imitatus Syneſius Cirenenſium Epiſcopus, eadem ratione Arcadium Imperatorem admonuit: *Poſſe Principes omnium oculis cernere, & omnium auribus audire, & omnium denique Conſilijs, in unum tendentibus conſultari.*

Syneſ. in orat. de Reg. ad Arcad. poſt princip.

Oſſor. lib. 6 de Reg. inſtit.

Hieronymus etiam Oſſorius, eiſdem veſtigijs, ut apparet, licèt neminem citet, inhærens, ſic habet: *Quo pacto uno tantùm ingenio, cuncta, quæ ſunt Regibus exagitanda, provideri, unius oculis, omnia quæ ſunt in Republica ſpeculanda cerni, aut unius auribus, omnia poſtulata, & querelæ audiri, aut unius manibus effici, aut ad effectum deſtinatum perduci poſſunt?* Et apud Ariſtophanem reperio, Pſeudatarbam Regis oculum appellari, quòd per eum cognoſceret quid ageretur. 4

Ariſtoph. in Acharnenſib.

Ac planè, antiqui Cretenſes, ut Pictorius, & alij ſcripſerunt, quamvis ſuum Iovem ſine auribus pingerent, hoc ænigmate ſignificantes, Principem virum, & omnibus latè dominantem, audire neminem addecere, ſed ex ſe omnia conſequi, & id demum perſequi, quod dictat rationis examen, & iuſtitiæ nuſquam præflorata integritas. Eundem tamen tribus oculis depingebant, quaſi his, & pluribus indigentem, ut poſſet cœlum, terram, ac mare, quorum erat Dominus, perluſtrare. 5

Pict. in Mytol. pag. 10 Rhodigin. li. 10 c. 3. Caſaub. ad Athen. lib. 19.

Quin & Romani, ſuum Ianum, quoniam & ſuperum, & inferum, ut Ovidius ait, Ianitor habebatur, & futura, & præſentia proſpiciebat, non bifrontem tantùm, ſed multoties quadrifontem, ſive quadriformem, confinxerunt, ut præter plures alios D. Auguſtinus, & Lilius Giraldus obſervant; quaſi tot formis, vel roſtris, totque oculis indigeret, qui univerſa climata ſua maieſtate complexus, in quatuor orbis partes erat eodem tempore conſpecturus. 6

Ovid. in Faſtis li. 1

D. Aug de civ. Dei lib 7 c 8. Giral de Dijs Gent. ſynt. 4. pag. 149.

Euſeb. de præp. Evang.

In cuius fortè imitationem, Hebræorum Rex Manaſſes, ut Euſebius Pamphilus ex Maneti annalibus tradit, & in Sacra etiam Hiſtoria refertur, poſt interfectum Iſaiam Prophetam, ſtatuam ſibi quincuplici ornatam facie ponere iuſsit, quo maior in eo prudentia, pro- 7

vi-

8 videntia ac Maieſtas deſignaretur. Neque abeſt illa alia Lacedæmoniorum pictura, qui, ut Soſibius apud Zenodotum ſcribit, Apollinem, licèt alioqui Sapientiæ Præſidem Deum, cum quatuor auribus, totidemque manibus effigiabant, quòd ijs, apud Ampelas pugnantibus, ea ſe figura viſendum oſtenderit. Zenod. centur. 4. Adag. 54.

9 Cui Cauſinus, ex Petro Bembo, ſimilem aliam, de quibuſdam Barbaris addit, qui coronas è culmo pictas, geſtare ſolent, ſeptem quaſi auriculis intextas, & utriuſque Apodoſim, ſive ſignificationem eam eſſe inquit: *Viro prudenti res quàm plurimas audiendas, manus deinde non ſegniter admovendas, prudentiæque partem, docilitatem eſſe, qua aliorum conſilia libenter audimus, mox prudentibus ſententijs, ponderata, ſi modo expediant, exequimur. Nihil enim aures ſine manibus proſunt.* Bemb. in hiſt. Ven. Cauſin. in Poliſt. li. 2. c. 9. pag. 72.

10 Huc quoque referri ſatis aptè poteſt vetus Adagium, *Multæ Regum aures atque oculi*; quod ex Luciano, & alijs obſervat Eraſmus, quamvis hic, non ad Regum Adminiſtros, ſed ad Exploratores, ſeu Auſcultatores referat, quos Reges, præſertim Tyranni, per provincías diſpoſitos habent, quibuſque velut auribus, ad cognoſcenda, quæ de ſe dicuntur, uti ſolent, ut & Midas conſueverat, qui ob hoc aſini aures habuiſſe narratur, ut iam ſuprà in alio Emblemate tetigi. Eraſm. in Adag. pag. mihi 158. Sup. Embl. 49.

11 Conducit etiam ad noſtrum, non parum, aliud ſimile D. Didaci Saavedra Fajardi, dum Sceptrum pinxit, pluribus oculis adornatum, cum lemmate, *His prævide, & provide*, ad eoſdem nimirùm, de quibus loquimur Conſiliarios, & intimos Amicos, atque Adminiſtros alludens. Quos item, ut apud Honorium reperio, Rex noſter Ferdinandus Quintus, cognomento Catholicus, dicere ſolebat: *Que ſon como Antojos à los Reyes, que les aclaran, ò alargan la viſta. Pero que es deſdichado el Rei que por ſi no la tiene baſtante, i neceſsita de tales Antojos.* Saaved. Emp. 55. Honor. in Theatr. polit. in relat. Hiſp.

12 Sed verius oculorum appellatione illos donavit eiuſdem Ferdinandi Sapiens Anteceſſor Alfonſus, ad Ariſtotelis doctrinam reſpiciens, cuius ſuprà meminimus, & poſtquàm dotes ac partes boni & fidelis Conſiliarij, atque Adminiſtri plenè recenſuit, ſic inquiens: *E puſo ſemejança de los Conſejeros al ojo, por tres razones: La primera, porque las coſas que vè de lueñe, antes las cata bien, que las conozca. La ſegunda que llora con los peſares, è rie con los placeres. La tercera, que cierra, quando ſiente alguna coſa que quiere llegar à èl, para atañer à lo que eſtà dentro. E tales deben ſer los Conſejeros al Rei, &c.* L. 5. tit. 9. par. 2.

13 Quo etiam nomine Perſarum Reges ſuos Satrapas, ſive Primores Adminiſtros, ac Conſiliarios appellitarunt, ut Suidas inquit, Regiſque oculi dicebantur, ut per quos Rex omnes ſpectaret, ſicut Regis aures Delatores, per quos omnia, quæ ab uno quoque gerebãtur audire ſolebat. Suid. apud Dionyſ. Gothof. in notis ad Novel. Leon. 19. pag. mihi 712.

14 Quod ſumtum ex Xenophonte videtur, qui hinc factum eſſe inquit, ut vulgò iactaretur, Perſarum Reges multos oculos, & multas aures habere, prout & latiùs Doctiſsimus Briſſonius proſequitur, & pluribus ornat, inter alia Apulei locum adducens, qui in libro de mundo, aulæ Perſicæ faſtum ex Ariſtotele deſcribens, ſic ait: *Sed inter* Xenoph. in Cyrip. lib. 4. Briſſ. de Reg. Perſ. lib. 1. pag. 125.

eos

eos Aures Regiæ, & Imperatoris oculi, quidam homines vocabantur: per quæ officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia, quæ ubicunque gererentur, ille Otacuſtarum delatione diſcebat.

Ovid.epiſt.16.

Vnde vulgatus ille Ovidij verſus, quo dixit: 15

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Melius forſitan diceret, non longas, ſed plures, & quidem non mòdò manus, ſed oculos etiam, atque aures: nam quot ſunt in Repub. Magiſtratus, tot ſunt manus, oculi, & aures Principis, quibus omnia, quæ ad populi ſui utilitatem neceſſaria, & utilia ſunt, ut diximus, perficit, intuetur, intelligit.

Quæ cum ita ſe habeant, nihil planè eſt, cur Reges, ac Principes 16
ſugillemus, qui ſæpè vel ſemper, ultra publicos, ac communes alios Conſiliarios, ac Magiſtratus, quorum oculis auribus, ac manibus cōcrediti ſibi Regni munus exercent, aliquem prætereà, aut aliquos, ex ſuis Aulicis in intimis habeant, cuius, quorumvè labore, induſtria, prudentia, ac conſilio, pariter, ubi res poſtulat, uti poſsint, Monarchiæq; ſuæ gravem molem melius ſuſtinere, & latè potens, ac patens Imperium facilius intueri; & fœlicius moderari,

Lucan.ad Piſon. Iuven.ſatyr.3.

Vt non feſſa labat ſibi pondere cervix.

Et velut alter Atlas, qui ut Virgilius canit,

Virg.6. Æneid,

Axem humero torquet, ſtellis ardentibus aptum.

Eundem interdum axem, in eiuſmodi Amicorum humeros, ut & ille in Herculis, reclinare.

Hoc enim in illis duntaxat reprehendi, ac ſuccenſeri poteſt, qui 17
Regni curas, atque habenas à ſe penitus amovent, & alijs committūt, & ignaviæ, ac ſocordiæ dediti, ſola exteriori Regum purpura, ſeu figura contenti, vitam agunt; quos contra, plura iam, ſuprà in alio Emblemate dixi, & noviſsimè Alexander Caſſaneus, & Philippus Camerarius plurima tradunt.

Sup. Embl.18. Alex.Caſſ.in axiom. polit. c.10.pag.69 & ſeqq. Camerar. cent.1.cap.90. Eraſm. in Adag. *Multæ manus reddunt onus*, Levius pag.116. Idē in hoc Adag. pag.92. Homer.Illiad.4.

Non autem in his, de quibus nunc loquimur, quique alienas, ut di- 18
cimus, manus, in id ſolùm quærunt, ut onus ſibi iniunctum, ſicut eſt in Adagio levius reddere poſsint, & alterius Adagij memores, quo *Vnus vir, nullus vir*, eſſe dicitur, Agamemnonem imitantur, qui apud Homerum, alios in conſortium Regni, ad eius curas ſublevandas, his verbis compellat:

Adſitis Comites, multorum induſtria namque
Plus pollet quàm paucorum.

Eurip.in Phœniſs.

Cui concinens Euripides inquit:

Vir unus autem nemo cuncta diſpicit.

Heraclid.

Et Heraclides,

Invalida pugna eſt, unicæ tantum manus.

Tull.1.offic. Ariſt. lib.8. Ethic.

Quam doctrinam, innumeris quidem poſſem teſtimonijs, & aucto- 19
ritatibus comprobare, ſi illud Tulij ſufficiens non eſſet, quo docet, *Omnis ratio, & inſtitutio vitæ, adiumenta hominum deſiderat.* Et Ariſtotelis inquientis: *Quòd ut quiſque maximè opibus, Principatu & poteſtate*

ex-

excellit, ita Amicis, & fidelibus Conſiliarijs maximè indiget. Plutarch., idem magis his comparationibus ſuadentis: *Gubernator optimos quærit nautas, architectus doctiſsimos quærit miniſtros: ita Princeps eos aſciſcat Amicos, qui ad Rempublicam adminiſtrandam maximè ſint idonei.* Plutar. in Moral.

20 Quod etiam agnoſcens Tacitus, Tiberium, ubi primùm poſt Augusti exitum Imperium accepit, ſic loquentem inducit: *Et ille variè diſſerebat de magnitudine Imperij, ſua modeſtia, ſolam D. Auguſti mentem tantæ molis capacem: ſe in partem curarum ab illo vocatum, experiundo didiciſſe, quàm arduũ, quàm ſubiectum fortunæ, regendi cuncta onus; proinde in civitate tot illuſtribus viris ſubnixa; non ad unum omnia deferrent, plures facilius munia Reip. ſociatis laboribus executuros.* Tacit. 1. & 12. Annal.

21 Et Caſsiodorus, in hoc maturitatem prudentium Regum conſiſtere, his verbis edocet: *Solatium curarum frequenter ſibi adhibent maturi Reges, inde meliores exiſtimati, quòd ſoli omnia non præſumerent.* Cui ſimilis Blondus: *Cooptet* (inquit) *ſibi Imperator collegas, & ſocios, quibus cum de incumbentibus deliberet.* Caſsiod. lib. 8. epiſt. 9. Blond. de Roman. triumph. lib. 7.

22 Sed præſtat, ut omnium vice ac voce, noſtrum Regem Alfonſum X. iterum in ſcenam producamus, qui poſtquàm, ut ſuperius retuli, dixit, Imperatores ac Reges, quamvis in ſe Magni, aut Maximi ſint, unius ſolius tamen hominis præſtare operam poſſe, ſtatim, veluti in huius defectus ſupplementum, ſubdit: *E por eſſo fue meneſter que ovieſſe en ſu Corte omes honrados que le ſirvieſſen, è de quien ſe governaſſen las gentes, è tovieſſen ſus lugares en aquellas coſas, que ellos ovieſſen de ver por mandado dellos.* Quod & anteà his quoque verbis, non minùs graviter admonuerat: *E otro ſi debe aver omes ſabidores, è entendidos, è leales, è verdaderos, que le ayuden, è le ſirvan de fecho, en aquellas coſas que ſon meneſter para ſu Conſejo, è para fazer juſticia, è derecho à la gente. Ca èl ſolo no n podria ver, nin librar todas las coſas, porque ha meneſter por fuerça ayuda de otros, en quien ſe fie, que cumplan en ſu lugar, uſando del poder que dèl reciben, en aquellas coſas que èl non podria por ſi cumplir.* Dict. l. 12. tit. 2. par. 2. L. 3. verſ. *E otro ſi* eod. tit. & part.

23 Et eſt quidem in eandem rem aliud præclariſsimum teſtimonium, & ad noſtrum Emblema valdè conducens, quod ex Hiſtoricis, de hoc etiam noſtro argumento agens, narrat Alexander Caſſaneus, Ioannis Auguſti Orientis Imperatoris. Hic enim cum in venatione eſſet improviſo teli ictu ita vulneratus, ut ex conſilio Medicorum acceperit, non aliàs præſentiſsimam mortem ſe effugere poſſe, quàm ſi manus, cui altius ſagitta venenata inhæſerat, præcideretur, eorum monitis nullo modo parere, aut acquieſcere voluit; quin conſtanti pertinacia in voluntariam mortem concedere maluit, quàm pati, ut tam commodo inſtrumento careret. Dictitans, unam manum non ſuffecturam tanti Imperij habenis, cui ne duæ quidem, & integræ, ad commodam adminiſtrationem ſufficient; nec etiam unus animus, quantumlibet ſuprà humanam mentem capax, ut tot ſibi invicem ſuccedentium curarum agminibus commodè vacet, ut iam alibi ex Seneca, & alijs manifeſtavimus. Alex. Caſſan. in axiom. polit. Alex. Severi c. 11. pag. 74. Sup. Embl. 12. & ſeqq.

24 Sic igitur vita hominum eſt, ſic Regna, & Imperia, vel ideò quòd

magna ſint,ea ſtrictiori lege ſe habẽt,ut mutuo auxilio invicẽ egeãt, neque ullus poſsit hac naſcendi prærogativa cenſeri, ut aliorũ ſuccedaneas operas nõ requirat. Ac propterea Phidias Iovi, quẽ anulo incluſerat, ***Antarcis***, nomen impoſuit,quaſi ſolius Dei Opt. Max. ſit proprium,ſua contentum beatitudine,nihil extra ſe quærere,neque aliorum adiumẽtis egere,neque id humanæ cõditioni ullatenus cõvenire, cũ vel de ipſo eodem Iove auſus fuerit Seneca dicere,quoties aliquid graviter agi,aut percuti debet,ne ei quidem ſatis ſuũ eſſe conſilium.

Seneca & Nos ex eo latè ſup. Embl. 45.

Quod ſi quis adhuc,teſtimonijs nõ contentus,exẽpla requirat, *Ævũ omne videat*, ut præclarè ſcripſit Velleius Paterculus, meritò à Iuſto 25
Lipſio laudatus, ***Raròque eminentes viros,non magnis Adiutoribus adgubernandũ fortunã ſuam uſos,reperiet:certos magna negotia magnis adiutoribus indigere.*** Sic enim in Sacris Litteris Moyſes,licèt à Domino ad ſui populi gubernationem electus, eodem Domino iubente,ſenes in ſuum adiutorium adſcivit,eiuſque manus ab Aarone,& Hur in monte ſuſtentabãtur,dum populus contra Amalechitas bellum agebat. David Ioabum;Salomon Zabud,Pharao Ioſephum, Aſſuerus Amanem, & Mardocheum,Darius Danielem in intimis habuerunt.

Vellei.Paterc. lib. 2.apud Lipſ.in polit.lib.3.cap.2.

Num.11.Exod.17

Et in profanis, ſcitũ eſt, quantũ Alexander Parmenioni detulerit, 26
& optimos quoſque ex Romanis Imperatoribus, ubi primũ ſui Imperij magnitudinẽ cognoſcere cœperunt, imbecillitatis ſuæ conſcientia permotos, libẽter alios ad ſolicitudinum curarumque, ac ſecretorum conſiliorũ partem vocaſſe,ut Iulius Cæſar,Quintum Pædium,Cornelium Balbũ,& Oppium;Auguſtus Mæcenatẽ, Agrippam & Taurũ;Tiberius,Seianũ;Nero,dum boni Principis ſpecimẽ prabuit,Senecã, & Burrum;Veſpaſianus,Mutianũ;Adrianus, Salvium, & Neratiũ Iuris-Conſultos;Caracalla,celeberrimũ Papinianum,Alexander Severus, Vlpianum, & Paulum, Gordianus Miſiteũ, Honorius Stiliconẽ,Valentinianus,Salluſtium:qui,ut refert Zonaras,cum ab Imperatore peteret,ut pronavata in eius electione opera, præfecturæ qua fungebatur,moleſtijs liberaretur: *Eõne* (inquit ille) *tantam mihi rerum mo.ẽ im poſuiſti,ut eas tu ne attingeres quidem.* Et ſic alij alios,varijs tẽporibus, & in varijs regionibus,& nationibus,quorũ qui copioſam nomenclaturã habere voluerit,peculiares doctoſq; tractatus, quos de eiuſmodi Adminiſtris ſcripſerunt Lipſius, Sancta-Maria, Marquez, Scribanus, Ioan.Ant.Velazquez, Navarretus, Crucius,Lainez,Malvezzius,Beyerlinch.Simon Maiol.& paſsim alij,legere poterit,& noviſs.Ioannẽ Schildium,qui addit,& cohortes Amicorum apud Trãquillum, & cohortes interioris admiſsionis apud Senecam reperiri.

Zonar.tom.3.Annal. Lycoſth.in Apophth. pag. mihi 376.
Lipſ.3.polit.c.10. Sãcta Mar.in Rep. Chriſt.li.2. Marq. in Gub.Chr. lib.1. c.17. Scrib.in pol. Chriſt.lib.3. c.fin. Velazq. in pleno tract.de Opt.Prin. admin. Navarrrete in diſcurſ. polit. adfin.Cruz in dan. aul.Lainez in Priv. Chriſt. Beyerlin.in Theat.verb.*Conſiliarij*. Schild. in exercit. ad Tacit. pag.94.& ſeqq.
Saaved. in Id. Pol. Emp.49.& 57.

Noſter quoque D. Didacus de Saavedra doctè ſatis & prudẽter in 27
hoc argumento verſatur, & in bonorum Adminiſtrorum qualitatibus exponendis,& aliquos refert,qui apud Reges noſtros,antiquis,& modernis tẽporibus,plurimum gratiæ,& auctoritatis habuerunt,quos cõſultò ſilentio prætereo. Non tamẽ leges noſtræ Recopilationis, quæ, eiuſmodi interiorum Adminiſtrorũ,ſub hoc nomine *de Privados*,mentionem faciunt, & antiquum fuiſſe oſtendunt, nimia poteſtate,& indulgentia Principum,quibus adhærebant,ſæpè abuti ſolitos eſſe,cum

L.22.tit.5.lib.3.l. 15.tit.10.lib 5.l 7 tit 10.lib 9 Recopil. quas ponderat Vela diſſert. 3. n. 21.fol.22.

ſta-

ſtatuant, ne illis officia publica commendentur, moderarique poſſe donationes eiſdem à Regibus factas, & à conductionibus Regalium redituum ob eandem cauſam arceri debere.

28 Et certè ſi uſquã vel uſpiam hæc Adminiſtrorũ delectio in aliquibus Regibus, & Regnis admitti, ac permitti debuit, nullibi quidé iuſtius, & neceſſarius, quàm in vaſta hac noſtrorum Catholicorũ Regum Monarchia, quæ disiunctiſsimas terras, immenſaque ſpatia percurrit, Orientem, & Occidentem proſpicit, totque diverſi oris, ac moris nationibus præſidet, ut ſola ipſorum mens, ſit licèt divina, tantis curis par eſſe non poſsit, aut opportunè ſuccurrere, & liceat nobis verius quàm Claudiano, de illa profari,

Claudian. lib.1. de laud. Stilic.

----------- Quæ brachia centum,
Quis Briareus, alijs numero creſcente lacertis
Tot ſimul obiectis poſsit confligere rebus? &c.
----------- Quot nube ſoporis
Immunes oculi, per tot diſcurrere partes.
Tot loca ſufficerent, & tam longinqua tueri?

29 Accedit his, quòd cum ſecundùm Manilium, & alios, cognata ſint quædam cœlorum aſtra vel ſigna,

Manil. 2. Aſtron.

Quæ iungant animos, & amica ſorte ferantur.

Ac propterea, naturali quadam compaſsione, homines alijs ſoleant, magis quàm alijs inclinari, ſitque inter eos, ut Cicero tradit, quidam quaſi conſenſus, quẽ Græci vocant *Sympathiam*, nõ poſſumus, nec debemus iuſtè naturalem hunc affectum, vel propenſionem in Principibus mirari, vel ſuccenſere, nec velle, ut ab amicitiæ commodis exulẽt, qua, ut idem Cicero inquit, excepta ſapientia, nihil melius à Dijs immortalibus datum eſt, & per quam ſolatium præcipuum vitæ conſequimur, quod D. Ambroſius in eo conſtituit: *Vt habeas, cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui ſecreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur: facilis vox, & communis, tuus ſum totus, ſed paucioris eſt effectus.*

Cicer. lib. 3. de nat. Deor.

Cicer. lib. de amicit. D. Aug. ep. 45.

D. Ambr. de offic. lib. 3.

30 Quod benè ſenſit Tacitus, valdè in his Aulicis materijs expertus, dũ dixit: *Fato quodam ac ſorte naſcẽdi, ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos eſt.* Quem referens Iuſtus Lipſius, apertè fatetur, *Aulica hæc Comitia affectu dirigi.* Cuius quidem, nulla ſæpè cauſa, præter hanc inclinationẽ ſolet intervenire, vel certè inquiri non debet, ſed cæco obſequio pro eo ſtare, ac præſumere, quem Princeps in intimum amicum elegerit, & gratiæ ac ſolicitudinis ſuæ participem fecerit.

Tacit. 4. Annal. vide etiã Saaved. d. Emp. 49. pag. 355.

Lipſ. lib. 3. polit. cap. 10. in fin.

31 Vnde præclarè dixit ille qui dixit: *Regum gratiam mereri, donum fortunæ eſt*; & Marcus Terentius apud Tacitũ, cum de excuſanda ſtricta, quæ ſibi obiectabatur cum Seiano familiaritate, tunc cum Tiberio dilectiſsimus, & præ cæteris gratiſsimus extitit, prudenter excepit: *Non eſt noſtrum æſtimare, quem ſuprà cæteros, & quibus cauſis extollas, Tibi ſummum rerum iudicium Dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt.*

Tacit. 6. Annal.

A quo non valdè abeſt, quod in ſimili Amyntas Alexandro Magno
Curt. lib. 7. cap. 1.
apud Curtiũ reſpondit, cum ei amicitia Philotæ, & Parmenionis obii-
ceretur, inquiẽs, Regem ipſum effeciſſe, ut eos coleret, quos ille prius
ad ſummum, & intimum ſuæ gratiæ culmen evexerat.

Fer. Gomez epiſt. 13.
Et eſt ſcitu ac relatu dignum, quod de Rege noſtro Ioanne II. eius 32
Archiatrus Ferdinandus Gomez de Ciudad-Real, in quadam ex ſuis
Epiſtolis memorat, nẽpè, nobili illi huius Regis Primori adminiſtro,
D. Alvaro de Luna, ante ultimum proceſſum, quo tandẽ capitali ſen-
tentia damnatus fuit, alium formatũ fuiſſe, eoque iuſſum Alvaro fuiſ-
ſe, ne intra decem & octo menſes Regem alloqui, vel eius ſe præſen-
tiæ ullo modo ſiſtere poſſet. Iudicibus nimirum exiſtimantibus, huius
temporis abſentiam operaturam, ut Rex ſummam, quam circa eũ ha-
bebat, & in rebus omnibus demonſtrabat, dilectionem, amitteret. Sed
ſubdit ſtatim Medicus, quod re ipſa comprobavit eventus: *Pero ſi mi
Fiſica no minſura mal el motu de la arteria graciſa del Rei, para con el
Condeſtable, mas quercncia le tiene abſente, que faz à faz.*

Quod tamen non efficit, quin piè quoque exiſtimare poſsimus, hãc 33
gratiam ex divina potiſsimum dependere, cum Deus, quos ad Regale
faſtigiũ erigit, dirigere in his Primorum Adminiſtrorum electionibus,
Proverb. 21. 1.
ut & in cæteris, ſoleat, & ut in Proverbijs habetur, & latè ſuprà in alia
Sup. Embl. 24.
commentatione probavimus, *Cor Regis in manu Domini, quocumque
voluerit inclinabit illud.* Quò fortè reſpexit Alfonſus Rex Aragonum,
Panorm. lib. 1.
huius nominis Primus, dum referente Antonio Panormitano, & Pe-
Crinit. lib. 17. c. 9.
tro Crinito, audacter dicere ſolitus erat: *Regis animos minimè privati
cuiuſquàm arbitrio regi.*

Caſsiod. lib. 1. ep. 3
Et Caſsiodorus, qui non contẽtus ſæpè generaliter repetijſſe, quòd 34
qui à Rege provehitur præcipuus, & plenus meritis æſtimatur, & põ-
Idem d. lib. 1. epiſt. 43.
pam meritorum eſſe Regale iudicium, alibi de Artemidoro agens,
quẽ Theodoricus Rex, licèt extraneus eſſet, urbis præfectura dona-
vit, & ſibi in intimum Amicum, ſive Admiſsionalem, delegit: *Nullum
eſſe maius meritum inquit, quàm gratiam inveniſſe Regnantium.*

Cæterum quoniam eo loci eleganter, quæ in eiuſmodi Primis Ad- 35
miniſtris requirantur, exponit, non erit ab re, tantiſper in eius verbis
recenſendis immorari, ut cum dignum hoc munere, & honore deſcri-
bimus, ad eius exemplũ cæteros incitemus. Sic igitur ait, poſt alia, quæ
de eius patria, nobilitate, ac moribus enarravit: *Qui ſuper hanc eximiã
fidem, ſolatia nobis ſuæ confabulationis adiecit: ut aſperas nonnunquã Reip.
curas, quas emergentium rerum neceſsitate ſuſcipimus, ſermonis ſuavitate
deliniret: blandus alloquio ſupplicantium fidelis patronus, accuſare neſciẽs,
commendare præſumens. Qui tanta ſe animi puritate clarificavit, ut cum
apud nos mereretur aulicas dignitates, ſpectaculorum ordinatione lætiſsi-
mam ſibi militiam vendicaret. Quatenus ſub ſpecie voluptatis liberè vide-
retur velle ſervire. A laboribus quidem temperans, ſed in nulla ſe nobis
parte d·ſſocians. Regalem quin etiam menſam cõviva geniatus amavit, ibi
ſe nobis ſtudens iungere, ubi certiſsimum eſt nos poſſe gaudere. Sed quid ul
tra de eius moribus eſt dicendum, cui ad perfectam probationem ſufficit,
quod amorem noſtrum iugiter habere promeruit. Non eſt maius meritum,*

quam

quàm gratiam inveniſſe Regnantium, nam quibus fas eſt de cunctis optimos quærere, videntur ſemper meritos elegiſſe, &c.

36 Extat etiam alia eiuſdem Caſsiodori, & ſub eiuſdem Regis Theodorici nomine, ad Honoratum epiſtola, quem Quæſtorem loco fratris eius conſtituebat, qui *Decoratus* appellabatur. In qua, non minùs eleganter, quàm prudenter, hoc officium Primorum Adminiſtrorum, de quo ſermonẽ habemus, deſcribere videtur, ideóque æquè digna, ut noſtræ huius commentationis ornamentũ exiſtat. Decorati igitur iam defuncti memoriam, & laudes recolens, ſic proſequitur: *Tali igitur homine decoratus evaluit* (malè legere, *omine*, vel *nomine*) *evaluit inquam, ac ſe honoribus Palatinis, iudicio noſtro laudatus immiſcuit: dignitatem ſumens, quam ſolemus dare prudentibus. Hoc planè ſuprà cæteros adipiſcens, quod potuit emergere poſt electos. Sub genij noſtri luce intrepidus quidem, ſed reverenter aſtabat, opportunè tacitus, neceſſariè copioſus, curarum noſtrarum eximium levamen: & cũ poteſtatis noſtræ gratia ditaretur, morum magis laude contentus, mediocribus ſe potius exæquabat. Vivit apud Nos recordatio bonorũ, quia fides hominis neſcit cũ morte deficere. Secreta noſtra, quaſi oblivìſceretur, occuluit; iuſſa, quaſi ſcriberet, per ordinẽ retinuit: ſine avaritia ſerviens, & gratiã noſtrã ſumma cupiditate perquirẽs.*

Caſsiod. lib. 5. epiſtol. 3.

37 Quantum verò fides in his qui gratiſsimum Regalis præſentiè, ac favoris pondus ſuſtinent, requiratur, idem etiam Auctor alibi Cyprianũ, ſacrarum largitionum electum Comitẽ, laudans, his non minùs elegantibus, & notatu dignis verbis ediſſerit: *Acceſsit meritis tuis cunctis laudibus pretioſior fides. Quam divina diligunt, mortalia venerantur. Nã inter mundi fluctuantes procellas, unde ſe humana fragilitas contineret, ſi noſtris actibus mentis firmitas non adeſſet? Hæc inter ſocios amicitiam ſervat: hæc dominis pura integritate famulatur: hæc ſupernæ Maieſtati reverentiam piæ credulitatis impendit. Et ſi beneficiũ tantæ rei latius quæras, incommutabilis Fidei eſt omne, quod benè vivitur. Meruiſti hactenus, ut honorum faſtigia crederemus, age nunc, ut tibi gratiæ noſtræ celſiora nihilominus conferamus.*

Idem Caſsiod. d. lib. 5. epiſt. 40.

38 Maneat igitur ex præfatis, quòd cum nullus unquam fuerit, neque eſſe poſsit Princeps, qui ſine Adminiſtris ſuum regat Imperium, ut & præter ſuprà dictos, benè etiã Albericus Gentilis, & Fredericus Marſalaer, de legatis agentes, obſervant. Neque his ſuccenſendum eſſe, ſi non minimam rectionis eiuſdem Imperij partem ſuis humeris ſubeãt, dũ modo tales ſe præbeant, quales eos Caſsiodorus, & reliqui Auctores prælibati delineant, famulos non dominos præſtent, illudque Virgilij de Mæcenate in ſimili Fortuna conſtituto, præoculis habeant;

Gẽtil de legation. in Epiſt. Dedicat. Marſal. eod. tract. lib. 1. cap. 1.

Virg. ad Mæcen.

Omnia cum poſsis tantò cum charus Amico,
Te ſentit nemo poſſe nocere tamen.

Et cũ Plinio Iuniore iudicent: *Pulchrũ, & magna laude dignũ, Amicitia Principis in hoc uti, quantũque gratia valeãt, aliorũ honoribus experiri.*

Plin. Iun. lib. 1. epiſt. 17.

39 Neque itẽ Principibus, quòd talibus Adminiſtris, veluti oculis, auribus, ac manibus, in Emblemate noſtro figuratis, utantur, dummodò in eorum delectione, & dilectione modum adhibeant, diſcantque ex

Plin. in Paneg.

eodem Plinio: *Præcipuū opus Principum eſſe Amicos parare*;eoſque,qui omni prorſus faſtu,omni ambitu,omni tumore,ac ſuperbia, omni denique vitio careāt,in ſuarū curarum, ac ſolicitudinum partem, ac levamentum admittant; improbos, & maximè,qui celata ſe ſe malitia inſinuare conantur, à tanto munere arceant: ſæpè enim in ſpeciem ſana & venuſta membra intus ſaniem tegunt, luemque ac labem per univerſum corpus derivant.

Marſalaer. d. c. 1. Coning. in Theatr. polit. 2. p. pag. 387 Saaved. d. Empr. 49. pag 338. & ſeq.

Vide pro omnibus P.P. Velazq. & Lainez de Opt. Princ. admin.

Ac ſanè, quemadmodum eiuſmodi Adminiſtrorum fœlix ſolertia, 40
nunc pars,nunc origo, & interdum cumulus publicæ ſalutis eſſe ſolet, ut Marſalaerus animadvertit,& pluribus exemplis Coningus,& Saavedra noſter oſtendunt. Ita contra,ſocordia,nequitia,infœlicitas, ea progignunt mala,ultra quæ malum nullum ſit;& in ſubditorum detrimentum,imò & totius Regni interimentū tendere ſoleant. Sed quoniam huius rei tractatio integra volumina exigit, & a multis, noſtris hiſce tēporibus, plurimis libris donata, & illuſtrata conſpicitur; hæc nūc nobis de ea,pro noſtri Emblematis cōmētatione,tetigiſſe ſufficiat.

Pulgar en ſus Cal-ros Varones, c. 1. ſol. 3.

Eam optimis,& nō vulgatis verbis Ferdinandi Pulgarij claudētes, 41
qui de Regis noſtri Enrici IV.animi dotibus ac moribus agens,ita ait: *E ciertamente ſe debe conſiderar, que como quier que no ſea ageno de los hōbres, tener aficion à unos mas q̄ à otros. Pero eſpecialmente los Reyes, que eſtan en el miradero de todos, tanto menor licencia tienen de errar, quanto mas ſeñalados, i mirados ſon que los otros. Mayormēte en las coſas de la juſticia, de la qual tambien deben uſar, moſtrando ſu aficion templada al que lo mereciere, como en todas las otras coſas. Porque de moſtrarſe los Reyes aficionados ſin templança, è no à quien, ni como, ni por lo q̄ lo deben ſer, nacen muchas vezes las embidias, do ſe ſiguen las deſobediencias, è vienē las guerras, è otros inconvenientes, que à eſte Rei acaecieron, &c.*

Barclai. in Argenid. lib. 1.

Addo & alia verba notatu digna Ioannis Barclai;qui lepidæ,& fa- 42
buloſæ ſuæ Argenidis narrationi,ſerias graves,& veras ſententias intermiſcens, quid de ijs Adminiſtris iudicet, quos Nos *Privados*, ſeu *Validos* vocare conſuevimus, eleganter exponit, & iniuſtum eſſe pluribus probans, quòd Reges velimus ab Amicorum conſortio exules facere,quòd,ut ſuprà dixi,natura omnibus hominibus indidit,plebeiā invidiā reprehendit, quæ in omnes deſævijt, qui Principum amicitijs illuſtres ſunt,ipſiſque Regibus hac de cauſa obloqui audent,& tandē ſic finit,Timocleam loquentem inducens: *Nunquam placuit tā iniquæ obtrectationis audacia,quæ quamquàm publicæ obtrectationis larva contegitur, plus inſani tumoris tamen habet, quàm ſolidæ pietatis. Plurimi enim Regibus iraſcuntur,non quòd aliquos gratia ſua ſubeūt; ſed quòd ſibi gradus non pateat. Et in gratioſis,quos tam acerbè devovēt, haud rarò nihil magis, quàm ipſa fœlicitas diſplicet. Certè,ut ex domeſticis nonnullos eligimus, ac velut adoptamus noſtras in curas, fidemque eorum familiaritate, & muneribus, tam penſamus, quàm ſollicitamus in futurum. Ita ni Princeps ſibi quæſierit vicariam opem, iiſdemque rationibus aluerit, non ſufficiet publicis laboribus, non me Caſtor, vel ſi firmiores noſtro Atlante cervices, incumbentibus negotijs apponat, &c.*

Por-

Portæ ad Principes plures.

EMBLEMA LV.



Numen ut inviſas, Fani plura oſtia parent.
Numen ut allicias, plurimus actor adeſt.
Ergo Miniſtrorum populo ſint oſtia plura,
Regale ut Numen quiſquis adire queat.
Non uno Princeps fundat moderamine rivos;
Vtilius varia munera parte fluent.

COMMENTARIVS.

1 PATET ergo Principes Adminiſtris egere; illud verò non ita patet, an uni tantùm debeant ſummam ſuæ gratiæ, pectoris, ac curarum impendere, vel melius, atque utilius ſibi & ſuis ſubditis ſit, plures æquali loco, ac munere, pro faciliori emergentiũ negotiorum expeditione, ſuo lateri ſociare? Nam ſunt qui putent, commodius eſſe, unum tantùm, de quo maximè fidant, eligere, ac præficere, quem reliqui, veluti Principalis aulæ atque auræ Primiſcriniũ agnoſcant, & revereãtur, eundẽque ſuis conſilijs, & obſequijs iuvare, nõ æmulari, vel ad gratiæ, quod vocãt intimũ, & præmiorũ officiorũq; diſtributionem aſpirare, præſumãt. Alioqui, aiunt, nõ aliter Imperij ratio conſtare poterit, quàm ſi uni reddatur, ut aliàs Tiberius apud Tacitum dixiſſe comperitur. Ipſique inter ſe æqualis gratiæ, aut ponderis Adminiſtri, mutuis invidijs,

Saaved. Empr. 49. pag. 338.

Tacit. 1. Annal. c. 7

& æmulationibus exardeſcent, & magis de obſidendo, quàm de obſequendo Principe, cui inſervire, & morem gerere debent, curam agent.

Eraſm. in his Adag. pag. 423. & 424.
Seneca in epiſt.
D. Baſil. in ſerm. de invidia.
Tacit. 2. hiſtor.

Scitum eſt enim, & iam inter Adagia relatum, mundum non capere duos Soles, nec unum arbuſtum duos erithacos, domumvè unam, duos canes alere poſſe. Et ut ait Seneca, *In vicino verſatur invidia, ſimplicius longè poſita miramur.* Quod, inter nullos magis experiri, quam inter eos, qui artificij eiuſdem, vel officij, vel operis exiſtunt, univerſim dixit D. Baſilius, & in ſpecie de Aulicis tractans Tacitus, ſic inquiens: *Recentem aliorum videlicet fœlicitatem ægris oculis inſtroſpicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre.* 2

Idem 5. Ann. c. 1.
Sup. Embl. 18.

Ego verò, & ſi hæc urgere concedam, ubi talis eſt Princeps, qui ſe ignaviæ dedat, & ſuis Adminiſtris omninò ſubmittat, eiuſdem Taciti doctrinam ſpernens, qui magna Imperia ignavia non contineri, prudenter admonuit: cum tamen de eo ſermonem non habeam, quē ubi ita ſe ignaviter gerit, nec Principis nomine dignum eſſe probavi; ſed de eo, qui Imperij auxilium, non exilium, in Adminiſtrorum oculis, auribus, ac manibus quærit, ut in ſuperiori Emblemate vidimus, Magis ad hunc finem conducere arbitror, ſi duos pluresvè, prout Imperij moles, & rerum gerendarum cumulus poſtulaverit, pari, quoad fieri poſsit, gratia, dignitate, ac poteſtate penes ſe habeat, ut priſcis temporibus Iulium, Auguſtum, alioſque Romanos Cæſares, & Imperatores feciſſe retulimus, & noſtris, in D. Carolo V. & Prudentiſsimo eius filio Philippo II. vidimus contigiſſe. Quod non obſcurè Tacitus indicat, dum plurali numero loquitur, ubi Principes monet, ut *Alios incurarum partem aſſumant*, & Plinius Iunior dum præcipuum Principis munus eſſe inquit, *Amicos parare.* 3

Tacit. & alij, de quib. ſup. Emb. 45.
Plin. Iun. in Paneg.

Idemque ipſum præcedentis Emblematis noſtri Regis figura deſignat, tot oculis, auribus, ac manibus variegata, & Templi ſtructura, quam in hoc exhibemus, non una, ſed pluribus, ut vides, portis, ac foribus, exteriori ſui parte conſpicua, quo veteres, tam Ethnici, quàm Chriſtiani, ſignificare voluerunt, Deum adoraturis, atque exoraturis, aditus plures patere oportere, & totidem exitus, per quos facilius vota deſideriaque ſua divino Numini exponere valeant, & multiplicatis, quod dici ſolet, interceſſoribus (ipſo tamen dumtaxat largiente) gratiarum ſuarum fluenta, veluti limphati fontis rivuli, per canales varios, in ſupplices diriventur, ut etiam in hac pictura pateſcit. 4

Polit. quidā apud Canonh. in Aphor. polit. tom. 1. pag. 257.

Quam ſimilitudinem ex inſigni quodam Politico ſumſi, quem Petrus Andræas Canonherius tranſcribit, & ſic habet: *Obſerva in te, quod in ædificijs Templorum, quæ non unum; ſed plures introitus ad ſe habent, Deum ipſum, non unum, ſed plures mediatores habentem. Principibus idem ego conſulerem, qui dum uni ſe tradunt, fiunt ex Regibus clientes, & vaſſali: dum plures mediatores, & aditus ad ſe habent, præterquàm quod imitantur Deum (ſumma ſecuritas & fœlicitas) diviniores fiunt, & veriores Reges apparent.* 5

Iovian. Pontan. in lib. de Princ. off.

A quo non multum abeſt Iovianus Pontanus, dum dixit; *Vt malè actum eſſet cum genere humano, ſi uni ſe Deus, aut paucis admodum, præ* 6

beret exorandus: eodem modo malè, cum Principum Regumque familiaribus, ſi in tanta multitudine, uni, aut paucis admodum, locus fideſque ſit.

7 Pro qua ſententia expreſſus videtur ille Xenophontis locus, quo Perſarum Regibus multos fuiſſe Satrapas inquiens, id ea ratione cōmendat: *Quòd ſi quis putet unum tantùm oculum ex petendum eſſe Regi, eum egregiè falli certum eſt, unus enim & pauca videat, & pauca audiat. Eſſetque alijs Miniſtris quaſi neglıgentia quædam, & ſegne indictum otiū, ſi id uni ſolùm alicui demandatum fuiſſet officium. Præterea, quem ſubditi cognoſcerent, illum eſſe oculum, aut aurem Regiam, ſcirent hunc cavendum eſſe, neque quippiam illi committendum, quòd omninò præter rem Principis foret.* Xenoph. lib. 4. Cyripœa.

8 Neque hoc tandem negare potuit Politicus ille noſter, qui contrariæ opinionis aſſertor, eſſe videtur, cum alibi dicat, Principem non quidem multos, eos tamen apud ſe Adminiſtros, & Conſiliarios habere debere, qui Regni gubernationi ſufficiant: *Moſtrandoſe indiferente con ellos, ſin dexarſe llevar de ſolo el parecer de uno, porque no verà tāto como por todos.* Saaved. Empr. 55. pag. 400.

9 Quod nervoſius adhuc, longoque rerum uſu expertus, præmonuit Philippus Cominæus, ſic inquiens: *Principes apud ſe plures habeant Conſiliarios, neque uni omnia committant, ſed æquali ferè loco omnes habeat. Si enim ab uno, vel ab altero, Princeps totus pendeat, cæteri poſt illum ſententiam ſuam vix dicere audebunt, &c.* Quo cum ſentiens Ferdinandus Pulgarius, huic rationi aliam adiicit: *Que con los apartamientos que los Reyes hazen, è la grande afición que ſin juſta cauſa mueſtran à unos mas que à otros, i las exceſsivas dadivas que les dan, ſuelen provocar à odio, i del odio nacen malos penſamientos, i peores obras.* Comin. lib. pag. mihi. Pulgar en ſus Claros Varones, lib. 1. cap. 3.

10 Neque obiecerit quiſpiam, Principum gratiam, aut auctoritatem pluribus communicatam imminui, ipſiſque negotijs, per plures diviſis, confuſionem cauſari. Nam quòd ad gratiam attinet, non ita impertiendam cenſemus, ut ſui numeroſitate vileſcat, ut aliàs D. Hieronymus dixit, cum ad paucos illam, eoſdemque dignisſimos, & undequaque probatisſimos, contrahamus. D. Hieron. in epiſt. ad Pamach. c. 1. de privil.

11 Quod verò de auctoritate, ipſorumvè negotiorum expeditione ſubiicitur, nihil ponderis habet. Quoniam ut præclarè Eraſmus, poſt Plutarchum, in ſimilibus inquit: *Non eſt infirmior manus, quòd in digitos ſit diſſecta; ſed ad operandum agilior, eodemque modo Reipublicæ munia & negotia multis communicata, pleniuſ faciliuſque expediuntur, & conficiuntur.* Plutarc. in moral. Eraſ. in ſimil. fol. 2. Dadræus in locis Com. verb. *Regnus*. fol. 440.

12 Ac quemadmodum navis Gubernator, quædam ſuis manibus facit, quædam per alios: & aliquando alijs ad clavum admiſsis, ipſe in proram demigrat; ſic in Republica, non debet unus occupare omnia, ſed alijs viciſsim dare locum, rectius enim fient, quæ multorum manibus peraguntur.

Quòd ſi Principibus Adminiſtri uſum indulgemus, quòd nō ſoleat una unius hominis mens Regni molis eſſe capax, ut ſæpè retulimus, ubi ad unum tantùm Adminiſtrum tota eadem moles transfertur, nemo erit qui neget, idem periculum imminere: & verum eſſet quod

Caſsiod.lib.11. epiſt.24.
Herod.lib 2.ſive in Euterpe.

Caſsiodorus admonuit: *Uni incautè creditur, quod eſt à plurimis aſſerendum.* Et Herodotus de Ægyptijs ſcribit, Medicinam apud eos in hũc modum eſſe diſtributam, ut ſingulorum morborum ſint medici, non plurium. Alij enim ſunt oculorum, alij capitis, alij dentium, alij morborum aliorum.

Exod.18.
L. nemo, & l. fin. C. de a leſſ' cũ multis alijs apud Me de mun. honorar. n.71. pag.30. & 31 noviſsimè Saaved. Empr. 52. ex pag. 378.
Dio.lib.53.
Plutarc.in polit.

13 Quapropter in Exodo legimus, Ietronem Moyſi genero conſuluiſſe, ad Reip. Hebreæ commodiorem gubernationem, *Partito onus tuũ in plures, & erit Dominus tecum.* Et concors eſt, & fuit ſemper Politicæ, & Iuridicæ facultatis proloquium, uni ſoli homini plura ſimul munia iniungenda nõ eſſe. Quod Mecænatem etiam, in oratione ad Auguſtum apud Dionem, habet auctorem, dum dixit: *Præſtat per multos publica negotia adminiſtrari: ut & complures hinc emolumentum ſentiãt, & experientiam rerum gerendarum conſequantur.* Et magis ſtrinxit Plutarchus, inquiens: *Quod in publicis muneribus, qui plus uno fungi cupit, & plura onera ſubire non dubitat, oneribus ipſis, cum magna Reip. pernicie ſuccumbit.*

Oſſor.deReg.inſt. lib.1.

14 Hieronymus Oſſorius, eò amplius rem diducit, ut exiſtimet, nõ ſolùm per unum ſolum, verùm nec per paucos, Reipublicæ negotijs, & incolumitati proſpici poſſe, his verbis: *Quia fieri non poteſt, ut unus aliquis, aut etiam pauci quidam, quantumvis excellentes, & conſilio præſtantes, molem Regni ſuſtineànt. Nam negotiorum multitudo mentis caliginem ijs obducit, qui in ſe nimium recipiunt; quia neque ingenij, neque etiam ſatis temporis habere poſſent, ut res idoneè conſiderent omnes.*

Caſsiod.lib.9.epiſ. 21. in fin. Iuven. ſatyr.7.
Idem lib.6. epiſt.7 in fin.
Patrit.lib.5.deRepub.
Nyſſen. in vita S. Ioan. Evang. lib.2. cap.9. ex pag.67.

15 Et Caſsiodorus, poſt Iuvenalem, pectora noſtra duas curas nõ admittere inquit, nec ingenium duabus curis occupari debere. Et iterum: *Duarum dignitatum glorioſam quidem, ſed & laborioſam eſſe cuſtodiam.* Franciſcus quoque Patritius, Rempublicam navi hac de cauſa rectiſsimè comparat, quæ non unico nauta, ſed plurimorum manibus indiget, cuius ſimilitudinem iuvat illud D. Petri, qui, ubi iubente Domino, rete in mare laxavit, & plenum piſcibus ſenſit, ſocios ad illud extrahendum vocavit, quo loci auxilium, & plures manus, in gravibus & ponderoſis negotijs quæri debere, omnes Sacri Interpretes commentantur. Inter quos noviſsimus, & eruditiſsimus noſter Nyſſenus, alijs in rem eandem doctè congeſtis, inquit, quòd qui contrarium faciunt Dynaſtæ, & multa uni tantùm committunt, non præſtant ſuis *Deſpacho, ſino Deſpecho.*

Canonh.inAphor. tom.1.pag.255.& ſeqq. Natal.Com. lib.18.hiſt.

16 Et Petrus Andræas Canonherius, cum Natali Comite, ſentit, quòd ſicut variæ in Republica ſunt res, quæ tractantur, & multæ, quæ eodem tempore debent expediri: ſic diverſi debent eſſe rerum publicarum Conſiliarij, quia nemo ad omnia eſt idoneus, nec in quibuslibet ſapit: *Sunt enim* (inquit) *alij belli gerendi, alij ferendarum legum, civiliumque controverſiarum Conſiliarij apud Reges, alij Gubernandorum ſtatuum, cũ præclarum ſit in uno, nedum in his omnibus excellere, neque quiſquam det bonum conſilium, niſi de rebus benè cognitis.*

Ariſt.5.pol.c.11.

17 Sed nemo, rei de qua agimus, aptius, & cohærentius loquutus eſt, quàm Ariſtoteles, qui præcipuum documentum Monarchicæ dominationis tuendæ, in eo conſtituit, ne uni tantùm ex privatis, totius Im-

pe-

perij confidentia præſtetur. Eius verba ſunt hæc: *Communis verò cuſtodia omnis dominationis unius eſt, neminem unum præ cæteris magnum facere, ſed plures, nam ſe invicem cuſtodient: quòd ſi quem extollere oporteat, non tamen eum, qui ſit moribus audax, nam huiuſmodi homines aptiſsimi ſunt ad invadendum circa res omnes, ſi verò cuiuſquam potentia minuenda eſt, modicè, ac non uno ſimul impetu omnis poteſtas eſt auferenda.*

18 Ariſtotelis doctrinam, licèt eum non referat, ſequitur Petrus Gregorius, addens, *Quòd peccant Principes, qui habent ſummam poteſtatem, dum præpoſituras, aut magiſtratus plures uni concedunt, qui unius onera vix ſuſtinere poteſt.* Et poſteà huius abuſus incõmoda ſigillatim enarrat. Quæ etiam Italo ſermone tangit Ioannes Guidiccionus in quadam epiſtola, inquiens: *Il favorir un ſolo, è un permettergli, che ſi uſurpi l' uffitio del padrone, che diventi inſolente, come fano i ſervidori nella ſomma licentia de favori, è un permetter che ſi occupi il campo al Principe di uſar liberalità, è magnificenza ſecondo il ſuo diſcreto giudicio.* Petr. Greg. lib. 4. de Repub. cap. 6. Guidiccion. in epiſt.

19 Sed quoniam nemo hæc, & alia damna, quæ hac ex cauſa proveniunt, & quotidie experimur, de unius præ cæteris in Republica auctoritate luculentius ſcripſit, quàm Auctor de fundamentis dominationis, deque inſtrumentis regnandi, placet eius verba hic ad litteram tranſportare, maximè cum etiam ad cognoſcendos frequentes eiuſmodi Aulicorum Adminiſtrorum mores valdè conducant. Quæ ſic ſe habent: *Nam ſtatim, atque unum ex iſtis anteponit, & palam ſibi chariorem profitetur, compaginem, & vim Principatus diſſolvit. Conſiliarios, quibus circumdatur, diſgregat, armorum ſuorum potentiam debilitat, iuſtitiæ æqualitatem immutat, & ſeſe incautum in quædam artificiorum, & aliorum retia conicit, plus minùſvè pericuIoſa, prout qui Principis favore potitur, plus minùſvè ingentes ſpiritus gerit. Principatus compages & unio pluribus modis diſſolvitur: ſed omnium periculoſiſsimus eſt, quoties Princeps ſummæ rerum deliberandarum, aliquem totius benevolentiæ, & inſoliti favoris ergo præficit. Nam tunc in eo Principatu porta quædam aperitur, per quam externus quilibet Princeps, modo conſuetis artibus uti voluerit, ingredi poterit. Verùm abſque dubio per eandem portam ſpes ſubditorum omnium intrabunt, recipientque per manus ea beneficia, quæ, nullo interiecto medio, ab ipſius Principis bonitate, atque electione recognoſcenda fuerant, &c.* Auct. apud Canõher. ubi ſup. pag. 256. & ſeqq.

20 Porrò, ut gradum ad alia faciamus, illud animadvertere oportet, hunc, vel hos Adminiſtros, quem, quoſvè ſibi Princeps adſciverit, non temerè ex alienigenis ſive exteris eſſe debere, ut & iam ſuprà in alijs etiam Conſiliarijs, & Magiſtratibus tetigi, non ſolùm ea ratione, quã Iuſtus Lipſius aſsignat, ex vulgari illo Ciceronis veriloquio petita: *Ad conſilium de Republica dandum, caput eſſe, noſſe Rempublicam*; ſed ea potius, quòd ubi Peregrinus aliquis in eiuſmodi honoribus adipiſcẽdis, ipſis civibus & indigenis prælatus eſt, non modò invidiam, ſed & odium plurimorum ſibi, & ei qui eum elegerit, concitabit. Ac quam quàm de ipſa Republica benemeritus, & ſuis præclarè factis ad eam pervenerit dignitatem, nihilominùs tamen cives ipſi, qui vel ſua, vel maiorum virtute, & induſtria, Rempublicam inviſſe dicuntur, iſtud Sup. Embl. 52. in fine. Lipſ. 3. pol. cap. 4. Cicer. 2. de orat.

æquo animo pati non poterunt. Vt omittam alia pericula, quæ de exterorum conſilijs, & auxilijs vereri poſſumus, quæ in cauſa fuerunt, ut in Proverbijs, & in Eccleſiaſtico, ab eis cavendum, nos Salomon, & Syracides moneant; necnon propriæ nationi iniuriam, graveque notam inuri videri, quaſi quòd indigenis benè meretibus, & ad hæc munia ſufficientibus, careat, cum ad exteros deferantur. Quibus, & alijs rationibus, multiſque exemplis ſimilium electionum, quæ damna graviſsima pepererunt, non ſolùm hos, de quibus nunc loquimur, Adminiſtros, verùm & reliquos Magiſtratus, ex Regnicolis quæri debere, multis paſsim utriuſque iuris communis, & Hiſpani noſtri diſpoſitionibus, cautum reperitur, & Auctorum doctrinis ſuffultum, quas in unũ Ego alibi diligenter congeſsi, & noviſsimè tractant Lambertus Danæus, Lauterbachius, Richterus, Coningus, Campana, Kirchenerus, Fileſacus, & Nicolaus Bernegerus, qui altè, & aptè de hac re loquẽtem Iuſtum Lipſium adducit in notis ad librum Tertium Politicorum, cap. 4. pag. 260. ubi ait, quòd, ut in quam domum veſpillones veniunt, ſignum eſt funeris: ſic Reipublicæ labentis, ad quam fulciendam adhibentur peregrini: hinc enim livor, queſtus, & averſio quædam animorum, cum indigenæ plus alienis tribui, crediqúe vident. Quod & ipſi populo Dei præceptũ eſſe, ex Deuteronomio cognoſcimus, dum de Rege creando his verbis edicit: *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit, de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.*

Prover. 10. 9. 10. Eccleſ. 8. 21.

Ego latiſsimè 2. to. lib. 3. cap. 19. ex n. 4. & lib. 4. c. 4. n. 50. & ſeqq & ſup. Embl 52. in fine, Danæ. Lauterbac. & Richter. ap. Coning. 2. tom. Thea. polit. c. 33. Cãpana de elect. Magiſt. num. & Fileſac. 1. ſelect. tract 1. c. 3. ad fin. Kirchener. polit diſp 7. Berneg. in quæſt. 159. ad Tacit.

Deuter. 17. 15.

Apud Fileſacum alibi, etiam in quæſtionem deducitur, an Eccle- 21
ſiaſticis viris, & tutum ſit, & ſuo ordini conſentaneum, in Aulis Regũ verſari, & hæc Primorum Adminiſtrorum munia, ut ſæpè ſolent plures, ambire, & obire? Et quamvis cum Petro Bleſenſi, hoc non eſſe uſquequaque damnandum, docere videatur, fortè quia eo tempore ſcripſit, quo Eminentiſs. Cardinalis Armandus Rochileus Gallicani Regni clavum, ipſiuſque ſimul, & aliorum cladem moderabatur, & moliebatur, ſatis tamen oſtendit, non benè ſacras infulas cum aulicis moribus, & occupationibus convenire; nec habitare cum ranis, quæ ſunt in penetralibus Regum, & inter Aulicos ſimulachrum Religionis adumbratè prætendere.

Fileſac. de idol. polit. c. 2. ex pag. 24.
Bleſenſis epiſt. 84. 108. 113. & 150.

Idemque periculum, aut etiam gravius, illis Eccleſiaſticis immine- 22
re, qui forenſibus actionibus, & civilibus Magiſtratibus deſerviunt, latè poſt plures alios, quos Ego alibi refero, idem Auctor ſcriptum reliquit, & noviſsimè etiam Bernegerus pertractat, cum Iuſto Lipſio concludens, quòd etſi ad publica conſilia Sacerdotes etiam admitti poſsint, rarenter tamen, & extra ordinem id fieri debet, tunc videlicet cum de rebus planè ſerijs, & gravibus agitur. Alioqui talibus ſe paſsim ex officio ingerentes, contra ſe habent D. Bernardum, qui hæc infima & terrena, terrenis Iudicibus, & Principibus relinquenda eſſe ab Eccleſiaſticis, tradit, quippè qui ſint in potioribus occupati.

Ego d. lib. 4. cap 4. num. 42 & ſeqq.

Berneg. ubi ſup. q. 56. ex Lipſ. in not. ad 3. pol. cap. 5.

D. Bern. quam vide lib. 1. ad Eugen. cap. 5.

(*)

In

In Tumidos Adminiſtros.

EMBLEMA LVI.



Figitur, ut vitis ſuſtentet pondera, vallus,
Ille tamen florens, germina ſæpè premit.
Non aliter Regis florens admiſſus in Aulam,
Tollit opes, debens ferre Miniſter opem.

COMMENTARIVS.

1 CVM ergo Adminiſtrorũ munus & cura, quam ita neceſſariam Principibus eſſe probavimus, eò tẽdere debeat, ut ipſos iuvet, non ut ipſis iubeat, famulos, non dominos ſuorum dominorum efficiat, & ut iuxta Senecæ monitum, illorum rationes adminiſtrent, tam abſtinenter, quàm alienas; tàm diligenter, quàm ſuas; tam religiosè, quàm publicas, atque ab omni turpis, aut exceſsivi lucri ſtudio manus cohibeant, quod corrumpit omnia, & perrumpit, ita ut dicere potuerit D.Leo Papa: *Amori pecuniæ vilis eſt omnis affectio, nullumque eſt in eo corde iuſtitiæ veſtigium, in quo avaritia fecit habitaculum.*

Senec. de brevit. vitæ, cap. 18.

D.Leo Pap. ſerm. 9. de Paſsion.

2 Meritò eiſdem præſens Emblema ob oculos ponimus, ex vallo, ad vitis allevationem, & ſuſtentationem adiuncto, qui interdum radices agere, ac revireſcere ſolet, ſuiſque luxuriantibus frondibus, vitẽ ipſam ſupprimere, & ſuffocare, in cuius ſubſidium, & pedamentum poſitus fuerat; ut & tumidi iſti, nimiſque florentes, & potẽtes Adminiſtri

Prin-

Principes ipſos, quorum levamen & iuvamen præſtare debuerunt.

Scoonhov. Embl. 14.pag.42.

3 Quam quidem picturam, ſub hedera, populum cui adhæſerat, exſicante, poſt hæc ſcripta, apud Novellum alium Emblematarium inveni, in eum tamen finem, ut ingratos notet, & reprehendat, ut eius Epigraphes, & ſubiecta carmina indicant, quæ ſic habent:

Serpentes hederæ nequeunt conſiſtere per ſe,
Sed duce populeo ſtemmate, ſumma petunt.
Et tamen hoc vita tandem complexibus orbant,
Obſequijs vinci mens malè grata nequit.

Plin.lib.16.c.44. Laberius Poeta.

4 Hanc enim hederæ naturam eſſe, ut arboris vires abſumat, ſine cuius fulcro humi ſerperet, & pedibus conculcanda maneret, benè præter Plinium, & alios, expreſsit Laberius, eandem vetuſtati hominum ſimilem faciens, his verbis:

Vt hedera ſemper vires arboreas necat,
Ita me vetuſtatas complexu annorum enecat,
Sepulchris ſimilis, nil niſi nomen retineo.

Iun.Embl.14.in notis,pag.91.

5 Vnde, valdè ad thema noſtrum, inquit Hadrianus Iunius, quòd cum quidam vir Aulicus pro ſymbolo geſtaret Pyramidem, cui implexa hedera in altum ſurgebat, ſic oſtendere volens, ſe ſui Principis gratia virere, quidam ad creandam ei invidiam, aliò eius ſenſum detorſerũt; velut qui circumſeſſum tenuerit Galliarum Regem, & hederæ inſtar circumplicatum, ne quis ad eum pateret aditus ſine ipſius aſſenſu.

Plutarch. in polit. Eraſm. in ſimil. fol. mihi 2.

6 Nos verò aliorſum tendimus, & ſub vite, quam vallus effloreſcens aridam reddit, ſimilem ambitioſorum Adminiſtrorum erga ſuos Principes operationem, aptius, ni fallimur, inſinuamus, Plutarchi in moralibus, a quo habuit Eraſmus, veſtigijs hærentes, qui ita ait: *Non quævis arbor patitur complectentem ſe vitem: ſed quædam præfocant eam, & extinguunt: ita ambitioſi quidam, ob invidiam, ipſos, quos fulciunt premunt, ne quando emergant, eòque tandem inſolentiæ deveniunt, ut per quos profecerunt, & quibus omnia incrementa ſua, vitam denique ipſam debent, eos de ſtatu ſuo deiiciant.*

Senec.epiſt.42.

7 Quam etiam improbitatem, elegantiſsimè Seneca, ſub ſerpentis comparatione demonſtrat, quæ hominem perimit, cuius calore, cum frigore rigeret, vires accepit: *Vt multorum crudelitas, & ambitio & luxuria facere ſolet, quorum latent vitia, dum imbecilla ſunt, vel fortunæ favore deficiuntur, non minus tamen quàm ſerpens auſura, cum illis vires ſuæ placuerint, & ſubita, & magna potentia impotenter uti potuerint.*

Idem epiſt.72.

8 Poſſunt etiam in aviditate cumulandarum opum, canibus comparari, de quibus idem Seneca, non minùs diſertè, ſic ait: *Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſtra panis, aut carnis, aperto ore captantem. Quidquid excepit protinus integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem evenit his, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id ſine ulla voluptate demittunt, ſtatim ad rapinam alterius erecti, & attēti, &c.*

Sunt qui & eoſdem Harpijs ſimiles faciant, quas (ſic à *rapiendo*

dictas)

dictas) fabulæ veterum confinxerunt, aures urſorum, corpora vulturũ, faciem virginum habuiſſe, alataſque etiam, & humanis brachijs, ac pedibus, ſed unguibus monſtroſis, quibus pretioſas quaſque dapes, quæ Phinei Regis menſis parabantur, rapaciter involabant, & quæ relinquebant, ita tetro & fœdo excremento inquinabant, ut fœtor omninò perferri non poſſet. Vnde & Canes Iovis, ac rapaces dæmones, eas Poëtæ vocarunt, & Virgilius de ijs dicere potuit:

Natal Comes latè lib. 7. Mythol. c. 6.

Virgil. 3. Æneid.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla
Peſtis, & ira Deum, ſtygijs ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus: fœdiſsima ventris
Proluvies: uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame, &c.

Et Rutilius Numatianus, Gallus, vir Conſularis:

Numatian. in Itinerar.

Harpyæ, quarum diſcerpitur unguibus orbis,
Quæ pede glutineo, quæ tetigere trahunt.

10 Ac verè, ſic ſæpè ſe res habet, ut iuxta Claudiani ſententiam,

Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Aſperius nihil ſit, humili cum ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet; deſævit in omnes,
Vt ſe poſſe putet, nec bellua tetrior ulla eſt,
Quàm ſervi rabies in libera colla ruentis.

Quod & ipſum obſervavit Sextus Aurelius Victor, ſic inquiens: *Quibus rebus, quantum ingenium eſt, compertum habeo, humillimos quoſque, maximè ubi alta acceſſerunt, ſuperbia atque ambitione immodicos eſſe.*

Sext. Aurel. in Cæſar. par. 2.

11 Et ſecundùm Ariſtotelem: *Qui in affluentia fortunæ, virium, opum, & amicorum, aliorumque talium, conſtituti ſunt, regi, atque obedire, neque volunt, neque norunt*; certum quin potius illud alterius noſtri, res aulicas ſuo periculo ſatis docti Politici, efficiunt: *No ai amor en la tierra de coſa alguna, que aſsi altere, ni ſuſpenda, ni enciend a, ni arrebate el animo humano, como el mandar, i acrecentar el mando.*

Ariſt. 4. polit. 11.

12 Quod ſatis ſuo exemplo, Seiani, Ruffini, Eutropij, & alij plures antiquorum, & noſtrorum ſæculorum intimi Regum Adminiſtri, ſeu Regalium domorum Megiſtanes, nobis oſtenderunt: *Dum ſæpè* (ut benè Modernus quidam ſcriptum reliquit) *poteſtate ad ſuperbiam abuſi, invidiæ primùm, mox odioſui locum fecere. Et quos in levamentum oneris Principes aſciverant, ij ſæpè ſupra Principes ſeſe tulere, precandaque modeſtia fuit, ut contenti plus quàm privatis opibus eſſent, nec Heros ſuos in poteſtate habere conarentur. Ex quo pulchrum ſibi duxerunt, ſupra Rempublicam ſtare, & lubricam hanc Aulæ hiſtroniam exercere: artibus dehinc patritijs, & nulla moderatione votorum, ad ſpem dominationis ſunt erecti. Ergo qui ultra ſortem ſuam in ampliſsimis, & clariſsimis rebus verſabantur, adduci non potuerunt, ut fortunam, cui tantum licuerat, revererẽtur, ſed ſpe improbiore, ipſorum ſæpè Regum dominium affectarunt.*

Ioann. Schild. in exercit. ad Tacit. pag. 98.

D. Franc. Quebed. in libell. poſth. iocoſo, ſed lectu digno, de la fortuna cõ ſeſ̃o.

13 Nec abeſt Modernior adhuc alter Scriptor, qui eos, qui talia audent, proditionis crimine notat, cum idem ſit Regibus, ac Regnis ſub dolis artibus præpotiri, & ex Amicorum munere, ac nomine, ad Re-

giæ adorationis numen velle conſcendere, cuius benigniſsimi ſyderis influentijs contenti eſſe deberent, & tunc demum ſe creſcere poſſe, ſi ſe ſe dominorum ſuorum fidei tutelæque committant.

Virg. 2. Georg. ex quo Embl. 13. Zuerij.

-------- Sicut Parnaſia laurus
Parva, ſub ingenti matris ſe ſubiicit umbra.

Et ab hac aura uberes incrementorum proventus ſperent, ſic ſe illis maiores oſtentantes, dum ipſos ſublimitas parti honoris inclinat.

Caſsiod. lib. 5. epiſt. 44. Idē lib. 4. epiſt. 4.

14 Quia, ut ſignanter monuit Caſsiodorus: *Sic eſt in Principibus humilitas glorioſa, quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia.* Vnde & ipſe, ſub nomine Theodorici Regis, quendam Senarium, ex eius intimis, ab eadem humilitate his verbis commendat: *Sed hæc amplius commendabat humilitas, quæ tam clara, quàm rara eſt. Novum eſt enim ſub amore Principis cuſtodire modeſtiam: quia gaudia ſemper animos inquietant, modus enim rarò lætis rebus imponitur, qui magis in triſtibus invenitur.*

Senec. Trag. 6.

15 Quod, cum illo Senecæ Tragici convenit,

-------------- Quo fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc ſe ſupprimere magis fœlicem decet.

Eraſm. in lib. de inſt. Princip.

Et optimo ſimili, ex Sole deſumto, eoſdē Proceres, de quibus loquimur, idem ipſum ſuadet Eraſmus, ſic inquiens: *Sol cum eſt altiſsimè provectus in Zodiaco, tum tardiſsimi motus eſt: ita quò fortuna te ſubvexerit altius, hoc oportet animo leniori, minùſque feroci eſſe.*

Plin. in Paneg.

16 Accedit his optimum Conſilium, quod magnis iſtis Satrapis præſtant verba Plinij Iunioris, dum in ſuo Panegyrico inquit, quòd *Quēadmodum corpora, quamlibet ardua, & excelſa, procerioribus admota decreſcunt, ita cives, quamvis in altiſsima dignitate ſe conſtitutos videant, intelligere debent; collatione faſtigij Imperatorij, ſe quaſi de primi, quantoque proprius ad magnitudinem Imperatoriam aſcenderint, tantum etiă à ſua deſcendiſſe videri.*

Io. Fileſac. 2. ſelec. tract. 1. c. 3. pag. 12. Apulei. 1. florid.

17 Cuius loci mentionem ad rem noſtram faciens Ioannes Fileſacus, fungos planè ac pepones ambitioſos Aulicos, cuiuſcumque ſint fortis, appellat, qui hæc non cogitent, quin potius voti ſui, ac deſiderij compotes facti, quaſi cœlum vertice tangant, cæteros omnes longè infra ſe collocatos eſſe arbitrantur, excelſum faſtum & volatum aquilæ imitantes, quam elegantiſsimè Apuleius deſcribit, ſe nubium tenus altiſsimè ſublimantem, cuius tamen tam elati, tam excelſi, vel ambitioſi volatus, ſæpè ſolet eventus fruſtrari, ut & in flamma ex ſtipula exorta, iuxta eundem Apuleium, contingit: *Claro crepitu, largo fulgore, cito incremento, ſed materia levi, caduco incendio, nullis reliquijs.* Neſcio enim quo malo generis humani, ut Tacitus docet: *Fœlicitate corrumpimur*; & ut latiùs Pacatus inquit: *In diſcreta fœlicium pediſſequa ſuperbia eſt, ac vix cuiquam contigit, & abundare fortuna, & indigere arrogantia.*

Tacit. 1. hiſtor. Pacat. in Paneg. ad Theodoſ. Salvian. epiſt. 2.

18 Quem ſequutus Salvianus, eandem ſuperbiam uno in loco, *Pediſſequam*

quam plerumque novi honoris appellat. Et in alio ſic habet: *Quotus quiſque ſapientum eſt, quem ſecunda non mutent, cui non creſcat cum proſperitate vitioſitas; non una certè, nec unius generis, & fœlix ille ambitionis ſucceſſus, cæteros ſic aſpernatur, ut ſibi uni totum hoc beneficium Fortunæ deberi, & in omniũ oculos incurrere oportere, reliquis omnibus abdicatis, exiſtimet.*

Idem epiſt. 7.

19 Cùm animadvertere tumidi iſti, & elati deberent, quàm longè melius ſibi conſulerent, ſi illud Eccleſiaſtici monitum obſervarent: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli. Eſto in illis quaſi unus ex ipſis*, & ita moderatè ſe gererẽt, ut nullum omninò invidiæ ictum, neque ab alijs ſuæ conditionis Proceribus, neque à popularibus pertimeſcerent. Quibus ut Rhetor Gallus apud Senecam Patrem dixit: *Invidioſum eſt unum hominem toties optare omnes honores intercipere*: vel, ut benè addit Arnobius: *Suas eminere tantummodò velle fortunas, aliorum res premi, & in contemtu humilitatis calcari.*

Eccleſ. 32. 1.
Senec. lib. 1. controv. contr. 1.
Arnob. lib. 1.

20 Feſtinati quippè tam honorum, quàm opum cumuli, eadem feſtinatione diminui ſolent, & in noviſsimo benedictione carere, ut à Salomone docemur. Neque quiſquam extat, ex multis, qui poſt Lipſium de eiuſmodi Adminiſtrorum documentis ſeu monitis ſcripſerũt, qui eiſdem ſeriò non conſulat, eſſe, ut Tacitus in Agricola dixit: *Id ſibi maximè formidoloſum, privati hominis nomen ſuprà Principes attolli.* Et ne dominis ſuis æquari, ne dum eoſdem excedere, aut ſupprimere velint, Lunæque vicem, & officium obire contenti, omne gloriæ, & actionum ſuarum lumen, in illos, tanquàm in Solem refundant, ſibique adverſa, illis proſpera tribuant.

Proverb. 20. 21. & 23. 11.
Lipſ. lib. 3. polit. c. fin. Marq. in Gub. Chriſt. lib. 2. c. 31. Velazq. de optim. Princ. admin. & noviſs. Saaved. Emp. 50. ex pag. 343. & pag. 243. 338. & ſeqq. & 413. Ceſpedes, quem omninò vide in vita Philip. IV. lib. 1. cap. 3.

21 Hoc enim Regum conditionem expoſcere, rectè Æmilius Probus animadvertit; & non minùs rectè Marcus Zuerius Boxhornius ſic inquiens: *Vt ſub maioris umbra enata, & tenella adhuc arbor ſe delectat, ita Principes uſurpandi, qui ſuos infra id etiam eſſe volunt, quod ſunt, & habent. Nam magnitudini ſuæ deberi putant, ſua quemque vel ignorare, vel non profiteri. Non facienda hic omnia, quæ potes, & celanda, quæ iam feciſti; tuum eſt debere, etiam cum ſolviſti. Dives eſt, qui Principi ſuo debet: inops verò, & miſer, qui ſatisfeciſſe videri vult, & ſatisfecit. Maiorem Principem cogita, quam eſt, & te ipſo te minorem. Fortunam eius, & tuam cogita. Illa tibi tanta ſit, ut nec obſtringi queat, nec expleri. Tua autem talis, ut reſpondere non poſsit, & ſi poſsit, atque reſponderit, non reſpondiſſe videatur.*

Prob. in Datane.
Zuerius Embl. 13.

22 Quibus ſatis ſimile eſt Apophthegma illud Roderici Gomez de Sylva, quod ſuis narrationibus Petrus Matthæus inſeruit: *No ai Principe de tan grande animo, que al cabo no tenga zelos de la mucha autoridad de ſus privados.* Quod efficere debet, ut cauti & prudentes Adminiſtri parcè de rebus à ſe, vel bello, vel toga benè geſtis, corã ſuis Principibus loqui debeant, vel totum illud quantumcunque ſit, illorum, non propriæ gloriæ aſsignent, atque attribuant, ut latiùs conſulit, & proſequitur Nicolaus Bernegerus, optima exempla Germanici, Agrippæ, & aliorum expendens.

Petr. Matth. lib. 6. pag. mihi 231.
Berneg. ad Tacit. q. 69.
Mart. lib. 5. epigr. 43.

23 Addo, quòd etſi verè Martialis dicere potuerit;

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Tacit. in Agric.

Et Tacitus: *Difficile eſſe, continere ex ſapientia modum.* Adhuc prudens, & cordatus Regum Amicus, & Adminiſter, ipſis in hoc etiam cedere debet, aut ita temperanter ſuis conſilijs deferre, ut illa ab eiſdem imbibiſſe, percepiſſeque videatur, ne ſi ſecus faciat, ab eorum gratia, & animis excidat, ut Luſitanus ille Ludovicus Sylveira, Emanueli Regi alioqui gratiſsimus, præſenſit, & ſuis filijs patefecit, tunc cum per ſuam imprudentiam agnovit, in cuiuſdam epiſtolæ exaratione, ſibi à Rege commiſſa (quam ſimul & ipſe Rex ſeorſim ſcribendam ſuſceperat) illum ſuperaſſe, ſic enim illis dixiſſe Petrus Matthæus, ultra alios, enarrat: *Buſchianzi Fortuna figliuoli, non ſi è piu ſicureza nella Corte per me. Il Re per mia imprudenza ha conoſciuto hoggi, che yoſò più di lui.*

Petr. Matth. in ſua hiſtor. Franc. lib. 3. pag. mihi in Itala traductione 173.

24 Et planè, quiſquis ex Summatibus hanc orbitam ſuæ apud Principes gratiæ, & acceptionis exceſſerit, & intra ſuam ſe neſcierit Fortunam cum moderatione debita continere, aut in quærendas nimias opes, opem, opus, operamvè converterit, quam illis amicè, & fideliter præſtare, munus ipſum, ſuis impoſitum humeris, poſtulabat, ſemper in ancipiti, & lubrico, quem occupat, loco, vereri debet, ne vel invidorum tacitis cohortationibus, vel ſuopte ipſorum Principum ingenio, ac naturali inconſtantia, eorum gratia excidat.

Fileſac. 2. tom. ſelect. tract. 1. cap. 8. pag. 47.

Plin. lib. 1. cap. 74.

Did. Porrenus de dict. & fact. Philip. II.

25 Quos tandem pudet ac pœnitet, ut benè Fileſacus animadvertit, quos in immenſum ſuprà cæteros extulerint, quaſi Imperij conſortes habere: cum neque Aquila Trochilum, alio nomine Regaliolum, teſte Plinio, ſibi æquari patiatur. Cui addi poteſt nobile Regis noſtri D. Philippi Secundi Apophtegma, ad quem cum ſui aucupes magno cum iubilo accipitrem ferrent, qui nuper, intervolandum, Aquilam Regiam, poſt acrem pugnam vicerat, & occiderat, illum ſtatim truncari capite iuſsit, eam reddens rationem, quòd nemo ſuo ſe capiti ne dum ſuperiorem, verùm ne æqualem quidem præſtare deberet.

Dio lib. 54.

Tacit. 3. Annal.

26 Extat quoque apud Dionem, in eandem rem, inſigne aliud Mæcenatis ad Auguſtum conſilium, cui, cum Agrippa ad ſupremum potentiæ faſtigium evectus fuiſſet: *Agrippa* (inquit) *aut gener tuus fiat, aut occidatur neceſſe eſt.* Et vulgatum Taciti oraculum, hac in parte nō minùs certum illis:

Pythia quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Aulici nimirùm cuiuſque ſummi, *Fato, potentiam raròſempiternam. An ſatias capit, aut Principes cum omnia tribuerint, aut Summates, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant.*

Tacit. 14. Annal.

27 Sic certè Mæcenas Auguſti, & Criſpus, Salluſtij ex ſorore nepos, Tiberij gratia excidit. Et Seneca, ſub Nerone, obiectam ſibi tot opū congeſtarum calumniam, ſive invidiam, qua dicebatur, vel ipſum Principem ſuperare, his verbis apud Tacitum diluere, ſive excuſare curavit; *Vna defenſio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui: ſed uter-*

que

quæ menſuram implevimus. Et tu quantum Princeps tribuere Amico poſſet, & Ego quantum Amicus à Principe accipere. Cætera invidiam augent, quæ quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacet. Quæ quidem defenſio, & opum ei cum iubentia reſignaturum oblatio, etſi tunc Neroni, velato blanditijs odio, grata eſſe viſa fuerit, poſtea tamen, (ipſo latiùs narrante Tacito) eidem Senecæ propriæ opes immenſæque, ac pariter inviſæ divitiæ, exitium attulerunt. Tacit. 15. Annal.

28 Eſt enim hoc Principibus quaſi fatale, ut chariſsima ſibi Capita, quotiens potentia & opibus ad timendum Dominanti faſtigium erepſerunt, ea deprimant, & ſubmoveant, & vel obtrectantium vocibus laceſsiti, vel conglomeratarum divitiarum cupiditate pellecti, facilius in eos animadvertãt, ipſas tandem divitias, quas illi ex publicis, ac privatis facultatibus corrogaverant exſugentes.

29 Quam in rem plurima ex antiquis, & aliqua non contemnenda ex noſtris his temporibus adducere poſſem, niſi de his poſteritati potius, quæ ſemper incorruptius iudicat, arbitrandum exiſtimarem, & vel de Veſpaſiano Suetonius enarret; procuratorum rapaciſsimũquemque ad ampliora officia ex induſtria promovere ſolitum fuiſſe, quò locupletiores, mox condemnaret. Quò haud dubiè Alciatus noſter reſpexit in nobili illo Emblemate, cuius lemma, *Quod non capit Chriſtus, rapit Fiſcus*, ex quadam Decretali deſumtum, his ſubiectis carminibus, Vide Gund. Ceſpedes in hiſt. Philip. IV. lib. 1. c. 3. & 4. Sueton. in Veſpaſ. cap. 16. Alciat. Embl. 147. Cap. maiores 17. q. 7.

Exprimit humentes, quas iam madefecerat ante
Spongiolas, cupidi Principis arcta manus.
Provehit ad ſummum fures, quos deinde coercet,
Vertat ut in Fiſcum, quæ malè parta, ſuum.

30 Quamobrem prudenter Canonherius, congeſtis innumeris aliorum Politicorum Aphoriſmis, Aulicos admonet, ne ad tantam gloriam, tantaſvè divitias conſurgere velint, ut poſsint eæ odium, ac invidiam ſibi conflare; Ac quemadmodum ſatius eſt Athletis de plenitudine habitus remitti, quam illum continuò augeri; ſic Aulicos in minori periculo eſſe, quando illis de gratia dimittitur, quàm quando ad eius faſtigium, quod præcipitio ſemper eſt vicinum, pervenitur. Canonh. in Aphor. polit. 1. tom. pag. 577. & ſeqq.

31 Certè Pittacus ille Mytileneus, qui è ſeptem Sapientum numero eſt habitus, Æmilio Probo, præter alios, narrante, cum ei Mytilenei multa millia iugerum agri muneri darent: *Nolite rogo vos* (inquit) *mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiſcant. Quare ex iſtis nolo amplius quàm centum iugera, quæ & meam animi æquitatẽ, & veſtram voluntatem indicent: nam parva munera diutina, locupletia, non propria eſſe conſueverunt.* Æmil. Prob. in Thraſibulo.

32 Simili moderatione uſus videtur Pallas, Claudij Cæſaris libertus, eique ſuprà omnes dilectus, & rei ſuæ familiari præpoſitus, ut Tacitus memorat. Cui cum Senatus, Cæſari blandiens, ob ſingularem fidem & induſtriam, præclaraque in Rempublicam merita, ornamenta prætoria, & ſeſtertium centies quinquaginta præſtari decreviſſet, honorẽ accepit, pecuniam tamen, etiam ipſo Cæſare, & Senatu valdè urgen- Tacit. 12. Annal.

Plin.Iun.lib.7. epiſtol. 29. & lib. 8. epiſt.6.ad Mōtan.

te, accipere recuſavit, & id in monumento ſuo inſcriptum reliquit, quod Plinius Iunior ſuo tempore in via Tiburtina repertum commemorat. Duabus tamen epiſtolis graviter ſtoliditatem, vel humilitatem Senatus, & Cæſaris dolēs, & reprehēdens, quòd cũ ſervili & faſtidioſo mancipio, nulliùſque in Rempublicam meriti, pro deferendis ac cumulandis præmijs, & honoribus decertarent, quibus ornari veteres illi Scipiones, Marij, Sillæ, Pompei, magni ducerent, quorum laudes, inſpectis Senatus-Conſulti verbis, infra Pallantis laudes iacebunt.

Ariſt.3. polit. c.9. Fileſac.dict.cap.8. pag.47.

Sup.Embl.18.

Quas epiſtolas, lectu quidem, & memoria digniſsimas iudico, cum vel ex illis appareat, quibus fraudibus, quibus periculis, nimia aliquorum Adminiſtrorum elatio ſubiaceat; quæ, etiam ubi dignis cōfertur, ita ſuſpecta Ariſtoteli fuit, ut quæſtionem moveat, quid de eo ſtatuēdum ſit, qui in aliqua Republica præ reliquis, virtute, dignitate, opibus emineat, & de pluribus memoret, qui ubi Oligarchicè, aut Democraticè gubernabantur, ob hanc ſolam cauſam oſtraciſmo (quod erat exilij genus) præſtantiores nonnullos cives in exilium egerunt. Quod licèt ipſe tandem non probet in eiuſmodi Rebus publicis, cum potius optimis legibus, & inſtitutis temperatas ac ſtabilitas, deceat, cives virtute præſtantes extollere, idque earum ſcopo, hoc eſt communi, & publico bono, convenientiſsimum exiſtat: in Monarchijs tamen, & Regnis, ubi ex unius nutu, & arbitrio omnes ſubditi pendent, attentiorem curam deſiderat, cum multi ſæpè reperti ſint, qui Regum, vel ætate, vel facilitate abuſi, ſe ſuprà eoſdem extollere, & erigere audeant. 33

Polib. lib.5.

Q.Curt.lib.7.c.8.

Ant.à Burgund. in Embl. de vitijs linguæ, 1.par. Embl. 37.pag.81.

Quorum plura exempla paſsim Hiſtoriæ recēſent, & illuſtrius nullum eſt eo, quod de Rege Antiocho Magno Polibius enarrat, Hermeam, quem vehementer ornavit; cum uxore, & liberis occidente, quòd auctoritate, quam habebat nimis inſolenter uteretur; cuius tamen vindicta, cæteros ſimilia audentes comprimere poterit, & pariter noſtri Emblematis monimentũ. Nam etſi vallus ſupra vitem aliquando floreſcat ei tamen ſtatim falx imminet, quæ in eius tendit excidiũ, frenderque quæ frondunt, verum illud Q. Curtij reddens: *Arbores magnas diu increſcere, una hora extirpari*; & ſimul ac cecidit, eundem carpendum omnibus exhibet, ut benè quidam alio Emblemate, licèt aliud agens, oſtendit, ſub arboris lapſæ pictura, cuius ramos plures admotis falcibus ſcindunt, & his carminibus, 34

Fit ſpolium quæcumque cadit; nemo unus honori
Parcit; at obtritam carpere nolle, probrum eſt.
Sic agitur; quiſquis cadit & levis impete culpæ;
Ilicet obloquijs carpitur, ut cecidit.

Qui eminent, cadunt.

EMBLEMA LVII.



Menſibus alternis vaſtiſsimus Ephialtes
Crevit in immenſò corpore ſemipede.
Iam novus in terris nubes excedit Olympus.
Sed perit hìc, regio flammea fortè premit.
Cui Fortuna favet, caveat ſe extollere in auras,
Cum videat fluxu cuncta perire ſuo.

COMMENTARIVS.

1 QVemadmodum certum eſt, ab omni ævo Reges & Principes Adminiſtris, ſeu Adminiculis uſos fuiſſe, ut ex Paterculo, & alijs in ſuperioribus vidimus: ita pariter affirmare poſſumus, rarò etiam omnibus retrò ſæculis aliquos extitiſſe, qui ad ſummũ favoris gratiæq; Principum ipſorum evecti, ocyus quàm aſcenderint, non deſcenderint, & in ſe, quàm ſit verum illud Lucani effatum experti non ſint,

Paterc. lib. 2. vide ſup. Embl. 54.

Luc. 1. Phaeſ.

-------Summiſque negatum,
Stare diu, nimioque graves ſub pondere lapſus.

2 Quod fatorum malignitati tribuere videtur eiuſdem Lucani avus Seneca, inquiens: *Fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex eſt, ut adſummũ perducta, rurſus ad infimum, velocius quidem, quàm aſcenderunt*

Senec. in Prol. declam.

Tacit. 3. Annal.

Thucyd lib. 2.

re.abantur. Necnon & Tacitus, dum ſcripſit: *Fato potentiam rarò ſempiternam*. Et communi ipſius mortalium naturæ legi, Thucydides, docens: *Natura comparatum eſt, ut nihil in ea perpetuum ſit, & omnia quæ creſcunt, decreſcant.*

Eccleſ. 14. 19.

Senec. de brevit. vitæ, cap. 17.

Idem epiſt. 67. 98. & de conſolat. ad Martiam. cap. 23.

Quod etiam Syracides cenſuit, dum monuit, *Alia generantur, & alia deiiciuntur: ſic generatio carnis, & ſanguinis alia finitur, & alia naſcitur, &c.* Et Seneca, quatenus uno in loco ait: *Quod fortuitò obvenit, inſtabile eſt: quo altius ſurrexerit, vergit pronius in occaſum.* Et in alijs: *Mortale eſt omne mortalium bonum; Mortalia eminent, cadunt, deteruntur, creſcunt exhauriuntur, implentur, quicquid ad ſummam venit, ad exitũ propè eſt. Sic ingenia, quo illuſtriora breviora ſunt. Iudicium eſt imminentis exitij, maturitas, & appetit finis, ubi incrementa conſumta ſunt.* 3

Senec. in Oct.

Cuius doctrinæ meminit itidem in Octavia, quando inquit: 4

Quid me potens fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum mea,
Altè extuliſti, gravius ut ruerem, edita
Receptus arce, totque perciperem metus? &c.

Idem in Troad.

Et rurſus in Troade,

-------- Quòque fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
Hoc ſe magis ſupprimere fœlicem decet,
Vanoſque caſus tremere.

Claud. de ſepul.

Claudianus inquiens,

Magna repentè ruunt, ſumma cadent ſubitò.

Idē epigr. ad Hadr. vide Menchac. in præf. contr. illuſ. ex num. 99.

Et iterùm latiùs, & elegantius,

In brevibus nunquam ſe ſe probat Aeolus undis.
Nec capit anguſtus Boreæ certamina collis.
Alpes ille quatit, Rodopæaque culmina quaſſat,
Incumbit nunquam cœleſtis flamma ſalicto;
Nec parvi frutices iram meruere Tonantis,
Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.

Senec. 2. cont. 1.

Neque eam ignoravit Portius Latro, dum apud eundem Senecam, inquit: *Omnis fortunæ blandientis ſpecioſus cum periculo nitor, & ſine cauſa ſæpè fluit, & ſine ratione deſtituit.*

Eraſm. in Adag. pag. 715. & ſeq.

Laber. in Mimis.

Quæ loca, & plura alia, quæ facilè in eandem rē adduci, & expendi poſſent, Adagijs locum fecere, *Summis negatum ſtare; Eminent, cadunt, Creſcunt, deteruntur*; quæ apud Eraſmum pluribus illuſtrata reperies, qui tamen celebrem illum Laberianum Mimum, valdè ad rem hanc conducentem, omiſsit, 5

Summum ad gradum cum claritatis veneris,
Conſiſtes ægrè, & cum aſcendas decides;
Cecidi ego, cadet qui ſequitur.

Stulti

6 Stulti igitur ſunt, qui ſtabile eſſe cenſent, quod in lubrico ſitum eſt, & qui Aulæ auris, & rebus ex animi ſententia fluentibus, ambitioſè, plenèque, ac planè excæcati, multa moliri & aggredi tentant, quæ ſi tantillum diiudicarēt, & ſupràdicta, ut oportebat, expenderent, ab ijs agendis pertinaciſsimè abſtinere deberent, ut benè Ioannes Fileſacus animadvertit, illud Taciti ſuperioribus addens, *Nullam potentiam nimiam, unquā ſatis fidam fuiſſe.* Et Latini Pacati: *Fugitiva ſucceſſuum repentinorum voluptas, ut accipit, ſic relinquit.* Fileſac. 2. ſelectar. tract. 1. c. 7. pag. 42 Tacit. 2. hiſt.

7 Nec deſunt alij, qui hoc idem Conſilium ſatis congruētibus ſimilitudinibus, & Emblematis, eiſdem Aulicis citò creſcentibus, & fatalis decrēmenti, quod ipſos manet, oblitis, proponant, & ſuadere conētur. Ecce enim Plutarchus, betas, & cucurbitas adducit, quæ quia citò creſcunt, & in altum conſurgunt, diuturna nō ſunt. Quod in reliquis alijs plantis, & animalibus commune eſſe, pluribus Camerarius oſtendit. Plutarch. in laconib. ubi agit de Theopompo. Camer. 3. ſubceſs. c. 21. ex pag. 79. Pōtan. in bellar. 2. to.

8 Pierius Valerianus, & ex eo Florentius Schoonhovius, Crocodilū depingunt, qui ex ovo minimis initijs erumpens, citò magnum incrementum capit, & quamdiu vivit creſcit, ut Plinius ſcribit, ſic homines indicans, qui ex humili loco, ad ſummas dignitates emergunt. In eo tamen diſsimilis, quòd hi, ubi ad faſtigia pervenerint, ad ima tendant. Vnde Schoonhovius: Pier. li. 29. fol. 207 Schoōh. Emb. 45. pag. 137. Plin. lib. 8. cap. 25.

Quoſquos ex humili ſalire cernes
Ad faſtigia dignitatis altæ,
Crocodilo habeas pares, ab ovo
Qui creſcit minimo, brevi ſtupendus,
Parte hac diſsimiles tamen vocabis,
Quod hic perpetuò augeatur, illi
In ſummo poſiti ruunt ad imum.

9 Melius adhuc Solon à noſtro Tiraquelo laudatus, qui eoſdem Aulicos, qui apud Reges in pretio ſūnt, calculis ſimiles eſſe dicebat, quibus in exponendis rationibus utimur; ut enim illi interdum maiorem numerum, interdum minorem ſignificant: ita & Reges, horumquemque, prout libitum fuerit, aliquando illuſtrēm, & inclytum, aliquando obſcurum habere, & ignobilem ſolent. Cuius, ſimilitudinis meminit etiam Pater Nicolaus Cauſinus, niſi quòd hic, non Soloni, ſed Oronti eam attribuit. Tiraq. de Nobil. c. 6. n. 2. Cauſin. in Poliſt. ſymb. lib. 4. c. 41.

10 Et in alio Capite, idem fortè ipſum Reges olim Gothos oſtēndere voluiſſe inquit, dum, referente Olao Magno, ab ijs, quos in Aulicos eligebant, iuramentum fidelitatis prius ſuſcipiebant, ſtrictum gladiū, vel pugionem per cuſpidem Principis manu eis præſtando, ſic indicātes, vel ipſa Principum dona lubrica eſſe, & periculoſa, ut quæ adverſum mucronem intentent accipienti. Idem lib. 5. c. 39. pag. 246. Olaus lib. 8. c. 7.

11 Ioannes etiam Fileſacus, ex Apophthegmatis M. Antonini Imperatoris Philoſophi, Aulam Principum, novercæ comparat, cuius nomen tragicum eſt, ut Ennodius Ticinenſis aiebat; necnon & ſcenæ per ſimilem facit, in qua omnia magnam partem ficta, & ſimulata, fides Fileſ. ubi ſup. c. 8. pag. 45. & ſeqq. Ennod. contr. 2.

fluxa & ſubleſta, amicitia vacillans & dubia, concordia fucata & ficta, & ita omnia parumdurantia, ut qui Imperatoris ſeu Regis perſonam ſuſtinuerit, depoſito cothurno, ubi ad ſtatum redierit ſuum, ex templò miſer appareat, repentèque exortus, repentino, quaſi ſolſtitialis herba, occidat, & illud Petronij, verum eſſe omninò demõſtret,

Petron. in carmin.

Grex agit in Scena Mimum. Pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſsimulata perit.

Covarr. centur. 1. Embl. 44.

Noſter, & nõ ob id contemnẽdus D. Sebaſtianus Covarruvias, eandẽ doctrinam oſtendere volens, & hos qui in aula & aura Principũ evehuntur, caſui ex ipſa elevatione damnari, aquilam pinxit, teſtudinem in æthera unguibus efferentem, cum lemmate, *Vt lapſu graviore ruat*, & hoc carmine:

Yà cuidò la Tortuga que tenia
Alas para volar, quando llevada
En las uñas del Aguila, ſubia
Por la region del aire; i la cuitada
Tiene en deſprecio quanto abaxo via,
Con un tan gran favor de ſi olvidada,
I penſando en el Cielo ſer eſtrella,
La ſuelta ſobre un riſco, do ſe eſtrella.

Ego verò, hæc quidem adinventa collaudans, aliud, quod in præ- 12
ſenti Emblemate vides, non minùs ad deſignandum nimis citò creſcentes Aulicos, ſuaque proceritate tumentes, & fatalem eorum, ac facilem caſum, conducere arbitror, ex Ephialtis nimirùm fabula ſumtum, qui, & Ottus eius frater, ut Homerus, Apollodorus, Plutarchus, Hyginus, & alij fabulãtur, Aloëi, & Iphimediæ filiæ Neptuni filij fuerunt, ſinguliſque menſibus novem digitis, ſive, ut alij tradunt, ſingulis annis latitudine cubitum, longitudine ulnam creſcebant, & ubi nonum annum explevere, ita immania corpora adepti fuerunt, ut bellũ Iovi inferre non erubuerint. Quin etiam Ephialtes, Iunonem, Ottus autem, Dianam ſibi coniugem depoſcebant, Martemque in vincula coniecerunt; montes ad hoc montibus ſubiungẽtes. Quouſque, ut plures tradunt, fulmine de cœlo icti, in inferoſque demerſi, ſuperbiæ ſuæ pœnas dederunt: vel ut alij, nimia ſua proceritate nubes tranſgreſsi, aëra per liquidum evanuere, vel cœleſti igni, cui iam proximi erant, conſumti ſunt. Neque enim Philoſtrato accedo, qui eos ſe ſe ad invicem proprijs telis confixiſſe recenſet, Dianæ aſtu, quæ in cervã mutata, per eorum medium exiluit. Ad quam fabulam reſpexit Virgilius, cum Æneam infernos Manes percurrentem inducit, ſic canens:

Homer. Illiad. 5. Apollodor. lib. 5. Plutarc. in lib. de exilio, Hygin. li. 1.

Philoſt. in heroic.

Virg. 6. Æneid.

Hìc & Aloidas geminos immania vidi
Corpora, quæ manibus magnum conſcendere cœlum
Aggreſsi, ſuperiſque Iovem detrudere regnis.

Et

Et iterùm in Culice:

Nam victus ſedet, immanis ſerpentibus Ottus
Devinctus, mæſtum procul aſpiciens Ephialtem.

Et Claudianus, his verſibus: Claudian. de bell. Gotic.

Quid mirum ſi Regna labor immania vexat?
Cum Gemini fratres, genuit quos aſper Aloëus
Martem ſubdiderint vinclis, & in aſtra negatas,
Tentarint munire vias, ſteteritque revulſis
Penè tribus ſcopulis, cæleſti machina cælo.

Eademque occaſionem præſtitit Ammiano Marcellino, ut diceret: *Grandiaque incedens, tanquam Ottus & Ephialtes*. Quod ſpeciem habet Adagij, ut Adrianus Iunius, & Cerda noſter obſervant, in vecordes, & ſuperbos homines uſurpari ſolitum, qui maiora viribus aggrediuntur, & debitas ſuæ temeritatis pœnas accipiunt. Ammian. Marcell. lib. 22. Iunius hodie inter Adagia Eraſm. pag. 668. & Cerda ad Virgil. ſup.

13 Et ad rem ipſam, de qua agimus, eandem fabulam accommodans Petrus Matthæus in una ex ſuis narrationibus, prudentiſsimè inquit, hinc commoneri poſſe tumidos Adminiſtros, qui nimis citò, properèque ac proſperè gratia ſuorum Regum elati, non ſolùm ſupra cæteros Aulicos, ac Regni Proceres ſe ſe extollere volunt, verùm & ipſis Regibus, quibus parere deberent, bellum indicere, & quodammodo imperare conantur. Namque vel ipſo ſuo tumore rumpuntur, vel altitudine ignefcunt, aut evaneſcunt, neque minus citum, celeremque ſibi occaſum, ac decrementum parant, quàm in creſcendo, & conſcendendo fœlicitatem habuerunt. Pet. Matth. narrat. lib. 3.

14 Quod & ipſi Ethnici in eiſdem Gigantibus, de quibus loqui cœpimus, inſinuabant; nam relicta longiori diſputatione, an Gigantes ullo tempore fuerint, vel eſſe potuerint? de qua plures agunt, quos Ego alibi latè congeſsi, illud planè conſtat, ipſos, quos veteres confinxerunt, tortuoſis pedibus, & in draconum volumina deſinentibus, formatos fuiſſe, ut ſic intelligeremus, nihil eos rectum, aut ſublime cogitaſſe, aut effeciſſe, cum detorti eorum pedes ad inferna demergantur, & ſimul ipſorum impietas, ac promtus & facilis caſus denotaretur, ut poſt Vectium Prætextatum Macrobius animadvertit, & poſt Macrobium Petrus Crinitus, adiiciens ex Lampridio, hac propter Commodum, eos ipſos homines, qui pedibus debiles forent, nec ambulare admodum poſſent, in Gigantum effigies formatos, ſic, ut quaſi dracones effingerent, deinde ſagittis eoſdem conficere ſolitum. Ego de Indiar. iur. to. 1. lib. 1. c. 2. ex n. 11. & cap. 10. ex n. 54. Carrança de partu, c. 17. ex n. 49. Ionſtonus de naturæ conſtantia, cap. Crinit. lib. 2. c. 11.

15 Et certè ita ſemper ſe res habuit, ut qui ex his Aulicis ſuaptè natura ſuperbiunt, quò proprius cœlum gratiæ principalis attingunt, eò nocentiores ſuæ potentiæ influentias immittant, ut ſub ſcorpionis ſigni figura noſter nuper Saavedra Fajardus benè commonuit. Idque ipſum efficiat, ut pronius ex ſua altitudine prolabantur, quippè quia ſecundùm Calcondylam: *Solet numen plerumque faſtuoſos deprimere, & ad humilem fortunam deiicere.* Et ſecundùm Plutarchum, *Vt deciduæ ſtellæ ſubitò extinguntur, ita quos Fortuna ſubitò in ſumma provexit, re-* Saaved. Empr. 52. pag. 374. Calcondyl. lib. 1. Plutar. in Moral.

pen-

pente corruere ſolent. Vnde meritò D. Proſper Aquitanicus eos ridet, quibus 16

D. Proſp. in lib. de provid. vide Sidonium & Savaronē in eius notis, lib. 2. epiſt. 13.

Fœlices dici mos eſt, quos blanda Poteſtas
In ſummos apices tumidorum evexit honorum.

Cum potius miſeri appellari deberent, quippè queis (ut iam in ſuperioribus diximus) ab invidia, à calumnia, à Principum inconſtantia, à magnis negotijs, quæ gerunt, quæ ut ex alijs tradit Nevizanus, ſine magnis periculis, & ſubditorum odio, & querelis fieri, & tractari impoſsibile eſt, & denique (ut hæc & alia multa deficerent) vel ab ipſa creſcendi, & ſurgendi natura, decreſcendi, & cadendi fatale periculũ imminet.

Nevizan. in Sylva nupt. lib. 4. pag. 396. n. 155.

Idemque ipſum admonuit Seneca, lubrica inde hæc Aularum culmina vocans, 17

Senec. in Thieſ.

Stet quicunque volet potens
Aulæ culmine lubrico, &c.

Et alibi inquiens: *Lubrici ſunt humanorum gradus aſcenſuum, tremulus vertex, horrendum præcipitium, ægrè conſcenditur ad eminentem ſtatum, anxiè ibi conſiſtitur, graviter inde, & repentè deſcenditur: nam & ſæpius ventis agitatur ingens pinus, & celſæ graviore caſu decidunt turres, quãto ſecurior aurea fuerit mediocritas.* Cornelius Tacitus, fluxa, & inſtabilia eadem appellans: *Nihil rerum mortalium, tam inſtabile, & fluxum eſt, quàm potentia non ſuavi nixa.* Et iterùm incerta & lubrica, *Cuncta mortalium incerta, quantoque plus adeptus quis fuerit, tanto ſe magis in lubrico eſſe.* Et Sidonius Apollinaris, præcipitij etiam epiteton addēs: *Sed ſententiæ tali nunquam ego aſſentior, ut fortunatos putem, qui Reip. præcipitibus, ac lubricis culminibus inſiſtũt. Nam dici non poteſt, quantũ per horas fert in hac vita miſeriarum, vita infœlicium iſtorum, &c.*

Senec. poſt Horat. lib. 2. carm. od. 10. ubi vide Chabociũ

Tacit. 1. & 13. Annal.

Sidon. lib. 2. ep. 13

Ex quorum, & aliorum doctrina Iuſtus Lipſius, cauſas, quas pupugimus, huius inſtabilitatis recenſens, ſic exorditur, *O Boni, lubrica veſtra vita, & via eſt, qui in Aula verſamini: in qua, ut verè vir Sanctus dixit Per pericula pervenitur ad grandius periculum.* 18

Lipſ. lib. 3. polit. cap. fin.
D Aug. 8. Confeſſ. cap. 6.

Et hanc eſſe veluti priorem, potiorem, & certiorem Aularum, & Aulicorum conditionem, ac plagam, inter plurimas alias, quæ de eis latiſsimè Ioannes Sariſberienſis, Simon Maiolus, Aulæ Tyrocinium, Achilles Bochius, omninò legendus, & Canonherius recenſent, ſatis oſtendit Lucianus, ſequentibus his coloribus illas rectè depingens: *Veſtibulum ſublime, & inauratum, abruptum, lubricum, ita ut plerumque, qui ſe ad ſummum perveniſſe putant, præcipites, cervice fracta, deiiciantur. Intus opulentiæ oſtentatio, ſpes fallax, ambitio, æmulatio, invidia, detrectatio, fumi, adulatorum multæ manus, pauca corda, crapula, luxus, corruptiones, avaritia, eaque omnia ſpecioſis fucis teguntur. Denique, ut paucis dicam, Aulica vita, ſplendida eſt miſeria.* 19

Sariſber. in Policr. lib. 1. cap. 1. & ſeq. Maiol. in colloq. de aula & caula, Canonher. ex multis to. 1. Aph. pag. 853. & ſeqq. Bochius ſymb. 124. pag. 263. Lucian. & ex eo Camerar. 3. tom. ſubceſ. c. 91. pag. 343. & ſeq. ubi etiã ex Busbequio alia adducit, de aulæ pictura, & periculis.

Et exemplo ſuo varijs temporibus, & ſub varijs omnium Nationum Principibus, ſatis manifeſtarunt Amanus, Hermeas, Parmenio, Philotas, Seianus, Narciſſus, Tigellinus, Perennis, Cleander, Plautianus, Thurinus, Ruffinus, Ablabius, Eutropius, Stilico, Narſes, Beli- 20

ſa-

ſarius, Aëtius, Boëtius, Symmachus, Thomas Bolleus, Thomas Morus, Abrahimus, & innumeri alij, qui non ſolùm ex ſupremæ gratia Principum ſuorum culminibus exciderunt, verùm varijs ſupplicij affecti, ſtrage & exitio ſuo, ſplendenti, quæ eis impoſuit fœlicitati, proprio ſanguine litaverunt, ut latiùs Ioannes Boccacius, Philippus Camerarius, Enenchelius, Canonherius, Nevizanus, Beſſoldus, & alij plures Auctores paſsim commemorant. Bironium etiam Ducem, Ancræum, Buquingamum, Vvaldeſtennium, ſive Freislandum, & alios adiicientes, quorum recentior eſt memoria, quàm ut poſsit inter oblitterata neſciri.

21 Prout neque apud Nos D. Ruderici Lopez Davalos, Caſtellæ Comeſtabilis, ſub D. Rege Henrico III. poſt fidelem, & ſtrenuam ei navatam operam, miſerabilis lapſus. Et miſerabilior, totique orbi valdè notus & decantatus; D. Alvari de Luna, qui eidem Ruderico apud D. Ioannem II. Henrici filium in onere & honore ſucceſsit, & tandem, ut noſtri & exteri Scriptores recenſent, & lamentantur, ab eodem Rege, cui ita acceptus & charus per tot annos extiterat, & gnaviter, ac fideliter inſervierat, ob vanas fortè magis quàm veras populi voces, & aliorum Aulicorum invidiam, Pintiæ plecti capite iuſſus fuit.

22 Quam hiſtoriam, præter alios, enarrãs Ferdinandus Gomez de Cidad Real, eiuſdem Regis Archiatrus, inquit, Alvaro extincto, Regis gratiam occupaſſe, D. Ioannem Alfonſum de Robles, qui tamen paulo poſt, eiſdem calumnijs impetitus, ab ea quoque excidit, & in carcerem coniectus fuit, & hæc notatu digna verba ſubiungit: *Eſte gran Mar del valer, è privar, è malas querencias, què mas amp o es que el de Finis terræ, no puede eſtar ſin motu. Porende atiendan los ſublimados, qual ſerà el tercero cuerpo que lançarà de ſi, deſpues del Condeſtable, è Iuan Alonſo.*

23 Quibus quidem verbis, dum mari, mariſque fluctibus, inconſtantiã gratiæ Principum comparat, Plinium Iuniorem imitari videtur, qui de eadem agens, ſic dixit: *Quod tam infidum mare, quàm blanditiæ Principum illorum, quibus tanta levitas, tanta fraus, ut facilius eſſet iratos quàm propitios habere.*

24 Vnde & Auſonio, quem in hoc Fileſacus adducit, ſatis audacter iſtud excidit,

Et ſemper fictæ Principum amicitiæ.

Michaelque Hoſpitalius, benè in aulicis rebus edoctus, exempla aliquorum, quos in Francia excidiſſe viderat, memorans, ſic ſuum clauſit Poëma,

Tam favor, & ſtudium populi, tam gratia Regum
Mobilis & fluxa eſt: tam lubricus omnis honorum,
Eſt Gradus, & comitem ſecum trahit ille ruinam.

25 Et Modernus quidam, latiùs idem argumentum perſequens, inquit: *Nihil rerum mortalium, tam inſtabile, ac fluxum eſt, quàm alienũ quod beneficio tenes. Magna mobilitate ſunt animi Regnantium: tollunt*

Bocac. de Princip. Lapſ. Camerar. 3. ſubceſ. c. 56. & 57. ubi refert varios caſus ex Capellonio Enechel. in Seiano, Canonh. in Aphor. pol. pag 575 Nevizan. in ſylv. nupt. pag. 356. Beſſol. in Synop. polit. lib. 2. c. 8. n. 7. Maiol. in colloq de aula, Saaved. Empr. 50. pag. 343. Ceſpedes in Phil 4. lib. 1. c. 3.

Chron. Ioann. II. Chron. eiuſdẽ Alvari, Mariana lib. 22. cap. 12. & 13. Lambert. in The. Reg. Hiſp. pag. 89. Theat. vitæ hum. lit. F. pag. 234 Æn. Sylv. in Europ. c. 47. Fer. Gom. epiſ. 14.

Plin. in Paneg.

Auſon. edyl. 3. Fileſac. d. c. 8. pag. 47

Hoſpit. in carm. ad amicos, in princ.

Ioã. Schil. in exerc. ad Tacit. pag 107.

in altum, & prope exæquo dignationẽ ſuam partiuntur: At ubi res poſtulat, ſubinde ad ſeſe redeunt, & non iam alterius rebus conſulunt, ſed ſuam ipſi fortunam in conſilio habent. Vbi impares ſeſe publicis odijs conſpicantur, perire ſatius ducunt Adminiſtros ſuos, ac veluti ſuccidaneas victimas ad exitium dedi, quàm ut amittendæ periculo dominationis agitentur. Hinc quos ad ſumma favor aulæ protulerat, qui diu membra, ac partes alienæ potentiæ fuerant, eorum gratia viguit, authoritas floruit; donec intra modum ſtetere, id eſt in publicum minùs iniurioſi, minùſque ingrati extitere. Quòd ſi inflatam, & ex ſubita fœlicitate ſuſpicioſam arrogantiam reprimere neſciverunt, vel illi ipſi, qui produxerat eos, pœnas pependerũt, vel ſucceſſorum ultioni relicti, ac reſervati fuerunt.

Lil. Girald. de Dijs Gent. ſyntagm. 1. Cauſin. in polit. ſymbol. lib. 2. c. 25

Hincque venuſtiſsimè Apelles, à Lilio Giraldo, & Cauſino valdè 26
laudatus Favorem Aulicum à fortuna diſcriminatum, his coloribus pinxit:

Pictor Apellæa qui pingis ab arte Favorem,
Vnde illi generis ſemina, nota parum?
Hic genitum Forma, Fortunæ hic dicit alumnum,
Caſu ille, ille animi dotibus eſſe ſatum,
Qui Comes aſsiduus lateri? Aſſentatio. Et ecquæ
Ponè ſubit lentis paſsibus? Invidia.
Ecqui circunſtant? Opulentia, Faſtus, Honores.
Leges, & ſcelerum ſæpè Libido parens.
Cur facis aligerum? fortunæ elatus ab aura
Advolat alta, imo neſcius eſſe gradu.
Quare oculis captum pingis? non novit amicos
Improbus ex humili cum petit alta loco:
Quid rotulæ inſiſtit? Fortunam imitatur, & infert
Se ſocium, inſtabiles quà tulit illa pedes.
Cur timet, atque extra ſeſe ambitioſius effert?
Occæcare animos fata ſecunda ſolent.

In tali igitur ac tanta Aulæ inconſtantia, rerumque ſurſum ac deor- 27
ſum euntium verſatione, vel lapſum timeat, quiſquis ſeſe in altum extolli videt, aut ambit, ut ſic vires illius aliquatenus frangat,

Senec. de conſol. ad Mart. c. 9. in fi.

Nam minùs ferit, quicquid prævideris ante.

Vel Laberianum Mimum, ſummè à Seneca laudatum, quamvis è populo eſſet, edoctus,

Claudian. lib. 2. in Ruff.

Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Tot aliorum exemplis expergefactus, ſuo capiti conſulat, &, ut cum Claudiano loquar, in ſimili Ruffini caſu verè & graviter perorante,

Deſinat elatis quiſquam confidere rebus,
Inſtabileſque Deos, & lubrica numina diſcat,
Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,

Cu-

Cuius ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas, inhumata diu, miſeroque revulſa
Corpore, feralem quæſtum poſt fata popoſcit.
Aſpiciat, ne quis nimium ſublata ſecundis
Colla gerat, trivijs calcandus ſpargitur ecce,
Qui ſibi Pyramides, qui non cedentia templis
Ornatura ſuos ſtruxerat culmina manes.
Et qui Sydonio velari credidit oſtro;
Nudus paſcit aves: iacet en, qui poſsidet orbem,
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, nuſquam, totieſque ſepultus.

28 Præſertim cum iuxta Boëtij Severini ſententiam: *Fœlicisſimi cuiuſque delicatisſimus ſenſus ſit, nulluſque tam compoſitæ fœlicitatis, ut non aliqua ex parte cum ſtatus ſui qualitate rixetur.* Quod ipſius præcipitium magis accelerat: necnon illud, quod aptisſimè Quintilianus cōſiderat: *Iniquisſimam ſcilicet magnorum meritorum conditionem eſſe, cum ſi quicquid non fuerit adiectum, de prioribus pereat, & pesſimo exemplo, gratiã præteritis auferant reliqua, quæ ceſſare contigerit.* Et Tacitus dū docuit: *Arduum valdè & ſubiectum Fortunæ eſſe onus cuncta regendi*; quod hi, de quibus agimus Adminiſtri, ſubire ſolent, non prius, iuxta Horatij, alıud agentis monimentum, tentantes,

Boet. conſol. 2. proſ. 4.
Quintil. in declam.
Tacit. 1. Annal.
Horat. in Arte.

-------- Quid ferre recuſent.
Quid valeant humeri.

29 Quapropter Seneca ad Lucillum ſcribens, meritò dixit: *Magnam potentiam ambit inexpers, ſed odit expertus.* Et Alter: *Magna res magnis abſtinuiſſe fuit.* Eorumque, & aliorum doctrinis hærentes Gaſpar Ensl, & Ioannes Fileſacus, cæterique Politici, ijs, qui tam altè provehuntur, communiter conſulunt, ut Fortuna ſua non modeſtè tantùm utantur, ſed etiam ubi impares ſe viderint, invidiæ ſe maturè ſubducant, ne tandem à ſummis honoribus, ad extrema dedecora deturbentur, ut multis, tam in ſuperiori, quàm in noſtra ætate contigiſſe videmus.

Senec. ad Lucillū.
Albinob de obit. Mæcen.
Ensl de Conſil. & Conſiliar. Fileſac. ubi ſup. c. 7. pag. 43.

30 Quod ipſe idem Seneca propè diviné, ut Fileſacus ait, multos ex eiſdem Aulicis exoptare ſolere, inquit, licèt pauci ſint, qui illud opere compleant. Eius verba ſunt hæc: *Potentisſimis, & in altum ſublatis hominibus excidere, voces videbis, quibus otium optent, laudent, omnibus bonis ſuis præferant. Cupiunt interim ex illo faſtigio ſuo, ſi tutò liceat, deſcendere. Nam ut nihil extra laceſſat, aut quatiat, in ſe ipſa Fortuna ruit.*

Senec. de brevit. vit. cap. 4.

31 Quibus tamen, ſi ſatis mentis ratio conſtaret, nihil obſtare deberet, ut agnoſcerent, melius ſibi conſultum, ſi nec nihil eſſe vellent, nec omnia, & aurea vitæ mediocritate contenti, Ovidij monitum ſequerentur,

Ovid. 3. de triſt. eleg. 4.

Vſibus edocto, ſi quicquam credis amico

Vive

Vive tibi,& longè nomina magna fuge,
Tu quoque formida nimium ſublimia ſemper.

Senec. in Octav.

Aut ipſius Senecæ Tragici, qui poſt illa carmina, quæ ſuprà ex eius Octavia retulimus, ſentiens fortè ſe ipſum Neronis compedibus, negotijſque aulicis præpeditum, hæc ſubdidit,

Melius latebam procul ab invidiæ malis,
Remotus inter Corſici rupes maris,
Vbi liber animus, & ſui iuris mihi
Semper vacabat ſtudia recolenti mea.

Lipſ. lectu dignus in Muſis errātibus, pag. 68. & ſeqq.

Sup. Embl. 19. in fine.

Senec. epiſt. 55.

Quibus plura alia adiungere poſſem, quæ de laudibus, & commo- 32
dis vitæ privatæ, & ſolitariæ D. Nazianzenus, Petrarcha, Palitianus, Nat. Comes, Iuſt. Lipſius, Heresbachius, Maiol. Camerar. Fileſacus, Barberinus, & alij paſsim Auctores comminiſcuntur, quos ſuprà alio loco recenſui, ultra quos Plinius Iunior in Panegyrico, inter ſui Trajani laudes illam commēdat, quòd fœlici eius tempore, non eſſet iam conſideratus & ſapiens, qui ætatem in tenebris agit. Quo loci Iuſtus Lipſius, alium Senecæ, de Vatia, qui ſub improbis Principibus latere ſcivit, adducit. Etenim *Ob hoc unum* (inquit) *fœlix habebatur. Nam quoties aliquos Aſinij Galli amicitia, aut Seiani odium, deinde amor, merſerant; exclamabant omnes, ò Vatia, ſolus ſcis vivere.*

Claudian. epigr. 6. quod valdè laudat Moretus lib. 17. var. cap. 8.

Extat etiam inter Epigrāmata Claudiani, celebre illud Senis Veronenſis, qui parvo rure cōtentus, nunquā proximam urbē intraverat, quod dignum cenſeo, ut huic commentationi colophonē imponat:

Fœlix qui proprijs ævum tranſigit in arvis
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Vnius numerat ſæcula longa caſæ.
Illum non vario traxit Fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſsica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis,
Aſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule computat annum:
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat, &c.
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumque putat litora rubra lacum,
Sed tamen indomitæ vires, firmiſque lacertis
Ætas robuſtum tertia novit ævum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos,
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

(*❧*)

Re-

Regum calor quomodo ſuſcipiendus?

EMBLEMA LIIX.



Ergo recede parum, nam proximus ignis adurit;
Si procul abſcedas haud calor ullus adeſt.
Eſt ignis Princeps, urit ſi proximus audes,
Frigebiſq; procul, cautus utrumque cave.

COMMENTARIVS.

1 QVÆ de Primorum Adminiſtrorum caſibus & periculis in præcedentibus expoſuimus, poſtulare videntur, ut paucis eoſdem ne nimis excelſa hæc culmina ambiant, ſi ſtabiles & ſecuri degere velint, commoneamus: ſed mediocri fortuna in aula & aura Principum, quibus inſerviunt, potiri contenti, ſic illorum lucem ac calorem ſuſcipiant, & ſuſpiciant, ut Lunæ inſtar, quicquid gloriæ & claritatis habuerint, illis tanquam Soli refundant; neque, ut Tacitus alibi dixit: *Ad famam ſuam geſtis exultent, ſed ad auctorem & ducem, ut Miniſtri, fortunam referant.*

Tacit. in Agric. vide ſimile conſiliũ apud Ioã. Laurẽt. in Poliant. verb. *Reſp.* col. 2408.

2 Veteranique illius conſilium ſequantur, qui, ut Seneca refert, interrogatus: *Quomodo rariſsimam rem in aula, SENECTVTEM, conſequutus fuiſſet? Iniurias ferendo, & gratias agendo, reſpondit.* Quibus ſi, ut iam dixi, animi moderationẽ, atque in æquales comitatem, in populares benignitatem, addere ſtuduerint, forſitan in adepta fœlicitate durabunt.

Senec. lib. 1. de ira.

Alias,

Senec. in Præf.lib. 4.nat.quæſt.

Aliàs,ut cordatiſsimè idem Seneca monuit, *Cum omnia caverint, per ornamenta ſua ferientur.* Et ſui capitis diſcrimine agnoſcent, quam verè dixerit Apuleius: *Ingentia gubernacula, facilius mergunt, quàm regunt.* Eòque ſibi maius periculum, quò altius emerſerint, imminere, ut etiam ex ſuperioribus patet,& monuit Ovidius,dum inquit:

Apul.Apol.2.

Ovid. de remed. amand.lib.1. & 2. Metam.

Livor ſumma petit, perflant altiſsima venti:
Summa petunt dextra fulmina miſſa Iovis.

Lucret.lib.6.

Lucretius:

Altaque cur plerumque petit loca, plurimaque plus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis.

Horat.lib.2. od.1.

Horatius: *Sæpius ventis agitatur ingens*
Pinis,& celſæ graviora caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Verin.in Diſtich.

Et Michael Verinus ad rem noſtram magis accedens,

Quò magis eſt abies procera,evertitur Euris:
Culmina,non valles,fulmina torta petunt.
Quò maior civis,maior ſolet eſſe ruina,
Magnaque livorem gloria ſæpè parit.

IndequeVeteres,ob hoc ipſum periculū,quod ijs imminet,qui immediatè cum Regibus, ac Principibus converſantur, quorum gratia ingratiſsima, infida, & parum ſtabilis, ut vidimus, eſſe ſolet, Adagio locum fecerunt: *Proximus Iovi, proximus fulmini*, vel *Procul à Iove, procul à fulmime*,quo,ut poſt Diogenianum,tradit Eraſmus,ſignificarunt,non eſſe ambiendum, neque appetendum Præpotentum commercium,quibus quod libuit licet,quique vel ſolo nutu eos, quos extulerunt,deprimere poſſunt,& ſolent,& illud Plutarchi verum efficecere,quòd quemadmodum invulnere prius apparet ſanguis,quàm plaga,& quemadmodum prius emicat fulgur, quàm tonitrus audiatur: ita apud Principes ferme omneis,prius erumpit condemnatio, quàm probatio,& perijt Delatus,prius quàm coarguatur. 4

Eraſm.in Adag. pag mihi 631.

Plutar.in Moral.

Suid.apud Eraſm. ſup.

Cui Adagio ſimile eſt illud aliud à Suida relatum, *Maiorem vitato virum.* Et ad utrumque reſpexiſſe videturOvidius,dum dixit: 5

Vive tibi,quantumque potes prælustria vita,
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quamquàm ſoli poſſunt prodeſſe Potentes,
Non proſunt, potius plurimum obeſſe ſolent.

Ovid.3.triſt.eleg. 4.

Et alius,quiſquis ſiet Veterum,in Catalectis,

Vive,& amicitias Regum fuge, pauca monebas,
Maximus hic ſcopulus,non tamen unus erat:
Vive,& amicitias nimio ſplendore nitentes,
Et quicquid colitur perſpicuum fugito.
In gentes Dominos,& famæ nomina claræ,

Illu-

Illuſtriquè graves nobilitate domos
Devita, ex alto magna ruina venit.

6 Et his, ut apparet, veſtigijs inſiſtens, licèt nihil horum alleget, Noſter ſæpè laudatus, D. Didacus Saavedra, ſymbolum quærere volens, quo Aulicos, de quibus agimus, imminentium ſibi diſcriminum admoneret; nullum aptius invenit, quàm Montis, ſua ſummitate cœlũ veluti pertingentis, cui deſuper fulmen minatur, cum hoc lemmate, *Iovi & fulmini*, in cuius expoſitione eruditiſsimè quidem, & prudentiſsimè in illis admonendis, inſtruendiſque verſatur.

Saavedr. Emp. 50. ex pag. 342.

7 Vnde & necis Iulij Cæſaris præſagium fuit fulmen, quod paulò ante, eius ſtatuam cõtrivit; & D. Alvari à Luna, de quo ſuprà loquuti ſumus, aliud, teſte Gomez de Cidad-Real, quo magnificum & opulentũ, quod Aſcalonæ habebat Palatium, ita conflagravit, ut per tres integros dies ab octingentis hominibus extingui non potuerit.

Fern. Gom. de Cidad-Real in epiſt.

8 Nec deeſt alter Emblematarius, qui id ipſum oſtendere voluit, ferocientem ſonipedem pingẽs, cuius prolixam caudã homo humi tollere curat, & prò præmio, gravi calcis ictu percutitur, ad fabulã nimirùm Æſopi de hoc agentem alludens, quam ſub Epigraphe, *Abſtinendum à potentioribus*, his verſibus explicat,

Schoonh. Emb. 58. pag. 171.

Conqueritur ſonipes longæ dependere caudæ;
Vtque levet quemvis voce precante rogat.
Dum rudis hanc tollit, ferratis calcibus ictus
Concidit, & pretium triſte laboris habet.
In Magnis non tuta fides, præluſtria vites,
Vive tibi, & paribus iungere te ſtudeas;
Nam miſerum eſt tali ſocio ſe iungere, de quo,
Si noceat, nunquam ſit tibi poſſe queri.

Et iterum, pingens hominem ex proceræ admodum arboris ſummitate cadentem, cum lemmate, *Medio tutiſsimus ibis*, & his carminibus,

Idem Schoonhov. Embl. 12.

In medio fueram tutus, dum ſcandere ſumma
Nitor, in adverſum culmine deiicior.

10 His antiquior Ovidius, aliud quoque, nec minùs aptum, nobis Emblema exhibet, Dædalum ſimul, & Icarum eleganter deſcribens, quorum uterque alienis quidem, hoc eſt mutuatis è cera alis, per aëra volare cœpit. At ille, quia ſe in medio continuit, ſalvus evaſit: hic verò, quia ſuperbè in altum conſcendere, & Solẽ ipſum contingere voluit, liquatis eiuſdem ardore pennis, miſerabiliter occidit, Icarioque mari corpus nomenque reliquit. Ovidij carmina hæc ſunt, poſt alia quibus exactè hanc fabulam enarravit,

Ovid. 3. triſt. eleg. 4.

Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immenſas nomine ſignet aquas?
Nempè quòd hic altè, demiſsius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere ſuas.

Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Hugo lib. 2. de anima.

Eſt quippè ſuperbia vitium, quod quò ſe erigit magis, eò ſibi ma- 10
iorem lapſum diſponit, ut his Hugonis verbis manifeſtatur: *Cætera vitia ſolas illas virtutes impetunt, quibus ipſa deſtruuntur, ut luxuria pudicitiam: ſola verò ſuperbia contra cunctas animi virtutes ſe erigit, & quaſi generalis peſtifer morbus omnes corrumpit, &c.*

Mart. Delr. in Adag. ſacr. 2. tom. pag. 506.

Doctiſsimus etiã, & Religioſiſsimus Pater Martinus Delrius alio 11
ſimili utitur, à pirauſtis, ſive papilionibus ſumto, qui igni adeò accedere geſtiunt, ut ipſius ardore imprudentis ambitionis pœnas accipiãt: non ſecùs atque Aulici iſti, ad vanum hunc fulgorem favoris humani advolantes, & ſe ſponte excæcãtes, ut Democritus ille Philoſophus, qui teſte apud Agellium Laberio,

Agell. lib. 10. c. 17.

-------------------- Clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere ut poſſet ſplendore æreo, ita radijs
Solis aciem effodit luminis, malis benè
Eſſe ne videret civibus.

Nos autem in præſenti, quod vides, Emblemate, æſtuantis camini 12
comparatione, & imagine utimur, cui, qui propiùs accedit, cõburitur, qui nimis procul exiſtit, calefactionis commodis caret, qui verò ſe in mediocritate conſtituit, illis ſalubriter gaudet ac fruitur. Qua uſum olim reperio ad hoc idem ſignificandum Antiſthenem, vel ut alij tradunt, Diogenem, qui, ut Stobæus, & alij enarrãt, interrogati, quomodo quis cũ Potentioribus ſublimioribuſq; Principibus ſe habere deberet? *Perinde atque igni illis utendum reſponderunt, non nimium propè, ne comburamur: neque nimium procul, ne rigeamus, & non calefiamus.*

Stob. ſer 43. Ant. in Meliſſa, part. 2. ſer. 1. Lycoſth. in Apoph. pag. mihi 695. Delr. ubi ſup. pag. 507. Richter. in Axiom. polit. & Beyerl. in Apoph. pag 186. Plutarch. hoc tribuunt.

Covar. centur. 3. Embl. 29.

Iacob. BrucK Embl. 33.

Et licèt poſthæc ſcripta invenerim D. Sebaſt. à Covarruvias hoc 13
eodẽ Emblemate uſum, cũ titulo, *Nec prope, nec longius*; illud tamen aliorſum detorquet, nimirũ, ne viri cũ fœminis nimis propè, vel longè nimis agant, & converſentur, quod quàm ſit alienũ ab Antiſthenis inſtituto, cuius nũc Nos veſtigijs hæremus, nemo non videt. Magiſque ad illud accedere videtur Iacobus à Bruck, qui canẽ depingens, flammas, ad quas proximè acceſſerat, veluti orevorantẽ, hæc carmina ſubdidit, *Ne accedas propius, qui blandis utere verbis,*

Cum ſplendet Domini gratia larga tui.
Flamma vorax veluti depaſcitur omne quod adſtat,
Id quoque contingat ne tibi Gnatho, cave.

Quod prudentiſsimum documentum Ianus Gruterus hoc Monoſticho Trochaico clauſit,

Flamma admota propiùs, urit: at remota illuminat.

Eccleſ. 9. 18. & ſeqq.

Et Syracides quoque comprobat, inquiens: *Longè ab eſto ab homine po-* 14
teſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis, & ſi acceſſeris ad illũ, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. Commu-

nio-

nionem mortis ſcito; quoniam in medio laqueorum ingredieris. Quo indicat, leviſsimam eſſe Principum offenſionem, eamque cum maximo cõiunctam periculo, cum leviſsimis de cauſis iraſci ſoleant, & quos prope ſe, & in ſummis habebant, facili negotio in imâ detrudere. Quo, nihil eſſe verius, nihil uſu Regnorum omnium exploratius, nihil in annalibus conteſtatius; ſatis in ſuperiori commentario probatum reliquimus, & vel ſolo Philotæ exemplo apud Curtium oſtendi poteſt, quem cum Alexander Magnus ex familiaribus, & præcipuis amicis unũ haberet, arcano eiuſdem conſilio capite damnatũ, pridie Regia excepit cœna, & familiari colloquio, magna benevolentiæ ſimulatione.

Curt. lib. 6.

15 Idemque conſilium, quiſquis benè ſibi conſulere voluerit, ab Horatio diſcere poterit, dum monet:

Horat. lib. 1. epiſt. ad Lolium.

Dulcis inexpertis cultura potentis amici;
Expertus metuet.

Et à Plinio Iuniore, qui de calamitoſis Domitiani temporibus agens, iam ſub ſuo Trajano in ſerenum redactis, ait: *Sæviſsimum illum carnificem, & optimi cuiuſque ſpoliatorem, ſtragibus amicorum, & in proximũ quemque ex ſuis iacto fulmine afflaſſe.*

Plin. Iun. in Paneg.

16 Calliſthenem quoque hac de cauſa admonuit Ariſtoteles, ut cum Alexãdro, aut rarò loqueretur, aut iocunda, quod quia obſervare neſcivit, miserè ab eo cruciatus, ut iam alibi dixi, deperijt.

Sup Embl. 49.

17 Et Plutarchus memorat, quòd cum apud Cræſum moneret Æſopus fabularum Scriptor: *Cum Regibus, aut quàm minimè, aut quàm iucundiſsimè colloquendum.* Solon hoc dictum hunc in modum retorſit, *Nõ per Iovem, imò potius, aut quàm minimè, aut quàm optimè.* Quæ duo ſibi contraria monita Ianus Gruterus his Monoſtichis clauſit:

Plutarc. in Solon. Eraſm. ubi ſup. pagin. 631.

Aut Regem non alloquare, aut alloquare ſuaviter;
Aut cum Rege nihil loquendum eſt, aut loquenda veritas.

18 Extat etiam in rem hanc elegantiſsimum Thomæ Mori, fortè iam ſuã fortunam præſagientis, Epigramma, in quemdam, qui ſe nimis de Regis gratia, facilique ad eũ aditu & colloquio, iactare ſolebat, quod ſic habet: *Sæpè mihi iactas faciles te ad Principis aures*

Thom. Morus in Epigram. pag. mihi 229.

Liberè, & arbitrio ludere ſæpè tuo.
Sic inter domitos ſine noxa ſæpè leones
Luditur, at noxæ non ſine ſæpè metu.
Infremit incerta crebra indignatio cauſa,
Et ſubitò mors eſt, qui modo ludus erat.
Tuta tibi non eſt, ut ſit ſecura voluptas:
Magna tibi eſt, mihi ſit, dummodo certa, minor.

19 Quod conſilium in ſe ipſo idem Morus in praxim benè & doctè deduxit: nam ut Thomas Stapletonius in eius vita recenſet, cum Epiſcopus Roffenſis ei ad ſummum Angliæ Cancellariatum evecto, ſtatum, & ordinem in Aula gratulatus eſſet: *In aulam* (ait) *invitus veni, & in eadem nõ minùs malè bæreo, quàm quiſquã equitãdi inſolens, bæret in ſella:*

Stapleton. in vita Mori, cap. 7.

Lucan.lib.8.

Meminerat nimirum,ut erat lectionis magnæ,illius Lucani:

> ---------------- *Exeat Aula*
> *Qui vult eſſe pius, virtus, & ſumma poteſtas*
> *Non coeunt, &c.*

Cominæus lib.

Et inſignis Politicus Philippus Cominæus,quemdam Franciæ Cõ- 19
neſtablium notans, qui imprudenter,ſui Principis favore elatus, ferè iã hoc ſpectaſſe credebatur, ut ab illo timeretur, ſic, ſub hac occaſione,illos qui Principum negotia tractãt,ſui officij commonefacit: *Mihi,ſi quis eſſet apud aliquem Principem amicus,aut propinquus: huic ſuaſerim,ita ſe comparet,ut diligatur,non autem ut metuatur. Nã qui diverſam rationem ingrediuntur, ut periculum tandem, & calamitatem evadant,fieri non poteſt, eiuſque rei multa proferre liceat documenta, non ex Gallijs modo,verùm etiam ex Hiſpanijs,& Anglia. Ferè autem fit, ut qui bonam & fidelem operam præſtiterunt, arbitrentur ſibi aliquanto plus quàm alijs licere. Principes contrà longè aliter ſentiunt,& æquius eſſe ducunt, ut qui ſe ipſorum clientelæ,& miniſterio tradiderunt,officio fungantur. Memini,quo tempore in hanc ſententiam Rex mecum loqueretur, (& ſuum nominabat Authorem) affirmans, fieri aliquando, ut egregiæ operæ minus liberaliter remunerentur,idque non tam ingratitudine Principum, quàm eorum,qui præſtiterunt operam, vitio: dum elati quadam confidentia propter rem benè adminiſtratam, inſolenter, & protervè multa faciunt. Aiebat præterea, fœliciter agi,ſua quidem ſententia, cum eo, cui nullo ſuo magno merito Princeps benefacit, & ut quis beneficio ſit obſtrictus Principi,id multo præſtare,quàm ut Princeps clienti,aut famulo alicui ſuo multum debeat. Eoque ingenioſe eſſe dicebat, ut qui ſibi ob aliquam beneficentiam deberent,eos plus diligeret,quàm alios, quibus debere ſe aliquid ipſe putaret. Tam eſt difficilè in omni genere vitæ, accommodare ſe,& ita gerere, ne quid erres. Magnum igitur eſt Dei beneficium, valere ſenſu communi,& iudicio naturali.*

Eccleſ.13.12.& ſeqq.

Hactenus Cominæus, cui, ſi quid eſt, quod hac in parte addere li- 20
ceat, illud planè erit, quod ab Eccleſiaſtico traditur, his verbis nec nimiam,nec valdè remotam ad Principes acceſsionem,de qua nos loquimur, & aulæ pericula commonente: *Advocatus à Potentiore diſcede: ex hoc enim magis te advocabit. Ne improbus ſis, ne impingaris: & ne longè ſis ab eo, ne eas in oblivionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogavit te de abſconditis tuis. Immitis animus illius conſervabit verba tua, & non parcet de malitia, & de vinculis dare tibi,& attende diligenter auditui tuo,quoniã cum ſubverſione tua ambulas.*

Caſsiod.lib.8. epiſt.10.

Idem lib.5. epiſt. 25.& lib.10.ep.13

Quo in loco Expoſitores alia adducunt, quibus ad nauſeam uſque 21
noſtri Emblematis thema illuſtrari poteſt, ſed mihi aptiſsimum videtur illud Caſsiodori, quo agnoſcit, quòd *Licèt omnia Regum obſequia ſub cautela peragenda ſunt; illic tanto timoris amplius requiritur, quanto proximus plus habetur.* Sic nimiæ ſublimitatis ſeu proximitatis periculum indicans. Cum tamẽ alio loco idem apertè fateatur, *Quod penè ſimilis eſt mortuo, qui à ſuo dominante neſcitur. Nec ſub aliquo honore vi-*

vit,

vit, quem Regis ſui notitia non defendit, quia certè munus eſt videre Principem. In quo nec nimis procul à Principũ oculis & notitia eſſe oportere demonſtrat.

22 Sic oſtendens, tàm in hoc, quàm in alijs, ut Cicero dixit ex mente veteris Academiæ, *Virtutes omnes eſſe quandam medietatem moderatam.* Modumque, iuxta Penulum Plauti, *In omnibus rebus optimum eſſe habitu; nimiaque omnia nimium exhibere negotium hominibus ex ſeſe.* Quia ſecundùm Gregorij Theologi conſilium, Cicer. in Bruto, cap. 40. Plaut. in Penul. Nazianz. 3. ſent.

Omnia ſumma nocent, ſed moderata iuvant.

Quam in rem plura in Adagijs Eraſmi, & aliorum videri poterunt. Eraſm. in Adag. pag. 506. cũ ſeqq.

23 Sed nihil ad rẽ noſtrã concinnius, quàm Apollodori carmina apud Henricum Stephanum, quæ, ex eiuſdem traductione, ſic habent; Henr. Steph. in Gnomis, pag. 57.

Habent per ampla dona Fortunæ metum,
Periculoque non carent præluſtria:
Nec ulla celſa tuta ſunt mortalibus,
Quæ evertere, vel invidia, vel tempus ſolet,
Fœlicitatis culmen, ubi quis attigit.
At tutior mediocritas in omnibus,
Neque mente deprimente ſe ad humum nimis,
Neque contra in altum ſe efferente ſuperbius.
Namque minùs alto ſi quis è gradu cadat,
Celabitur facilè eius infortunium:
Ingentis at molis ruina ingens erit.
Nam rebus obſtat invidia præ luſtribus;
Subvertit & fortuna quos evexerit.

24 Pulchrum etiam Mediocritatis encomium extat apud Horatium, ſic incipiens, & thema noſtrum acu veluti pungens, Horat. li. 2. od. 10.

Rectius vives Licini, neque altum
Semper urgendo, neque dum procellas
Cautius horreſcis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quiſquis Mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius Aula, &c.

25 Teſtatur etiam hoc ipſum & Naſo, dum Phœbum inducit Phaẽtõtem filium admonentem, ne depreſsius altiuſvè currum agat, ne aut terras, aut cœlum comburat, ſed inquiens, Ovid. 2. Metam.

------ *Medio tutiſsimus ibis*
Inter utrumque tene.

Et iterum de Dædalo agens, ſimili admonitione volatum filij Icari coërcentis, Idẽ lib. 8. Metam. & li. 8. de art. amã.

Inſtruit & natum: medioque ut limite curras
Icare ait, moneo: ne ſi demiſsior ibis,
Vnda gravet pennas: ſi celſior, ignis adurat.
Inter utrumque vola.

Senec. in Hercul. Oeteo.

Ex quibus etiam fabulis, non minùs venuſtè enarratis, idem documentum Seneca Tragicus eleganter deducit, hoc Epiphonema ſtatim ſubiungens, 26

Quicquid exceſsit modum,
Pendet inſtabili loco.

Idem Oedip. act. 4

Et anteà ex navigantium inflatis valdè velis, aliam ſumens comparationem, ſic dixerat, 27

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephiro levi
Vela: ne preſſæ gravi
Spiritu antennæ tremant.
Lene, ſed modicum fluens
Aura, nec vergens latus,
Ducat intrepidam ratem,
Tuta me media vehat
Vita decurrente via.

Ovid. 3. Triſt. eleg. 4.

Vtitur etiam & Naſo eadem comparatione, ſic inquiens: 28

Effugit Hybernas demiſſa antena procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent, &c.
Dum Tecum vixi, dum me levis aura ferebat,
Hæc mea per placidas Cymba cucurrit iter.

Lucian. de imagin.

Et in his, & prædicta Icari fabula indicari ſcribit Lucianus, omnibus actionibus Mediocritatem adhibendam, ne, dum nimis alta petimus, decidamus; vel dum terrenis cogitationibus inhæremus, nunquam attollamur.

(***)



Noli-

Nolite confidere in Principibus.

EMBLEMA LIX.



Arboris ad truncòs Elephantis carnea moles
Applicat, ut relevet nocturno membra ſopore.
Proh miſerum; quippè arbor erat præciſa latenter
Arte Venatoris; fulcro ceciditq́; cadente:
Sic capitur, dum ſtare nequit, manſueſcere diſcens.
Diſcite Mortales nullis hærere Potentum
Truncis; deficient, caditiſq́; cadentibus ipſis;
Imminet heu caſus; ſpes omnis in arbore fallax.

COMMENTARIVS.

1 QVAM lubricum, quantiſque caſibus obnoxium ſit cũ Magnis, & in magnis verſari, ſummumque in Aulis Regijs faſtigium obtinere, ſatis in ſuperioribus demonſtravimus, hoc autem Emblemate adumbrare conamur, vel alijs periculis deficientibus, parum his Principum, aliorumque potentiorum fulcris, adhæſionibus, & favoribus eſſe fidendum, cum ubi illi ceciderint, & qui ipſis hæſerint, prolabantur, & à mortalibus, & ſuaptè natura caducis, nihil non mortale, fluxum, & caducum ſperare fas ſit.

2 Quod ſatis dilucidè Regius Pſaltes admonet dicens, *Nolite confidere in principibus; in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Quod & David Pſal. 145.3.

Pſal.59.13.107.13 127.8.9.70.1. Ierem.17.5.

in alijs locis ſæpè repetijt; & Ieremias ita conſtanter, ut *Maledictum cum eſſe hominem dicat, qui cõfidit in homine, & à Domino recedit cor eius*; & pluribus ornant Sancti Patres ibidem a Lorino, & Cornelio à Lapide adducti. Inter quos Apollodorus Græcè, ſed in hunc ſenſum, ſic eandem ſententiam expreſsit,

Nunquam Principibus cum animis confidens fueris
Neque mortalium filijs, unde lumen nunquam eſt.

D.Cypr. pag.mihi 377. Sup.Embl.7.Firmis hærendum. Ierem.d.c.17.6.

Indeque in Deo ſolo fiduciam totam noſtrã collocari deberi, pluribus oſtendit D. Cyprianus, cuius, & aliorum verba alio in loco retulimus. Huiuſque vanæ, & caducæ de Principibus confidentiæ, aptiſſimum ſymbolum Ieremias in myricibus ponit, arbuſculis nimirũ parvis & infructiferis, ſimul etiam & aridis, quia nihil de cœleſti pluvia participant, in qua ſperare debuerant. Vnde & illud Ovidij, 3

Ovid.

Si quis idem ſperet laturas poma myricas,
Speret, & è medio flumine mella petat.

Dan.4.10.11.

Daniel autem, Principes, & ſub eorum umbra de gentes Aulicos, proceræ ac frõdoſæ arbori comparat, quæ ſimul atque à domino ſuccidi iubetur, omnes pariter ſub ea deliteſcentes, illius commodis viduantur. Sic etenim inquit: *Vigil & Sanctus de cœlo deſcendit, & fortiter clamat. Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius, fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis illius.* 4

Iacob. Billius in Antholog.

Iacobus autem Billius eos, qui humanis rebus fidunt, naufraganti ſimiles facit, qui maris algas manibus prendit, cum ſolidis niti deberet, ſic inquiens: 5

Ab ſapit is, preſſus qui fluctibus arripit algam,
Nec ſolidis nixus littora tuta petit?
Haud magis ille ſapit, qui vitæ in fluctibus huius
Præponit ſolidis fluxa, miſerque perit,
Vt fugias igitur tanti diſcrimina ponti,
Nec caput iſta minax obruat unda tuum,
Spemque, fidemque, agapemque tene, fluxa omnia linquens;
Has nihil in tabulas ulla procella poteſt.

Nazianz.ſerm.62.

Et D. Gregorius Nazianzenus, illis, qui labentibus fluminum undis confidunt, hoc carmine,

Fidere quæ veniunt rebus, fugiuntque vicißim;
Fluminis eſt rapidis fidere ſemper aquis.

Ovid. lib.1. Triſt. eleg.

Extat etiam apud Ovidium elegans à Sole ſumta ſimilitudo, qui dum lucet umbras procreat, & comites habet, deficiens verò, vel obnubilatus, eis penitus deſtituitur. Carmina eius hæc ſunt: 6

Vtque Comes radios per Solis euntibus umbra eſt,
Cum latet hic preſſus nubibus, illa fugit.

Mo-

Mobile ſic ſequitur Fortunæ lumina vulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

Ioachimus autem Camerarius aliam ex cancris, aut oſtreis ſumit, quas ſcimus ad motum Lunæ creſcere, vel decreſcere, & ita habet,

Camer. in ſymb. cent. 4. Embl. 51.

Creſcente adcreſco Luna: decreſco minuta,
Aulæ num melius pingitur effigies?

7 Nos verò, quò proprius, quàm ſoleat hæc confidentia Aulicos fallere, commoneamus, Elephantem, ut vides, depingimus, cui arbor ipſa, quam in tanti corporis ſubſidium, & reclinamentum elegit, caſus cauſa eſſe ſolet, illumque occidendum, vel prædandum, venatoribus dare. Eſt quippè apud Ariſtotelem, Plinium, Ælianum, D. Ambroſiũ, & reliquos, qui de hiſtoria animalium ſcripſerunt, quos in unum Conradus Geſnerus diligenter congeſsit, communis traditio, ea eſſe Elephantem natura, & corporis ſtructura, ut genua flectere non valeat, cruribus nimirum continuò ſolidiſsimoque oſſe compactis, ſine nodis articuliſque, quibus veluti columnis tanta poſſet membrorum moles fulciri. Vnde ſi cadant, ſurgere non poſſunt, & hinc eſt, quòd dormiẽtes non recumbunt, ſed defeſsi, magnis arboribus ſe applicant; quod Venatores obſervant, & illas penè ſuccidunt, ut innixæ eis belluæ, illis cadẽtibus, cadant, & ſic eas capere poſsint. Quod & ipſum in Alce, eadem ratione quòd eius ſuffragines, ut & Elephãtis, flecti nequeunt, contingere, diſſertè Solinus enarrat.

Geſner. de quadru ped. li. 1. pag. 379.

Solin. in Polyſth. cap. 23.

8 Et licèt non ignorem Cœlium Rhodiginum, ex aliorum authoritate, hoc eſſe vanum, docere, quia flexibiles articulos habent, & ut aliæ beſtiæ, cum libet crura flectunt, & erigunt. Quod & hodie quotidiana & oculari experientia à Luſitanis compertum eſſe, qui regiones Orientales frequentarunt, & immanes has beſtias manibus palpant, latè oſtendit Fr. Gaſpar de San Bernardo. Adhuc tamen priſcos illos Scriptores ſequutus, non dubitavi, iuxta eorum mentem hoc Emblema formare, maximè cum iam, quod ipſi ſenſerunt, veluti in Adagium tranſierit, & homo, *Genibus Elephantinis*, inde is appellari ſoleat, qui ſuperbus eſt, & vix Deum, ne dicam homines, ullo honore, ne aperti capitis, aut genuflexi, afficere dignetur, ut Bovillius inter Adagia Eraſmi ſcriptum reliquit, quod prius etiam ex Ægyptiorum doctrina Pierius Valerianus recenſuit.

Rhodig. lib. 4. c. 12

Fr. Gaſp. de S. Bernard. in itiner. Ind. cap. 15.

Adag. Eraſm. pag. mihi 69.

Pier. in Hierogl. lib. 2. pag. 17.

9 Nec mirum eſt, ſi Antiqui, quibus ingens hoc animal parum tunc temporis innotuerat, in aliquibus aberraverint, cum & Martialis, & Plinius illud cornutum efficiant, quod nullo alio modo ſalvari poteſt, niſi pro cornubus præ magnos illos dentes ex ore prodeũtes, acceperint, ex quibus ebur conficitur, ut latè Philippus Camerarius, & Martialis Commentatores obſervant, plura item valdè notanda de huius animalis intellectu, & docilitate tradentes. In quibus etiam recenſendis multus eſt, & omninò legendus Pierius Crinitus, Acoſta, & Iuſtus Lipſius, quos præ alijs legere non pigebit.

Plin. lib. 18. cap. 1.

Martial. lib. ſpect. epigr. 18.

Camer. cent. 1. ſubceſſ. c. 25. & cent. 2 cap. 96.

Pier. d. lib. 2. Crinit. lib. 5. c. 13. Acoſta de aromat.

Lipſ. cent. 1. epiſt. miſcel. epiſt. 50.

10 Prout neque ad noſtri Emblematis intentum comprobandum, & illuſtrandum, Aphoriſmum illum, quem ſuis Monialibus Sancta illa

Aviſos de SãtaTereſa,cap.11.

virgo Thereſia de Ieſu ſedulò repetebat, ut in eius operibus legitur, *Mirar bien quan preſto ſe mudan las perſonas, i quan poco ai que ſiar de ellas, i aſirſe bien con Dios, que no ſe muda.* In cuius commentatione alia ad rem eandẽ conducentia Religioſus & Pius Pater Alfonſus de Andrade congeſsit,& præſertim illud D.Auguſtini, dum docuit: *Quanta tibi loquitur mundus, quanta poſt dorſum ſtrepit, ut retrò reſpicias, id eſt, ut in rebus præſentibus, nec præſentibus (non enimdicenda ſunt præſentia, nunquam ſtantia) ſpem tuam ponas.*

P. Andrad. ſobre los Aviſos de Sãta Tereſa, 1.to. pag. 258. & ſeqq.

D.Auguſt. ſerm. 29. de verbis Dñi.

Etenim, ut omnium ſæculorum exempla demonſtrant, & in noſtro nõ ſemel experti ſumus,rari,aut nulli ſunt Regum ex primoribus Adminiſtris,qui illis deficientibus non ceciderint,ſimulque ſecum plures alios,qui ab eiſdem pendebant,in fortunam ſimilem traxerint. Neſcio enim quo pacto, aut fato, qui Anteceſſoribus grati ſunt, ferè ſemper ſucceſſoribus diſplicent,atque ita ſub ſiniſtra huius primi mobilis volubilitate,neceſſe eſt,ut omnia,quæ ad dexteram conſiſtebãt,deneciãtur,& ſuis votis expectationibuſque fruſtrentur. 11

Pat. Pintus in ſua Philomelia, ſive novella deAmico. pag.6.

Quod alio non ineleganti ſimili, Modernus quidam Auctor his etiã elegantibus verbis edocuit: *An non vidiſti puerum teſtam de littore legere, iactatione fluctuũ lævigatam, quam deinde in ipſius maris ſuperficiẽ iactat reclinatus? Hæc dum planius undarum dorſum radit, levi impetu lapſa, emicat crebrius, & ſummis emergens fluctibus, ſaltu ſublevatur aſſiduo, donec priore impulſu deſtituta mergatur. Sic nobiſcum fortuna ludit, qui quamvis emicemus diutius, mergimur tandem, favore evaneſcẽte, quo ab his undis reſilire viſi.* 12

Camer. 3. ſubceſs. cap.56.& 57.

Cominæ.lib.10.

Addo his reliquas,quæ huiuſmodi Potentium caſus comitantur calamitates,quæ melius mente concipi, quàm calamo exprimi poſſunt, & benè à Philippo Camerario delineantur: inter quas non levis eſt illa, quòd ſtatim ac de ſublimi ſtatu ceciderint,vel ab illis ſe deſeri,& ſæpè (quod magis dolendum eſt) inſidiari atque impeti vident, quibus maximè,dum in illo viguerant,profecerũt. *Sic enim* (ut Cominæus inquit) *comparatum eſt in rebus humanis, ut quorum augeſcere videmus potentiam,eos magis obſervemus, quàm illos, qui in ſupremo gradu poſiti, amplius progredi non poſsint.* 13

Cic.adAttic.epiſt. 9.lib.14.

Paſſerat.inPræf. ad Curculion.

Panorm.lib.1.de dict. & fact.Alf.

Suntque plurimi,ut mures,qui ædes ruinoſas trimeſtri ſpatio antequàm corruant, deſerunt,& in tutiora migrant, ut vel Cicero, de ſuis agens,ſcripſit.Quemadmodũ & paraſiti,ut facetè Paſſeratius ait, eos deſerunt,quos res deſerit:ſicut pediculi moribundos, vel ut Alfonſus Aragonius Rex, Panormitano referente, dicere ſolebat,ſicut piſces, aut aves marinæ,quæ navim ſequuntur, & ſimul ac prædam aliquam bolumvè ceperunt,diſparent. 14

Symmac.li.1.epiſ. 26.

Senec. epiſt.9.

Eaque propter præclarè dicebat Symmachus,parum fidendum eſſe de his,qui Principes,& Principibus proximos,comitantur: *Quia comitatus* (inquit) *bifrontes hominum aperit, mentes tegit.* Et melius Seneca,eorumdem amicitias, *Temporarias* appellans, *ita enim utilitatis gratia comparatæ ſunt, ut florentes amicorum turba circumſedeat, circa everſos ingens ſolitudo ſit, & inde amici fugiunt, ubi probantur. Hac re tot nefaria exempla ſunt, aliorum metu relinquentium, aliorũ metu prodentiũ.* 15

Ex-

16 Expertus fuit hanc ſolitudinem Apelles Philippi Macedoniæ Regis intimus Adminiſter, qui, latiùs referente Polybio, cum ad eum inviſendum, prout anteà in more habebat, magno Ducum, militum, amicorum, & clientum comitatu perrexiſſet, ubi ab Admiſsionalibus detentus, Regis gratia excidiſſe coniectum fuit, ab eiſdem omninò deſertus, cum paucis familiaribus ſe in hoſpitium recepit. Idem Ferdinando Toletano, Duci Albano apud noſtrum D. Philippum Secundum, contigiſſe Ioannes Fileſacus commemorat; & de Franciæ Conneſtablio Momoranſi apud Franciſcum Primum, & Comite de Eſex, & de Loceſtria apud Iſabellam Angliæ Reginam, D. Ioannes Vitrianus. Addens, cuidam ex his ita lapſis Adminiſtro, alium, ſive feriò, ſive per iocum dixiſſe, ut ſtatim à cubiculo ſuo diſcederet, quod vel ſolo halitu infeſtum reddebat, uſque adeò verum eſt illud vulgatum carmen,

Polyb. lib. :. hiſtor.

Fileſ. 2. to. ſelect. trac. 1. c. 8. pag. 50.

D. Ioan. Vitrian. in ſchol. ad Comines 1. p. cap. 71. litt. B. pag. 297.

Cum fueris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Et aliud Petronij, ſimiliter inquientis,

Petron. in fragm.

Cum fortuna manet, vultum ſervatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

17 Quod nemo magis expertus fuit, quàm Rex noſter Catholicus Ferdinandus V. qui ubi Eliſabetha coniuge mortua, Caſtellæ & Legionis Regnis Philippo genero ceſsit, ab omnibus eorumdem Regnorũ Proceribus, & Aulicis derelictus fuit, in novum Principem confluentibus, & Adagio illi locum facientibus, quod ex Plutarcho, & alijs tradit, & illuſtrat Eraſmus, *Plures adorant Solem Orientẽ, quàm Occidentẽ.*

Eraſm. in Adag. pag. mihi 47.

18 Cum tamẽ, qui veræ, ſanctæ, laudabiliſque amicitiæ, & gratitudinis legibus obſecundant, Heliotropium florem imitari debeant, quæ non ſolùm, ut Plinius tradit, ſemper in eam ſpectat partem, qua Sol clarus, & rutilans vergit, & eo condito florem contrahit, unde Conſtantinus Imperator Aulicorum ſimilitudinem à Nicephoro Caliſto valdè laudatam, deſumſit, & Camillus Camilli, Ruſcellus, & alij diverſa ſymbola deduxerunt; ſed quod magis mirandum, & æſtimandum eſt, etiam ſub nubilo tempore eandẽ proprietatem, & virtutẽ conſervat.

Plin. lib. 2. cap. 41. & lib. 18. c. 27.

Niceph. lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 14.

19 Vnde Ego in Aulicos, qui ſecus faciunt, peculiare Emblema paraveram, quod tamen, quia ab alijs ferè occupatum inveni, omittendum cenſui, & eius carmina ſic ſe habebant,

Camill. Camill. in ſymb. pag 63. 2. p. Ruſcel. pag. 216. Sebaſt. Covar. cẽt. 2. Embl. 12.

Ecce non ſolùm Clicie nitentes
Expetit Phœbi radios, ſed uſque
Languidos dudum, nebuloſi amictus
Solis adorat.
At ſecus Regum ſequitur favorem
Aula, dum tantùm nitidi rubeſcunt
Principes, quòd ſi nebulis premantur,
Tergora vertunt.

An-

Auris boni,aut mali Regis.

EMBLEMA LX.



Demiſſas Cervi ſtrepitus non fertur ad aures,
Has tamen arrectas,vel levis aura ferit.
Regius ecce typus,nam dum fas iuſq; gubernant,
Audiat ut miſeros vox ſatis una fuit:
Sin minus Aſtreæ vilis reverentia Regi,
Tunc inopes ventis irrita verba dabunt.

COMMENTARIVS.

QVAMVIS Reges,ac Principes bonis Conſiliarijs,at- 1
que Adminiſtris ſtipatos eſſe oportere,pluraque illo-
rum manibus,oculis,atque auribus expedire poſſe , in
ſuperioribus dixerimus,hoc tamen non efficit, ut ſuas
ita obturare debeant , ut balantum commiſſarum ſi-
bi ovium voces penitus audire,eiſque opportunè per
ſe ſe, prout res popoſcerit, providere recuſent,quod ut facilius com-
modiuſque eiſdem ſuadeam,aliqua nunc Emblemata,Regium munus
expectantia,ac pariter excitantia , ipſorum oculis exhibere , operæ-
pretium exiſtimavi.

Quorum hoc,quod vides,ex Cervorum natura,ac proprietate de- 2
Plin.lib.8. cap.32. ſumitur,quam talem eſſe indicat Plinius,ut cum aures erexerint,acer-
rimi ſint auditus,cum remiſerint , omninò ſurdi remaneant. Sub quo

Typo

Typo Plutarchus,& qui ab eo deſumſit Eraſmus,& Ioanes Dadræus, Principes ſignificari aiunt,qui ſi quid eſt, quod placeat, id procul etiã percipiunt,ſi quid ſecus,quantumvis clames,non intelligunt. Plutarc. in Moral. Eraſm. in ſimil. fol. mihi 64. & Dadr. in locis Com. fol. 508.

3 Ego verò,etſi hanc applicationem non improbem,eò,niſallor cõmodius, eundem typum detorqueo, ut bonum Principem, rectèque ſuo officio fungentem,in Cervo,dum arrectis ſtat auribus,conſideremus, malum autem, in eo,qui illas habet demiſſas, & ad clamores, & querelas ſuorum ſubditorum clauſas,& obturatas. Etenim,vel divina Sapientia docente, nihil eſt, quod magis ad Regum officium ſpectet, quàm hæc in audiendo patientia, ideòque præcepta,quæ eis iniungit, ab hoc, tanquam præcipuo,ſic exorditur: *Audite ergo Reges,& intelligite, Diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placebitis vobis in turbis nationum,quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo, qui interrogavit opera veſtra,& cogitationes ſcrutabitur.* Sap. cap. 6. 2. & ſeqq.

4 Et Salomon idem agnoſcens, ubi ſe Regẽ conſtitui vidit,non dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum ſuorum à Deo poſtulavit, ſed cor docile, hoc eſt audiens ac ſapiens, quaſi pars ſapientiæ in audiendo conſiſtat. De qua etiam Syracides inquit: *Si inclinaveris aurem tuam,excipies doctrinam,etſi dilexeris audire,ſapiens eris.* Reg. 3. 3. 9 & ſeqq. Eccleſ. 6. 34.

5 Abſalon etiam eius frater,ut in libris Regum habetur,ut populum ad ſe attraheret,facilem & gratam omnibus ſe alloqui volentibus aurem exhibiturum,ubi Rex factus eſſet, pollicebatur. Sic enim Sacer Textus ſcribit: *Dicebatque Abſalon: Videntur mihi ſermones tui boni, & iuſti, ſed non eſt qui te audiat,conſtitutus à Rege. Quis me conſtituat iudicem ſuper terram,ut ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuſtè iudicem.* Reg. 2. 15.

6 Et D. Thomas,ex Platonis,&Macrobij ſententia,docilitatem poſuit inter partes prudentiæ: nec ſubditis dumtaxat neceſſariam eſſe, verùm & Regibus, ac maioribus Magiſtratibus. Quos,hac de cauſa, noſtro,& Italo ſermone, *Auditores* vocare ſolemus, ſic vel ex ipſo nomine, præcipuam ſui muneris partem ſignificantes. Ad quam reſpiciens Moyſes in Deuteronomio, poſtquàm Iudices populo cõſtituit, eis præcepit,dicens: *Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate, ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, ita parvum audietis, ut magnum,nec accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt.* D. Tho. 2. 2. q 49. art. 3. & ibid ad 3. Macro. de ſomn. Scip. lib. 1. c. 8. Deuter. cap. 1. 16.

7 Neque hoc latuit Ciceronem, dum ſic Quinctum fratrem Ciliciæ Proconſulatum gerentem admonuit: *Faciltimos eſſe aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam, ac ſolitudinem, non modo ullo populari acceſſu,ac tribunali, ſed ne domo quidem tua,& cubiculo exclusum tuo. Toto denique imperio nihil crudele,nihil acerbum,atque omnia plena clementiæ,manſuetudinis,humanitatis.* Et Senecam, qui hinc inferens, magnam eſſe ſervitutem, magnam Regum, & Imperatorum fortunam: *Audienda ſunt illis* (inquit) *tot hominum millia, tot diſponendi libelli, tantus rerum ex toto orbe accurrentium congeſtus, ut poſsit per ordinem ſuum Principis Maximi officium geri.* Cicer. in epiſt. ad Q. Fratrem. Senec. de Conſol. ad Polyb. c. 26.

Et

Plin.Iun.lib.6.epiſtol.2.ad Arrian.

8 Et Plinium Iuniorem,qui non contentus de ſe dixiſſe, quòd quoties Iudicis munere fungebatur, quantum quis plurimum temporis poſtulabat,ut in ſua cauſa audiretur,æquè ei dabat: *Etenim temerariū* (inquit) *exiſtimo, divinare, quàm ſpatioſa ſit cauſa inaudita, tempuſque negotio finire,cuius modum ignores: præſertim cum primum Religioni ſuæ iudex patientiam debeat,quæ pars magna iuſtitiæ eſt*. In alio loco,magis ad rem noſtram, ſuum Trajanum, & in eo quemlibet bonum Principem,de eadem in audiendo patientia, his verbis commendat: *Tu tamen copiam tui non ut imputes,facis. Hæret lateri tuo quiſquis acceſſit, finemque ſermonis ſuus cuique pudor,non tua ſuperbia facit. Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora: Adeunt ſtatim, dimittuntur ſtatim; tandemque Principis fores excluſa negotiantium turba nō obſidet*. Quod forſan in Seiani,& aliorum contrapoſitionem ſcripſit,qui ſe adeò difficilem in dandis audientijs præſtabat, ut Tacitus dixerit, *Ianitoribus eius innoteſcere, pro magnifico habebatur*.

Idem in Paneg. ad Trajan.

Tacit. 5. Annal.

Caſsiod.li.8.ep.9.

9 Caſſiodorus quoque Tolonicum virum Patritium,Regio ſanguine ortum, & Athalarici Regis dilectiſsimum Adminiſtrum, collaudans, inter alia extollit, quòd *Nullos reſponſis ludebat ambiguis, amaveritque in audiendo patientiam, & in ſuggeſtione veritatem*. Et iterum, in quolibet bono Rectore illud deſiderat, ut ſe adire, à ſeque audiri volentes, *Nec anxia mora ſuſpendat,nec cruciabili dilatione fatiget*.

Idē lib.11.epiſ.33.

Sup.Embl.54.

Cauſin. in Poliſt. lib.2.c.43 pag.95.

10 Et quamvis Cretenſes ſuum Iovem auribus carentem depinxerint, ut alio loco tetigimus, quod rectè cadere in Principem ſurdum, aut Iudicem querelas non audientem, Nicolaus Cauſinus autumat, alia planè erat talis picturæ ſignificatio, in idque tendebat, non ut Deorum, ac Principum ſummum ſuis aures negare debere, docerent,ſed ne,qui Iovem referunt Principes, ſervas alijs commodarent, hoc eſt alieno arbitrio in omnibus regerentur,& ab alijs poſsideri videātur, ut benè explicat Hadrianus Iunius in peculiari Emblemate, quod ex hac pictura deduxit,ſic inquiens:

Hadr.Iun. Embl. 48.

Sublimem Iovis ſtatuam patula aure carentem
Sacrarat Minoia Creta:
Principis eſt, Regnum dextra moderantis habena,
Servam ne cui commodet aurem.

11 Alioqui nemo ſanus, in ſano Principe, hanc, ut diximus, faciendi ſui populis copiam, eoſque benignè audiendi obligationem inficiari poterit. Hoc enim magnum per ſe crimen eſſet; nam ut ait vir pius æquè ac doctus Petrus Bleſenſis: *Qui dat divitias terræ, ab eis aurum non poſtulat, vel argentum, ſed ut audiant cauſam populi, & arguant pro manſuetis terræ*.

Petr.Bleſenſ.apud Cauſin.ſup.

Nat.Com.in Mytol lib.2. c.1. pag. 111.

12 Vnde Lacedæmonij,ut tradit Natalis Comes, eidem Iovi, quoad diligentiam adminiſtrandi,quatuor aures iniunxerunt, & aquilam attribuerunt,propter perſpicacitatem: *Quibus tamen ſenſibus* (ut idem ſubiungit) *plerique Principes non ad rectam adminiſtrationem, ſed ad avaritiam, & cumulandas opes, extorquendaſque ſubditis, acerrimè utūtur: quibus & aquila ob rapacitatem meritò tributa eſt, & perſpicacitas*

ob

ob exploratores, ingenioſoſque conſultores imponendorum tributorum.

13 Quod & ipſum vel paupercula illa anus apud Plutarchũ ſatis oſtendit, quæ cum Philippum Macedonum Regem ſæpius, ut illam audiret, inſtaret, & in hac flagitatione frequenter obſtreperet, Regi, ſe excuſanti ſibi ocium non eſſe, liberè inclamavit: *Vel audi, vel ne Rex quidẽ eſſe velis.* Cuius tam veram, quàm liberam vocem admiratus Philippus, non illi ſolùm aures defixus præbuit, verùm etiam alios confeſtim diligenter audivit. Quod & Adriano Imperatori, & Demetrio Poliorceto, ad bellum properantibus, contigiſſe, alij Auctores ſcribunt. Plutar. in Apopht. Spartian. in Adria. Sabel. lib. 7. Enead. 4. Fulg. lib. 3. c. 2.

14 A quibus non abeſt illud Titi Imp. qui, ut narrat Suetonius, neminem à Cæſaris præſentia, aut colloquio, triſtem diſcedere oportere, reſpondere ſolebat. Et Rodolphi Auſtriacæ ſtirpis primæ quaſi radicis, qui, ut poſt alios Lipſius recoluit, cum frequentior ad eum foret populi concurſus, & ſatellitium quoſdam humilioris fortunæ ad ſe affectantes, ſubmovere adverteret, non ſine ſthomaco edixit: *Per Deum* (ipſa eius verba ſunt) *ſinite homines ad me venire. Non enim ideò ad Imperium vocatus ſum, ut in arcula includar.* Meminerat quippè Pius Imperator, Regem Regum, dum inter homines degeret, diſcipulos increpaſſe, quod parvulos, id eſt humiles, & abiectos à ſe removerent, talibuſque inquiebat eſſe Regnum cœlorum. Sueton. in Tito cap. 8. Lipſ. in Monit. polit. lib. 2. mon. 7. & in epiſt. Procem. ad notas in Paneg. Plinij.

15 De Divo quoque Ioanne Eleemoſynario, Patriarcha Ieroſolymitano, commemorat Surius, omnium alloquio patentes fores, atque aures ſemper habuiſſe, valdèque contriſtatum, quòd quadam die querelis popularium excipiendis paratus, nemo ad eum acceſsiſſet. Non minori ſanè laude in hoc dignus; quàm Titus apud Quirites, qui ſe illam diem perdidiſſe, dicere ſolitus erat, in qua aliquod in aliquem beneficium non contuliſſet, quam vocem memorabilem meritòque laudatam, Suetonius appellat. Surius in eius vit. tom. 1. Suet. in Tit. d. c. 8.

16 Pium etiam II. Pont. Max. Antonio Campana, & Laurentio Beyerlinchio referentibus, novimus, quòd cum ad eum ſenex, verbis ſuprà modum profuſus, petendi quippiam gratiâ acceſsiſſet, eumque, quia profuſiorem, quidam de adſtantibus increparet, verè Pius Pontifex, omnia illum ab initio repetere imperavit, vultuque ſeverius in altum contra admonitorem retorto, *Neſcis* (ait) *ex quo Pontificatum in ÿ, alijs vivere me oportere, non mihi.* Rarum exemplum humanitatis, quod meritò eius ſucceſſores æmulari debebunt. Ant. Camp. in vit. Pij II. Beyerlinc. in Apopht. Chriſt.

17 Hincque damnanda venit aliquorum Regum conſuetudo, qui ſe raró vel nunquam ſuis populis videndos, ne dum alloquendos, exhibebant, cenſentes nimirum, hoc modo eorum Maieſtatem venerabiliorem reddi, quæ contrà, ex nimia familiaritate, ut eſt in Adagio, vileſcere, & contemtum parere poſſet, ut de Perſarum Regibus Briſſonius, poſt alios, latè recenſet, & Ioſephus, Artaxerxis peculiarem mẽtionem faciens, qui legem tulerat, ut nemo ex domeſticis invocatus eum accederet, ſi quis contra faceret, capite plecteretur, niſi Rex virga aurea, quam manutenebat, illi parcere denotaſſet. Quod fuit in cauſa, ut Eſther Regina, quæ ob gentis ſuæ periculum invocata ad eũ Eraſ. in hoc Adag. pag. 147. Caliſtrat. I.C. in l. obſervandũ, D. de off. Præſ. Briſſ. de Reg. Perſ. lib. 1. pag. 135. & ſeqq. Ioſeph. lib. 11. ant. Iud. cap. 6. Eſther 5.

ve-

venerat, metu exanimata concideret, quouſque Rex porrecta virga, ei ſalutem ſpopondit.

Sinis quoque nimiam ſui occultationem pro Maieſtate fuiſſe, & 18
hodie etiam eſſe, Auctores, qui de illis ſcribunt, enarrant. Et quod magis mirere, apud Strabonem & Ptolomæum legimus, crudeli more pro throno hydram Æneam habuiſſe, cuius ventrem ſubibant, audituri legatos, ut illis horrendæ Maieſtatis plena vipera metum inferret. Quod Balthaſar de Bias, (antiquos Galliæ Merovæos reprehendens, qui ſe etiam populis viſendos non exhibebant, & Regem ſuum, ut clementius, atque humanius ſe cum ſuis gerat, commonefaciẽs) his carminibus eleganter expreſsit,

Trigaultius, Pint°, Mẽdoça, Roman. & alij Scriptores de reb. Sinarum.

Strab. & Ptolom. relati à Balthaſ. de Vias in notis ad Sylvam 10 pag. 332. nota 6.

Abſit Sinarum Maieſtas horrida gentis,
Regalem vaſtæ ſerpentis in Ilia ſedem
Quæ facit, & nocuæ dat barbara iura ſub hydræ
Viſceribus, ſquallentque fero reſponſa veneno,
Dum Rex & ſerpens fera confunditur alvo,
Ipſaque ſub rigido natura ſepulta Chelydro
Horruit efflantem per triſtia toxica Regem.

De Bornei etiam Regibus, quorum ditio in una ex Inſulis, quas Ma- 19
luchas vocamus, exiſtit, Petrus Cieza, & ex eo Beyerlinchius recenſet, non aliter quemquam, ſive indigenam, ſive exterum, Regem alloqui poſſe, quàm per Aulicos, diverſis ſtationibus poſitos, oratione tranſmiſſa, quorum qui Regi proximus erat, is per arundinem longam perforatam, illi, quæ ab alijs acceperat, referebat.

Pet. Cieza hiſt. Peruan. c. 94. Beyerlinc. in Theat. litt. C. pag. 303.

Sed hi truces & barbari mores, magis ut fugiantur, quàm ut imitẽ- 20
tur, ſciendi ſunt. Prudentes etenim Principes obſervare debebunt, ita ſe in adeundo & audiendo faciles præbere, ut contemni ſe non patiantur. Quod omnibus etiam ius reddentibus, rectè Iuris-Conſultus Calliſtratus conſulit, & latè noſter Bobadilla proſequitur. Tantùmque abeſt, ut humanitas Regiam Maieſtatem infringat, ut potius in hac illius incrementum Plinius Iunior conſtituat, hoc pacto in ſuo Panegyrico inquiens: *Cui nihil ad augendum faſtigium ſupereſt, hic uno modo creſcere poteſt, ſi ſemper ſe ſubmittat, ſecurus magnitudinis ſuæ. Et certè non ab ullo periculo fortuna Principum longius abeſt, quàm humilitatis.* Cui ſimilis Caſsiodorus, ita ait: *Nam cum Rex ſatisfacit, quælibet dura diſſolvit: quia ſic eſt in Principibus humilitas glorioſa, quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia.*

Calliſtr. in d. l. obſervandũ, in princ. de offic. Præſid. l. 8 tit. 4. par. 3.

Bobad. lib. 2. c. 5.

Plin. in Paneg.

Caſsiodor. lib. 5. epiſt. 44.

Et Pacatus, de eadem facilitate, ac humanitate ſuum Theodoſium 21
commendans, *Creber* (inquit) *egreſſu, expectantibus populis te fateris, nec videri modo pateris, ſed facilis audiri, è proximo accipis vota tuorum. Principes nonnulli Maieſtatem Regiam imminui, & vulgari putabunt, niſi eos intra repoſitum Palatinæ ædis incluſos, tanquam aliquod Veſtale ſecretum, veneratio occulta conſuluiſſet, niſi intra domeſticam umbram iacentes, ſolicitudo proviſa, & ſilentia latè conciliata vallaſſent, &c.* Et prius Cicero, Pompeium Magnum, ſuum in Conſulatu collegam, de

Cicer. pro lege Manil.

quo

quo ſic tanquam teſtis oculatus ſcribit: *Iam verò ita facilis ad eum privatorũ aditus, tam liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs eſſe dicũtur.*

22 Nemoque hoc melius, quàm Hadrianus Imperator edocuit, qui ut Spartianus refert, *Hos deteſtari ſolebat, qui hanc facilitatis, & humanitatis voluptatem, ipſi inviderent, hoc colore, quòd dicerent, Principis Maieſtatem eſſe obſervandam.*

Spartian. in Hadr.

23 Xenophon quoque in ſuo Ageſilao, eandem facilitatem extollit, addens, non ſolùm ſe gratum adeuntibus præſtitiſſe, verùm & ut adirent ultro ac ſemper invitaſſe, *Semper* (inquit) *ut expectaretur efficiebat, impensèque gaudebat, cum deſiderijs adeũtium ſatisfactũ eſſe crederet.*

Xenophon. in vit. Ageſil.

24 Æmilius Probus commendat Miltiadem, quòd in eo eſſet mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret. Suetonius Octavium, quòd *Promiſcuis ſalutationibus admitteret & plebem, tanta comitate adeuntiũ deſideria excipiens, ut quemdã ioco corripuerit, quòd ſic ſibi libellum porrigere dubitaret, quaſi elephanto ſtipem.*

Prob. in Miltiad.
Suet. in Oct. c.53.

25 Et Plutarchus de Caio Mario commemorat, poſt triumphatum Orientem, reverſum Romam, prope forum ædes ædificaſſe: *Sive ut ipſe ferebat, quòd ſui cultores, atque ſtudioſos longius ſe comitari, ac moleſtia affici nollet: ſive quòd putaret, hanc occaſionem ſibi dari, ut à pluribus etiã alijs limina eius frequentarentur.*

Putar. in Mario.

26 Tacitus quoque Germanicum laudat, *Quòd aſpectu & auditu iuxta venerabilior efficeretur.* Et Vononem, quem Parthis Regem impoſuerat Tiberius, quòd apud eum *Prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes.* Quemadmodum ex adverſo, dolorem populi propter Tiberij & Seiani, in audiendis popularibus, moras, & difficultates, exaggerat.

Tacit. 11. Annal.
Idem Annal. 2.

27 Quas etiam in Caligula multis verbis notat & reprehendit Philon Iudæus, qui ad ipſum legatus miſſus illas expertus fuerat. Et Pauſaniæ exitio fuiſſe, Thucidides his verbis commemorat, *Aditu difficilem ſe præbebat, & iracundia adeò gravi in omnes pariter utebatur, ut nullus poſſet accedere. Quamobrem etiam potiſſimum ſocij ad Athenienſium partes tranſierunt.* Necnon & Demetrio Phaleræo, ut inquit Plutarchus, qui *libellos ſupplices reſpuens, ſeditionis cauſam præbuit.* Et Hieronymo Siculo Regi, ſive Tyranno, de quo ita Livius ſcriptum reliquit, *Contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus nõ alienis modo, ſed tutoribus etiam difficiles,*

Philon. in legat. ad Caium.
Thucid. lib. 1. pag. mihi 51.
Plutarc. in Demet.
Livius lib. 24.

28 Quapropter D. Nazianzenus valdè in Iuliano Imp. notavit, quòd ſæpè ad ſe accedentes, & alloqui volentes, ita mulctabat, palam pugno eos feriens, calcibuſque impetens, ut præclarè ſecum, actum putarent, quòd atrocius aliquid minimè paſsi eſſent. Et Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus aculeatè morem hunc difficillium Admiſsionum perſtringit, quem barbarum, & inſolentem appellat, doletque peſtem talem ſummo in pretio & ſtudio habitam, temporũ ſucceſsioni traditã fuiſſe.

Nazianz. orat. 4. in Iulian.
Syneſ. in orat. de Regno ad Arcad.
Ioan. Fileſ. in li. de idolol polit. cap. 3 ex pag. 33.

29 Quod etiam noviſsimè præſtat Ioannes Fileſacus, benè quidem ſubiungens cum Æmilio Probo, *Comitatem non ſine ſeveritate, neque gravitatem ſine facilitate ſpectandam eſſe,* ut ſic hac in re, quod de alia Martialis ſcripſit, à Principibus obſervetur,

Martial. lib. 1. epigr. 58.

Illud quod medium eſt,atque inter utrumque probamus.

Et ita ſibi & publicis curis, excluſis adeuntium turbis,vacare,& conſulere poſsint,ut eiſdem admittendis, & audiendis aliquas horas accommodent,& Admiſsionalium,ſive Oſtiariorũ furias,iniuriaſque cohibeant,quos acerbè & aſperè Ioannes Sariſberienſis,& Petrus Bleſenſis inſectantur,& Cerbero,qui inferi portas cuſtodire fingitur,crudeliores appellant.

Sariſber.lib.5.Policr. c.10. Bleſenſ. epiſt.4.

30 Qualiter autem ſe in his Audientijs, & cum negotiantibus habere Principes in ſuis reſponſionibus debeant,aliqua ſupra in alio Emblemate dixi,& qui velit plura,noſtros Ioannem Marquez,Sanctam-Mariam,Pinedam,Velazquez,& Saavedram legere poterit.

Sup. Emblem. 27. ad fin.

31 Ego hìc finio, Claudiani carmina pro coronide addens, in quibus, dum vulgum inducit,nihil non magnum & laudabile de Eutropio,recens ad Patritiatum honorem evecto, ſibi promittentem, hanc virtutem,de qua loquimur, & alias, quæ in bono Principe concurrere debent,ſic mirificè canit,

Marq.lib.2. c. 38. pag.381.Sãct. Maria in Polit. Chriſtian.cap.18.&19. Pined. in Salom. pag. 367. & ſeqq. Velazq. de optim. Princip.

---------- Nihil eſt,quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius,ſemper nova, grandia ſemper
Diligit,& celeri deguſtat ſingula ſenſu,
Nil timet à tergo: vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet:lenis,faciliſque moveri
Supplicibus,mediaque tamen,molliſsimus ira:
Nil negat,& ſe ſe vel non poſcentibus offert;
Quodlibet ingenio ſubigit,traditque fruendum,
Quicquid amas dabit illa manus,communiter omni
Fungitur officio,gaudetque potentia flecti:
Hoc quoque conſilijs peperit,meritòque laborum
Accipit,& trabeas argutæ præmia dextræ.

Claud. in Eutrop. lib.2.

32 Et contra aliquos,qui queruntur,ſibi nõ omnibus horis Principũ aditum,& auditum vacare, videndus eſt Seneca,qui dementiſsimam eorum indignationem appellat: *Cum bonus Princeps nunquam ſibi vacet, & aliquas horas habere debeat,quas alijs curis impendat.* Quibus tamen ſervatis, iterum,atque iterum Principes moneo, ut ſe in adeundo, & audiendo ſuis faciles præbeant, ut & Baſilius Imperator filio conſuluit. Addens, *Non enim tantum valet pecuniæ copia, ad reficiendum animum dolentem, quantum blanda & lenis oratio Principis. Ea via eſt, ad conciliandum tibi citra ullos ſumtus omnium benevolentiam,qui ex eo te Patrem patriæ, potius quàm Dominum prædicabunt.*

Senec. de brevit. vitæ.cap.2.

Baſil.Imp. in Monit.ad filium,c.51.

(·:·)

Sta-

Statera Regum.

EMBLEMA LXII.



Ferrea diſcordes inter ſtat virga bilances,
Iudicis officio pondus utrumque notans.
Sic mens ipſa Hominis geminas interiacet aures,
Audiat ut cauſas, iudiciumq́ ferat.
Supremus Iudex, culpet ne protinus ullum,
Quin duplici primo conſulat aure duos.

COMMENTARIVS.

1 QVOD diximus, Reges, faciles in audiendis ſubditorū precibus, & querelis, eſſe debere, non ita accipi volumus, ut in eis etiam credendis faciles ſint, vel ſtatim adverſus eos, quos malos putant, excandeſcant, aut cum calamitoſis illacrimentur, id enim vel in ordinarijs Iudicibus, quorum animi motum vultus detegit, meritò reprehendit Calliſtratus I. C.

Calliſt. in l. obſervandum 19. de offic. Præſid. Bobad. in Polit. lib. 2. c. 5.

2 Quibus etiam, & quibuslibet hominibus, qui cordati videri volunt, nimia credulitas ita vitio data fuit, ut vel ab Eccleſiaſt. doceamur, eos qui citò credunt, leves eſſe corde, ab Ovidio, ſtulti vocentur, & in Adagium, tam apud Iuris-Conſultos, quàm apud alios Authores tranſierit, *Nemini fidendum, nilvè temerè eſſe credendum.* Cedulitatem nimiam eſſe matrem deceptionum, ſibique & ſuæ facilitati imputare

Eccleſ. 19.

Ovid. 2. Amor.

L. 1. § 1. D. de eo per quem fact. er. ubi gloſſ. alia iura alleg. Eraſm. in his Adag. pag. 179. & 584.

Tiraq. de retract. convent.§.4.gloſſ. 6. n 7. & de pœn. temp. cauſ. 51. ex n. 26. Sylva nupt. lib.4.ex n.55. Aur pach. ſingul. alleg. cap.49. Matien.in dial.relat.3.p.cap. 13.n.8.& 9.

debere, qui in aliquo, ob ſuam credulitatem læſus fuerit. De quo
plura dicere poſſem, niſi iam ferè omnia Tiraquellus, & alij plenè
congeſiſſent, & pro omnibus ſufficere poſſet, vetus illa Epicharmi cā-
tilena à Cicerone iteratò citata, adeòque laudata, ut in ea nervos, at-
que artus ſapientiæ conſiſtere dixerit, *Eſto ſobrius, & memineris virum
qui ſic ſapiat, non oportere eſſe credulum.*

Cicer.li.2.epiſt.ad Att.epiſt.ult. & in lib.de petit.Cōſul.

Ex qua Altiatus præclarum illud Emblema, ſub oculatæ manus pi- 3
ctura, depromſit:

Ne credas, ne (Epicharmus ait) non ſobrius eſto;
Hi nervi humanæ membraque mentis erunt:
Ecce oculata manus, credens id quod videt. Ecce
Pulegium, antiquæ ſobrietatis olus,
Quo turbam oſtenſo ſedaverit Heraclitus,
Mulſerit, & tumida ſeditione gravem.

Altiat.Embl.16.& lib.4.parerg.c.8.

Marcel. lib.16.

Idem lib.18.

Vnde Ammianus Marcellinus nimiam hanc in credendo facilitatē 4
in Conſtantino Cæſare damnat, nihil pernicioſius eſſe docens, quàm
quòd aures in omne patentes Princeps habeat. Et è contrario Iulia-
num eius patruelem præclaro elogio, & acroamate laudat, inquiens,
eum perſonarum indeclinabilem, iuſti injuſtique fuiſſe diſtinctorem.
Addito & documenti vice exemplo laudabili, quo Cephidio Orato-
ri reum quendam accuſanti, & inter alia dicenti, neminem quemquā
nocentem fore, ſi negare ſufficeret, ſapienter ex tempore ſubiecit:
Et quis tandem innocens erit, ſi accuſare ſufficiet?

L.fin. C.de accuſ.

A quo non multum abeſt celebris illa Impp. Honorij, & Theodo- 5
ſij conſtitutio, quæ ſanxit, ut quicunque in diſcrimen capitis accerſi-
tur, non ſtatim reus, qui accuſari potuit exiſtimetur; ne ſubiectam in-
nocentiam feriamus. Vbi Gloſſa illud Boëtij adducit: *Hoc tantùm
dixerim, ultimam eſſe adverſæ fortunæ ſarcinam, quòd dum miſeris ali-
quod crimen infligitur, quæ perferunt, meruiſſe creduntur.*

Boetius de cōſol. lib.1. proſa 4. ubi Bernart.pag.227.

Eccleſ. 28. 15. & ſeqq.

Et non minùs congruenter poſſet adducere, illud, quod de ſuſur- 6
ronibus, & lingua tertia vitanda, Syracides monuit, dum dixit: *Suſur-
ro, & bilinguis, maledictus, multos enim turbavit pacem habentes. Lingua
tertia multos commovit, & diſperſit illos de gente in gentem, civitates
muratas divitum deſtruxit, & domos Magnatorum effodit. Virtutes po-
pulorum concidit, & gentes fortes diſſolvit.* Quo loci Cornelius à La-
pide, & alij, latiùs hæc damna perpendunt; & ſuſurronem eum eſſe
definiunt, *Qui ſecretò detrahit alteri, itaque illi amicum offenſum reddit,
ac ex amicis efficit inimicos.* Qui qualiter fugiendi, & plectendi ſint,
præſertim ubi Regibus detrahunt, vel eos ſuis calumnijs ſe ducere
tentant, benè in noſtris Partitarum legibus, & à Caſtillo de Bobadilla
tractatur.

L.2.& 8.tit.13. p. 2.
Bobad. in polit. li. 2 c.13.n.61.& lib. 5.c.1.n.75. Riminald conſ. 303.n. 18.lib 3.

D.Bernar.lib.2. ad Eugen. col.fin.
Eraſm. in Apop. lar.c.110.relatus à Greg. Lop. d. l.2. gloſſ.2.

Et certè D. Bernardus non facilè auſus eſt definire, quid horum 7
damnabilius ſit, detrahere, an detrahentem audire? Lacon autem qui-
dam, apud Eraſmum, cuidam, qui calumnias in eum ab alijs iactatas,
facilè audire, & amplecti ſolebat: *Deſine* (inquit) *adverſum me præbere
aures*, ſentiens nimirum, non ſolùm eos vituperio dignos, qui calum-

nian-

niantur alios, verùmetiam, qui calumniantibus accommodant aures. Iniuriæ quippè genus eſt, adverſus nihil malè merentem, audire maledicam linguam: non enim eſſent maledici, ſi nullum invenirent auſcultatorem.

8 Quod, ut Nos noſtris Regibus, ac Principibus ſuadeamus, hoc Emblema præfigimus, ex humano Capite ſumtum, in quo mentis ſedem, inter duas aures, natura collocavit, ſic veluti præcipiens, ut hæ nihil credant, vel pendant, quod prius non fuerit mentis ſtatera libratum, ſive iuſto trutinæ penſatum examine, & examuſsim, quod aiunt, conſideratum, ut alibi dixit Virgilius:

Virgil. ſive Auſon. in carmin. de viro bono.

Ne quid hiet, ne quid protuberet angulus, æquis
Partibus ut coeant, ne quid deliret à muſsis.

9 Quod non parum cōvenit cum illo Epitecti Philoſophi ab Stobæo & Natta relato, qui dicere ſolebat, nihil in iudicante prius eſſe debere, quàm ut ex æquo omnibus præſit, & ſicut vera trutina, neque à bona, & concinna corrigitur, neque per falſam examinatur: ſic etiã iuſtus Iudex, neque à iuſtis caſtigetur, neque apud iniuſtos iudicetur.

Stob. ſerm. 9. Nat. in ſerm. de iudice incorrup.

10 Sed & adhuc magis ex Petri Matthæi comparatione deſumſi, qui in ſuis hiſtoriæ Gallicæ narrationibus, poſtquàm propenſos in quandam partem Iudicum animos retulit, mox, inquit, audita altera, in diverſam ſententiam inclinare cœpiſſe, ad bilancis modum. Additque, hanc cōparationem illis longè magis probandam, qui ſciunt, in lingua Sacra Aurem, & Bilancem, uno eodemque vocabulo exprimi, & ſignificari. Quaſi ita deſignet, Mentem Humanam intra duas aures eſſe debere, quemadmodum & trutina, ſive Libra in medio duarum pelvium, quibus pondera ſubponuntur, foramen habet, intra quod Bilancis lingua conſiſtit, ad quam eſt examinatio, alijque æquamentum, alij libramētum, alij æquilibrium vocant.

Petr. Matth. in addit. ad ſuas narrat pag. mihi 69. in Italica translatione.

11 Et translatè pro iudicio hac de cauſa uſurpari ſolet, iuxta illud Horatij, -------------- *In Trutina ponetur eadem.*

Horat. 2. ſerm. ſatyr. 3.

Et Ciceronis, *Ad ea probanda, quæ non artificis, ſed populari quadã trutina examinantur.* Et magis ad rem noſtram Perſij, qui illum qui ſe ad Reip. negotia parat, ſe in illis expediendis, hac Libra uti debere, ſic inquit,

Cicer. 1. de orat.

Perſ. ſatyr. 4.

Hoc putò non iuſtum eſt, illud malè, rectius iſtud,
Scis etenim iuſtus gemina ſuſpendere lance
Ancipitis Libræ, rectum diſcernis, ubi inter
Curva ſubit, vel cum fallit pede regula varo, &c.

12 Vnde & in Proverbijs Salomon dixit: *Pondus & pondus; menſura & menſura, utrũque abominabile eſt apud Deum.* Et Venerabilis Beda: *Qui aliter pauperis, aliter audit cauſam potētis, ſtatera utique librat iniqua.* Et Innocent. IV. Pont. Max. ſub eodem ſtateræ ſymbolo graviſsimè omnes commonet iudices, *Vt in cauſarũ proceſsibus, nihil vindicet odiũ, vel favor uſurpet, timor exulet, præmiũ, aut expectatio præmij, iuſtitiã nō evertat; ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendãt æquo libramine, ut in omnibus, quæ in cauſis agēda fuerint, præ oculis habeãt ſolũ Deũ, &c.*

Proverb. 20. 10.

Beda in Proverb. cap. 11.

Innoc. IV. in cap. 1 de ſent. & re iud. lib. 6.

L.2. tit.13. par.2.

Quam etiam humanæ mentis, inter duas aures collocationem, non malè expreſsit Alfonſus Rex noſter, ſic in una ex ſuis legibus dicens: *Oìr, es el ſegundo ſentido, que ha el Alma ſentidora. E eſte puſo Dios ſeñaladamente dentro en las orejas, &c.* Et vetus Adagium, *Ad Aurem referre*; quod ex Agellio, & alijs collegit Eraſmus, inquiens, tunc uſurpari, cũ de re aliqua aures noſtras conſulimus. 13

Eraſ. in hoc Adag. pag.432. ex Agell. lib.2. cap.17.

Et Emblematis noſtri ſcopũ magis adhuc feriens Alexãder Magnus, qui ut Plutarchus, & alij commemorant, cum de Iudicijs capitalibus iudicaturus eſſet, manũ alteri auri, dum diceret accuſator, admovere, illamque occludere ſolitus erat. Interrogatuſque, cur id faceret? reſpondebat, reo ut alterã integram, & intactã à calumnijs reſervaret. 14

Plutar. in vita Alex. Anton. in Meliſſa, par.2. ſerm. 53.

Neque valdè ab eadem attentione, quam Reges in his audientijs præſtare debent, Philippi, eiuſdẽ Alexandri patris, exemplũ abſcedit, qui Machetam, ab eo, ad eundẽ ipſum appellantem, quòd dormitabũdus illum damnaſſet; licèt primo iratus accepiſſet, poſteà, errore detecto, litis damno privatim rependit, hoc ingenioſo commẽto, ſic damnatum à damno eximens, ut Regiam tamen in iudicando auctoritatẽ non proderet, ut latiùs refert Plutarchus, & Ioannes Horoſcius Covarruvias, qui ex hoc quoddam Emblema, noſtro valdè cohærens, effinxit; & Petrus Ærodius, qui eleganter damna iudiciorum, quæ ex ſola fiunt auditione, commemorat. 15

Plutarc. in Apoph. Horoſc. lib.2. Emblem.10. fol.19. Ærod. rer. iud lib. 10. tit.1. c.2. fol. 389.

Re enim vera, verũ eſt, ſemperq; fuit, & erit, Senecæ Tragici illud, 16

Senec. in Medea.

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licèt ſtatuerit, haud æquus eſt.

Cicer. lib.1. de legib.

Et quamvis Cicero dicere videatur, conceſſum olim Romanis Dictatoribus fuiſſe, ut quẽ vellent civium indicta cauſa occidere poſſent: contrarium tamen veteri duodecim Tabularum lege cavebatur, quæ neminẽ inauditum, & indemnatum, incognita indictaque cauſa, occidi iubebat, quã noſtra civilia, & canonica iura pluribus in locis ita cõfirmant, ut ne parẽtibus quidẽ, quibus ius vitæ & necis in proprios liberos olim datũ fuit, eos inaudita cauſa occidere liceret, iuxta cõmunẽ reſponſi I.C. Vlpiani interpretationẽ, de qua Ego alibi pluribus egi.

L.1. D. de req. reis, c.1. de ordin. cognit. cum ſimil.

L.2. de ſiccar. Ego latè de parric. lib. 2. c.8. ex pag.141.

Eoque reſpexit Tertullianus, dum dixit: *Non licere indefenſos, & inauditos omninò damnare.* D. Auguſtinus, inquiens: *Vos appello leges iudiceſque Romani, nempè poſt patrata facinora, nec quemquam ſceleſtium indemnatum voluiſtis occidi.* Et Salvianus Maſilienſis Epiſcopus: *Interfici indemnatum quemcunque hominem, etiam duodecim Tabularum decreta vetuerunt.* 17

Tertul. in Apolog.

D. Auguſt. lib.1. de civit. Dei, cap.

Salvian. lib.8.

Ipſeque idem Cicero, qui Dictatoribus, quam dixi, poteſtatem cõceſsit, alio in loco Verrem accuſans, inter cætera, quæ ei obiicit crimina, illud vel primũ ponit. Quòd honeſti, atque integerrimi abſentes, rei facti, in dicta cauſa damnati, atque eiecti fuerint. Et Q. Curtius de Calliſthene loquens, nullius cædem maiorem Alexandro invidiam excitaſſe ſcribit, *Quàm quòd virum optimis moribus artibuſque præditũ, non tantùm occiderit, ſed etiam torſerit, in dicta quidem cauſa.* Idéque de Galba agens Tacitus notat, inquiens, ſub eo, etiã veros ſontes de cri- 18

Cic.2. in Verrem.

Curt. lib.8.

Tacit. 1. hiſt. c.6.

mi-

minoſos reos, eo quòd *In auditi, atque in defenſi damnati fuerunt, tanquam innocentes periiſſe.*

19 Et Symmachus eò rem protrahit, ut nihil magis in contumeliā ipſorum iudicantium cedere, his elegantiſsimis verbis ad Theodoſium & Archadium Impp. ſcribat: *Quæſo igitur, ut in contumeliam iudicij veſtri, & iuri, & innocentiæ fraus paretur. Quando enim abſentibus, atque ignorantibus inter alios geſta nocuerunt? Quis unquam ſententiam numinis veſtri inauditus excepit.*

Symmac. lib. 20. epiſt. 47.

20 Tertullianus quoque conqueritur, quòd ſoli Chriſtiani in auditi à Romanis damnarentur, & ſubdit, quòd *Qui in auditum damnant, præter invidiam iniquitatis, etiam ſuſpicionem merebuntur alicuius conſcientiæ, nolentes audire, quod auditum damnare non poſſunt.*

Tertul. in Apolog. cap. 1. §. 2.

21 Liberius etiam Pontifex Romanus Conſtātio Imperatori reſcripſiſſe narratur, Iudicem non poſſe abſente, & in audito reo ſcelera eius punire, aut de crimine pronuntiare, neque enim illud fieri ſolere, niſi ab iniquo Iudice, qui aut privato odio ſæviat, aut domeſticis ſimultatibus ad id impellatur.

Hiſt. Tripar. lib. 5. cap. 17.

22 Sed nullus melius hanc obligationē alterius auris reis delatis ſervandæ, agnovit, & Regiæ dignitati, de qua nunc agimus, veluti congenitā eſſe dixit, quàm Prudentiſsimus Rex noſter Philippus II. de quo Nicol. Burgundus, qui Belgij hiſtoriam nuper ſcripſit, enarrat, quòd cum Belgij Proceres inſtāter ab eo peterent, ut Granvellanū, quē gubernationi illius Provinciæ præfecerat, ab hoc munere removeret, Rex ad eorum litteras hoc modo reſpondit: *Affectum animi veſtri perſpectum habeo; cur tamen res in præſens mutari debeant, non video. Si ex vobis alteruter excurrerit, cuncta ex liquido cognoſcam. Regē me eſſe memini, & in auditum damnare non poſſe.* Quam etiam hiſtoriam premens elegantiſsimus Famianus Strada, ſic ait Regem Proceribus reſpōdiſſe: *Quòd cum certam cauſam non ſcripſerint, cur amovendus ſit è Belgio Granvellanus; nec ſibi mos ſit, loco movere quemquam Miniſtrorum indicta cauſa; proptereà gratum ſibi futurum, ſi eorum aliquis ad ſe in Hiſpaniam iret, & quicquid illud eſt, coram edoceret. Quò enim maiori opus eſſe remedio ipſi affirmarent, eò minùs agitari inter abſentes rē tantā oportere.*

Nicol. Burg. hiſt. Belg lib. 1. pag. 49 & 50.

Strad. in hiſt. Belg. lib. 3. pag. mihi 155

23 Prudentiſsimè quidem, & exempli loco, non ſolùm eiuſdē ſucceſſoribus, verùm & omnibus Regibus ſemper habendum, ut facilè Senatores loco non moveant, atque ut alibi Impp. Valētinianus, Theodoſius, & Archadius ſcribunt: *Præcipite perſuaſione condemnent, quem culpa non ingravet: aut erubeſcēda varietate iudicij pro arbitrio proprio immutandum poſteà eſſe cenſeant, quod iuſſerint.*

L. ult. C. de modo militar.

24 Prout noſtris tēporibus in aliquorū Senatorum ſuſpenſione contigiſſe vidimus, ſub eo prætextu, quòd cū eiuſmodi officia, ut & reliquæ dignitates, à Regibus, tanquàm à fonte dimanent, ut in pluribus iuribus dicitur, ab eiſdem, ſolo nutu, ac libera voluntate, & abſque ulla cauſæ cognitione, auferri poſſe videntur, non ſecus atque famulum ſibi inviſum, aut minùs gratum, è domo ſua expellere poteſt.

L. 2. de origin. iur. l. ſi conſtat, de appel. cum multis alijs apud Me in tr. de mun. honor. ex n. 131.

25 Quod tamen ſtatim à iure & ratione devium eſſe cognitum fuit, & Miniſtris Senatu motis, in ordinem reſtitutis, tandem ex veriori om-

Navarr. poſt Div. Thom. Caietan. & plures, quos refert in Man. c. 25. de pec. Reg. n. 9. Leſ. de iuſt. & iur. li 2. c. 29. dub. 11. Afflict. poſt alios, in tit. quæ ſint regal. n. 23. Gregor. per text. ibi in l. 2. tit. 10. p. 2. l. fin. tit. 3. lib. 3. Rec. Egolatè ubi ſup. ex n. 216. Menchac. de ſucc. progreſ. lib. 3. §. 30 n. 85.

mium Iuris-Conſultorum, & Theologorum ſentẽtia, quàm Navarrus, & alij latè comprobant, intellectum, prædicta officia ſemel data, perpetua eſſe, neque magis inauditum, & indemnatum illis privari quem poſſe, quàm ſi ad mortem, vel membri mutilationem damnandus eſſet, & contrà facientes, vel ſentientes Principes, in peccatum incidere. Videtur quippè extinctus, & mortuus, qui ab aliqua dignitate, vel officio cum dedecore removetur, ut per quemdam celebrem Textum Ioannes de Platea benè proſequitur.

Plat. per text. ibi in l. 1. C. de primic. lib. 12.

L. Iuris-Peritos, ubi gloſ. D. de excuſ. tut.

Caſsiodor. lib. 6. epiſt. 2.

L. in officijs 6. C. de honor. codic. in Theodoſ.

Et in Conſilium Principis ſemel aſſumti, tametſi ad eius beneplacitum eligantur, honor tamen eis ita delatus finem certi temporis, ac loci non habet, ut Papinianus, & Accurſius rectiſsimè inquiunt, & elegantiſsimè Caſsiodorus. Qui de Cingulo loquens, quod horum Magiſtratuum inſigne erat: *Mox* (inquit) *ut datus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini ſit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, quàm de mundo homines contingat exire.* Qua de cauſa eadem hæc officia lex quædã Codicis Theodoſiani, immortalia his verbis appellat: *Quos non adumbratis honoribus, ſed in actu poſiti, ſine mortalitate coniunximus.* 36

Sup. Embl 54.

Bodin. lib. 4. de Rep. cap. 6. §. 703. Velazq. de optim. Princ. lib. 3. à n. 7. & 8. Saaved Emp. 57. ex pag. 420. Locenus ad Curtium pag. 172. Bobad. in Polit. lib. 3. c. 14. n. 3. & ſeqq. ubi plura exempla cõmemorat, & lib. 1. c. 6. n. 16. in fin. & c. 9. n 4.

Neque exiſtimet aliquis, fruſtra Nos, qui de Regibus agimus, hanc in audiendo, ac iudicando æquabilitatem, ſive æquilibrium, quod noſtrum Emblema oſtendit, deſiderare, cum hoc munus per alios Miniſtros, ac Magiſtratus, quos ad id diſpoſitos habent, exequi ſoleat. Nã etſi hoc verum ſit, & rerum agendarum negotiorumque multitudo, auxiliares has exigat manus, ut ſupra retulimus, unde Bodinus, & alij Politici, Maieſtati Principum parum decorum, & conveniens eſſe arbitrantur, iudicem agere, & cum ſubditis colloquia ſerere, hoc tamẽ non impedit, ut docti quique ex eiſdẽ Politicis tradunt, quin aliquãdo iudicandi quoque per ſe ipſos partes aſſumant, vel quæ a ſuis fuerint Senatoribus iudicata, matura inquiſitione revideant, & ad ſui iudicij trutinam revocent, ſciantque in hoc præcipuum Regum munus, atque officium verſari debere, cum vel id ipſum eorum creandorum finis extiterit, ut præclarè monuit Heſiodus inquiens: 37

Heſiod. in Theog.

Hac una Reges ſunt olim fine creati,
Dicere ius populis iniuſtaque tollere facta.

Cicer. 2. offic.

Lipſ. de legib. Regijs, leg. 4.

Et Cicero, dum ſimiliter ait: *Fruendæ iuſtitiæ cauſa, olim benè moratos Reges conſtitutos*; quod & apud Romanos lege Regia ſancitum cõſtat, quæ his apud Lipſium verbis concepta reperitur: *Rex Sacrorum Præſes Legum cuſtos eſto, Iudicia exerceto, belli Imperium habeto.*

A quibus eandem doctrinam ſuxit Hieron. Oſſorius, Ciceronis diligens imitator, illamque his verbis expoſuit, & magis præciſſam effecit: *In ſtudium iuſtitiæ omnes Regis curæ, & cogitationes, omnes labores, atque vigiliæ, omnia denique ſtudia conſumenda ſunt, ea namque à principio Reges creavit.* 38

Spinaſ. in polit. lib. 2. c. 2. fol. 42.

Vnde Socrates, ab Albano Spinaſato laudatus, iuris artem legalemque peritiam meritò Regiam diſciplinam nominabat, quoniam nullum tam Rege dignum ſit officium, quàm iuſtitiæ, iuriſque dicendi 39

mu-

munere fungi, & Homerus Minoem, quamvis Regem, eiuſdem artis eximium diſcipulum, ſuorumque populorum aſsiduum, & acerrimum iudicem facit. Iſraëlitæque in Sacra Pagina Regem à Deo petijſſe, atque impetraſſe leguntur, qui eos iudicaret, ſicut univerſæ aliæ nationes habebant.

[Homer. in Iliad.]
[Reg.2.cap.8.5.]

40 Quod Davidem, Iobum, & alios in portis urbis iudicantes, & civiū iurgia diſcernentes, opere compleverūt, ut Salomonem omittam, qui puer adhuc, idem munus ita fœliciter exercuit in ancipiti illa duarum meretricum cauſa, quæ de filio invicem contendebant, ut Sacer Textus ſcribat, exinde a populo plurimi habitum fuiſſe. Alibi tradens, ex eiuſdem Salomonis ſententia, quòd *Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo.*

[3.Reg.3.28.]
[Proverb 20.8.]

41 Quod non latuit Romanos Imperatores, cum de Auguſto Suetonius tradat: *Ius dixit aſsiduè, & in noctem nonnunquam, etſi parum corpore valeret.* Et de Tiberio Tacitus: *Nec Patrum cognitionibus ſatiatus, iudicijs adſidebat in cornu Tribunalis.* Et de Veſpaſiano legamus, quòd etiam extremum agens ſpiritum, muneribus tamen Imperatoris fungebatur, ut etiam tum temporis legationes, & cauſas audiret, dictitans, oportere Imperatorem ſtantem mori. Frequenſque in iure civili aliorum Imperatorum fit mentio, qui eiſdem Iudicijs, & Tribunalibus adſidebant, & non ſolùm inter æquitatem, & ius ſcriptum exortas dubitationes iuſtis decretis temperabant, verùm & iudicialiter de litibus cognoſcentes, eaſdem diffiniebant, & terminabant.

[Suet. in Aug. c.33.]
[Tacit. lib.1. Annal. cap.75.]
[Suet. in Veſpaſ. c. 24.]
[L. quoties, de reg. iur. l.1. C. de legib.]
[L.1. de cōſt Princ. l fin. C. de legib. §. ſed quod Principi, Inſt de iur. natur. gent. & civ.]

42 Extatque nobile teſtimonium Marcelli I.C. in quo memorat, qualiter in ardua cauſa Antoninus Cæſar cum Iudicibus interfuerit, cum Advocatis diſputaverit, & tandem partibus auditis, remotis omnibus deliberaſſe, admittique rurſus eiſdem iuſsis, ſic pronuntiaſſe: *Cauſa præſens videtur admittere benigniorem interpretationem, ut ea dumtaxat exiſtimemus Nepotem irrita eſſe voluiſſe, quæ induxit, &c.* Et Herodianus tradit, Mammæam, filio ſuo Imperatori Alexandro Severo aſſiduè conſulere ſolitam, ut iudicijs intereſſet, & omnibus Imperij curis animum applicaret.

[Marc. in l. proximè D. de his quæ in teſt. deben.]
[Herodian. lib.6. in princip.]

43 De aliarum quoque Nationum Regibus, & qualiter ad eos à Iudicibus inferioribus appellaretur, plura Herodotus, & Athenæus ſcribunt. Inter quos Bochyris, ſive Bocchores apud Ægyptios, adeò notæ, & incorruptæ in iudicandis litibus iuſtitiæ fuit, ut vulgò, ſi quem magnopere iuſtum, & integrum ſignificare vellent, Bocchyrim appellarent, & ex hoc in Adagium tranſierit, de quo ex Suida mentionem faciens Eraſmus, addit, *Dici poſſe, & de ijs, qui non temerè de re quapiam pronuntiant.* Negant enim hunc Regem ſolere ſententiam ferre, niſi de cauſa iam comperta, & certis argumentis deprehenſa.

[Herod. lib.2. Ath. lib.12. cap.4.]
[Suid. & Eraſm. in hoc Adag. pag. mihi 434.]

44 Apud Athenienſes quoque moris fuiſſe, Regem in Areopago cum reliquis Iudicibus conſidere, ex Iulio Polluce cognoſcimus, qui, quod plus eſt, addit, tunc coronam Regiam deponere ſolitum, ut ſic oſtenderet, ſe in eiuſmodi Iudicijs cæteris æqualem præſtare velle.

[Iul. Pollux lib.1. Onomaſt.]

45 De Ludovico quoque Pio Francorum Rege Aimoinus in eius geſtis enarrat, in tantum huic ſtudio incubuiſſe, ut quòlibet proficiſcēte,

[Aimoin. de geſt. Franc. lib.5. c.8.]

vel

vel in Palatio reſidente, vix aliquis reperiretur ſe conquerens aliquid iniuſtè perpeſſum. Tribus enim diebus Rex per ſingulas hebdomadas rei iudiciariæ intererat.

Mariana, & alij ap. Saaved. Empr. 21. pag 135.

Mariana, omninò legendus, de reb. Hiſp. lib. 13. c. 1.

L. 20. tit. 23. p 3. cuius meminit Saavedra Empreſ. 57. pag. 420. concordat l. 41. tit. 14. p. 3

46 Neque ab hoc munere noſtræ Hiſpaniæ Reges alieni fuiſſe videntur, ut paſsim ex eorum hiſtorijs colligitur, & ex nominatione eorum qui Caſtellæ iudices dicti fuerunt, quoniã Ordonius & Fruela Reges in iuſtitia adminiſtranda ſe valdè deſides oſtenderunt. Et de Rege Ferdinando, qui Sancti cognomen promeruit, vetus eius Chronica, & eleganter Mariana commemorat, litibus interfuiſſe, pauperibuſq; adverſus potentiorum iniurias ſedulam operam exhibuiſſe. Rexque Alphõſus Sapiens, hanc obligationem ſibi & ſuis poſteris pro lege reliquit, maximè ubi de viduarũ & orphanorum querelis diſceptaretur, ſic inquiens: *Porque maguer el Rei es tenudo de guardar à todos los de ſu tierra, ſeñaladamente lo debe fazer à eſtos, porque ſon aſsi como deſamparados, è mas ſin conſejo que los otros.*

Conſtãt. Imp. in l. unic. C. quãdo Imper. vide Covarr. 6 & 7. pract. & tex. in cap. Regũ officiũ 23. q. 5. & cap. ab imperatoribus, ead. cauſ. q. 3.

L. 1. tit. 2. li. 2. Recop. quæ anteà erat l. 1. tit. 1. Ord.

47 Cui legi ſimilem aliam Conſtantinus Imperator ediderat, & in hoc præcipuum Regum officium conſiſtere, alia iura decernunt. Sed nulla uſlibi melius, & expreſsius, quàm lex D. Regis Alphonſi XI. ad ſuarũ Curiarũ petitiones emiſſa, quæ hodie in nova legum collectione ſub his verbis, relatu quidem digniſsimis, circumfertur: *Liberal ſe debe moſtrar el Rei en oìr peticiones, i querellas à todos los que à ſu Corte vinieren à pedir juſticia, porque el Rei, ſegun la ſignificaciõ del nombre, ſe dize Regente, ò Regidor, i ſu proprio oficio es hazer juizio, i juſticia; porque de la Celeſtial Mageſtad recibe el poderio temporal. Porende ordenamos de nos aſſentar à juizio en publico dos dias en la ſemana con los del nueſtro Cõſejo, i con los Alcaldes de nueſtra Corte. I eſtos dos dias ſean Lunes i Viernes; el Lunes à oìr peticiones, i querellas de los Oficiales de nueſtra Caſa, i otros. I quando eſte dia no nos pudieremos aſſentar por algun embargo q̃ acaezca, aſſentarnos hemos otro dia de la ſemana en emiẽda de eſte: i los Viernes à oìr los preſos, ſegun q̃ antiguamente eſtà ordenado por los Reyes nueſtros predeceſſores.*

L. 3. d. tit. 2. lib. 2. Recop.

48 Quam legem ex eiſdẽ rationibus Reges Catholici Ferdinandus & Eliſabetha in diebus Veneris renovarũt, & exactè obſervarunt, indeque in hanc uſque diem Reges eo die, Senatui Regio, ad ſuum Palatium venire iuſſo, humaniſsimè interſunt, ibique quicquid arduum, & Regia cognitione, & deliberatione dignum videtur, enarratur, & conſultatur. Ac præterea nullis non diebus plures alias omnium Conſiliorum conſultationes expediunt, & ſe Audientijs publicis omnibus alloqui volentibus frequenter exponunt.

Virg. Malvezz. in Libra in Epiſtol. Proemial.

Senec. lib. 1. de Clem. cap. 13.

49 In quo cum ſemper alij attentiſsimi fuerint, Rex tamen ac Dominus noſter D. Philippus IV. quem Deus per plures annos incolumem ſervet, ſuis Maioribus antecellit, ut oculata experientia conſpicimus, & iam in litteras Virgilius Malvezzius his retulit verbis: *Mirando pues à eſte benigniſsimo Rei, le halle en el govierno Prudente, Atento, Incanſable, pues deſpacha mas en un dia, que el mas cuidadoſo de ſus Mayores en una ſemana.* Vt ſic de eo illud Senecæ dicere iuſtè poſsimus, *Princeps fœlix abundè ſibi viſus, ſi fortunam ſuam publicaverit, ſermone affabilis, acceſſuque facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis.* Nec-

non quod de ſuo Theodoſio Pacatus: *At noſter hic, omnibus ſpectandus offertur, nec magis communem hunc diem, atque Solem, quàm noſtrum Imperatorem videre licet.*

Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

50 Ac planè, etſi de alijs iudicibus noſtræ trutinæ perpenſionem ſperare poſsimus, adhuc tamen de Regum iudicijs plus longè ſperare debemus, quibus Deus, ubi hoc munus exercent, præſentiſsimum auxiliũ promiſsit, dum dixit: *Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam. Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Rex qui ſedet in ſolio diſsipat omne malum intuitu ſuo. Divinatio in labijs Regum, in iudicio non errabit os eius.* Quibus locis alia doctiſsimè adducit P. Ioan. Ant. Velazquez, præſertim illud Iſaiæ, apud quem Deus primum Principem, quẽ populo ſuo conſtituere deſtinabat, ſic inſtruxiſſe, & adornaſſe, narratur: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis.*

Proverb. 8. 13. 15. 16. & 20. 8. & 16. 10.

Velazq. de Opt. Princ. lib. 3. annot. 8. ex pag. 315.

Iſai. 11. 3.

51 Vnde ultra ſuprà adductum Salomonis adhuc pueri cœlitus veluti derivatum iudicium, alia ſimilia exempla paſsim nobis hiſtoriæ ſuppeditant, quibus planum redditur, Deum, Regum iudicantium mẽtes divinæ ſuæ ſapientiæ radijs illuſtrare ſolere. Quale eſt illud, Salomonis ſimile, quod de Rege illo Thraciæ Ariofarne Diodorus Siculus narrat, apud quem, cum duo filij de hæreditate patris litigarent, quorum unus ex adulterio natus ferebatur, neque quis eorum hic eſſet, certis argumentis conſtare poſſet, ex humari patris cadaver iuſsit, ſeque ei hæreditatem addicturum, qui proximè ad cor mortui, in ſcopũ poſiti, ſagittam infigeret, quam conditionem adulterinus avidè acceptavit, naturalis verò & legitimus, ita factum exhorruit, ut oculos averteret, ſeque magis hæreditate carere velle dixerit, quàm tam immane facinus perpetrare, unde ſe illa dignum oſtendit. Iudicatum eſt enim, (ut in alio ſimili caſu Valer. Maximus inquit) rerum naturam non recipere, ut verus filius, etiam mortuo patri, vulnus poſſet infligere.

Vide aliqua exempla apud Vitrianũ in notis ad Cominæum, 1. to. pag.

Diod. Sicul. lib. 20

Valer. lib. 8. cap. 1. §. 13.

52 Extat & memorandum aliud iudicium Philippi Pulchri Francorũ Regis, apud Cæſarium Heiſterbachienſem, & Euſebium Noriembergenſem; quo, cuiuſdam Præpoſiti, qui vineam viduæ per dolum ademerat, teſteſque falſos ad venditionem probandam, induxerat, fraudẽ detexit; & revocata ſuorum Scabinorum in Præpoſiti favorem ſententia, illum merita morte multavit. Et aliud memoria dignum Galbæ, & Imperatoris Rodolphi Auſtrij, apud Iuſtum Lipſium. Danielis quoque exemplum pro multis ſufficiet, quem Deus, quia publicis negotijs exponere volebat, ea luce ſpirituque donavit, ut arduam illam Suſannæ, & ſeniorum cauſam aperire, & terminare valeret. Mihique in corde, & in votis eſt, ſi Deus annuerit, de his, & ſimilibus prope divinis Regum iudicijs, integrum tractatum conficere, interim hæc tetigiſſe iuvabit.

Euſeb. ex Cæſar. in ſtromat. lib. 5. cap. 24. pag. 137.

Lipſ. in Monit. polit. lib. 2. cap. 11. mon. 3.

Daniel. 13. 45.

(***)

Regis præſentia velox.

EMBLEMA LXII.



Sunt alæ? Sunt. Quodnam munus? Nuntius adſum.
Divorum: feror hinc inde, manere vetor.
Regibus impendo pennas, ut Regna reviſant,
Non ſi penna illis, pœna erit ulla ſuis.

COMMENTARIVS.

VIDIMVS quanta qualiaque bona ex gratis, & aſſiduis Regum in ſubditos ſibi populos Audiētijs proficiſcantur, & quàm ſit earum præbendarum obligatio Regio muneri iuncta. Sed hæc tamen non uſquequaque ſufficit, aut efficit, quin ipſi etiam ijdem, ubi commodè poſsint, emergentiumque, & occurrentiũ negotiorum nexus permiſſerit, per ſui Regni Provincias ultro divagentur, proprijſque oculis illas luſtrent, & illuſtrent, Maieſtatis ſuæ radijs foveant ſimul & faveant, omniaque, quæ ad meliorem ipſarum ſtatum conducere cenſuerint, præſenti, ac prudenti inſpectione, & interventione diſponant. 1

Horat. in Arte Poet.

Tam enim ſcitum, quàm certum eſt illud Horatij, 2

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Et

Et Plauti, *Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, planè ſciunt.* Vnde Thales Mileſius olim interrogatus, quantum à mendacio diſtaret veritas? Quantum, inquit, oculi ab auribus, ſentiens, ea demum eſſe indubitatæ fidei, quæ hominum oculis contuentur, non quæ auribus percipiuntur.

Thal. apud Eraſm. lib. Apopht. 8.

3 Et Ephorus quidam apud Polybium, ſolitus dicere fertur, ſi poſsibile fuiſſet, rebus ipſis omnibus adeſſe, eam experientiã reliquis præſtantiorem longè futuram. Sic indicans, certiora eſſe, quæ oculis viſa ſunt, quàm quæ auribus ab alijs percepta. Cum enim duo homini iuxta naturam ſint velut organa quædam, quibus omnia percipit, & ſcrutatur, auditus ſcilicèt, & viſus, certior tamen hic eſt, & propius ad inquiſitionem rerum accedit. Ideòque apud Tacitum Gallus dicere auſus fuit: *Nihil ſatis inluſtre, aut ex dignitate Populi Romani, niſi coram, & ſub oculis Cæſaris: eòque conventum Italiæ, & ad fluentis provincias, præſentia eius ſervanda.*

Polyb. lib. 22. Lycoſth. in Apoph. verb. *Viſus.*

Tacit. 2. Ann. c. 35

4 Quod munus, hac de cauſa, valdè utile, & neceſſarium omnibus Regibus, & Principibus eſſe, varijs argumentis, & teſtimonijs Politici omnes evincunt, reque ad utramque partem graviter diſputata, tandem in affirmativam eloquens noſter Fr. Ioannes Marquez inclinat, ſub ea tamen cautione, ne inde graves ſumtus & expenſæ populis generentur. Idemque noviſsimè ſentit D. Did. Saavedra Fajardus, & ſub ſymbolo Solis declarat, cum lemmate, *Rebus adeſt*, hoc fulgentiſſimum ſydus Principibus imitandum proponens, quod irrequietum ſemper, ut alibi cum Seneca, & Lipſio diximus, curſus ſuos explicat, & iuxta illud Virgilij,

------*Terrarum flammis opera omnia luſtrat.*

Et non lucet modo, ſed fovet, vegetat, atque animat.

Bobad. lib. 2 c. 16. n. 14. Contzẽ lib. 7 polit. c. 9. per tot. Canonher. & alij, 1. tom. pag. 275. Petilius lib 4. c. 8. & 57. Timpl⁹ inſp. Princ. ſing. 14. Velazq. de opt. Princ. pag. 356. & ſeqq. Marq in gub Chr. lib. 2. pag. 151.

Saaved. Empr. 86. pag. 643. Sup. Emb. 12. Virg. 4. Æneid.

5 Qua comparatione uſus etiam videtur Plinius Iunior, dum ſuum Trajanum commendat, quòd *Velociſsimi ſyderis more, omnia inviſeret, omnia audiret.* Ipſamque latiùs extendit Petrus Matthæus, & pluribus ornant eruditiſsimi Patres Ioannes Antonius Velazquez, & Ioannes Pineda, & ante eos Ægidius Romanus qui addit, nonnunquam etiam ſapientem Regem Regiam Maieſtatem pannoſis veſtibus occulere debere, ſicut & Sol lucem ſuam nubibus occulit, atque inter vulgus ſeſe miſcere, ut tranſgreſſores liberius agentes deprehendat, ac de ſui apud vulgares hominis fama, & exiſtimatione edoceat.

Plin. in Paneg. Pet. Matth. in narrat. 2. p. pag. mihi 95. Ioan. Ant. Velazq. ubi ſup. p. 359. n. 4 Pined. in Salom. pag. 366. cũ Ægid. Rom.

6 Nos verò, ut vides, præſenti hoc Emblemate eandem doctrinam, ex caduceata petſataque, & ſimul alata Mercurij Icone deſumimus. Quem, quia propter eloquentiam, ſuadæque medullam, Deorum Nũtium, atque Interpretem veteres, (ut latiùs alibi diximus) confingebant, alas eius talaribus, & capiti petaſum, etiam alatum, ſubpoſuerũt, ſic indicare volentes, eum, qui Deorum legatus exiſtit, (quo etiam nomine omnes qui alios regere, & dirigere debent, ut Apoſtolus docet, ſignificantur) ſemper in procinctu, ac veluti in itinere eſſe debere, ut ubi opus ſua præſentia fuerit, non ſolùm ocyus occurrant, ſed & velocius, quaſi volantes, accelerent. Qua de cauſa Mercurius, quaſi *Mediuſcurrens*, ſive *Medicurrius* Arnobio appel-

Sup. Emb. 27.

Paul. 2. Cor. 5. 20. & ad Epheſ. 6. 20.

Arnob. lib. 6.

Arnob.ſup.D.Auguſt. de Civ. Dei, Fulgēt. Minut.Apul &alij ap. Cerda pag.423.

latur, & Alati, Alipedis, ac Pinnulati apud Poëtas, & graves alios Auctores, quos noſter Cerda congeſsit, nomen accepit.

Vnde illud Virgilij, 7

Virgil.4.Æneid.

---- -- Et primùm pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Ovid. in epiſt. Parid.

Ovidij, *Conſtitit ante oculos actus velocibus alis,*
Atlantis Magni Pleioneſque Nepos.

Idem 5.Faſtor.

Et iterùm, *Pacis & Armorum ſuperis imiſque Deorum*
Arbiter, alato qui pede carpis iter.

Plaut.in Prolog. Amphit.

Plauti, *Ego has habebo hic uſque in petaſo pinnulas.*

Sidon.in Paneg. ad Avit.

Et Sidonij: *Nunc plantis, nunc fronte volat.*

Plaut.ubi ſup.

Cicer. In epiſt.

Suet.in Auguſt.

Soluſque ipſe Petaſus apud Romanos, itinerantium, ſive peregrinantium inſigne fuit, ut Plautus ubique addocet, qui peregrè euntibus, ac venientibus petaſum aptat, Cicero in epiſtolis, qui deſcribens Tabellarios iturientes, Pegaſos vocat, petaſatoſque eos venire ait, & comites expectare: & Suetonius, qui ob hoc in Auguſto quaſi inſolens notat, quòd Solis etiam hyberni impatiens, domi quoque nō niſi petaſatus ſub divo ſpaciaretur. 8

Tit.C.de curſ.public.lib.12.

Ego 2. tom. lib. 1. cap.12.ex n.16.ad 51. Dempſter. ad Roſin.lib.7. c.ult.

Ideòque Curſores, qui equis publicis vehebantur, de quibus in Codice agitur, ad Mercurij ſimilitudinem, & quò velociorem ſui muneris obligationem perciperent, pinnulatis etiam petaſis ab Imperatore Ælio Vero donati fuerunt, & varijs Ventorum nominibus appellati, ut ex Dione Caſsio, Halicarnaſeo, Plutarcho, Spartiano, & alijs latè poſt plures alios, quorum alibi copioſam mentionem feci, Dempſterus obſervat, & Iuvenalis Commentatores in illud, 9

Iuven.ſatyr.4.

Anxia præcipiti venisſet epiſtola penna.

Horoſ.Covar. lib. 1.Embl.fol.27.

Vide D.Sebaſt.Covarr.verb. Mazetas.

Indeque promanaſſe, ut Chriſtiani Epiſcopi petaſo, ad Mercurialis ſimilitudinem fabricato, & filaminatis borulis uti ſoleāt, benè quidam ex noſtris animadvertit, quia cum Apoſtolorum, Gentiumque Paſtorum, & Doctorum munus exerceant, in continua veluti peregrinatione eſſe debent, ideòque etiam, illis ſcapulis inſigniuntur, quas *Mazetas* vocamus, quæ peregrinorum chlamydi, quæ *Eſclavina* dicitur adaptatur, ut ſic ſui veluti præcipui muneris, quod in viſitandis, ſeduloque divini verbi pabulo ſuis ovibus greficiendis conſiſtit, admoneantur. 10

Nazianz.epiſt.34. vide ſimilē locum D.Bernar. in ſerm. de trib. ord. apud Velazq. ubi ſuprà pag.361.& Tridētin. ſeſſ.24. càp.3. de reform. & Me ipſum 2. tom. lib. 3.cap.13.

Quod ut libentius, & attentius obeant, non poſſum non eiſdē verba D.Gregorij Nazianzeni ob oculos ponere, quæ etiam pariter ad noſtri Emblematis thema valdè conducunt, ubi ſic quendam Epiſcopum excitat, qui locorum circuitu, & itinerum laboribus, ab hoc munere per ſe explendo, deterrebatur: *Locorum circuitu angeris, tibique inſtabilis eſſe videris, quemadmodum ſigna, quæ aquis feruntur. Abſit, vir eximie, abſit, ut ita affectus ſis: illorum enim curſus coactus eſt, tuus autem circuitus Deo gratus, & acceptus. Fixumque tibi ac ſtabile eſt, multis prodeſſe, quamvis loco minimè fixus ſis. Niſi verò quis Solem accuſet, quia* 11

in orbem currit, radios fundens, atque omnibus rebus, quas obit, vitam afferens: aut etiam inerrantes ſtellas laudans, Planetas accuſet, quorum error, ipſe quoque compoſitus eſt, atque continuus.

12 Porrò, ut de Noſtris loquamur Regibus, quamvis eis non niſi rarò & ex magna cauſa ſuadendum ſit, ut alienas, & longè poſitas Regiones inviſant, ut benè oſtendit & probat Doctiſsimus P. Ioannes Ant. Velazquez (ubi, quas expeditiones, & peregrinationes D. Noſter Imp. Carolus V. extra Hiſpaniam fecit, enumerat) intra ſuas verò, interdum ſui copiam facere debere, idque multum convenire, negari non poteſt, cum Apollonius Tyaneus apud Philoſtratum, in ea opinione fuerit, quòd *Dij non ſemper in eodem loco permanerent, ſed nunc ad Æthiopes, nunc ad Olympum, nunc ad Athum proficiſcerentur, & univerſas gentes perambulando tranſirent, atque luſtrarent.* (Velazq. ſup. pag. 357. — Philoſtr. in vita Apol. lib. 4. cap. 13. in fine.)

13 Et vel in Sacra Pagina ſtudium, quod in hoc poſuit Ioſaphat Rex, valdè laudetur, per ſe ipſum Regna ſua perluſtrando, omneſque ſibi ſubditos ad pietatem inſtruendo, conſtitutis per ſingula loca integerrimis iudicibus, qui nihil magis, quàm iuſtitiam colerent. Et ſimiliter in Ioſepho, dum Pharaonis in Ægypto vices gerebat, de quo idem Sacer Textus enarrat, quòd egreſſus ad terram Ægypti, omnes eius regiones circuivit, & officiosè, quæ illis eſſe duxit opportuna, providit. (Paralip. 19. 4. — Ioſeph. lib. 9. ant. cap. 1. — Geneſ. 41. 46. — Philo in lib. de Ioſeph.)

14 Et in hoc reſpicere quidam Neothericus putat, Dei iuſſum ad Abrahamum: *Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine ſua*; quaſi multum referret, ut terrã noſceret, quam ei Dominus fruendum poſsidendamque donabat. (Epiſc. Villaroel in lib. Iudic. pag. 351. n. 6. — Geneſ. 23. 17.)

15 Quod in Romanis Principibus, veluti pro præcepto præſcripſit Tacitus, inquiens: *Principibus adeunda ſæpius longinqua Imperij*; & hanc curam in Germanico valdè commendans. Prout & in Hadriano Dio Caſsius; & in Trajano Plinius Iunior, quem ſupra retulimus, qui bonos effectus huius viſitationis, his verbis expoſuit: *O veri Principis, atque etiam Conſulis; reconciliare æmulas civitates, tumenteſque populos non Imperio magis quàm ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus Magiſtratuum, infectumque reddere, quidquid fieri non oportuerit. Poſtremò velociſsimi ſyderis more, omnia inviſere, omnia audire, & undecumque invocatum ſtatim, veluti Numen adeſſe, & aſsiſtere.* (Tacit. 3. Annal. — Dio in Hadrian. & Sparcian. — Plin. Iun. in Paneg.)

16 Virgilius quoque Auguſtum Cæſarem laudat, quòd etiam, (Virg. 4. Georg. in fine.)

> ------------ *Dum magnus ad altum*
> *Fulminat Euphratem bello: victorque volentes*
> *Per populos dat iura: viamque affectat Olympo.*

17 Et Suetonius, Tiberium à populo notatum inquit, & Proverbio Græco *Callippidem* vocatum, quòd hanc curam deſerens, poſt adeptũ Imperium extra Romam, aut loca Romæ valdè propinqua, pedem porta non extulit, quamvis provincias quoque, & exercitus reviſurũ ſe ſæpè pronuntiaſſet, & propè quot annis profectionem præpararet, vehiculis comprehenſis, commeatibus per municipia, & colonias diſpoſitis. In quo ſequutus videtur Collumelæ Conſilium, dum monuit, (Suet. in Tib. c. 38. — Eraſm. in hoc Adag. pag. 682. — Collumel. de re ruſt. lib. 2.)

ut

ut Dominus, ſi poſsit, agrum ſuum exerceat, & inſpiciat, *Et frequentius ſe venturum, quàm ſit venturus denuntiet, ſub hoc enim metu villicus cū familia erit in officio.*

Perſarum quoque Regibus ſolemne olim fuiſſe obire ditionē univerſam, eamque luſtrare veterum inſtituto, & exquirere, quid opem Regiam deſideraret, ex Herodoto Franciſcus Patritius recenſet, & Plato, id etiam feciſſe Minoem Cretenſium Regem ſcribit, opera Rhadamanti, & Taloenis, & quidem in anno ter, deferendo pagatim æreas legum tabulas, ut ita cuſtodiæ earum omnes populi, & Magiſtratus intenderent. 18

Patric. de Repub. lib. 5. cap. 5.

Plato in Minoe.

Extat quoque in hanc rem præclarum Syneſij monitum ad Imperatorem Arcadium, quo docet, qualiter in perluſtrandis exercitibus, & civitatibus, viciſsim ſui copiam Princeps facere debeat, & Baſilij Imperatoris ad Leonem filium, tradentis, in magnam perniciem labi, quæ non inſpecta, neglectim à Principibus prætereuntur. Et Caſsiodorus, ſub Athalarici Regis perſona rectiſsimè inquit, Rempublicam non eſſe unius civitatis curam, ſed totius Regni proviſam cuſtodiam, indeque ſic ſtatim ſubinfert: *Quapropter, qui Reip. ſtatum, & generale capit ſtare faſtigium, ad univerſa debet eſſe ſolicitus, quia non eſt ſalus in corpore, niſi quam & membra potuerint obtinere; minùs enim habere neceſſe eſt, cui aliquid perit. Et ideò diverſarum civitatum pervigil nos cura ſolicitat, ne permiſſa longius mala, noſtra poſsint gravare Palatia.* 19

Syneſ. in orat. de Regn.

Baſil. Imp. in monit. ad filium.

Caſsiod. li. 9. epiſt. 2.

Symmachus quoque non minùs apertè & eleganter idem oſtendit, dum dixit: *Intereſt enim ſereniſsimorum temporum gloriæ, ut ſicut omnibus in hac vita poſitis, ac locatis, communis eſt cœli ſpiritus, lux diei: ita clementiam maximi noſtri Principis ſentiant & vota, & fata cunctorum.* 20

Symmach. lib. 9. epiſt. 1.

Et omiſsis alijs, prudenter eandem ſententiam premit Petr. Matthæus, qui poſtquàm Solis comparationem adducens, hanc ſuarum Regionum ſolicitam luſtrationem Principibus commendavit, ſic cōcludit: *E malè à un popolo, quando il ſuo Rè non parte da un luogo, che non getta gli occhi ſe non ſopra à quello che hà d'intorno, remettendo a Principi è governatore il penſiero dell' altre Provincie: Debbono alcuna volta viſitar le parte piu lontane del loro Imperio, è far conoſcere per la cura che hanno del loro gregge, che ſono veramente Paſtori de popoli.* 21

Pet. Matth. in narrat. 2. pag. mihi 97.

L. 22. tit. 9. par. 2. l. 5. & ult. tit. 6. lib. 3. Recop. cū alijs, de ſumtis ex Auth. de collator. §. iubemus.

A quibus non abſunt Hiſpaniæ noſtræ legum monita, & Regum exempla. Nam de Rege Ferdinando III. ſcribit Mariana, vix dum nuptijs contractis, luſtrandi Regni ſtudio novam nuptam per præcipuas Legionis & Caſtellæ urbes circumduxiſſe. Et ultra frequentes provinciarum viſitationes, quæ in multis ex dictis legibus à ſupremis eorum Rectoribus, quos *Adelantados* vocant, & ab alijs inferioribus Miniſtris fieri iubentur, de quibus noſter Bobadilla. & alij, plura ſcripſerunt, tres earum rationes his verbis tradentes: *Otroſi debe andar por la tierra por tres razones. La primera, por eſcarmentar los malfechores. La ſegunda, por fazer alcançar derecho à los omes. La tercera, para apercebir al Rei del eſtado de la tierra.* Ipſi quoque met Reges hanc utilitatem, & neceſsitatem recognoſcentes, ſe ipſos huic oneri obligare, ac 22

Marian. lib. 13. c. 1

Bobad. lib. 2. c. 16. n. 14. & lib. 5. c. 9 & 10. Aviles in c. 6. Præt. verb. *Viſitar.* Ego 2. to. lib. 4 c. 8. n. 1. & ſeqq. & c. 10. ex n. 29. Salced. ad leg. Recop. ex pag. 166. vide etiā Altamir. in in regr. trac. de viſit.

ſub-

ſubdere voluerunt, peculiari lege ab Alfonſo huius nominis XI. Era 1367. lata, poſteàque a ſuis ſucceſſoribus renovata, quæ ſic habet, *Cõviene al Rei, que ande por todas ſus tierras, i ſeñorios, uſando de juſticia, i aquella adminiſtrando, i que anden con èl el Conſejo, i Alcaldes, i los otros Oficiales con la menos gente que pudieren, para ſaber el eſtado de los hechos de las ciudades, i villas, i lugares, i para punir, i caſtigar los delinquẽtes, i malhechores, i procurar como el Reino viva en paz, i ſoſsiego.*

L. 3. titul. 1. lib. 2. Ordin. quæ eſt hodie l. 5. tit. 2. lib. 2. Recop.

23 Et quia in hoc munere exequendo olim valdè frequentes eſſe ſolebant, ſecumque dictos Conſiliarios, & Alcaldes portabant, ortum fuiſſe arbitror, ut hi *Alcaldes del Raſtro* dicerentur, id eſt, de Regis itinerantis comitatu, ſive ſequela, licèt D. Sebaſtianus à Covarruvias aliam huius vocis etymologiam comminiſcatur.

Covar. in Theſaur. ling. Hiſpan. verb. *Raſtro.*

24 Eademque de cauſa Reges Antiqui, fixam in aliqua urbe curiam, & habitationem habere non ſolebant, ut benè noſter Saavedra conſiderat, ſed per Regnum, ut res popoſcerat ferebantur, interdumque, cum exiguo comitatu, in vindictam aliquorum criminum perſonaliter proſiliebant, ut de Rege Alfonſo VII. in Gallecum Infancionem, & Ferdinando Catholico in Monleonenſem Regulum procedente, & alijs ſimilibus, poſt Marianã idem Saavedra commemorat. Eiuſdemque Catholici Regis Coniux Eliſabetha, ſuũ peragrans Regnum, Mariana, & eodem Saavedra teſtante, plures paucis diebus Hiſpali lites decidit, vel abſcidit, quàm multis retrò annis Magiſtratus ab ipſa poſiti diremiſſent.

Saaved. ubi ſup. pag. 643.

Idẽ Empr. 22. pag. 146. & 147.

Idem ex Marian. pag. 142. Emp. 21.

25 Et herclè, ultra prædictas rationes, quæ hanc in Regibus functionem ſuadent, vel illa ſola eos movere poſſet, quæ ex ingenti gaudio, & alacritate deducitur, qua Regni urbes & Populi afficiuntur, ubi ſuorum ſe Principum aſpectu refoveri cognoſcunt. Vnde de Auguſto Cæſare ſcripſit Paterculus, *Quòd orbi terrarum, præſentiæ ſuæ bona circũferebat.* De Nerone Tacitus, quòd egreſſum eius ex urbe omnium gentium ordines ægrè ferrent, *Sueti adverſus fortuita aſpectu Principis refoveri.* De Iuliano Marcellinus, quòd Populus *communiũ remedium ærumnarum in eius locabat adventu, ſalutarem quendam genium adfulſiſſe conclamans, nec ſequius arbitrata.* Et de Marco Antonio Philoſopho, & Vero Imperatoribus, Capitolinus, quòd graviſsimam Tiberis inundationem, famemque inde ortam, *Sua cura & præſentia temperarunt.*

Paterc. hiſt. Aug. 1. to. pag. 30.

Tacit. 15. Annal. cap. 36.

Marcel. lib. 15.

Capit. in Marc. & Vero.

26 Certè enim, ut *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.*
Ita, ut Caſsiodorus inquit: *Munus eſt, videre Principem*; cuius oculi lætitia, & commodis pluribus Populũ afficiunt, & præſentia magno civibus conſtat, vel ad cohibendos effrenes ſeditioſorum impetus, vel retundendos, ubi nati ſint, ut benè Alexander Caſſaneus animadvertit, hæc carmina allegans,

Vt conturbati placidum caput extulit undis
Neptunus, totumque videt, totoque videtur
Regnator ponto, ſævi fera murmura venti
Demittunt, nullaſque movent in frontibus alas.

Caſsiod. lib. 10. epiſt. 13.

Alex. Caſſan. in Axiom. polit. c. 10. pag. 70.

Senec. de Clemēt. lib. 1. cap. 3.

Et ubi Rex ſibi ſubditorum amorem, atque ardorem promeruit, eo 27
in publicum procedente, aut in aliquam urbem intrante, ut graviſsimè Seneca dixit: *Non tanquàm malum, & noxium animal è cubili proſilierit, diffugiunt; ſed tanquàm ad clarum, & beneficum ſidus certatim advolant, obiicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſsimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam, iter ad ſalutem ſternendum ſit.*

Quod quidem ſatis oſtendit Roma, ubi primùm Trajanum excepit, 28
cuius ſingularem lætitiam his elegantiſsimis verbis eius Panegyriſtes expreſsit: *Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quominus oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare iuvenes, mirari ſenes. Ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem ſanitatemque prorepere. Inde alij ſe ſatis vixiſſe te viſo, te recepto; alij, nunc magis eſſe vivendum prædicabant. Fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubijt, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites peperiſſent. Videres referta tecta, ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui non niſi ſuſpenſum, & inſtabile veſtigium caperet; oppletas undique vias, anguſtumque tramitem relictum tibi; alacrem hinc atque inde populum, ubique par gaudium, paremque clamorem. Tam æquabilis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti: quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo crevit, ac prope in ſingulos gradus adaucta eſt, &c.*

Hactenus Plinius, quem æmulatus Mamertinus Diocletiani, & Ma- 29
ximiani ingreſſum in Mediolanenſem urbem deſcribens, pariter ſic effatur: *Vt verò limine egreſsi, per mediam urbem ſimul vehebamini, tecta ipſa ſe (ut audio) penè commoverunt, omnibus viris, fœminis, parvulis, ſenibus, aut perfores in publicum proruentibus, aut per ſuperiora ædium lumina imminentibus. Clamare omnes præ gaudio iam ſine metu veſtri, & palam manu demonſtrare, vides Diocletianum, Maximianumque? Vides? Ambo ſunt, pariter ſunt. Quàm iuncti ſedent? quàm concorditer colloquuntur? quàm citò tranſeunt. Nemo ſtudio ſuo par fuit oculis ad intuendum, dumque vos alterna cupiditate mirantur, neutrum ſatis videre potuerunt, &c.*

Quibus alludit illud, quod ſub Theodorici Regis perſona Caſsiodo- 30
rus ad Gothos per Picenum, & Samnium conſtitutos, ſcripſit: *Quamvis munificentia noſtra ſit hominibus ubique gratiſsima, multo tamen acceptiora credimus, quæ noſtri præſentia conferuntur. Quia maiora de cōſpectu Principis Populi ſentiunt, quàm de largitate beneficia conſequuntur. Nā penè ſimilis eſt mortuo, qui à ſuo Dominante neſcitur: nec ſub aliquo honore vivit, quem Regis ſui notitia non defendit.*

Quæ loca imitari volens Præſtantiſsimus D.D. Laurentius Rami- 31
rez de Prado, Regius Senator digniſsimus, & non minùs de bonis litteris, quā de bonis omnibus benemeritus, in inſcriptione, quā fecit, ex cura ſibi mandata, pro fœliciſsimo, & Auguſtiſsimo Auguſtiſsimæ D. D. Marianæ Auſtriacæ Hiſpaniarū Reginæ, in hanc ſuā Madridiēſem Vrbē, ac curiam ingreſſu xv. die menſis Novēb. ann. M.DC.XL.IX. qua quidem nullam gratiorem, auguſtiorem, & ſplendidiorem nullam

uſ-

uſquam illuxiſſe, omnes, qui ea frui, bearique potuimus, conteſtamur, inter alia ſic habet, *Tectis refertis, ac inſtabili veſtigio laborātibus. Alij ſatis ſe vixiſſe prædicantibus, alijs magis nunc eſſe vivendum.*

33 Sed opus non eſt, ut ad hanc hilaritatem comprobandam, quam Populi ex ſuorum Principum conſpectu recipiunt, ad Panegyrica recurramus, cum extet expreſſa Imppp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij conſtitutio, quæ docent, eoſdem populos inhiantes, Imperatorum vultus excipere ſolitos, in illis verbis: *Si ſacros vultus inhiantibus forte populis inferimus*; & adventus eorum, publicæque lætitiæ nunciationibus, magna dona conferre, quæ ibi limitanda ſanxerunt. Per *Sacros enim vultus*, ut in eodem textu Doctores communiter notant, ingreſſus Principum in aliquam ſui Imperij urbem ſignificatur. Et in hunc ſenſum illum accepit, magnoque cum audientium plauſu explicavit, & illuſtravit in Salmanticenſi Academia inſignis ille in eadem iuris civilis Primarius. Et Coriphæus D. D. Gabriel Henriquez, mihi ſemper colendus, ac venerandus Præceptor, dū Pius pariter, ac glorioſus Dominus, ac Dominus Noſter Rex Philippus III. anno M. DC. IV. illam gaudentem inviſeret, & ſimul Salmanticenſem urbem, ut & alias ſui Regni, unà cum Lermenſium Duce, & alijs Regni Proceribus perluſtraret. Sumtaque hinc occaſione, huius quæſtionis, de qua nūc agimus, diſputandæ, anſam arripuit. L. unica, C. publicæ lætitiæ, lib. 12.

34 Et licèt non ignorem, Cuiacium, & alios, magis frequenter, Textū illum, non de ipſorum Principum adventu, explicare ſolere, ſed de imaginibus eorumdem, in Numiſmatibus, vel alio modo effigiatis, quas ad populos mittere conſueverant, & ab eiſdem, ut Nizæna Synodus, & alia iura indicant, magna cum lætitia, cereis, & incenſis excipiebantur; hoc tamen nihil noſtræ intentioni repugnat, quin potius eam vehementius iuvat, atque corroborat. Nam ſi tali tantaque lætitia Populi in ſolis imaginibus Principum excipiendis afficiebatur, ſatis apparet, quanto maiori gaudio perfunderentur, ubi ipſi ſe perſonaliter conſpiciendos præſtabant, & exhibebant. Synod Nyzen. c. 2 vide l. final. C. de vet. nu. poteſt. & Pancirol. in notit. cap. 24.

35 Quos, præeunte etiam Clero, & ſigno Crucis recipi ſolitos, Guntherus, ultra alios, oſtendit, agens de Frider. I. Imper. in Papiam ingreſſu, & ſic inquiens: Gunth. in Ligur. lib. 3.

Mœnia victor adit: non eſt tractabile ſenſu,
Eloquio meo, quæ gaudia, quantus ab urbe
Occurſus Populi, quo ſcilicet ordine caſtus
Antiſtes, lætuſque ſuo cum Præſule Clerus,
Veſtibus ornati nitidis, pretioſa ferentes
Signa Crucis, textuſque ſacros, thuriſvè vaporem
Prodierint, &c.

Qui etiā mos in noſtra invaluit Hiſpania, quouſque à Rege Ioanne I. in quadam lege ſublatus fuit, quæ hodie in Nova compilatione habetur, in qua plura congeſsi. L. 7. tit. 1. lib. 1. Recop.

(*⁂*)

Regum Tribunal.

EMBLEMA LXIII.



Iſte Athenea Moderator Aulæ,
Providè circum proprium Tribunal,
Conſcias dulcis Sophiæ volebat
Pingere Muſas.
Nempè ubi leges placido geruntur
Ore, ſunt docto decorata cultu
Sceptra: dum Reges Sophiæ ſororum
Iura maritant.

COMMENTARIVS.

AVDIRE igitur Reges ſuos ſubditos debent, & interdum, ut vidimus, de ipſorum cauſis, & querelis cognoſcere, & iudicare. Regiè tamen ſemper, hoc eſt, nec nimiæ ſeveritatis gloriam affectantes, nec ita legum formulis, ac præceptis adſtricti, ut aliquando, ſi res popoſcerit, non poſsint communes illarum tramites tranſilire, & ex bono & æquo, quod ſibi, tempori, & rationi congruẽtius viſum fuerit, ſtatuere. 1

Bart. in l. præſenti, per text. ibi, C. de ijs qui ad Eccleſ. Bald. in l. ex hoc iure, n. 1. de iuſt. & iur. Borrel. de præſtant. Reg. Cathol. cap. 3. n. 89.

Nam Rex bonus melior cenſeri, & appellari ſolet, quàm bona lex, ut poſt Bartolum, Baldum, & alios, Camillus Borrellus obſervat, ſive lex viva, ac loquens, ut Cicero dixit. Ipſæque leges, etiam alijs 2

Cic. lib. 3. de legib.

inferioribus Magiſtratibus, ne dum Regibus iudicantibus, *Cupiunt ut iure regantur*, ſicuti Catunculus monuit, hoc eſt boni & æqui conſideratione habita, in quo iuris ars, ſive ſcientia, ac definitio ſecundùm Vlpianum conſiſtit. Quò & alludẽs Iulius Paulus docuit: *In omnibus, maximè tamen in iure, æquitatem eſſe ſpectandam.* Et alibi: *Non oportere ius civile calumniari, neque verba eius captare, ſed qua mente quidquid dicatur, animadvertere convenire.* Et Conſtantinus Imperator inquiens: *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe æquitatis, quàm ſtricti iuris rationem.*

3 Et in idem tendit illud Menandri: *Leges per quam egregia res ſunt ſed is, qui legibus utitur nimium exactè, Sycophanta videtur.* Et vetus illud: *Summum ius ſumma iniuria, ſive ſumma crux, ſummaq; è malitia*, quod, ut Cicero inquit, factum eſt iam tritum ſermone proverbium in cuius expoſitione alios Eraſmus allegat, quibus Rex quoque noſter Alfonſus opitulatur, in una ex ſuis legibus ſanciens: *Entender ſe deben las leyes bien, è derechamente, tomando ſiempre verdadero entendimiento dellas, à la mas ſana parte, è mas provechoſa.*

4 Et quamvis hoc non ita facilè in alijs Magiſtratibus concedamus, in Regibus tamen, ut dixi, in dubium vocari non poteſt, ut ſenſit Cicero dum ſcripſit, Populo, & Senatui permiſſum eſſe, non autem Iudicibus, à verbis legis recedere. Et magis ad rem noſtram Symmachus inquiens: *Alia eſt conditio Magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia Divorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeveri iuris inflectere.* Et Conſtãtinus Imperator apertè ſanciens: *Inter æquitatem, iuſque interpoſitam interpretationem, Nobis Solis & oportet, & licet inſpicere.*

5 Cum enim legum condendarum poteſtatem ſibi dũtaxat Principes reſervaverint, earum etiam interpretandarum, atque ex bono & æquo temperandarum licentiam penes ſe ipſos eſſe voluerũt, ut multis iuribus edocemur, & eruditè Guillermus Budæus, & alij Auctores obſervant, ſimul etiã differentes, in quo Bonum & æquum verſari, ſeu cõſiſtere videatur. Ideòque Suetonius Tranquillus multùm commendat Claudium Imperatorem, quia, *Non ſemper præſcripta legum ſequutus, duritiam lenitatemque multarum ex bono & æquo, perinde ut afficiebatur, moderari ſolebat.*

6 Habet quippè æquitas mixturam quandam rigoris & benignitatis, cuius cauſa non ineptè, *Media* appellari ſolet, quaſi quod in mediocritate cõſiſtat, ut doctè ex Ariſtotele, Statio, & alijs Cuiacius animadvertit. Et à D. Cypriano, quem ipſe non citat, diffinitur: *Iuſtitia, miſericordiæ dulcedine temperata, ſive rationabilis modus, qui tam miſericordiam, quàm rigorem contineat.* Quem plures alij ſequuntur, quos latè recenſent Albertus Bolognetus, Hortenſius Cavalcanus, & Guillermus Maranus, in peculiaribus commentarijs, quos de iure & æquitate vulgarunt, & doctè ex noſtris Ferdinandus Mendoça, & Antonius de Quintanadueñas, quos pro multis allegaſſe ſufficiet, docentes, *Quòd æquitas eſt moderatio iuris, ab humanitate proficiſcens; & quod æquiſſimũ eſt, id recedere potius à iuſtitia: & quod iuſtiſſimum eſt, parũ eſſe æquum.*

L. reſpiciendũ, D. de pœnis.
Vlpian. in l. 1. verſ. *Iuri*, D. de iuſtit. & iur.
L. in omnibus 90. D. de reg. iur.
L. ad exhibendum 19. D. ad exhib. l. placuit 8. C. de iud.
Men. in Androgy.
Cicer. 1 offic.
Eraſm. ex Terent. Collum. & alijs in Adag. pag. 619.
L. 13. tit. 1. par. 1.
Cicer. in orat. pro Ligario.
Symm. li. 10. ep. 63
Conſt. Imp. in l. 1. C. de legib.
L ult. C. de legib. l. 2 verſ. *Si quid vero*, C. de vet. iur. l. ordine 15 ad munic. l. 14. tit. 1. p. 1.
Eudę. in d. l. 1. verſ. *Ius*, de iuſt. & iur. Conan. 1. com. & 11. Altiat 1. p c. 30 Corraſ lib. 2. miſcel. c. 18. Donel. 1. com. c. 13. & Ant. Fab In iuris Pap. tit. 1. prin 2 illat. 8. R hodig lib. 7. c. 22.
Sueton. in Claud. cap. 14.
Cuiac. in recit. ad d. l. 1. de iuſtit. & iur pag. 92.
Bolognet. Maranus, & Cavalc.
Mendoç. diſp. de pact. lib. 1. c. 3. ex n. 9. Quintanad. de iuriſd. lib 2. tit. 1. ex num. 10.

Pauſan. in Corint. pag.713. Cauſin. de eloq. ſac.li.1.c.5.pag.5. Ego ſup. Embl.26. & 27.

Et hoc idem eſt,quod ultra ab illis adducta, præſens noſtrum Emblema inſinuare contendit, in quo Regium excelſumque Tribunal 7 exhibemus,cui à latere novem adſident Muſæ,ſuis quæque inſtrumētis ornatæ, ad Pithæi nimirum Athenienſium, ſive Træceniorum Regis, Theſei avi materni,mentem reſpicientes, qui, ut præter alios refert Pauſanias, non modò ius, ut eius dignitatem decebat, conſtanter dixit, ſed & artem dicendi docuit, & librum Rhetoricum poſteris reliquit. Ex quo, & eius monumentis cernebatur Tribunal ex albo marmore, tribus ſellis iudiciarijs inſigne, cui proximum adhærebat Templum Muſarum,ut iuris,& æquitatis, humaniorumque artiū ſingulare commercium oſtenderet,& Muſas, Iudiciorum ſeveritatem ſuis concentibus demulcere,deliniréque debere,ſignificaret.

Eraſm. Alex. Duar. Faber, & alij apud Me lib.2.de parric. c.1. Æmil. Ferret. in Præf.ſuor.oper. Mercer li.1.opin. c.4. Suffrid.inorat. de præſt.leg.Rom. Caſtilla in præf. ad opera Vellei. de Guevar. Parlad.in ep. ad filios, poſt lib. 2. quotid. noviſs. D. Laur. de Prado in Schediaſmate huius arg. & Saavedr Emp.6. cuius lemma, Politioribus ornātur.

Etenim,licèt P.Nicol.Cauſinus hoc veluti ænigmatè Pitheum in- 8 dicare voluiſſe tradat, Rhethorices humanarumque litterarum ſcientiam ius profitentibus,& dicentibus valdè neceſſariā eſſe. Quod quidem in ſe etiam veriſsimum eſt,ut plures pluribus probant,& Ego alibi tetigi, propriùs tamen ad hanc,quam dixi,rigoris & æquitatis moderationem,& modulationem, ubi cauſa eam patiatur, reſpexiſſe arbitror.

Nam ut præclarè quondam Soſipater dixit, *Gratiæ quæ iuſtitiam* 9 *tranſgrediuntur, ne gratiæ quidem dici merentur: Amicas autem iuſtitiæ, nemo reiecerit ultrò, qui modò non ex quercu, aut petra natus ſit*; quia ut D. Auguſtinus ait: *Nimia iuſtitia incurrit peccatum; temperata iuſtitia facit perfectos. Salſitudinem correctionis amor Chriſti temperet, & dilectionem proximorum ſal iuſtitiæ condiat.*

Spinaſ.in Politiſ. lib.2.c.1.in fin.

Quod ſimile videtur Androclis ſententiæ, qui, ut Spinaſatus re- 10 fert,dicere ſolebat,*Vt ſale condiendis piſcibus, ita lege quadam condiendis legibus opus eſſe.* Et Symmachi, aientis, *Hinc perſæpè eſſe cauſarum rationem, ſive fortunam, ut in controverſijs, alius iure, alius æquitate ſuperior ſit; tuncque labante conſilio, deliberationem cognitoris ad oraculum clementiæ principalis occurrere.*

Symmach.lib.10. epiſt.52. Horat. 1. ſerm. ſatyr.3. Tullius apud Valençuel.cōſ.64. n. 78.ubi alia Grut.

Nec mirum eſt, ſi noſter hic Pithæus, aſsiſtrices ſibi Muſas in ſuis 11 Iudicijs ob prædictam cauſam deſideraverit, cum adeò ſit difficilè, iuſtum ab iniquo diſcernere, ut Horatius non fuerit veritus dicere,

Tempora ſi faſtoſque velis evolvere mundi,
Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum.

Vlpian.in l. aut facta, §. ſed hæc, D. de pœn. §. atrox, Inſt.de iniurijs,l.1. tit.16.p.2.latè Farin. 1. crim. q. 15. ex n.64. & q. 115. à n.13.& Bobad.in Polit.lib.2.c.4. ex n.10. Quint.lib.6.c.1.

Et Marcus Tullius Sulpicium Oratorem valdè commendet, quòd nuſquam ius ab æquitate ſeiunxit. Cum enim in cuiuslibet cauſæ trutinatione, ut alias Vlpianus I. C. ſcriptum reliquit, Perſonarum, rerum,locorum,ac temporum, qualitatis, quantitatis, & eventus,aliarumque occurrentium circumſtantiarum,diligens conſideratio haberi debeat,cui & Quintilianus adſentit,dum inquit: *Atrocitas creſcit ex his, quid factum ſit, à quo, quo animo, quo loco, quo tempore, quo modo*; hæ circumſtantiæ ſolent ſæpè ſe ſe ita invicem implicare,ut iudicantes ancipites reddant, in rigorem ne an in æquitatem, & miſericor-

diam

diam propendeant,& iuſti regulam in Lesbiam convertāt, quæ plūbea erat,& ubi recta deſervire non poterat,ad rei,quæ metienda erat, formam,deflectebatur, iuxta illud Ariſtotelis,quòd Adagiographus, de hoc agens, ita ex Græco in Latinum convertit: *S.quidem infinitæ rei, infinita item regula. Quemadmodum plumbea Lesbiæ ædificationis regula: ad lapidis enim figuram tranſmovetur, neque manet regula.*

Ariſt.lib.5. moral. Eraſ in Adag. Lesbia regula, pag.mihi 431.

12 Vndè meritò à Sapientia docemur, *Scire iuſtitiam, eſſe radicem immortalitatis.* Et Origenes, nihil aliud eſſe Deum, quàm viventem iuſtitiam,perhibuit.Quaſi hic ſolus infallibilis eius adminiſter eſſe poſſit,ſequutus ut apparet, & Spinaſatus obſervat, Diadoclum Proclū, qui iuſtitiam ipſam Iovis dici filiam interpretatur. Quòd Nomothetes,ac Iuris author, & velut Princeps ſit,& Moderator univerſorum: vel Plutarchum, qui, eandem ob cauſam, hanc iuris dicundi poteſtatem, non ſolùm artem appellat, ſed omnium etiam aliarum artium maximam, ac velut Reginam, laudans, inter plures alios teſtes, clariſsimum Pindarum, qui Ariſtotechnem Deum appellavit, ceu veræ iuſtitiæ artificem, quòd diffinire potiſsimum norit, quid, quando, & quouſque ſit iniquorum quiſque plectendus,vel iuris ſcripti rigor,pro perſonarum, rerum, locorum,ac temporum circumſtantijs,ut iam diximus,aliquantulum relaxandus.

Sapient.15.3.
Spinaſat.ubi ſup.
Plutarch.

13 Quæ vel ſolæ auctoritates, ut plures aliæ deficerent, ſatis eſſe poſſent, ad convincendum errorem, ſive malignitatem, & parum ſyncerum iudicium Angeli Thij,& Iacobi Zavarellæ, qui Iuris-prudentiā, nec artem eſſe,nec ſcientiæ nomine dignam, affirmare ſunt auſi. Quorum ſequutus delirium Petrus Andreas Canonherius, eò impudentiæ proceſsit, ut Iuris-Conſultos, ſive Iuris-Peritos, nec Sapientes, nec Peritos,nec Prudentes,& ad Rempublicam adminiſtrandam idoneos eſſe poſſe, dicere non erubeat. Quorum tamen nimiam deſtomachationem,peculiaribus hac de re editis libris,Chriſtophorus Hemius, Ioachimus Hopperus, Ioannes Corraſius, Angelus Matthæacius, Petrus Gilchenius, eruditiſsimus Antonius Faber,& alij paſsim exagitant,& manifeſtis rationibus,& argumentis explodunt.

Ang.Thius,& Zabarel.contra 1. c.
Canonh.in Aphor. polit.1.to.pag.12. 32.92.104.&108.
Ant. Fab.in Iuriſprud. Pap. ſcien. per tot. præcipuè tit.1. illat. 5. ex pag.8.

14 Eſt enim ars, & quidem tum divina, tum verè Regia, ut ſuprà retulimus, cum Deus, ut noſter Euſebius optimè inquit, Reges ſuo loco Iuris ſequeſtres conſtituerit, Arbitros boni & æqui, Sponſos iuſtitiæ,Hymeneos pacis,Feciales fortunæ communis, Cuſtodes æquitatis tuendæ inter ſuos;præcipuumque ipſorum opus æquitas ſit, ut graphicè etiam noſtrum hoc Emblema deſignat.

Euſeb.inTheopol. lib.3.c.1.pag.489. &ſeqq.

15 Et aliud ſimile Petri Coſtalij, de Dea Themide,quæ & ipſa,iuſtitia cum æquitate temperata,à veteribus Ethnicis dicebatur,Ioviſque ſolio,univerſalis mundi rectoris, aſsiſtricem fabulabantur, ut præter plures alios Sophocles oſtendit,dum dixit,

Vetuſta ſi Iovi adſidet modo æquitas.

Latèque proſequitur Themiſtius,omninò legēdus,& inſinuavit Anaxarchus, dum, licèt perverſè, & lenocinanter, ut præter alios tradit Plutarchus,Alexandrum Magnum,ſe ob Cliti necem diſcrutiantem,

Coſtal. in pegmat. pag.12.
Sophoc. in Oed. Colonæo.
Themiſt. orat. 11.
Plutar. in com. ad Princ.in doct. Arrian.& Curt.in vita Alex. Rhodig. lib.8.cap.1.

his verbis ſolabatur: *Neſcis aſſeſſorē Iovis Deorumque, Iuſtitiam, & Fas eſſe, quo quicquid actum ab Dominātefuerit, id ius, & fas ſit.* Et idem ip-
Schoonh. Emb. 55. pag. 163.
ſum noviſsimè Florentius Schoonhovius inſinuavit in alio Emblemate, inquiens:

Cur Iovis Adſeſtrix Themis eſt? quod iuſta putanda,
Quæ divina Dei mens ratacunque velit.

Quibus addo, de Muſis, & præcipuè Calliope, Regum iudicijs ad- 16
Themiſt. d. orat. 11.
ſiſtentibus, Heſiodum, à Themiſtio etiam valdè laudatum, & illuſtratum, ita canentem,

Nam comitem ſeſe venerandis Regibus infert,
Quem Muſæ coluere Iovis magni inclyta proles,
Et Reges videre ortum Iovis inter alumnos.
Huic linguam dulci profundunt rore, ſimulque
Suavia deſtillant huic verba ex ore, proinde
Hunc Populi ritè moderantem iura tuentur.

Et quidem iuſtè adminiſtrationi iuſtitiæ Muſas ſociari, iudicare 17
debemus, cum eædem in reliquarum virtutum exercitio comites op-
Claudian. in præf. lib. 3. Stilic.
tarentur, ut ſatis oſtendit illud Claudiani,

Gaudet enim virtus teſtes ſibi iungere Muſas:
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Plutar. in Apoph. Lacon.
Arrian. lib. 1.
Vnde & illis Lacedæmonij, ut Plutarchus inquit, ante præliorum diſcrimen ſacrificabant, & Alexander ante Perſicam expeditionem, Arriano narrante, Muſarum honori ſolemnes ludos conſtituit, Herculeſque tot victorijs, ac virtutibus celebratus, Muſagetis nomine donatus fuit, quòd ipſarum, quas ſibi ſemper comites exoptavit, pariter honorem & defenſionem ſuſcepit, ut res, quæ mutuis operibus, & præmijs iuvari, ornarique deberent, ſicuti latiùs ex Eumenio in oratio-
Giral. de Dijs Gēt. ſynt. 10. pag. 318.
ne de reparandis ſcholis, Lilius Giraldus ſcripſit, Fulvij Nobilioris ſimul hiſtoriam adducens, qui eadem de cauſa Romæ in circo Flaminio ædem Herculis Muſarum ex pecunia cenſoria fecit, quæ omnia
Batill. Embl. 46.
Dionyſius Batillius hoc Emblemate denotavit,

Templa hìc cum Muſis (priſci monumenta Quiritis)
Muſarum Alcides Duxque Comeſque tenet,
Tam benè conveniunt, illæ huius nomine tutæ,
Clarus hic illarum vocis, & artis ope.

Porrò, ut filum Emblematis noſtri iterum capeſſamus, ſemper in 18
iudicantium, & Regum maximè, Tribunalibus, divinum quippiam intereſſe, vel, ut interſit, oportere, præſumtum fuit, cuius fulcimine, iuſtum ab iniuſto, æquum ab iniquo ſecernere poſſent, & congrua e-
Bodin. in dæmon. man. lib. 3. cap. 4.
mergentibus cauſis iudicia proferre. Vnde apud Hebræos traditum legimus, Angelos ad hunc effectum in illis adſiſtere ſolitos. Quod ab Ægyptijs ſumſiſſe videntur, qui, ob eandem præſumtionem, in eiſdem Tribunalibus, ultra Iudicum ſubſellia, alia vacua relinquebant, & venturis in hoc auxilium Angelis, reſervabant, hoc veluti urba-

no

no hoſpitio, vel officio, opem, quam ex ipſis ſibi ſpondebant, remunerantes.

19 Et M. Varro apud Agellium, in libro quem appellavit ipſe, *Iſagogicum, de officio Senatus habendi,* exactè docet, Romæ, more maiorum, iuſta Senatus conſulta fieri non poſſe, niſi in Templis ad hoc per Augures prius ritè ſacratis, ac conſtitutis, inibique, antequàm Senatus haberi inciperet, immolare hoſtiam, auſpicarique debere. Cui mori poſteà Cæſar Auguſtus, quò lecti probatique Senatores, & religioſius, & minori moleſtia Senatorio munere fungerentur, referente Suetonio, addidit, ut prius quàm conſideret quiſpiam, thure ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Iovique, Poſitorio dicto, in Senatus veſtibulo aliam peculiarem dicavit, in qua ingredientes privatos affectus, ac ſimultates deponerent.

Agell. lib. 14. c. 7.

Sueton. in Auguſt. apud Beyerlin. in Theat. litt. E. pag. 362.

20 Quam, ſe quoque æmulaturum, ac conſtructurum, ſi tempore Romanorum vixiſſet Alfonſus I. Aragonum Rex, ut Panormitanus narrat, dicere ſolitus erat, & hodie Senatum Venetum reapſe obſervare Beyerlinchius recenſet, addens, idem ipſum inſinuare voluiſſe, qui Ratisbonenſi Curiæ hanc inſcriptionem in tabula marmorea præfixerunt,

Panorm. lib. 3. de de dict. & falſ. Alfonſ. cap. 2.

Beyerlin. in Theat. litt. C. pag. 403.

Quiſquis Senator curiam officij cauſa ingrederis,
Ante hoc oſtium privatos affectus abiicito,
Iram, vim, odium, amicitiam, adulationem.
Reipublicæ perſonam, & curam ſubiicito.
Nam ut alijs æquus, aut iniquus fueris,
Ita quoque Dei iudicium exſpectabis, & ſuſtinebis.

21 Et ad hæc auſpicia, & ſuprema (in quibus frequentius agnoſcuntur) Principum Tribunalia, boni, & æqui inſpectionem, & amplexionem pertinere, facultatemque à ſtricto, ac ſummo iure ſæpè deflectendi, quoties æquitatis, & humanitatis, vel utilitatis ratio aliud poſtulat, optimè, ultra ſuprà relatos Petrus Herodius proſequitur. Athenienſium exemplum adducens, quibus cum lex eſſet, ut qui civium Megara ſe ad exules contuliſſent, quibus nullum cum civibus commercium eſſe placuerat, ijs capitale eſſet, & Polyevitus ab Areopagitis ob huius legis tranſgreſsionem damnatus eſſet, quia factum non negaret, ſed ſe ideò illuc contuliſſe diceret, ut Nicoclem, cui mater ſua nupta eſſet inviſeret, & quia ibi exulabat, conſolaretur: quis enim eam cauſam non perpetuò obtenderet? Adhuc tamen Populus ex æquo & bono eum abſolvi iuſsit, quem iudicavit miſeratione, ac pietate magis Megaram veniſſe, quàm dolo malo, conſilijque cum exulibus adverſus Rempublicam capiendi, participandivè cauſa.

Ærod. lib. 10. tit. 1. cap. 1. fol. 389. ex Dinarcho contra Demoſthen.

22 Platonem quoque ob ſimilem cauſam Charmãder accuſavit, quòd vi tempeſtatis compulſus, Æginam veniſſet, quod omnibus Athenienſibus prohibitum erat, & tamen ex bono & æquo liberatus fuit, non tam quòd invitus appuliſſet, quàm quòd lex illa de Hominibus ſcripta erat, Plato verò inter Philoſophos eſſet, qui ſuper homines ſunt.

The-

Xenoph.lib.7.rer. Græc.1.Cic. de in ven.Appian.in Syria, Probus in Epam.

Thebanus etiam Epaminondas, ut Xenophon, & alij litteris pro- 23
diderunt, cum capitis accuſatus eſſet, quòd ad dicendam cauſam evocatus, non paruiſſet, poſteà audita eius excuſatione, quòd tunc pro Republica adverſus Lacedæmonios militaret, inſpectiſque eius meritis, quæ longè hanc inobedientiam exceſsiſſe videbantur, ius, æquo & bono, lex, gratiæ, & honeſto ceſsit, & ipſe à ſuis civibus capite puniendus, abſolutus fuit.

Valer.lib.8.cap.1. §.1. & eod.cap. in 2.par. §.2.

Cui iudicio ſimile aliud in abſolutione M.Horatij ob interfectum 24
ſororem, quia intempeſtivè occiſsi mariti mortem lugebat, Valerius Maximus recolit. Alia etiam de duobus parricidis ex bono & æquo comperendinatis adiiciens, qui iuſto dolore impulſi, in tantum facinus proruperunt. Et aliud, adhuc notabilius, Lucij Piſonis, qui cum ob graves & intolerabiles iniurias ſocijs illatas, prope damnatus eſſet, quia tamen proſtratus humi, ad pedes iudicum oſculandos, os ſuum cæno replevit, hoc conſpectu totam quæſtionem (ſive ut alij legendum putant *Concionem*) à ſeveritate ad manſuetudinem tranſtulit: quia ſatis iam graves eũ pœnas ſocijs dediſſe arbitrati ſunt, huc deductum neceſsitatis, ut abiicere ſe tam ſuppliciter, aut attollere tam deformiter cogeretur.

Idem eod.cap.§.6.

Nec abeſt valdè illud Iulij Cæſaris, in abſolvendo Quinto Liga- 25
rio, quem mente primùm ſua, ut refert Plutarchus, iam dudum tanquàm improbum hominem, notoriumque ſibi hoſtem, damnatum habebat, ſola Ciceronis oratione permoti, qua ipſum mirificè varijſque affectibus, ad humanitatis, clementiæ, ac miſericordiæ ſuæ ſpecimen præbendum ſuaſit, miraque in dicendo gratia coegit.

Plutarch.in Cicer. vide eiuſdem orat. pro Q.Ligario.

Eiſdemque virtutibus utens Prudentiſsimus Rex noſter D. Phi- 26
lippus Secundus, filium cuiuſdam mulieris ob homicidium iuſtè damnatum, matri concedi iuſsit, ipſius oratione, & lachrymoſis precibus, ac maiorum meritis delinitus. Etenim ut cum verbis noſtræ legis Partitæ concludam: *Comoquier que los Reyes deben ſer firmes, è mandar cumplir la juſticia: pero pueden, è deben à las vegadas uſar de eſtas tres bondades, aſsi como de miſericordia, è de merced, è de gracia*; quam indulgentiam Solis Regibus, permitti, in alia lege deciditur.

Balth.Porren⁹ lib. 1. de dict. & fact. Philip.II.cap.4.

L.3. in fin. tit. 32. par.7. l.1. eod.tit. & par.

Infr.Embl.76.

Om-

Omnibus Æqua.

EMBLEMA LXIV.



Et iacet abſque iuba Leo. Frænaturq́; ſuperba
Archiferi cervix, non meminitq́; ſui:
Noſcô manum iuſtam, quæ humiles pariterq́; potentes
Frænat, & æquali pondere librat ovans.
Hìc Rex, hìc Princeps, ut ameris lumina fige,
Frænatur vulgus, ſi Leo fræna capit.

COMMENTARIVS.

1 PERGAM porrò, & qui gloriam Regum, quibus hæc ſcribo, in omnibus opto, præcipuam eius parandæ viã paucis hac commentatione demonſtrare conabor; rectam nimirum & æqualem omnibus iuſtitiæ adminiſtrationem eiſdem ſummè commendãs, de qua meritò Tullius dicere potuit: *Fundamentum perpetuæ cõmendationis, & famæ iuſtitia eſt, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile, & qui veram gloriam adipiſci vult, iuſtitiæ fungatur officÿs*. Quem ſequutus D. Gregorius: *Summum* (inquit) *in Regibus bonum eſt iuſtitiam colere, & ſuacuique iura ſervare*. Et his certior, & antiquior teſtis Salomon: *Iuſtitia elevat gentem, & miſeros populos iniuria facit*. Et Iſaias: *Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes eius præerunt*.

Tull. 3. offic.
D. Gregor. lib. 7. epiſt. 20.
Proverb. 14. 34.
Iſai. 31.
D. Greg. 2. Moral. Zevall de violent. gloſſ. 17. n. 24. & Guill. le Roville in tract. de iuſt. & in iuſt.

2 Etenim, cum ſecundùm eundem D. Gregorium in quatuor virtutibus, Temperantia, ſcilicèt, Prudentia, Fortitudine, & Iuſtitia, tota bo-

Heſiod.in Theog. Ariſt.5.Eth.D.Th. & Theol.omnes in 2.2.q.58. art. 3. & in 4.diſt.46.

D. Th. & alij ubi ſup.Caſſan in Catal. 5.par. conſ.5. Lipſ.1. pol. c. 10. & 11. & in mon. Polit.lib.1.c.9.Spinaſat.lib.1.c.7. & innumeri alij apud Canonher. 1 tom. Aphoriſm.ex pag. 198. Sylv.nupt li. 5.ex n.76.& alij paſsim.

ni operis ſtructura conſurgat, ex eiſque laudari Reges maximè ſoleãt, ultima hæc, iuxta vulgatum Heſiodi carmen, ab Ariſtotele, D. Thoma, & alijs eximiè probatum, virtutes reliquas in ſe ſe continet, ipſaque ſublata, nihil aliæ proficiunt, quin potius cingulum, ſive vinculum ſocietatis humanæ, quo per eandem arctamur, atque conſtringimur, rumpi ac diſſolvi neceſſe eſt, ut multis multi Auctores paſsim oſtendunt, quorum ſcrinia compilare velle, immenſi, & ſupervacanei laboris eſſet.

Procem. Partit. 3. tit.1. *Delajuſticia*, latiſs.Damhouder. in prelud.ad prax. iur.civil.& in c.11

Gregor. Lop.dict. Procem.verb. *Iuſticia*.
D. Aug. lib.4. de Civ.Dei,cap.

Tull.1.de offic. & lib.1.de ſomn.Scipion.

Maximè cum hæc omnia apud Nos ſatis comprobet lex quædam 3
ſeptem Partiti iuris, quæ inquit: *Iuſticia es una delas coſas porque mejor, è mas endereçadamente ſe mantiene el mundo. E es aſsi como fuente onde manan todos los demas derechos. E nonſolamente ha logar la juſticia en los pleitos que ſon entre los demandadores, è los demandados en juizio: mas aun entre todas las otras coſas que avienen entre los omes, quier ſe fagan por obra, ò ſe digan por palabra.* Vbi eius Gloſſographus, poſt alia, quæ de iuſtitiæ laudibus ex D. Ambroſio, & alijs adduxit, benè cum D. Auguſtino concludit, *Ea remota, nihil aliud eſſe Regna, quàm latrecinia.* Et cum M. Tullio, tantam eius vim eſſe, *Vt ne illi, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, ſine aliqua eius particula vivere poſsint: nam & Princeps latronum, niſi æqualiter prædam diſpartiatur, aut interficietur à ſocijs, aut relinquetur.*

Claud. de Conſul. Mal.Theod.

Multiſque alijs omiſsis, quæ de eximia hac virtute, & eius neceſsi- 4
tate, & utilitate facilè congerere poſſem, ſatis erit Claudianum, aliqua ex ipſis perſtringentem, adducere, dum inquit:

Eſſe ſed iniuſtum fateor, quodcunque negatur
Iuſtitiæ: Tu prima hominem ſylveſtribus antris
Elicis, & fœdo detergis ſæcula victu.
Te propter colimus leges, animoſque ferarum
Exuimus: nitidis quiſquis te ſenſibus hauſit,
Irruet intrepidus flammis, hiberna ſecabit
Æquora. confertos hoſtes ſuperabit in armis.
Ille vel Æthiopum pluvijs ſolabitur æſtus:
Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.

Prætor. lib. 1. de Princip.ſalut.adminiſtr.

Et multò plura M. Prætorium, ita eleganter canentem, 5

Me ſine civilis frigent commercia vitæ;
Me ſine nulla domus, Reſpublica nulla ſenectam
Ferre, nec ulla diu poſsint conſiſtere Regna:
Inque Deum Pietas ſine me, nulla, inque propinquos
Nulla fides: ſine me quanta eſt prudentia Regum,
Stultitia eſt larvata, furorque Heroica virtus.
Me ſine Mortales cultos dediſcere mores
Et vitam, atque animos induti rurſus agreſtum

In ſylvas migrare volent, ſtabula alta ferarum,
Et quondam proavis habitata reviſere luſtra.

6 Relatu quoque digna videntur alterius Moderni de re eadē carmina, & ad Reges ad hanc virtutem exhortandos, maximè conducētia, quæ ſic habent: Balthaſ. de Vias in ſylva 5. pag. 172.

Cum Deus immenſam libravit in aere molem,
Confuſumque chaos, diviſaque corpora rerum
Ad concors ſociavit opus, præfecit in orbe
Iuſtitiam, ſtabili terras quæ lege ligaret;
Illa vices rerum, indigeſtaque ſemina certis
Ordinibus conſtare iubet: moderamine iuſto
Æqua probat, damnatque nefas, hæc ſceptra tuetur,
Hæc aufert, Regeſque facit, &c.

7 Qua de cauſa veteres Ethnici, ut Orpheus & Demoſthenes apud Natalem Comitem indicant, ut ſummam huius virtutis neceſsitatem in his qui Reipublicæ præſunt, ſignificarent, in throno ipſius Iovis, quem veluti Deorum Deum, & Regum Regem venerabantur, Eunomiam adſidere fingebant, qua bonam legem, ſive iuſtitiam, ut nomen oſtendit, ſignificabant, alio nomine eandem *Æquitatem* appellantes, eique Pudorem comitem facientes, quaſi his ſe motis, Mundum gubernare nequiret. In ipſa autem effigienda varij admodum fuiſſe reperiuntur. Orph. in Dæd. Col. Dem. in ora. in Ariſtog. Nat. Comes in Mytol pag. 92. & 120.

8 Nam Chryſippus in libro de Honeſto, ab Agellio relatus, eius imaginem fieri ſolitam inquit, forma atque filo virginali; aſpectu vehementi, & formidabili: luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitatis. Quæ tamen Pictura, ut idem Agellius tradit, delicatioribus quibuſdam Philoſophis ſævitiæ magis, quam iuſtitiæ, merito viſa fuit. Pauſanias autem in arce Clypieli depictam inveniri tradit, ſub formoſæ mulieris forma, quæ alteram fœda facie, ſiniſtra obſtrictam, collo trahit, dextera fuſte cedit, quaſi iniuriam malè mulctans. Agell. lib. 14. c 4. Pauſan. ap. Girald. de Diis Gent ſynt. 1. pag. 27.

9 Nigidius vero Figulus, de cuius doctrina & ſcriptis plura Agellius obſervat, illam in Zodiaco, inter Libræ, & Leonis cœleſtia ſigna, ſedentem conſtituit, quaſi Dea iam illa, quæ duobus his ſignis ornari ſolebat, hominibus propter ſua vitia, fraudeſque relictis, ad ſuperos convolarit. Quò reſpiciens Petrus Coſtalius, Pegma primum ex ſuis ſub eadem figura, his verſibus adiectis, effinxit; Agell. lib. 19. c. 14. Coſtal. peg. 1. vide etiam aliud ſimile Eatillij Emb. 190.

Vah qui inculcatis audes ſperare querelis
Iuſtitiam ætherei linquere regna Poli.
Illi ſignifero ſedes aſcribitur orbi,
Et clari ante oculos Arctophylacis abit:
Quà locus ad Libram, & radiantis membra Leonis
Finditur, & duplici dividit aſtra ſinu.

Ha-

Huius noſtrorum ſordes, & ſtupra, Deorum
Moverunt iuſta debita ſceptra manu.

Lil. Giral. ſyntag. 1. pag. 27.

Clem. Alex. lib. 6. Strom. cap. *Virtutem facit quadratā*

Lilius porrò Giraldus, vulgarem quidem fatetur, ſed magis ad rē, communem illam picturam, ab omnibus ferè iam Pictoribus uſurpatam, dum ſub virginis forma iuſtitiam effigiant, cum examine lancis, vel ſtateræ, ſecuriumque, aut virgarum faſcibus. Vidiſſeque, & ſibi placuiſſe ait, qui illam, nudam virginem effigiarent, quadratum ſuper lapidem ſedentem, & æquatam manu altera bilancem tenentem: exertum altera ſub ala enſem quodammodo occulentem. 10

Alex. 3 Gen. c. 5. Pier. li. 35. Plutar. in lib. de Iſid & Oſirid. Stob. ſerm. 44.

Altiat. Emb. 144.

Alexander autem ab Alexandro, & Pierius Valerianus, poſt Plutarchum, & Stobæum, quod ſuprà relati Auctores ſub his iuſtitiæ Iconibus ſignificare voluerunt, in quadam alia Thebanorum effigie non minùs congruenter indicari docent, qui, ut oſtenderent, iuſtitiam incorruptam eſſe debere, & neque pretio, nec prece, ullavè alia hominum gratia flexibilem, aut variabilem, Iudices pro Tribunali ſedentes ſine manibus, eis verò adſidentem Principem, ſive Præſidem, ſine oculis effigiarunt. Quam picturam latè laudavit, & illuſtravit Noſter Altiatus in oratione, quam de laudibus iuris civilis ſcripſit, nec eo cōtentus, inter ſua Emblemata eandem inſeruit, ſub lemmate, *In Senatū boni Principis*, & hoc elegantiſsimo Dialogiſmo: 11

Effigies manibus truncæ ante altaria Divum
Hinc reſident, quarum lumine capta prior.
Signa Poteſtatis ſummæ, ſanctique Senatus
Thebanis fuerant iſta reperta viris.
Cur reſident? quia mente graves decet eſſe quieta
Iuridicos, animo nec variare levi.
Cur ſine ſunt manibus? Capiant ne xenia, nec ſe
Pollicitis flecti, muneribuſvè ſinant.
Cæcus at eſt Princeps, quòd Solis auribus, abſque
Affectu, conſtans iuſſa Senatus agit.

Ign. Alban. ap. Canonher. 1. to. pag. 436. & Langiū in Poliant. verb *Iuſt.* col. 1499.

Et hæc plane omnia ob oculos habuiſſe videtur Ignatius Albanus, dum veram iuſtitiam à falſa diſcernit, & hoc item Dialogiſmo deſcribit, 12

Quæ Dea? Iuſtitia. Et cur torvo lumine? Flecti
Neſcia ſum lachrymis, nec prece, nec pretio.
Quod genus? à ſuperis. Genitor quis? Iupiter. Ex qua
Matre? Fide. Nutrix quæ tua? pauperies.
Quis gremio infantem fovit? prudentia. Quonam
Freta duce ignoſcis crimina? Iudicio.
Cur gladium tua Dextra gerit, cur læva bilancem?
Ponderat hæc cauſas: percutit ille reos.
Quid rari adſiſtunt? quod copia rara bonorum eſt.
Quæ comes adſidua eſt? candida ſimplicitas.

Aurium aperta tibi cur altera, & altera clauſa eſt?
Hæc ſurda iniuſtis; panditur illa bonis.
Paupere cur ſemper vultu? Iuſtiſsimus eſſe,
Qui cupit, exiguas ſemper habebit opes.

13 Pierio etiam Valeriano teſtante, veteres, Euphratem fluvium iuſtitiæ ſymbolum eſſe voluerunt, quia quemadmodum per illum, fœcunditas, & fructuū abundantia intelligebatur: ita ex nulla virtute, quam ex iuſtitia, opimiores lætioreſque fructus colligantur. Hinc Ceres legifera Poëtis, eademque Aſtrea, hinc tellus ipſa iuſtiſsima, ac ipſius iuſtitiæ ſimulacrum perhibetur. Pier. lib. 21. fol. mihi 154.

14 Nos autem præſenti hoc, quod cernis, Emblemate, virginalem habitum, libram, & gladium, oculorumque velamen à cæteris mutuati, ipſam frænato ſubactoque leoni inſidentem depingimus, eiuſdem Pierij Valeriani veſtigia ſequuti, qui inventam ſuo tempore Monetam picturæ eiuſmodi tradit, ſive quia iuſtitia, ut inquit D. Auguſtinus, ipſum, qui eam ſequitur, imperterritum tanquam Leonem facit, unde in Proverbijs habetur, *Iuſtus quaſi Leo confidens, abſque terrore erit.* Quod in cauſa fuit, ut Herculem, quem Amatorem iuſtitiæ dixerunt, ſemper Leonis exuvijs veſtitum confingerent. Sive, ut Ego addo, ut præter huius virtutis integritatem, & inflexibilitatem, quæ in virginali habitu, libra, gladio, & cæcitate, ut ſcripſit Proclus, denotabantur, dū Leonis tergus premit, frænatumque illum, quòlibet ducit, atque diducit, ſignificarent, iuſtitiæ vires in omnes tam validos, quàm invalidos, tam nobiles, quàm plebeios, tam humiles, ac debiles, quàm potētes, æqua lance Imperium poteſtatemque ſuam exercere debere. Vnde ex eadem Moneta Leoniſque pictura, ſymbolum aliud deduxit Cauſinus, cum lemmate, *Feroces domat iuſtitia*, & illis Orphei carminibus, Pier lib. 1. Suar. de Salazar in antiq Gadit. lib. 2. cap. 3. pag. 164. D. Auguſt. in ſerm. Proverb. 28. Proclus apud Rhodigin. lib. 23. c. 16. Cauſin. in Poliſt. ſymb. lib. 2. c. 48.

Semper frangis enim omnes
Quicumque tuum non ſubierunt iugum. Orph. in hym. *Iuſtitiæ.*

15 Ne in aliter eam exercentes, illud Iuvenalis intorqueri poſsit, Iuven. ſatyr. 2.

Dat veniam corvis; vexat cenſura columbas.

Aut iuxta vulgatum dicterium Anacharſidis aranearum telis ſimiles eſſe, quas validiora animalia prærumpunt, ſolùmque parva, & imbeciliora, ſuis laqueis irretiunt. Quod inter ſua Pegmata ſic Petrus Coſtalius (Diogeni tamen tribuens) his verbis expreſsit: Plutarc. in vita Solon. Laert. in Anacharſ.

Dum volat, elatæ telas diſrumpit Arachnes
Oeſtron, & impavidè mollia penſa terit.
Sed capitur tenuis macilento corpore muſca,
Nec fugit arguta retia ducta manu.
Sic pauper poſitæ ſortes vix effugit urnæ,
Sed dives rupto vimine tutus abit. Coſtal. in pegm. pag 43.

Et Florentius Schoonhovius inter ſua Emblemata iſtis, Schoonh. Embl. 68. pag. 201.

Aranearum tela magnis rumpitur
Muſcis, minores ſtrangulat;

Rei

Rei potentes Iudicum ſententiam
Odore ducunt munerum;
Qui nil habet quo torqueat leges, miſer
In pelle pauper plectitur.

Ioan. de Mena copla 84.

Addo & Noſtrum Ioannem de Mena, qui eandem comparationẽ ſic Hiſpano idiomate non minùs venuſtè ſcriptam reliquit, 16

Como las telas que dan las Arañas
Las leyes preſentes no ſean, ni tales,
Que prenden los flacos viles animales,
I mueſtran en ellos ſus languidas ſañas.
Las beſtias mayores, que ſon mas eſtrañas,
Paſſan por todo, rompiendo la tela;
Aſsi que no obra virtud la cautela,
Sino contra pobres, i flacas compañas.

Atque hoc nimirum eſt, quod Nos, hoc noſtro, Clavum Reipublicæ tenentibus ſuadere conamur, ut eius lemma demonſtrat: nam nihil magis curare debent, qui iuris ſanciendi, vel dicendi ius habent, quàm perſonarum acceptionem excludere; pares cauſas, pari lege tranſigere, & potentes, ac humiles æquali trutina, prout eiuſdem iuris ratio ſuggeſſerit, ponderare. In quo præcipuum iuſtitiæ officium vigoremque conſiſtere, eleganter Cicero in Topicis inſinuavit, inquiens: *Valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria iura deſiderat.* Et Iulius Paulus I.C. dũ docuit: *In omnibus, maximè tamẽ in iure, æquitas ſpectãda eſt.* 17

L. in omnibus, D. de rer. iur.

Quibus in locis, non ſine ratione Iacobus Rævardus *Æquitatis* verbum, non tam pro ſtricti iuris temperamento, ſeu Epicheia, de qua ſuprà plura congeſsimus, accipiendum; ſed pro æqualitate, ſive æquabilitate, in adminiſtranda iuſtitia, quæ iniquitas dicitur, ſi alio modo diſtribuatur, iuxta illud Senecæ: *Prima pars æquitatis eſt æqualitas.* Et Venerabilis Bedæ: *Nam perſonam Iudicis exuit, quiſquis amicum induit, & qui aliter cauſam pauperis, aliter cauſam potentis, aliter ſodalis, & aliter audit ignoti, ſtatera utique librat iniqua.* Cui mirè convenit illud Lactantij Firmiani, ſic valdè ad Emblematis noſtri, & Rævardi mentem aientis: *Deus qui homines generat, & inſpirat, omnes æquos, id eſt pares eſſe voluit. Vbi enim non ſunt univerſi pares, æquitas non eſt, & excludit inæqualitas ipſa iuſtitiam.* 18

Rævard. in d. l. in omnibus.

Sup. Embl. præcedenti.

Senec. epiſt. 30.

Bed. in Proverb. cap. 11.

Lactant. lib. 5. divin. inſt. c. 15.

Quam doctrinam haurire potuit ex M. Tullio, qui eos, qui in puniendis vindicandiſque ſceleribus, pœniſvè conſtituendis, ob reſpectum & diſtinctionem perſonarum à legum præſcripto diſcedunt, ex ſupra effata ratione, his verbis obiurgat: *Nam ſi æquitas illa eſt, quæ omnia recta, atque inflexibilia exigit. Si ea eſt iuris ratio, ut neque inflecti gratia, neque adulterari pecunia poſsit, videatur ſanè iudicantium religioni maximè conſentaneum, in ſententijs ferendis æquabilitatem ſervare, eundemque ſemper ad iudicia vultũ afferre, quem in Socrate omni vita fuiſſe accepimus.* 19

Tullius 2. Tuſcul.

Et

20 Et in candē reſpiciens Pſalmographus,multas benedictiones Regibus cœlitus concedi demonſtrat, qui ſciunt, *Iudicare populum in iuſtitia,& pauperes in iudicio*;& ſimul efficiunt, ut *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Iudicantes pauperes populi, ſalvos facientes filios pauperum,& humiliantes calumniatorem.* Quod,ut huius loci Expoſitores advertunt,nihil aliud deſignat, quàm iuſtitiam pauperibus æquè,ac potentibus,& elevatis parē eſſe debere. Sic enim & Moyſes, poſtquàm Deū deſcripſit, *Deum eſſe Deorum,& Dominū dominantium, Deum magnū,& potentem,& terribilem,qui perſonā non accipiat,& munera*;ſtatim ſubdit: *Facit iudicium pupillo & viduæ,amat peregrinum,& dat ei victum atque veſtitū*;quaſi in hac virtute potētes cum humilibus exæquandi,omnis iudicij, etiam divini, vigor, & diſciplina conſiſtat, ipſaque,& leges ex quibus deſcendit, tunc præcipuè ſuū miniſterium exerceant,cum leones frænant,ut noſtrum Emblema præfefert, & in altero Pſalmo idem David cecinit,inquiens: *In camo & freno maxillas eorum conſtringe,qui non approximant ad te.*

Pſal.71.per tot. — Caietan. Lorin. & alij ibid. — Deuter.10.17.18. — Pſalm.31.9.

21 Sunt enim leges frænum potentium, ut noſter Saavedra latè proſequitur,& Nos infrà latiùs dicemus,& ut ait Ovidius:

Inde latæ leges,ne fortior omnia poſſet
Cœptaque ſunt purè tradita ſacra coli.
Exuitur feritas,armiſque potentius æquum eſt,
Et cum cive pudet conſeruiſſe manus.

Cui ſimilis eſt Euripides,dum inquit:

Nihil eſt civitate præſtantius,quàm leges,
Rectè poſitæ: nam & inferioris homo ſortis,
Et qui ditior eſt,æquale ius experiuntur:
Vincit autem minor maiorem ſi iuſtam cauſam habet.

Saaved. Emp.21. pag.134. Nos inf. Emb.66. — Ovid.3.Faſtor. — Eurip.in ſupplic.

22 Quod æquè ac Nos per domiti, frænati, & à iuſtitia inſeſsi leonis figuram repræſentamus, Hadrianus etiam Iunius in alio ſuo Emblemate non ineptè ſignificavit, per Sceptrum, cui Ciconia ſuperſtat, Hippopotami immanis fluviatiliſque Nili equi tergori infixū,ſic docens,iuſtitiæ,& æquitatis Sceptro impios,quos Hippopotamus deſignat,eſſe domandos,impietatemque & ſuperbiā Potentiū coërcendā, & gladio vindice caſtigandā,atq;è medio tollendā,non ſecus quàm à Ciconijs ſolet ſerpentiū genus occidi,& devorari. Eius verba ſic habent,

Hoſtis colubris ales inſidet Sceptro,
Subſtrata quod Niloi Equi premit terga.
Domat ſuperbos,impioſque proculcat
Sceptrum æquitatis,noxioſque conſumit.

Iunius Emb.17.

23 Et in idem tendunt vetera illa Adagia, *Rex Iupiter omnibus idem, Æqua lance, Idē Actij quod Titij,& Tenedia ſecuris, ſive bipennis*,in quibus Eraſmus plura notavit. Et Imperatoris Iuſtiniani Novellæ, quæ Iudices in ingreſſu officij *hanc æqualitatē utrique parti in iudicijs civilibus,& criminalibus,& in publica diſciplina iurare compelliunt,neminē-*

Iuſtin.Novell. ius iur. quod præſt. ab his, & in Novell. 24.de præſ.Pſidiæ.

que maleficorũ revereri, & ſi de Potentioribus ſit. Neque his ſe ſubmittere, qui nullam de ſe utilitatem, at benè nefarias de ſe occaſiones præbere poſſunt; ſed per omnia ius tueantur, & ad leges reſpiciant.

Quod ſi deficiat, totius Reipublicæ excidium, & Regnãtis periculũ vereri poſſe, pluribus Saavedra noſter oſtendit, *Minuũtur quippè iura, quoties gliſcit poteſtas*; ut aliàs Tacitus dixit: *Etſi prohibita impunè trãſcenderis, neque metus ultra nec pudor eſt*. Vnde Apuleius *Medicinã Reipublicæ* hanc iuſtitiæ æqualem libram appellat; & Titus Livius rectiſſimè monuit: *Neminem unum civem tantùm eminere debere, ut legibus interrogari non poſſit: nihil tam æquandæ libertatis eſſe, quàm potentiſſimum quemque dicere cauſam.* 24

(Saaved. Empr. 22. ex pag. 148. — Tacit. 3. Annal. — Apulei. in lib. de Philoſ. — Livius lib. 38. vide Fileſac. 2. ſelect. pag. 14.)

Quod Ioannes etiam Mena Regi noſtro Ioanni II. his verbis cõſuluit, 25

(Ioan. Mena copla 81.)

A vos pertenece tal orden de dar,
Rei excelente, i mui gran Señor,
Aſsi como Principe Legislador
La vida politica ſiempre zelar:
Porque pudicicia ſe pueda guardar,
Y tomen las gentes ſeguros los ſueños,
Punir à los Grandes, como à los pequeños,
A quien no perdona, no le perdonar.

Vbi doctus eius Commentator Ferdinandus Perez de Guzmã, alio nomine Pintianus, ſic habet: *El buen Rei, ò Principe que quiere guardar rectamente la juſticia, aſsi ha de moderar la execucion de las leyes, que no tengan mas rigor en los pequeños, que en los grandes; è como dizẽ en el Proverbio vulgar, no quiebre la ſoga por lo mas delgado.* Et Octaviani Auguſti exemplum adducit, quẽ Suetonius inquit: *Amicos ita magnos & potentes in civitate eſſe voluit, ut tamen pari iure eſſent, quo cæteri, legibuſque iudiciarijs æquè tenerentur.* Adiiciens ſtatim, qualiter ſe habuerit in cauſa Aſprenatis Nonij, arctius ei iuncti, & veneficij accuſati. 26

(Sueton. in Auguſt. cap. 56.)

Cui ſimile eſt, quod de Noſtro Ferdinãdo V. Rege Catholico adverſus Marchionem de Priego graviter procedente, quòd quendam à ſe delegatum Iudicem carceraverat, poſt Marianam Saavedra cõmemorat. Et quod ex annalibus Francorum, de Ludovico XII. tradit Beyerlinchius, inquiens, quòd cũ Subpræfectum Aurelianenſem, quo cũ familiariter fuerat uſus, ſæpè ante Regni adeptionẽ à delictis, de quibus accuſatus fuerat, exemiſſet, poſteà Rex factus, eundem illa reiterantem, capite damnavit. Admirantibuſque nonnullis, reſpondit, *Contendi privatus pro amico, Regnum adeptus, leges tueri debeo.* 27

(Saaved. Empr. 22. pag 149. — Beyerl. in Apoph. Chriſt. pag.)

Erchimbaldi quoque de Borban, nepotem, quòd quandam puellam ſtupraverat, propria manu ob iuſtitiæ zelum occidentis, notabilis eſt hiſtoria, & divino miraculo comprobata, cuius iam ſuprà mentionem feci. Nec minùs notabilis, & ad rem noſtram pertinens, alia Totilæ Gothorum Regis, aliàs crudelis, & barbari, qui Sigonio latè narrante, cum rogaretur, ut cuidam ex ſuis intimis parceret, qui virgini ſtuprum intulerat, reſpondit: *Eiuſdem ingenij eſſe, delicto ſe obſtringe-* 28

(Sup. Embl. 9. — Sigon. de Imp. Occid. lib. 19. an. 543.)

re,

re, & delictorum ſupplicia impedire, omninòque neceſſarium eſſe, aut illum pœnas dare, aut Gothorum Rempublicam interire, cui Deus minùs propitius factus fuit, poſtquàm Theodatus cœpit iuſtitiam deſerere, & æquitatem divitijs poſt habere.

29 Quod Barbari Regis dictum & factum, mihi aurem vellit, & admonuit, ut ſilentio illud aliud non involvam, quod de Luſitano Rege Alfonſo Enriquez, huius nominis I. in Nobiliario Infantis D. Petri recolitur, dum in extrimis agens, filio, Regni hæredi, hoc monitum præſtitit: *E hazed ſiempre juſticia, è guardad en ella piedad aguiſada. Ca ſi un dia dexaredes de hazer juſticia un palmo, luego otro dia ſe apartarà de ti una braçada, è de tu coraçon.* Rectiſsimè, & veriſsimè quidem, nam qui à iuris diſcedunt regulis, & ſemel à recto tramite prudentiæ, & æquitatis declinant, modò hac, modò illac fluctuare neceſſe eſt, & ut poſt Velleium Paterculum benè Natalis Comes obſervat: *Non ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quemlibet in tenuem recepta tramitē, latiſsimè evagandi, ſibi licentiam ſumunt, & ubi ſemel à recto deviatum eſt, in præceps itur.*

[Conde don Pedro in ſuo Nobiliario, apud Euſeb. in lib. de la cauſa de los males publicos cap. 2.]

[Patercul. lib. 2. Natal. Comes lib. 26. hiſt.]

30 Cui conſilio ſimile eſt illud aliud, quod Noſter Euſebius Noriembergus refert ſanctiſsimam fœminā Hildelgardim Philippo Flandriæ Comiti hæc in verba dediſſe: *Attende fili Dei, ut puro oculo iuſtitiæ in Deum, velut Aquila in Solem aſpicias, & ut abſque proprietate voluntatis tuæ, iudicia tua iuſta ſint.* Et notandum illud reſponſum Cardinalis D. Ioannis de Tavera, Hiſpaniarum Generalis Inquiſitoris, cui cum à Carolo V. iniunctū fuiſſet, ut ſe cum reo quodam, quē valdè Imperator diligebat, benignè haberet, iſque hoc Imperatori pollicitus, poſteà nō adimpleſſet. Ab eo, de fide non ſervata reprehenſus, ſic liberè reſpondiſſe narratur: *Quando me puſe à juzgar, fui cō animo de cumplirla. Pero viſto el proceſſo, hallè q̄ no podia, ſin faltar à Dios, i à ſu juſticia, i verdad, i aſsi tuve por mejor perder el reſpeto à V. Mageſtad, q̄ à la divina.*

[Euſeb. in Theop. 2. par. lib. 3. cap. 1. pag. 489.]

[Hiſtor. Card. Taveræ de Salazar de Mendoça.]

31 Iovius quoque refert, vetus atque perpetuum Turcarum inſtitutū eſſe, ut intranti templum ſupplicandi cauſa Imperatori, Telis manus æditiuus occurrat, claraque voce pronuntiet, ut meminiſſe velit, Imperium, quod virtute bellica, & iuſtitia paratum fuit, non aliter, quàm eiſdem artibus, conſervari, propagarique oportere.

[Iovius lib. 2. in Baiacete.]

32 Reſpublica namque, ut iā diximus, & ex D. Auguſtino, & alijs benè obſervat Caſſaneus, ſine hac æqualitate iuſtitiæ regi non poteſt, cū per eam mali terreantur, & boni conſerventur; & ut ait Lipſius: *Nulla re quæcunque Reſp. magis florebit, aut floruit, quàm rigida & immota iuſtitia: nulla re magis flacceſcet, & deficiet, quàm illa tali. Hæc fœlicitas Regnorum, & ſtatuum, interna, & externa. Interna quidem, nā quis neſcit ſcelera, & flagitia per eam removeri, virtutes promoveri: externa, quia agri viæ, & maria frequentantur, & ſecuritas ubique ac tranquillitas regnat.*

[D. Auguſ. lib. 7. de Civ. Dei. Caſſane⁹ ad conſ. Burg. tit. 1. de iuſt. in princ. ex n. 14.]

[Lipſius in polit. lib. 2. c. 9.]

33 Tantæque potentiæ ſit, ut per eam iuſtè damnati, vel pereuntes ipſam agnoſcant, & alacriter moriantur, ut de latrone in cruce pendente Divus Lucas ſcribit, dum dixit: *Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* Et de Spartano quodam ab Ephoris damnato, Plutarchus,

[Luc. 23. 41.]

[Plutar. in Laco.]

Bocch ſym.18. pag.41. Ovid.epiſt 5.

& Achilles Bocchius, qui ex eius hiſtoria quoddam ſymbolum ſumſit, & inſinuavit Ovidius, inquiens:

Leniter, ex merito quidquid patiare ferendum eſt,
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

34 Quemadmodum ex adverſo, ubi gravia ſcelera multa relinquuntur, non ſolùm in Reges & Magiſtratus culpa refunditur, verùm & in ipſa Numina erigi, & invehi Ethnicorum mentes ſolebant, & de eorumdem exiſtentia ancipites reddi; ut omiſsis impij Luciani in ſuum Iovem ſubſannationibus, Cadmus apud Euripidem, Electra apud Sophoclem, & Iaſon apud Senecam Tragicum fecit, qui ubi Medeam vidit, poſt tot ſcelera, & parricidia, impunè per aera volantem, ſic doluit,

Lucian. in Timon. Eurip. in Bacchis. Soph. in elect. Senec. in Medea in fine.

Per alta vade ſpacia ſublimis ætheris:
Teſtare nullos eſſe, quà veheris, Deos.

35 Quod autem hucuſque de Potentioribus & Nobilioribus æquo iure cum humilibus & plebeis puniendis, iudicandiſque prælibavimus, eò quidem tendit, ut multa eorum ſcelera eſſe non patiantur, cum vel ex hoc ipſo quod Nobiles ſint, graviora cenſeri debeant, ut iam alio loco præmonui. Non autem ut negemus, in ipſis plectendis, & coërcendis, diverſam interdum rationem haberi debere, maximè ubi de pœnis corporalibus agitur, iuxta elegãtes doctrinas, & diſtinctiones, quas in hoc articulo, poſt Antiquiores alios, latè, & doctè Tiraquelus, Covarruvias, Ioannes Garcia, & Iacobus Menochius adducunt, crimina deſignantes, in quibus Nobilitatis privilegium amittitur, & Nobiles, ut in Francia fit, nobilioribus, ſive altioribus furcis ſuſpendi debent.

Sup. Embl.

Tiraq. de nobil. c. 20. ex n. 104. & de pœn. temp. cauſ. 31. Covarr. 2. var. c. 9. Ioan. Garc. de nobil. gloſ. 1. ex n. 14. Menoch de arbit. caſ. Canõ-her. 1. to. pag. 730. Ego 2. tom. lib. 1. c. 27. ex n. 31.

36 Sed magis ad rem, de qua agimus, Michaël Hoſpitalius, poſtquàm latè expoſuit, & valdè doluit Nobilium Galliæ ſuperbiam, elationẽ, ferociam, & gravia alia ſcelera, & exceſſus de quibus gloriari, & impunes relinqui ſolent, Regem ſuum, ut in illos gladio ultore conſurgat, his verbis excitaſſe comperitur,

Hoſpit. in carmin. ad Amic.

Quin Tu, quando illi monitis parere recuſant,
Perpetuas leges, & formidabile nomen
Imperij, cippos, & tetri carceris umbram
Horridus intentas? pœnamque à gente repoſcis
Immani, & ſcelerum plena, legumque ſoluta
Iudicijque metu: ſi cædibus omnia complet,
Si prædas abigit, ſi peierat, & maledictis
Inceſsit ſuperos, & nomina magna Deorum:
Nec miſeræ plebis, vulgique ignobilis eſſe
Per magnos iurare Deos: proprium decus illud
Nobilium, quibus eſt Dijs proxima penè poteſtas;
Hæc vitæ ratio eſt, his ſe diſtinguere ſignis, &c.

(***)

Pau-

Pauperum Tutamen.

EMBLEMA LXV.



Rana piſcis aquas ſecat fluentes
Nili; qui, ut fugiat vorantis oris
Varum, ſeu Cocrodilon amne magnos,
Tranſverſam locat in ſuis labellis
Virgam, qua rigidos cavet potentes.
Semper iuſtitia tegat puſillos,
Varo non pede, non reflexa Virga.

COMMENTARIVS.

1 ETSI videri poſsim abũdè ſatis de iuſtitiæ neceſsitate, & æqualitate in ſuperioribus diſſeruiſſe, nunquam tamen tot, ac tanta de eximiæ huius virtutis commẽdatione dicentur, quin plura dicenda ſuperſint. Cum ſecundùm D. Cyprianum: *Iuſtitia Regis, pax ſit populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentũ gentis, cura langorum, gaudium hominum, temperies aeris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſibimet ipſi ſpes futuræ beatitudinis.* Tantiq́ue eam faciat Clemẽs Alexandrinus, ut dicat, *Viri iuſti animam, imaginem valdè divinam, & Deo ſimjlem eſſe, in qua per præceptorum obedientiam ædificatur, & collocatur Dux mortalium, & immortalium omnium: Rexque & genitor omnium, bonorum re* D.Cypr. in lib. de 12.abuſion. Clem.Alex. lib.7. Strom.

vera lex, & præſcriptum, & Verbum Æternum, qui & privatim ſingulis, & communiter omnibus eſt unus ſervator.

Quapropter ex Indis, qui Pedalij vocabantur, ut ex Stobæo Rho- 2
(Rhodig. lib. 18. cap. 31.) diginus ſcribit, nil ferè in ſacrificijs aliud à Dijs immortalibus expoſcebant, quàm iuſtitiam: arbitrati omnium planè compotes ſe futuros, ſi eam modò unā fuiſſent conſequuti. Et ſecundùm Philoſtratū, Apol- (Philoſtr. in vita Apoll. lib. 4. cap. 13. pag. mihi 200.) lonius ille Tyaneus, quem ipſe, & alij tantùm extollunt, his demū precibus ad Deorum aras accedens, uti ſolebat: *Vt iuſtitia apud homines valeat, & leges non ſolvantur, utque ſapientes pauperes ſint, cæteri verò ſine fraude ditentur.*

Meritòque Ariſtoteles dicere potuit: *Iuſtitia Regnantis utilior eſt* 3
(Ariſtot. in Rhet. ad Alex.) *ſubiectis, quàm fertilitas temporum.* Et Iſaias: *Opus quidem iuſtitiæ pax,* (Iſai. cap. 32.) *& cultus iuſtitiæ, ſilentium, & ſecuritas.* D. Ambroſius: *Nulla virtutū* (D. Ambroſ. de Parad. cap. 3.) *videtur latiores habere fructus, quàm æquitas, atque iuſtitia, quæ magis alijs, quàm ſibi prodeſt, & utilitates ſuas negligit, communia emolumenta proponens.* Et Caſsiodorus, arbori eam comparās, quæ reddit in ſuperficie, quod continetur in radice, ita concludere: *Sic Regnū iure decitur* (Caſsiod. li. 9. ep. 2.) *integerrimū, ſi nuſquam fuerit imminutum. Hoc fieri poteſt, cum undique ſubmovetur effrænata licentia, nec datur auſus menti malignæ, ſub abominabili libertate peccare.*

Quod ſanè, cum in omnibus eiuſdē virtutis effectibus, & operatio- 4
nibus veriſsimum ſit, tunc tamen dubio procul magis reſplēdet, ubi in orphanorū, viduarum, egenorum, tenuiorum, aliarumque miſerabiliū perſonarum, à Potentiorum oppreſsionibus, & iniurijs defendendis vindicandiſque verſatur. Quò enim hæ facilius, ac frequētius, propter humilem, & abiectam ſui ſtatus conditionem, ab hominibus conculcātur, expilantur, & opprimuntur, eò graviores apud Deū ipſarum iniuriæ cenſentur, ut Iobus inſinuavit, cum dixit: *Oppreſſerunt pariter man-* (Iob cap. 24.) *ſuetos terræ, & vineā eius, quē vi oppreſſerunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore, quos imbres montiū rigant, & non habentes velamen, amplexantur lapides. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperum ſpoliaverūt. Nudis & incedentibus abſque veſtitu, & eſurientibus tulerūt ſpicas, &c.* Et Amos, apud quem Dominus Iſraelis improbitatē execratur: *Pro eo* (Amos cap. 2.) *quòd vendiderit pro argento iuſtū, & pauperē pro calceamento, qui conterunt ſuper pulverem terræ capita pauperum, & viam humiliū declinant.*

Atque adeò, ipſe idem Dominus, non contētus eaſdem miſerabiles 5
Perſonas ſub peculiari ſua protectione recipere, iuxta illud Davidicum, *Tibi derelictus eſt pauper, & orphano tu eris adiutor. Oculi eius in* (Pſal. 9. 14. & Pſal. 10. 5.) *pauperem reſpiciunt: palpebræ eius interrogent filios hominum.* Illas Regibus, ac Principibus cæteriſque, qui eiuſdē vice hominibus præſunt, & iuſtitiæ adminiſtrandæ officio funguntur, ſummoperè commendavit, cum dixit: *Beatus qui intelligit ſuper Egenum & pauperem, in die* (Pſalm. 40. 2.) *mala liberabit eum Dominus.* Et iterùm: *Qui deſpicit proximum ſuum* (Proverb. 14. 21.) *peccat: qui autem miſeretur pauperis, beatus erit.* Et expreſsius in Exodo, inquiens: *Viduæ & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos, vociferabun-* (Exod. 22. 22. 23.) *tur ad me, & ego audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus,*

&c.

&c. Et apud Iſaiam, dum præcipit, *Quærite iudicium, ſubvenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam.* Et ſtatim, de Principibus, qui ſecus ſe in hoc habent, ſermonẽ inſtituens, & de gravibus, quæ eos manent ſupplicijs, ita inquit: *Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus, &c.*

Iſai.1.17.

Idem ibid.23.

6 Vnde ipſorum Principum præcipuum ſtudium ex munere ſuo in hanc curam, & protectionem incũbere debere, pluribus Sacræ Scripturæ locis doctiſsimè, & diligentiſsimè oſtendit Pat. Ioann. Antonius Velazquez, quem pro multis allegaſſe ſufficiet. Et ante eum apertè idem docuit D. Hieronymus, inquiens: *Regum officium proprium eſt, facere iudicium, atque iuſtitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreſſos: & peregrinis, pupilliſque, & viduis, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.* Quem locum Gratianus in ſua Canonum rapſodia inſertum reliquit, alium ſimilem addens ex D. Anſelmo, qui pariter docuit: *Adminiſtratores planè ſecularium dignitatum ad Eccleſiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapaciumque refrænationem conſtitutos ſe eſſe, proculdubio intelligere debere, & hoc facere negligentes, poſt ſecundam & tertiam admonitionem omni communione uſque ad condignam ſatisfactionem privari poſſe.*

P. Velazq. de opt. Princ. lib. 4. adnot. 7. ex pag. 444.

D. Hieron. ſup. Ierem. cap. 22.

Gratian. in cap. Regum officiũ, & in cap. adminiſtratores 23. q. 5.

7 Quos præivit Plato, ſcribens, Deos, ab ijs maximè coli: *Qui orbitatis pupillorum ſenſum, & curam habent.* Ariſtoteles docens, *Reges cuſtodiæ defenſioniſque cauſa conſtitutos, ut & locupletes prohibeant iniuria, & inopem multitudinem contra locupletum iniurias tueantur.* Et Seneca Tragicus addens, non ſolùm obligationem, verùm & magnificentiam ipſorum Regum in hoc conſiſtere, inquiens,

Plato 11. de legib.

Ariſt. 5. pol. c. 10.

Senec Trag. in Medea, Act. 2.

------------ Hoc Reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies,
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

8 Caſsiodorus etiam elegantiſsimè, ſub Theodorici Regis perſona Præfectum Prætorio inſtruens, ſic habet: *Inter glorioſas Reip. curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, revolvimus, cordi noſtro eſt levamen humilium: ut contra potentiam ſuperborum, noſtræ pietatis erigamus obſtaculum, nec liceat aliquid apud nos audaciæ, cuius eſt propoſiti ſuperba calcare.* Et iterùm: *Perſona tua refugium ſit oppreſſo, infirmo defenſio, præſidium aliqua calamitate concluſo. Sic enim propriè noſtros cancellos agitis, ſi læſorum impia clauſtra ſolvatis.*

Caſsiodor. lib. 3. epiſt. 20.

Idem lib. 12. ep. 1. in fin.

9 Et ad hanc nimirum imbecillium à potentioribus defenſionem, & protectionem, veteres alludebant, iuxta Maioli, & aliorum obſervationem, dum in eorum inauguratione, non ſolùm ſcutum eis tribuebant, verùm & ſuper ipſum ſcutum impoſitos, in altum ſemel & iterum elevabant (qui mos hodie etiam in Cantabria obſervatur) ut ſic intelligerent, ſe ſubditis, præſertim infirmis, tanquàm ſcutum præponi, cuius nomen *Magem* in lingua Hebræa, ut Martinus Magerus addit, pro ipſa protectione uſurpari ſolet.

Maiol. tom. 5. Canic. col. 5. Hopping. diſſ. de iur. protect. §. 12. ad litt. B. & Magerus ſtatim citād⁹. Paul. Diac. li. 23. loquẽs de Imp. Conſtātin.

Mager. de advoc. armat. cap. 3. n. 79.

Pſalm.10. 14.

Lorin.inPſal.9.14 pag. 188.col.2.

Adrianus quoque Sextus Pont.Max. ubi ad Petri Sedem conſcẽ- 10
dit,illud Pſalmographi,*Tibi derelictus eſt pauper*,pro ſymbolo ſumſit,
ut Lorinus recenſet, neſcio an, ut novi muneris præcipuam hanc eſſe
obligationem oſtẽnderet? vel divinum auxilium, quod in ſe exper-
tus fuerat, ex textoris pauperrimi filio, in excelſam adeò dignita-
tem evectus.

Æ lian.de var.hiſt. lib.1. c. 3. & iterũ de hiſt.anim.lib.3. cap. 68.

Ego verò, ut eandem, Principibus, vel ex animalium ratione ca- 11
rentium, diſciplina ſuadeam, hoc, quod cernis, Emblema formavi,
Ranam, Nili fluvij notum piſcem, depingens, qui, ut Ælianus ſemel
& iterum prodidit, ubi ſe à Varis, & Hydris, ſeu Cocrodilis, lõgè ma-
ioribus, & potentioribus eiuſdem amnis piſcibus, in eſcam impeti vi-
det, peculiari quadam ſapientia veluti præditus, ſubitò demordet fru-
ſtrum arundinis, & id obliquum ore gerens, fortiterque tenens, pro
viribus non remittit, quò fit, ut varus, Ranam cum ipſa virga arundi-
nis, deglutire non valeat, non enim tantam amplitudinem os eius ha-
bet, quantum illa protenditur, atque ita tali commento auxilioque
ſuffultus, ab illorum robore liber evadit.

Sup.Emb.29.& in 2.tom.de Ind.iur. lib.4.cap.5.n.3.

Quod planè nihil aliud oſtendit, quàm per ſolum ſobriumque iu- 12
ſtitiæ tutamen, & Regium Sceptrum, quod per virgam repræſentatur,
ut iam alibi, poſt alios latiùs ſcripſi, tenues, & humiles à potentiorum,
& robuſtiorum iniurijs, calumnijs, & invaſionibus defendi, & libera-
ri debere.

Oppian. & Homer. quorum loca adducit Muretus lib.2.var.c.9.

Eraſm.pag 67. Iunius cẽt.2. Adag.9

Etenim hoc niſi adſit, quemadmodum in piſcibus, & alijs terreſtri- 13
bus & volatilibus animantibus accidit, ut inermes & debiles in prædã
& eſcam potentiorum cedant, ut Oppianus in ſuis halieuticis, ſive piſ-
catorijs, & Homerus in ſua Iliade cecinit, ex quo nata ſunt Adagia,
Piſcium vita, & Piſces magni parvulos comedunt; circa quorum expli-
cationem plura alia Eraſmus, & Adrianus Iunius adducunt, & Clau-
dius Minoes, & Brocenſis in illud Emblema Altiati, quod ex hac con-
ſideratione formavit, ſic elegantiſsimè inquiens:

Altiat.Embl. 169. cui ſimile aliud D. Sebaſt.Covar.cẽt. 1.Emb.88. cũ lemmate ex Bapt. Mãtuan.deſumto *Maiora minoribus obſunt.*

Piſciculos aurata rapit medio æquore Sardus,
Ni fugiant pavidæ, ſumma mariſque petant,
Aſt ibi ſunt mergis, fulicisque voracibus eſca
Heu intuta manens undique debilitas.

Ita & inter homines, ſemota iuſtitia, idem ſæpè, (aut ſemper potius) contingit, ut M.Varro benè oſtendit, dum dixit;

M.Varr.inMenip. apud Non. Marc. quem locum emẽdat Muret. ubi ſup.

Natura humanis omnia ſunt paria.
Qui pote, plus urget, piſces ut ſæpè minores
Parvus comeſt, ut aves enecat accipiter.

Marcial.lib. Embl.

Et Marcialis ſic inquiens:

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum;
Imbelles damæ quid niſi præda ſumus?

Marc.Palingen.

Vnde ſcitè Marcellus Palingenius, hanc eſſe naturalem Mundi Ty- 14
rannidem, his verbis ſcripſit:

Den-

Heu mundus totus quædam eſt nativa Tyrannis;
Debilibus robuſta nocent, & grandia parvis.

Et valdè ad rem noſtram D. Ambroſius: *Avaritiæ potentiorum, ſubiecti ubique inferiores ſunt. Quò quiſque infirmior, eò prædæ patet, minor apud illos, eſca maioris eſt.* (D.Ambr.lib.5. Hexam. cap 5.) Et D.Baſilius ad piſcium, de qua agimus, naturam alludens, & egregiè addens, quod ſupplicium potentiores, qui humiliores deglutiunt, expectet, ſic inquiens: (D.Baſil. homil. 7. in Hexam.) *Sunt nonnulli piſces, qui ſe invicem comedunt, atque inter eos minor cedit in eſcam maiori; quod ſi aliquando accidat, ut is qui minore ſuperior ſit, ab alio ſe maiore comprehendatur, uterque ille ab ultimo victore abſorbetur. Quid quæſo non aliter, ò miſeri mortales facimus, cum nobis minùs potentes ſubiugamus? Quid quæſo ab extremo piſce differt is, qui improba divitiarum cupidita te pauperem opprimit; ſed ditior alius hunc comprehendens, utrumque pariter devorat. Vide, amabo, ne te idem finis, qui piſces maneat, qui aut hamo, aut naſſa, aut rete ad extremum capiuntur.*

15 Iuvenalis quoque venuſtè hanc imbecillium ſortem deſcribens, & qualiter haberi à potentioribus ſoleant, poſt alia ſic ait: (Iuven ſatyr 3. circa finem.)

----- ----- Libertas pauperis hæc eſt,
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Et non minùs rectè Salvianus, ad eandem reſpiciens, & quàm ſint expoſiti alienæ rapacitati: *Quotus quiſque* (inquit) *iuxta divitem pauper, aut intactus, aut tutus eſt?* (Salvian.lib.4.de provid.)

Idemque ipſum, præter quotidianum experimentum, Syracidis cõprobatur ſententia, dicentis: *Venatio Leonis, onager in eremo: ſic paſcua divitum ſunt pauperes.* (Eccleſ.13.23.) Et Iacobi: *Divites per potentiã opprimunt vos.* Sapiens quoque, divitum & avarorum hæc verba eſſe inquit: (D.Iacob.2.6.) *Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano.* Et de eiſdem Iob dixit: (Sapient.2.10.) *Subverterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſuetos terræ.* (Iob.24.4.)

16 Et hoc leonum aliarumque ferarum in modum, uſque ad pellis & oſsium comminutionem, facere ſolitos, totum pauperum ſanguinem exugentes, ſatis etiam oſtendit & dolet Micheas, ſic lugens: (Micheas 3.3.) *Comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper excoriaverunt, & oſſa eorum confregerunt, & comederunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ.* David, gladios & cultros addens, quibus hæc excoriatio fieri ſolet: (David.Pſal.36.14.) *Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum ſuum, ut deiiciant pauperem, & inopem, ut trucident rectos corde.* Et non minùs ſignanter Salomon, inquiens: (Proverb.30.14.) *Generatio cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ: generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.* Quibus in locis Salazarius noſter, & alij eorum Expoſitores, plura ad ipſorum illuſtrationem, & hanc potentiorum, & divitum cõſuetudinem in devorandis infirmis humilibus, & pauperibus, denotãdam adducunt.

17 Sed omitti non poteſt illud D. Ambroſij, qui poſtquàm Achahab (D.Amb. to.1.c.1. de Nabut.)

ſæ-

ſævitiam, ſive avaritiam, in deprædatione pauperis Nabuthi vineæ exaggeravit: *Quis enim divitum* (addit) *non quotidie concupiſcit aliena? Quis oppulentiſsimorum non exturbare contendit agellulo ſuo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus? Non igitur unus Achab natus eſt, ſed, quod peius eſt, quotidie Achab naſcitur, & nunquam huic ſæculo moritur; ſi unus occidat, aſſurgunt plurimi, plures qui rapiant, quàm qui amittant. Non unus Nabuth pauper occiſus eſt, quotidie Nabuth ſternitur, quotidie pauper occiditur.*

Cap. ubi periculū, de elect. lib. 6.

Ex quibus effluxit, quòd cum iuxta regulas iuris, ubi maius damnū 18
timetur, ibi cautius agendum ſit, reſque eiſdem cauſis, quibus naſcuntur, diſſolvi ſoleant, meritò iuſti quilibet ac benè morati Reges ac Principes, tutamen, & auxilium pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum, in ſe recipere, & potentum iniurijs, Potentiores ipſi reſiſtere, obviareque voluerint, & ſuæ cognitioni, atque examini reſervare, ut conſtat ex famigerata illa Imperatoris Conſtantini conſtitutione, qua ſanxit, *Quòd ſi pupilli, vel viduæ, alijque fortunæ iniuria miſerabiles, iudicium Imperialis Serenitatis oraverint, præſertim cum alicuius potentiam perhorreſcunt, cogantur adverſarij Imperiali examini ſui copiam facere.*

Conſt. Imper. in l. unic. C. quando Imp inter pup. & viduæ, &c.

Quod privilegium, *Curiæ caſum* vocare vulgò ſolemus, eoque Gallos, & alias Nationes uti, pluribus relatis, doctiſsimus Noſter Didadacus Covarruvias, & alij Moderniores paſsim obſervant, & Hiſpanis legibus expreſsè cautum reperitur, cum in una legamus, immediatè Regium Tribunal interpellari, impetrarique poſſe: *Por pleito que demandaſſe huerfano, ò ome pobre, ò mui cuitado, contra algun poderoſo, de que non pudieſſe tan bien alcançar derecho por el fuero de la tierra.* Et in alia, hoc præcipuè Regij muneris eſſe, in hæc verba: *Viudas, ò huerfanos ſi ovieren alçadas, ò otros pleitos porque ayan de venir à la Corte del Rei, èl los debe judgar. E eſto es, porque maguer el Rei es tenudo de guardar todos los de ſu tierra, ſeñaladamente lo debe fazer à eſtos, porque ſon aſsi como deſamparados, è mas ſin conſejo que los otros.* 19

Covarr. lib. pract. cap. 6. Carr. ſ. de caſib. curiæ, cap. 1. Alvarez de privil. miſerab. perſ. ex c. 1. & alij paſ im.

L. 5. tit. 3. par. 3.

L. 20. tit. 23. ead. part. 3.

Quibus legibus, ultra alia, quæ Doctores, qui ea commentantur, 20
adducunt, mirè convenit Theodorici Regis apud Caſsiodorum Reſcriptum, dum ait: *Cordi nobis eſt cunctos in commune protegere, ſed eos maximè, quos ſibi novimus defuiſſe. Sic enim æquitatis libra ſervabitur, ſi auxilium largiamur imparibus, & metum noſtri pro parvulis, inſolentibus opponamus.* Vbi notanda ſunt illa verba, *Æquitatis libra ſervabitur*, quæ indicant, è Principis munere, & Maieſtate eſſe, ſua Potentia æqualitatem inter impares facere, & ad ſui iudicij trutinam inferiorū, à potentioribus oppreſſorum, cauſas attrahere. In quo, ut idem Auctor alibi inquit: *Gratificatio non poteſt eſſe ſuſpecta, Regnantis quippè ſententia iudicium de ſolis actibus ſumit, nec blandiri dignatur animus, dominij poteſtate munitus.*

Caſsiod. lib. 1. epiſt. 8.

Idem lib. 1. epiſt. 3.

Idem lib. 4. epiſt. 9.

Et iterum, ad rem noſtram ad hunc congruentius, *Innocentiæ pro-* 21
feſsio eſt, noſtram elegiſſe præſentiam: ubi nec violentiæ locus datur, nec avaritiæ vitia formidantur: ubi & innocentia profugium, & calumniatores ius poſſunt invenire diſtrictum.

Et

22 Et in hoc ipſum tendit Philo Iudæus, quatenus Moyſis hiſtoriam referens, qui ut in Exodo habetur, cauſas quaſdam Iſraelitici populi, cuius gubernationi à Deo præfectus fuerat, alijs delegabat; Maiores verò ſibi iudicandas reſervare ſolebat, *Maiora* (inquit) *dico negotia, non ut quidam exiſtimant, controverſias, quæ inter claros, divites, potenteſque incidunt; ſed quoties privati, egeni, obſcuri, premuntur à Potētioribus, cum nulla præſidij ſpes eſt, niſi in iudice.*

Phil. in l. de creat. princip.

Exod. 18.25.

23 Similis quoque eſt Philoni D. Bernardus, dum Eugenium Pontificem monens, in tot emergentium in tanto munere cauſarum, quas alijs committere, & quas ſuæ cognitioni reſervare deberet, ſic, poſt alia, concludit, *Cauſa viduæ intret ad te, cauſa pauperis, & eius, qui non habet, quod det: alijs alias multas poteris committere terminandas.* Vterque ſanè rectiſsimè, quia ut noſtrum oſtendit Emblema, & Caſsiodorus eleganter ſcripſit: *Fortuna minor Principem quærit, quia in vituperationem noſtram corruūt, quibus ſe publica vota ſubducunt.* Et quid quid iniuſtum à Potentioribus pauperes patiuntur, ſuper Principes cadit, & ipſorum culpæ, ac negligentiæ adſcribitur, & in illos querelæ illæ converti poſſunt, quibus Habacuc cœlum pulſavit, dum dixit: *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, devorante impio iuſtiorem ſe? & facies hominis quaſi piſcis maris, & quaſi reptile non habens Principem.*

D. Bernar. lib. 1. de conſid. ad Eugen. cap. 10.

Caſsiod. li. 1. ep. 8.

Habac. cap. 1. 13.

24 Quòd haud dubiè ad piſcium, de quibus agimus, & diximus, naturam reſpicit, inter quos infirmiores maiorum prædæ patent, & in eſcam deſerviunt, & ita in Regibus neceſſarium eſt, ut Regius Vates, vel de ipſo Deo loquens, ob hanc cauſam ab omnibus terræ gentibus adorandum canat, *Quia liberavit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum ſalvas faciet. Ex uſuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram ipſo.*

Pſalm. 71. 11. 12.

D. Bern. epiſt. 95. cap. gloria Epiſcopi 71. 12. q. 2.

25 Ad quem locum reſpiciens Divus Bernardus, ex hoc quendam Eboracenſem Archiepiſcopum laudat: *Quia maximè claruit in eo zelus iuſtitiæ, eminuit, & invaluit Sacerdotis vigor, in defenſionibus videlicèt pauperum, & pauperum, quibus non erat adiutor.* Et alia ſimilia tradentes Magerus, & Scombornerus, alijque Politici, addunt, & pluribus probant, Deum, florentiſsimam opibus, & victorijs efficere eorum Principum Rempublicam, qui tenuium, & miſerabilium curam habent, & patrocinium ſuſcipiunt. Quod Ego etiam, de Indis fovendis, & favendis agens, quibus nulli miſerabiliores eſſe poſſunt, latiſsimè proſequor, poſt Petrum Gregorium, Martham, Bobadillam, & alios concludens, ex ſuprà dictis rationibus, ſpoliationem, & oppreſsionē miſerabilium perſonarum, mixti fori eſſe.

Mager. de advoc. arm. c. 3. n. 8. & ſeqq. Scoborn. lib. 6. pol. c. 10. Saav. Emp. 57. pag. 430.

Ego 2. tom. lib. 1. cap. 27. ex n. 17.

Pet. Greg. in c. cōquerente, de offic. ord. Marth. de iuriſd. 2. p. c. 21. Bobadill. lib. 2. c. 17. n. 10. & ſeqq. Vela in c. 1. off. ord. lib. 6. n. 9.

26 Et nunc addo Divum Auguſtinum, tum Principes, tum illos, qui iudicandi officio funguntur, adhortantem: *Vos autem Iudices, qui præeſtis, iuſtiſsimè iudicate, nihil in iudicio inique agatis, nec munera ſuper innocentes accipiatis. Non ad perſonas attendatis, nec res alienas rapaci fronte accipiatis, ac diripiatis, quia de veſtris, quidvè ſuper noctem agatur, neſcitis. Pauperem vel advenam nullatenus in iudicio opprimatis, ta-*

D. Auguſt. de rect. Cathol. Conſeſ.

men-

mentes illud, quod veritas dicit, quia in quo iudicaveritis, iudicamini; & quam menſuram menſi fueritis, metietur vobis, cavete ne de vobis Propheta dicat, Veh, qui potentes eſtis in hoc mundo, qui iuſtificatis impium pro munere, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo, Veh qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Labia veſtra loquuntur mendacia; manus veſtræ plenæ ſunt iniquitate, facta eſt vobis veritas in oblivionem, & iuſtitia fugit à vobis.

Extat quoque condemnatoria ſententia in Iudices, qui à legum 27
præſcripto, aut æquali iuſtitiæ lance in iudicio recedunt, à Leone & Alexandro Imperatoribus lata, quam Iacobus Menochius in principio ſui tractatus de Arbitrarijs iudicum quæſtionibus, & cauſis, præfixit, & digna mihi viſa eſt, ut hunc etiam noſtrum honoret, & ſimul Iudices oneret, qui tot animadverſiones deſpiciunt. Illa autem ſic habet: *Exiſtimo equidem eorum neminem, qui iudiciario fungitur munere, eò unquam ſtuporis, aut inſcitiæ prorupturum, ut aliter, quàm ex præſcripto legum iudicium ſententiamvè ferre audeat. Quodſi quis in tantam evaſerit dementiam, reus peractus, eas dependet pœnas, quæ legibus ſunt irrogatæ. Sin fortè nos effugeris, pervigilem tamen atque inſomnem oculum, cui nihil non quantumlibet occultum ſit, patere poterit. Tametſi id ipſum imprecationibus quoque diriſque execrationibus ſtabilire, ac firmare, non ab re alienum cenſuimus. Inveniat itaque iſte & Deum, & cœleſtes omnes, atque incorporeas poteſtates ſibi nunquam non adverſantes. Immaturè ab hac vita excidat potius, quàm excedat. Incommodis inſuper afficiatur perpetuis. Ipſius ædium fundamenta ignis tandem devoret, & poſteritas eò redigetur inopiæ, ut panem oſtiatim quæritet. Atque hæc iure ſanè optimo, propterea quòd leges, quas liberrimas eſſe oportuit, ſervas quodammodo atque captivas effecit, fictorum, pravorumque iudiciorum.*

Legum munia, Vrbium mœnia.

EMBLEMA LXVI.



Cingit in abruptos oculata cuſpide muros
Valliorum artifici texta corona manu
Lex oculus; lex vallum fit, ſine legibus ergo
Victima, Captivus, Fabula, Cæcus eris.
Vrbibus & Regnis leges cuſtodia firma,
Dum Reges recte munia perficiunt.

COMMENTARIVS.

1 NON ſatis eſt iuſtitiam, rectamque, & æqualem eius adminiſtrationem, & diſtributionem Principibus ſuaſiſſe, niſi pariter ſciant, ſui quoque muneris eſſe, iuſtas, aptas, temporique, locis, & rationi cõformes leges ſuis populis ferre, & ſemel latas iugiter obſervare. In his enim ipſius iuſtitiæ libra, norma, regulaque conſiſtit, factæque ſunt (ut D. Iſidorus ait) ut earum metu humana coërceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis, formidato ſupplicio, refrænetur nocendi facultas. Vel iuxta Martianum I. C. ad compoſitionem communem civitatis, ſecundùm quam omnes decet vivere, qui in civitate ſunt. Poſtquàm, ut Salluſtius, & Tacitus inquiunt, a veterum Mortalium, & priſcorum Romanorum ſanctis moribus deſciverunt, apud quos ius bonumque non le-

D. Iſidor. 7. etym. cap. 20.

L. 2. D de legib.

Salluſt. in Catil. c. 9. Tacit. 3. annal. cap. 26. vide Berneg. q. 113.

gibus magis, quàm natura valebat. Et nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eòque ſine pœna, aut coërcitionibus agebant: neque præmijs opus erat, cum honeſta ſuoptè ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. Quod & Ovidius, Sæculum Aureum deſcribens, his carminibus eleganter expreſsit,

Ovid. 1. Metam.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidum rectumque colebat:
Pœna metuſque aberant, nec vincla minantia collo,
Aere ligabantur, nec ſupplex turba timebat
Iudicis ora ſui, ſederant ſine iudice tuti.

Marq. in gub. Chr. lib. 1. c. 17. §. 2. pagin. 101. & ſeqq. Iun. q. 86. Borrell. de præſt Reg. Cat. c. 3. n. 86. Coning. in Theat. pol. 2. p. c. 2. ex pag. 11. Berneger. q. 112. latè Salas de legib. diſp. 6. ſect. 2. pag. 100. Saaved. Empr. 21. ex pag. 134. Petit. de Princ. lib. 3. c. 9. pag. 226.

2 Etenim, licèt nõ defuerint aliqui ex Politicis, quos Mag. Marquez, Melchior Iunius, Camillus Borrellus, Reinhardus Coningus, noviſſimus Bernegerus, & alij recenſent, qui auſi fuerint exiſtimare, in civili hominum ſocietate legibus ſcriptis opus non eſſe, ſed omnia prudentium Gubernatorum arbitrio committi debere, qui ex temporum, locorum, perſonarumque circumſtantijs, & differentijs, ſecundùm naturalis rationis iudicium, quid in re qualibet probandum, & admittendum, quidvè reprobandum, ac prohibendum, deliberent, & ex bono & æquo lites, ac controverſias hominum dirimant. Quo fortè reſpexit Caligula, qui Suetonio teſte, ſæpè iactavit, *Se ſcientiæ Iuris Conſultorum omnem quaſi uſum aboliturum, effecturumque, ne quid reſpondere poſſent præter Æquum,* ſive *Eum,* aut *Eccum,* ut alij legere malunt.

Suet. in Calig. c. 15

Beroal. Caſaubon. & Scalig. in notis Hottom. 3. obſ. c. 10. Carrāça de partu, pag. 122.

3 Contraria ſententia, tam prædictis Auctoribus, quàm multis alijs magis probatur, longè rectius cenſentibus, & docentibus, nunquam quibuſvis Magiſtratibus, quantumvis gravibus, ſimilem libertatem, ſeu facultatem concedi oportere, quin potiùs legum præſcriptis vinciri debere, præſtareque, iuxta doctrinam Ariſtotelis: *Eas dominari, quàm unum quempiam ex civibus. Qui enim legem imperare iubet, is Deũ iubet imperare; qui verò hominem, belluam adiungit.* Qui & ipſe alibi etiam docuit, *Nullam eſſe Rempublicam, ubi leges non tenent Imperium.*

Simanc. Cõtz. Menoch. Maſtril. Valenç. & alij, quos refero, & ſequor 2. to. lib. 4. c. 12. n. 55. & ſeqq.

Ariſt. 1. pol. c. 12.

Idem 4. pol. 4.

4 Quem ſequutus Cicero, poſt plura, quæ de earundem commendatione diſſeruit, ſeriò affirmat, *In illis Reipublicæ nervos, libertatis fundamentum, fontem æquitatis, mentem, animum, conſilium, ſententiamque civitatis conſiſtere; eumque, qui ius civile contemnendum putet, vincula revellere, non modò Iudiciorum, ſed etiam utilitatis, vitæque communis.* Et Demoſthenes, & Chryſippus à Martiano I.C. relati, poſt alia multa, ob quæ oporteat legibus omnes homines obedire, illud conſiderant, quòd *Lex ſit inventio quædam, & donum Dei, decretum autem hominum ſapientum, ac proinde, ut omnium divinarum, atque humanarum Reginam, & bonis, & malis præſidere oportere, & ducem eſſe, iuſtorumque, & iniuſtorum regulam, præceptricem quidem faciendorum, prohibitricem autem non faciendorum.*

Cicer. in orat. pro Cluent. & in orat. pro Cecin.

Mart. in d. l. 2. D. de legib.

5 Ad quam item obedientiam reſpiciens Henricus Oræus hoc Emblema formavit, ſub titulo, *Obedientia holocauſtomate potior.*

Oræus Icone 11.

Nam.

Nempè Magiſtratum ſubiectum legibus eſſe,
Promta mente Ducum iuſtaque iuſſa ſequi:
Sponteque mandato, & patienter munere fungi,
Conveniunt patriæ civibus iſta bonis.

Et Salvianus elegantiſsimè Nobis leges Antidotum eſſe inquit, quibus eſt vitioſitas venenum, & ſanare nos poſſe legis antidotum, quos occidunt venena vitiorum, id eſt, ſi legi non obedientes, ei recalcitremus. Vbi eius Scholiaſtes Livium ad idem allegat, & hoc verſu Salviani ſententiam donat, Salvianus lib. 4. de gub. Dei, poſt princip. ubi Ritershuſ.

Antidotum lex eſt, vitioſaque vita venenum.

6 Hocque in cauſa fuiſſe videtur, ut & Legislatores ipſi, vel Dij ab Ethnicis appellari ſolerent, vel Deorum certè numero, ac loco habiti fuerint, ut latè Cœlius Rhodiginus oſtendit, & Virgilius de Saturno, qui primus Italiæ populis leges dedit, ſic canens: Rhodig. lib. 18. cap. 19. Virg. 8. Æneid.

Saturni gentem haud vinclo, nec legibus æquam,
Sponte ſua veteriſque Dei ſe more tenentem.
Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo,
Is genus in docile, & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit.

7 Ceres quoque, tanquam Dea legifera, ſeu quæ prima, ut triticum, ita & leges hominibus dederit, apud Poëtas paſsim, & alios Auctores celebratur, inter quos Ovidius ſic habet, Ovid. 5. Metam.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.
Prima dedit leges: Cereris ſunt omnia munus.

Et Virgilius: Virgil. Æneid. 4.

---------- *Mactant lectas de more bidentes*
Legiferæ Cereri.

Vbi Servius, poſt Diodorum, & Plinium, docet, hanc ob cauſam ei ſacra Theſmophoria, id eſt *legiferalia*, fuiſſe dicata, hocque ideò confictum: *Quia ante inventum frumentum à Cerere, paſsim homines ſine legibus vagabantur, quæ feritas interrupta eſt, invento uſu frumentorũ, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt iura.* Et conſonat Cicero, qui, Cereri Proſerpinam eius filiam utriuſque inventionis ſociam faciens, ſic inquit: *Ab his initia vitæ, & victus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis exempla, hominibus, & civitatibus data, ac diſpertita eſſe dicuntur.* Serv. ad Virg. ſup. Diod. lib. 6. Plin. lib. 7. Cicer. act. 6. in Verrem.

8 Vt ſic interim omittam Mercurium, qui Thebis, Herculem, qui Celtis, Zoroaſtrum, qui Perſis, Minoem, qui Cretenſibus leges dederunt. De quo ultimo narrat Plato, novem annos in antro latuiſſe, ut illas meditari, & divino Numini Iovis patris ſui acceptas ferre poſſet, quo in annorum numero Marſilius Ficinus novem Angelorum Hierarchias denotari ait, per quas Deus ſolet leges hominibus communicare. Quod & agnoviſſe videntur alij Legislatores, qui ut varij Plato 1. de legib. & in Minoe Diod. lib. 1. c. 5. Ficin in Plat. ſup.

Au-

Auctores recenſent, leges quas tulerunt, à varijs ſe Numinibus accepiſſe, ſuadere conati ſunt, ut Zaleucus Locrenſium Legislator, qui ſe Magiſtra Minerva uti dicebat, Lycurgus, qui Lacedæmonios legibus inſtituens circa primam Olympiadem, leges ſuas ad Delphicū Apollinem retulit, ut & Charondas Carthaginienſium Legislator in Saturnum, Zamolxis Scytharum in Veſtā. Solon, qui poſtea Athenis leges ferens, eas quoque Palladis inſignijt auctoritate: Numma Romanis, qui Ægeriam Nympham ſibi ad aurem inſtillaſſe cōfinxit. Quod nec perfidus & ſpurcus Mahumedes omiſit, in Gabrielem Angelum referens leges, quas ſuis Arabibus dedit, ut latiùs in libro de eius doctrina refertur.

Herodot. li. 1. Plato, & Diodor. ſup. Valer. Max. lib. 2. Cicer. 2. de legib. Ælian. de var. hiſt. lib. 2. Halicarn. lib. 2. Livius lib. 1. Plutarch. in Num. latan. 1. c. 22. Rhōdig. d. c. 19. Gloſſa verb. *Divin*, in l. fin. C. de long. tēp. præſcrip. Spinaſat. in Polit. fol. 5. & 6. Queſada q. 16. n. 2.

Et ad hanc conſuetudinem non ineptè alluſit ille, qui dixit, 9

Cecropio Pallas dictat pia iura Soloni.
Quæ dat Amiclæo Phœbus Apollo viro.
Quas dedit Idæis leges Gortynius Heros
Acceptas patri retulit ipſe ſuo, &c.

His facilè plura alia addere poſſem, quæ paſsim ab alijs Politicis Scriptoribus de earundem legum utilitate, & neceſsitate verbis ampliſsimis proferuntur, inter quos Dio Chryſoſtomus, qui latiſsimam de eis orationem ſcripſit, ſic incipit: *Lex autem eſt dux vitæ, & civitatū præfectus communis, negotiorumque iuſta regula, iuxta quam quicquid dirigere oportet eodem modo: ſin minùs parva erit & cura. Hanc qui obſervant, ſalvi permanent: qui autem tranſgrediuntur, primùm quidem ſe ipſos perdunt, deinde & alijs ſeſe exemplum, & imitamen iniquitatis atque violentiæ exhibent, &c.* 10

Pet. Greg. de Rep. lib. 10. c. 5. Contz. 1. Polit. c. 23. & li. 5. c. 1. & ſeqq. Siman. lib. 4. de rep. c. 18. & lib. 9. c. 7. Phil. Camer. 3. ſubceſ. c. 44. ex pag. 152. Ritherſ. ad Novel. ex pag. 120. Alphab. curioſitat. 2 p. fol. 105. Lipſ. in monitis politic. lib. 2. cap. 10. Saaved. Emp. 21.

Sed omitti non poteſt nobile, licèt vulgatum Apophtegma Pittaci Mitylenæi, à Plutarcho, & alijs relatum, qui à Creſſo interrogatus, quod eſſet maximum Imperium? Reſpondit, *Varij ligni.* Leges ſub hoc ænigmate denotās, quæ olim in dolatis lignis, ſeu tabulis, aliquādo etiam æreis, aut lapideis, ſcribi, ac proponi ſolebant, ut ab omnibus legi, ac conſpici poſſent, ut ex multis iuribus conſtat, & apertè poſt Plinium docet Horatius, dum dixit: 11

-------- Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis:
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Ovidius ſuprà citatus, *Ære ligabantur.* Et venuſtiſsimè Plautus, ſic queſtus: *Mores leges perduxerunt iam in poteſtatem ſuam;*
En miſeræ etiam ad parietes ſunt fixæ clavis ferreis,
Vbi malos mores affigi, nimio fuerat æquius.

Plutarc. in Apoph. Laert. in Pittac. li. 1. cap. 5. L. 2. de orig. iur. l. 1. de bon. poſſ. ſecund. tab. l. 1. C. de frum urb. cōſt. Plin. lib. 34. cap. 9. Horat. in Art. Poetic. latè Beyerl. in Theatr. litt. L. ex pag. 60. Ovid. 1. Metam. Plaut. in Trinum.

Vnde & ipſas leges, non ſolùm *à ligando*, verùm & à *legendo*, hoc nomen ſumere potuiſſe, plures exiſtimant, quos latè Ioannes de Salas, Ioannes Fungerus, & alij recenſent. Tantique eas fecit Imperator Leo, ut *Oculos Reipublicæ*, his verbis appellitaverit, *Nam qui leges Reipublicæ oculos eſſe dixerit, is profectò, mea ſententia, illas ita vocans, nihil indecens pronuntiaverit. Quemadmodum enim res maximè neceſſaria* 12

Salas de legib. diſp. 1. ſect. 1. Funger. in etymol. verb. *Lex*, Beyerl. ſup. pag. 70. Leo Imp. Nov. 19

eſt animali non titubans oculus, ita & Reipublicæ legum æquus, & rectus ſtatus.

13 Ex quibus ſimul iunctis Pitacci, & Leonis dicterijs, Nos, ad ſignificandam, & ſuadendam legum virtutem, utilitatem, & neceſsitatem, præſens, quod cernis, Emblema formavimus, urbem nimirum depingentes, robuſtis lignorum palis, oculos in cuſpide habentibus, undique vallatam & circumſeptam, qui vulgò *Eſtacada* dicuntur, & etiam *Valuartes*, a vallis, quibus caſtra cingi, muniri, ac defendi ſolebant, ſic appellati, ut ex hoc intelligi poſsit, nullum validius, ac præſtantius munimentum, & fundamentum ad ipſarum urbium tutamen, & conſervationem excogitari poſſe, quàm bonarum legum prudens mentibus civium infixio, earundemque exacta, & providens obſervatio.

Quo quidem ſymbolo, (ni Nos noſtra fallit opinio) aptius & congruentius ſuprà tatum intentum deſignamus, quam illo alio Pierius, qui coronam, legum indicium dici, tradit, propterea quòd certis eſt vinculis complicata, quibus vita noſtra veluti religata coërcetur. Et iugum etiam, aut frænum (quo Noſter quoque Saavedra noviſsimè utitur) quòd his vita hominum, alioqui laſcivientium, iuxta Regij Vatis monita, ſubiugetur, & conſtringatur; & Poëtæ qui dixit:

Pier. lib. 41. fol. 304.
Idem Pier. lib 48.
Saaved. Emp. 21.
Pſal. 31. 9 & 2 3.

Noſti? Equus eſt populus, tu inſeſſor, frænaque leges.

Etenim, quòd leges potiora, & validiora urbium mænia eſſe dicamus, ultra Pittaci Apophthegma ſupra relatum, ſimili alio Ageſilai, & Pompei Magni fulcitur, qui in legibus etiam, magis quàm in haſtis, & gladijs, civiumque fortitudine earundem urbium ſecuritatem, & defenſionem poſitam eſſe reſponderunt. Heracliti, qui Laërtio narrante, dicebat, cives non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mænibus: *Quòd abſque legibus nullo pacto poſsit eſſe civitas incolumis, abſque mænibus poſsit.* Quibus cohærens Solon, percontatus, quo pacto ſalva poſſet eſſe Reſpublica? reſpondit, ut Maximus Tyrius recenſet, ſi cives quidem Magiſtratui obediant; Magiſtratus autẽ legibus. Sentiens ſic ſapientiſsimus vir, eam civitatem conſervari nequaquam poſſe, ubi ex utraque parte legum neglectus ſit.

Coning. 2. p. c. 16. pag. 117.
Laert. lib 9 cap. 1.
Pet. Greg. de Rep. lib. 10. c. 2. n. 3.
Max. Tyr. ſer. 50.
Ant. in Meliſſa p. 1. ſerm. 67. Stob. ſermon. 41.

14 Vnde & Salomon in Proverbijs, viros iuſtitiam, ac leges amantes, & obſervantes, in turri fortiſsima, quæ eſt nomen Domini, defendi, & exaltari, nos docuit, & veteres, Cererem ipſam, quam ſupra legiferam, & frugiferam diximus, Turritam depingebant, quaſi urbes & homines his muneribus coëgerit in unum, & ad ſociabilem, ſecuram, & rationabilem vitam reduxerit. Summuſque Poëtarum Virgilius, Iovem inducens, de Æneæ fœlicitate vaticinantem, ſic fatur:

Proverb. 18.
Giral. de Dijs Gẽt. ſyntagm. 14.
Virg. Æneid. 1. verſ. 267.

Bellum ingens geret Italiã, populoſque feroces
Contundet, moreſque viris, & mænia ponet.

Legum, ut vides, ac morum, primo loco mentionem faciens; ut ſic oſtendat, harum quoque lationem, & rigidam obſervationem, mænijs anteriorem, & utiliorem in urbibus eſſe, ut benè Modernus quidam animadvertit, & Plautina illa virgo, quæ dixit,

Ioan. Caramuel de inſign. Hiſpaniæ, pag. 207.

Plaut.in Perſa act. 4.

Oppidum ſi incolæ benè ſunt morati, pulchrè munitum arbitror, &c.
Hæc niſi aderunt centuplex murus rebus ſervandis parum eſt.

L.3.tit.10.par.2.

Et ne perambages ambulare videamur, eandem vallorum noſtri 15
Emblematis, & legum comparationem, expreſsè obſervavit Alfon-
ſus Rex noſter, in quadam ex ſuis legibus, ſic cum Ariſtotele inquiens:
Edize, que el Reino es como buerta, è el pueblo como arboles, è el Rei es
Señor de ella, è los oficiales del Rei (que ban de juzgar, è ban de ſer ayu-
dadores à complir la juſticia) ſon como labradores; los ricos omes, è los Ca-
valleros, ſon como à ſoldados para guardarla; è las leyes, è los fueros, è
los derechos, ſon como valladar que la cerca; è los Iuezes, è juſticias,
como paredes, è ſetos, porque ſe amparen, que non entre ninguno à fazer
daño, &c.

Sup.Embl.54.
Orus lib.4.
Plut.de Iſid. & Oſirid. Cauſin.in Poliſth.Sym. lib.2. c. 68.

Quod autem in vallorum apicibus, veluti pro cono, oculos addide- 16
rimus, ultra Leonis Novellam, quæ leges oculis æquat, ſeu ſimiles fa-
cit, non ſolùm ad Magiſtratus reſpicimus, qui leges vivæ, & videntes,
ac proinde oculi Reipub. dici ſolent, ut ſuprà in alio Emblemate di-
ximus, ſed etiam ad Ægyptiorum myſterium, qui ut poſt Diodorum
Siculum Orus Apollo in ſuis Hieroglyphicis tradit, per oculum pi-
ctum, Deum demonſtrabant, ſive legum iuſtitiæque ſervatorem, unde
& in Sceptris ſuorum Regum, poſt Oſirim, oculum imponebant, ſic
Regum & legum vigilantiam, & moderationem, ut ex Plutarcho Cau-
ſinus refert, ſignificantes, qui oculo vident, Sceptro regunt, quæ præ-
viderunt, & cum, ut ait Plato, ſuis popularibus veluti Dij ſint, rectè
eiſdem proſpicere debent.

Valer.lib.7.cap.2. §. 8. Laert. in vita Thal.& Cic.2.off.

Quod, ut Valerius Maximus inquit, mirificè etiam expreſsit Tha- 17
les Mileſius: *Nam interrogatus, an facta hominum Deos fallerent? Nec*
cogitata inquit. Vt non ſolùm manus, ſed etiam mentes puras habere vel-
lemus; cum ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credidiſ-
ſemus.

Ariſt.1.pol.3.&7. 14.
Iuſt.Imp.in Proœ. Inſtit.in princ.
Sup.Embl.26.
Gregor. Lopez in Proœm.p.3.verb. *De leyes.*

Et planè, cum ſecundùm doctrinam Ariſtotelis, omnis hominum 18
vita in duo tempora, belli nempè & pacis diſtribuatur, non minùs in
hoc legum cura, quàm armorum in illo præſidium, his, qui Rempu-
blicam ſalvam, ſartam tectamque eſſe volunt, neceſſaria eſt, quod &
Iuſtinianus Imperator, vel pueris notus, edocuit, dum Imperato-
riam, inquit, Maieſtatem, non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legi-
bus armatam eſſe oportere, ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis
rectè poſsit gubernari, de quo loco iam aliqua ſuprà in alio recolui.
Et de Tertiæ partitæ Proœmio, quod cum eo in omnibus conſonat,
ubi Gloſſator Gregorius, ita in noſtris terminis inquit: *Fundamentum*
civitatis, magis ſtat in legibus, quàm in lapidibus, & muris l.2. §. & po-
ſteà, & ibi Baldus de orig. iur.

Cic. 1.off. & latè Camerar.1.to. ſub ceſ.cap.2.

Et nunc Ciceronem addicio, poſt longam diſputationem aien-
tem, Lacedæmoniorum Imperium, multò plus Lycurgi legibus, &
diſciplinæ debere, quàm aut Pauſaniæ, aut Lyſandri rebus geſtis:
quorum tamen virtute magnopere illud dilatatum putabatur, *Par-*
vi enim (inquit) *ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi*, *neque mino-*

rem

rem utilitatem adferunt, qui togati Reipublicæ præſunt, quàm qui bella gerunt.

19 Quam ſententiã Ciceronis æmulatus Valerius Maximus, ſic dixit: *Quid enim prodeſt foris eſſe ſtrenuũ ſi domi malè vivitur? Expugnentur licèt urbes, corripiantur gentes, Regnis iniiciantur manus, niſi foro & curiæ officium, ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus, ſedem ſtabilem non habebit.*

Valer. lib.2.cap.9 de cenſ. ſever. in princ.

20 Et poſt Demoſthenem, qui latè in eodem argumento diſcurrit, in idem tendit Seneca Tragicus inquiens,

Demoſt. orat. Olint.2.

-------------- Vbi non eſt pudor,
Nec cura iuris, ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile Regnum eſt.

Senec. in Thyeſte, Act. 1. Scen. 1.

Et Caſsiodorus, ſub nomine Theodorici Regis, ſic inquiens: *Delectamur iure Romano vivere, quos armis cupimus vendicare: nec minor nobis cura eſt rerum moraliũ, quàm poteſt eſſe bellorum. Quid enim proficit barbaros removiſſe confuſos, niſi vivatur ex legibus.* Et iterum: *Propoſiti noſtri eſt, ut provincias nobis Deo auxiliante ſubiectas, ſicut armis defendimus, ita legibus ordinemus, quia ſemper auget Principes obſervata iuſtitia. Et quantum probabili inſtitutione vivitur, tantùm provectibus aggregatur.* Quod iam ipſum eſſe videtur, ac illud D. Ambroſij: *In caſſum contra exteriores inimicorum campos bellum geritur, ſi intra urbis mœnia ius inſidians habetur.* Et Accurſij, dum leges, & legiones duo mundi brachia appellavit.

Caſsiodor. lib.3. epiſt.43.
Idẽ lib.4. epiſt.12.
D. Ambroſius.
Accurſ. in l.1. in princ. C. de Iuſtin. Cod. confirm.

21 Civitatis quippè legibus cõſervatis, ſalva quoque populi dominatio eſt, ut Æſchines dicebat, contra verò illis deficientibus, vel parvi factis, Rempublicã non eſſe Rempublicã, nec Regna diutius conſiſtere, nec inter homines & belluas aliquam differentiam eſſe, quia idẽ præſtant, quod clavus in rota, rectè poſt Platonẽ Plutarchus ſcripſit. Satiſque Perſarum Reges cognoviſſe videntur, qui, ut iam ſuprà in alio Emblemate tetigi, poſt aliquot dies à mortuo Rege, populum legibus ſolutum eſſe ſinebãt, ut ex damnis tunc occaſione laxationis eiuſmodi contingentibus, in poſterum diſceret, melius eſſe earum vinculis compediri, & libertatem libertate nimia perire ſolere. Neque enim ſublata libertate leges, neque ſublatis legibus poteſt eſſe vera libertas.

Æſchin. in Theſiphon.
Plat. 1. de leg. Plutar. contra Colot.
Sup. Embl. 20.

22 Et pleniùs Themiſtius, tradens, Lycurgum, de quo modo loquuti ſumus, poſt leges Spartanis datas, Delphos ædem Apollinis ingredientem, à Pythia Deum compellatum fuiſſe; huncque honorem, non tam ei exhibitum ab oraculo, ob victorias, & alias res præclarè ab eodem Lycurgo geſtas, quas ibi latè commemorat; ſed quòd iuſtitiam, ſimul cum clementia iunctam, amaverit, ſuiſque factis exhibuerit, & cum Spartanam Rempublicam, ſine ullis legibus perturbatiſsimam, & bellorum tumultibus refertam accepiſſet, ſubinde eam pace, atque optimis legibus undequaque repleverit.

Themiſt. orat. 5. in princip.

23 Veteres quoque poſt Chryſipum, ut eandem legum neceſsitatem,

non minùs quam armorum, Reipublicæ conducere demonſtrarẽt, iuſtitiæ ſimulachrum in fœmina exhibebant, quæ dextra mamma puellum unum, ſiniſtra alterũ collactabat, ſic in Republica belli, ac togæ, ſive legum, duplex præſidium requiri ſignificantes. Vnde Petr. Coſtalius primum ex ſuis Pegmatis finxit, ita inquiens,

Coſtal. peg. 1.

Quæ Dea, quæ binos gemino fovet ubere fœtus,
Et pia ſollicitæ munera matris obit?
Iuſtitia eſt, penſo charæ perfuncta parentis:
Dextra fovet bellum, mamma ſiniſtra togam.

Cicer. pro Milone. Senec in Herc. furent. Valer. lib. 5. c. 2. Aiala de iure belli, lib. 2. cap. 5. n. 7. Ego 1. to. li. 3. c. 6. n. 44. & ſeqq.

24 Et ſtatim adnectit, quòd quamquã vetus fuerit Ciceronis, multorumque aliorum ſententia, leges, & iuſtitię univerſæ ſeminaria, inter arma conquieſcere; atque ubi intonuerit claſsicum, præſtãtiſsima illa pacis legum, & togæ ſtudia de manibus excuti, illud tamen reliquum eſſe, militiæ vincula ſuas quoque leges deſiderare, & in utroque tempore multum earum prçſtantiam excellere. Cum neque inter latrones, ſemotis illis, ſocietas, ut ſuprà diximus, conſiſtere poſsit, & ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitas ſine lege, ſuis partibus & nervis, ac ſanguine, & membris uti non valeat.

Rhodig. lib. 18. c. 19.

25 Quamobrem Plutarchus à Cœlio Rhodigino laudatus: *In civitatibus* (inquit) *alia ad honeſtatem pertinẽt, quædam & ad neceſsitatẽ. Honeſtorum verò omnium illud maximum eſt Eunomia, id eſt legum bonitas; neceſſariorum autem Euporia, id eſt rerum affluentia.*

Solon. apud Spinaſat. li. 1. polit. c. 4.

26 In quod recidit, & illud Solonis, ab Albano Spinaſato relati,

Quàm legum improbitas urbes offendere ſolet,
Tam paria concinnaque facit Eunomia cuncta.

Et Ioviani Pontani prudentiſsimè inquientis, facilè nos cognoſcere poſſe, quantum utilitatis afferat legum obſervantia, & obedientia: *Si cõſideremus, in qua Republica, nec Magiſtratibus, nec legibus honor habetur, eam diu ſalvã eſſe non poſſe, quando ſalus tranquillitaſque civitatis in ſervandis legibus ſita eſt omnis. Quare quæ obſervantia eſſe poteſt, ubi & vitia in pretio ſunt, & Magiſtratus contemnuntur? Quorum contemtus civilium omnium malorum origo & fomes eſt, &c.*

27 Id quod Romulus etiam oſtendere voluit, dum ita acriter in Remũ fratrẽ animadvertit, non tam quòd urbis muros lapideos tranſilijſſet, quàm leges de eis non trãſiliendis datas, quæ ut diximus, potiora, & ſecuriora urbium mœnia eſſe iudicantur. Ad quod tendunt carmina Guntheri, ita in ſuo Ligurino loquentis,

Gunter. in Ligur. lib. 1.

Audierat fortaſſe puer generoſus, ut olim
Ille ſuæ primus Regnator Romulus urbis,
Conditor Imperij, teneras infringere leges,
Atque humiles auſum ſaltu tranſmittere foſſas,
Iuſſerat ultrici fratrem ſuccumbere morti,
Dum cupit æterni fundamina ponere Regni.

Caſsiodor.

28 Eſt quoque in eandem rem menti ſemper tenenda Caſsiodori ſen-

tentiã, qui in hac obedientia legum, nunquam in exceſſu peccari inquit, neque axioma illud, *Ne quid nimis*, toto orbe famoſum, locum habere, *Sic enim eſt neceſſaria, ut ſedula nõ ſufficiat, ſed nimia omninò exigatur.* Qui & ipſe alibi, veluti ad ſepimentum Emblematis noſtri reſpiciens, quod ex legibus fecimus, in eodem etiam civitatum & civiũ plenam ſecuritatem conſiſtere, ſic oſtendit, *Non ſit Novitas moleſta, quæ proba eſt: quid enim poteſt eſſe fœlicius, quàm homines de ſolis legibus confidere; & caſus reliquos non timere? Iura publica certiſſima ſunt humanæ vitæ ſolatia, infirmorum auxilia, potentum frena. Amate, unde & ſecuritas venit, & conſcientia proficit.* Et rurſus: *Hinc eſt, quod legum reperta eſt ſacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu. Quis enim à bellica confuſione pax tranquilla diſtabit, ſi per vim litigia terminentur.* Quod etiam prius dixiſſe comperio Imperatores Honoriũ & Theodoſium, vel Iudæos ipſos, & alienæ Religionis homines, ſub hac tutela his verbis conſtituentes: *Idcircò tamen iudiciorum vigor, iuriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.*

Idẽ lib. 3. epiſt. 17.

Idẽ lib 4. epiſt. 10. cocordat l. nemo.

L. nullus, C. de Iudæis.

29 Et ut iam me ab ijs expediã, contẽtus ero Matthæi Scholaſtici verba referre, qui æquè, ac Nos diximus, inquit: *Sunt enim leges muri, & fundamẽta civitatũ, in quibus bonos quã diutiſſimè detinent, malos arcẽt, & ijs appropinquare non ſinunt. In his ſalus bonorũ, in his conſilia civitatis, in his pacis præſidia continentur. Quòd ſtamus, quòd incedimus, quòd dormimus, ac denique quòd ſecuri vitam agimus, id totum eſt legũ defenſioni attribuendũ. Quæ niſi ſceleratorũ hominũ libidines, & avaritiã cohiberent, nõ mulieres pudicas, nõ agros, nõ domos, nõ vitã tutã haberemus, &c.*

Scholaſt. de vero & Chriſt. Princip. lib. 1. c. 2. pag. 6.

30 Vnde prudenter admodum Aurelius Alexander Papiniani reſpõſum, quo legem definiens inter alia inquit: *Communẽ civitatis ſponſionem eſſe*, ita explicat, ut his verbis demõſtrare voluerit, legis beneficio omnes eſſe ſecuros, ut tranquillitatis publicæ certum præſidium ei debeat accepto ferri; quaſi fideiuſſorio nomine ſalutem civium in ſuã fidem recipiat, & in omnibus, quæ contra æquitatẽ in tot humanis erroribus fiunt, defenſionis ſuæ munimentum ſpondeat. Ad illam quippè provocant, qui premũtur iniurijs; in legum quieto ſinu beatus tranquillitatis publicæ ſtatus acquieſcit. In eius tutela ipſa æquitas, cæterarum domina virtutum moratur, atque inde operam ſuam ſublevandis hominum calamitatibus repromittit. Itaque illa demũ civitas rectè conſtituta eſſe cenſetur, quæ optimis legibus, tanquam fundamẽtis firmiſsimis in ſpem certiſsimæ ſalutis aſſurgit.

Alex. Aurel. in Axiom. pol. pag. 92.

L. 1. D. de legib.

31 Quæ cũ ita ſe habeant, & ex bona ac provida legũlatione, & obſervatione ita uberes fructus in Republica colligantur, id vel ipſum efficere debet, ut Reges ac Principes ſummopere curent, maturũ conſiliũ in illis promulgandis adhibere. Nam erroneæ, & in conſultæ plus dãni afferunt, quàm homines occidere, ut graviter Petr. Gregorius obſervat. Claras quoque & breves eſſe curare debẽt, & quæ iubeant, nõ diſputent, quò facilius ab imperitis teneãtur, & velut emiſſa divinitus oracula ſint, ut Seneca inquit, ſtatim adiiciens, *Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quàm lex cum prologo.*

Petr. Greg de Repub. lib. 10. cap. 5. n. 18.

Senec. epiſt. 95.

Necnon item,ne adeò ſint multæ,ut ſua numeroſitate laborẽt. Nã 32
& hoc ipſarum contemtum,oblivionem,&,quòd ſæpè accidit, cõtra-
dictionem,ac perplexitatẽ inducit.Malèque ſe habere myſticũ Reipu
blicæ corpus oſtendit,ut infra latiùs dicemus. Et cum impoſsibile ſit,
ita leges ſcribere,ut omnes caſus,vel articulos,qui quãdoque accide-
rint,cõprehendere poſsint,ut benè Iulianus I.C. prævidit, ſatius eſt,
ut idem indicat,eas in pauca contrahere,& iuſti Dominatoris,vel pru
dentis Iudicis determinationi,futuros caſus relinquere,quàm dũ om-
nes prævenire ſingulis legibus volumus,omnes pariter earundẽ mul-
titudine,aut cõtrarietate cõfundere,& obſcurate. Quã doctrinã Iulia-
nus ab Ariſtole ſumſiſſe videtur,expreſsè monẽte: *Nihil adeò,ut leges
poſitas,debere dominari,eas verò iuſtas eſſe,quæ ad Reip. ſpeciẽ fuerint ac-
commodatæ. Illũ autẽ,qui eidem Reip. præeſt,ſive unus hic ſit,ſive plures,
debere in his poteſtatẽ habere, in quibus leges expreſsè cavere non poſſunt,
ex eo,quia non facilè ſit,generali ſermone ſingulos caſus comprehendere.*

Infr. Embl. 68.
L. neque leges, cũ ſeqq. D. de legib. conſonat l.1.tit.3. par.7.
Ariſt.3. polit. c.7. in fin.

Neque ab ea diſcrepat Seneca,rectiſsimè docens,quid fieri ſoleat, 33
aut quid oporteat,in univerſum,& mandari poſſe & ſcribi, & tale cõ-
ſilium,non tantùm abſentibus, ſed etiam poſteris dari: *Quædam verò*
(inquit) *non niſi à præſente monſtrantur. Non poteſt Medicus per epiſtolas
cibi,aut balnei tempus eligere,vena tangenda eſt. vetus proverbiũ eſt,gla-
diatorem in arena capere conſilium. Aliquid adverſarij vultus,aliquid ma
nus mota,aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet,&c.*

Senec. epiſt. 22.

In ſemel etiã latis legibus conſervãdis, magnam quoque cautionẽ 34
adhiberi debere, ſatis iam ſupra probatũ reliquimus, illud, inter alia
Cleonis,ſive Thucydidis adducentes,qui multò meliorem ſtatum ci-
vitatis eſſe dicebant, quæ licèt deterioribus, firmis tamen legibus
utitur, quàm illius, quæ bonis quidem,ſed irritis,aut facili mutationi
ſubiectis. Quod,etiam ſi alia plura damna deficerẽt, quæ inde ſubſe-
qui ſolent, de quibus alibi dixi,vel ob ſolam notam variationis,& in-
conſtantiæ (valdè quidẽ in Principibus,& Senatoribus, quorum cõ-
ſilio eiuſmodi leges fiunt,vituperabilis,& erubeſcẽdæ) ſemper ac fie-
ri poteſt,excuſari debet,ut pluribus plures oſtendunt,quos alio etiam
in loco recenſui. Et his noſtris calamitoſis temporibus repetere opor-
tebit,in quibus leges ephimeras vidimus,& prius ſæpè in populum la-
tas,quàm an populus eas ferre poſſet,vel tempori aptæ, atque effectu
& executione promptæ eſſent, diligenter inſpectum fuiſſet.

Sup. Embl. 51.
Dict. Embl. 51. & in 2.to.lib.2.c.30. ex n.99.
L. fin in fin. C. de modo multar. Burgos de Paz, Cochier, Calliſt. Ramir. Perot. Valẽz. & alij apud Med. 2.to.lib.4. c.12.n. 72 vide latè Beyerlinch. verb. *Leges*, pag.61.& ſeqq. doctè, & copioſè D. Ioan. Matienz. in tract. de mutat. legum.

De quibus omnibus, qui plura velit, adire poterit pleniſsima ſcri- 35
nia Patrum Franciſci Suarez,Ioannis de Salas, Antonij Velazquez,
& aliorũ,qui peculiariter de legibus ſcripſerũt. Mihi ad huius Emble-
matis illuſtrationem hæc tetigiſſe ſufficiat ,& colophonis loco ad lit-
teram Natalis Comitis verba referre, qui inter alias cõditiones legis,
eius immutabilitatem, ſive perpetuitatem deſiderat, interim dum in
totum ratio iuſtitiæ,eius conſtituendæ, non defecerit , & ſtatim val-
dè cohærenter ad id quod modò de erubeſcenda legũ facili varietate
pupugimus, ſic ſignatiſsimè inquit: *Cum lex ſit unicum fundamentũ Re-
rum publicarum,turpe eſt,& puerile in Regno delirare, Ebrioſorũque mo-
re,modò huc,modò illuc fluctuare, aut ſæpius tanquam ab inferis mortuam*

Doct. ſup. tit. D & C. de legib. Velaz. de opt. Princ. li.4. annot.2. Pet. Gregor. d.c.5. Saaved. d. Empr. 21. Matiẽzus ubi ſup.
Nat. Com. lib.27. hiſt.

legem per præconem revocare frequentibus promulgationibus. Sed convenit legem ab initio ante promulgationem diligenter conſideratam, mox fieri civibus contubernalem, non minus in animis, & conſuetudine civium, quam in libris publicis ſtabilitam. Eſt enim clariſsimum malæ inſtitutæ civitatis indicium, ſi leges ſæpè repetantur, quod certè non fieret, ſi à Sapientibus latæ eſſent priores, ac ſemel latæ iuberentur, ut convenit, ſervari, &c.

36 Nullam porrò meliorem normam in legibus ferendis ſequi poſſe, Alex Salamanc. in
quàm ſi Chriſti legem in omnibus, quoad fieri poſsit, obſervemus, & Dialog. de Rep.
imitemur, piè ſatis & doctè Alexius Salamanca tribus libris, Dialo- Chriſt.
giſvè proſequitur, in quorũ Calce, hæc non contemnenda carmina invenies,

Fatidicis quicunque libris, & legibus almis
Inſtructus, pretioſum à vili excludere noſti:
Cur prætermiſſo Chriſto, qui eſt vivus aquæ fons
Tot tibi ciſternas veteres aperire laboras.
Quarum nec una quidem vitales continet undas?
Ne precor uſque adeò leges mirere Lycurgi,
Nec tam antiqua tibi placeant præcepta Solonis.
Non Numa Pompilius, nec docti iura Platonis
Occurrant, quæ cuncta carent munimine vitæ.
Verùm ſi legum tibi conditor eſt quis amandus;
Legislatorem verum tibi dilige Chriſtum;
Lex Chriſti leges alias; gens ipſius omnes
Religione alios populos præcellit, &c.


Quibus, & illa D. Paulini convenire videntur, D. Paulin. in carm.

Quid enim tenere bonum, aut verum queant,
Qui non tenent ſummæ caput
Veri boniquefomitem, & fontem Deum,
Quem nemo niſi in Chriſto videt?

Quæ referens Albanus Spinaſatus concludit, non in ſacris ſolùm, ſed Spinaſat. in Poli-
& publicis in legibus haberi, inſanos & helleboroſos cenſendos eſſe tiſm. lib. 1. c. 1. & 2
Legiſlatores, qui non rectè divinis ſunt initiati, & ab his ſua auſpicantur edicta, quæ ſine vera Religione labaſcent.

Legum Languor.

EMBLEMA LXVII.



Ferreus arcano trahitur Magnetis amore
Annulus; inde alium protinus ipſe trahit.
Tertius hunc ſequitur, longo ſic ordine plures,
Quique magis diſtant, hos trahit ipſe minùs.
Sic ius langueſcet, ruet obſervantia legum,
Quò magis abſuerint Principis ora Pij.

COMMENTARIVS.

Pomp.I.C. in l. 2. §. poſt originē, de orig.iur.

1 PRÆCLARE docuit Pōponius Iuris-Conſultus, parum eſſe iura & leges in civitatibus inveniri, niſi ſint qui iura reddere poſsint. Quod licèt ad Magiſtratus reſpiciat, Nos nunc, non minùs verè & congruenter, ad Reges & Principes trahimus, illos iterum, atq; iterū admonentes, parum ſe feciſſe putare debere, ſi iuſtarū ſalutariūque legum mœnijs, ſeu vallis, ſua ſepſerint Regna, niſi ſimul eorundem ſedulos ſe cuſtodes, & excubitores oſtendant.

Paul. in l.3. de offic Præf. Vigil. vide Gail. de pac. publ. lic. lib. 1. c. 1. & 4.

Colum. lib. 12.

2 Nam ut & in alijs, Auguſtus Cæſar, teſtante Paulo I.C. *Salutē Reipublicæ tueri, nulli magis credidit convenire, nec aliū ſufficere ei rei, quàm Cæſarem*, ita hoc præcipuè de legum tutela, ac cuſtodia credere debent, quæ ut Columela inquit, in benè moratis civitatibus, earum primoribus, atque optimatibus ſemper fuit reſervata, & niſi Rex iuver

ipſum quod iubet, ſuoque calore, ac vigore foveat, & tueatur, nil leges ſine moribus vanæ proficient, ut alib. dixit Horatius, nulloque diſcrimine languentes & pereuntes, pravi mores, ut Plautus ait, eas in ſuam poteſtatem perducent, & in civitate dominabuntur. Horat. lib. 3. od. 24. Plaut. in Trinum.

3 Vnde meritò Petr. Andr. Canonherius dicere potuit, quòd quemadmodū nihil differt habere pharmaca, & remedia, & ijs nolle ægrotos uti: ſic paria ſunt, non habere leges, & in civitate non ſervari, adducens in rem hanc Ioannis Lautembarchij Emblema, ſive Epigramma, quod ſic habet, Canonher. in Aph. pol. to. 1. pag. 499. Ioan. Lautēbarch.

Vt ſine piſtillo fruſtra campana movetur,
Inque cavis ſemper turribus æra ſilent.
Eſſe ſupervacuas ſic leges nemo negabit,
Has niſi præcipiat Rector habere locum.
Verus is Imperij nervus, punire nocentes,
Et conferre pari præmia lance bonis.

4 Quod & ipſum, & quàm ſit vera, & neceſſaria hæc legis ad Regem, & Regis ad legem reciprocatio, nuperus Poëta Anglus, ingenioſius adhuc hoc carmine clauſit, Oven. lib. 3. epigr. 36. pag. 67.

Lex ſine Rege, velut lumen ſine Sole fuiſſet:
Rex ſine lege, velut Sol ſine luce foret.
Grex Regem primo legit, Rex cum grege legem
Condidit. hinc legem Rex regit, atque gregem.

5 Et evidentius ex ſacris Litteris fit, in quibus ſimul atque Rex Regni ſui ſoliū aſcendebat, Deuteronomium legis accipere, ſecumque habere, omnibuſque diebus vitæ ſuæ legere iubebatur, &, ut ex Rabinorum Synedrijs, Mariana, Saa, Ioannes Druſius, Villalpandus, & alij, poſt Lyram, obſervant, duplicatum quidem illud, ut unum in archivijs reponeret, alterum, litterarum, & membranarum ſubtilitate ita concinnum, ut enchyridionis velamuleti inſtar, facilè ſecum foras prodiens, ſemper portare, & vel brachio appendere, commodè poſſet. Vnde & in Paralypomeno legimus, ordinante Ioaiada Pontifice, Ioas filium Ochoziæ, ſeptennem adhuc, ut regnaret, eductū fuiſſe, eique diadema impoſitum, & legem tenendam in manibus datam, ſicque Regem conſtitutum fuiſſe. Deuter. 17. 18. Marian. Saa, Druſius, & Lyra in d. c. 17. Villalp. in Ezech. tom. 3. c. 28. Paralyp. 1. 23.

6 Qui mos & in Pontificum, Imperatorum ac Regum inaugurationibus ubique, etiam hodie ſervatur, dum legum exactam obſervationē pro virili iurare coguntur, quaſi qui earundem, ut & auctores, ita & acerrimi vindices eſſe debeant. Quò tendens Horatius, dum diu abſentem à Roma Cæſarem Auguſtum, reducē optat, inter bonos alios effectus, quos Vrbi eius præſentiam, ac potentiam allaturos ſpondet, languentium eius abſentia legum vires, & ſecurum quietumque cuiuſvis ſortis hominum ſtatum enumerat, ſic ſcribens, Horat. lib. 4. od. 5.

Sic deſiderijs icta fidelibus
Quærit Patria Cæſarem.

Tu-

Tutus bos enim rura perambulat:
Nutrit rura Cæres almaque fauſtitas:
Paccatum volitant per mare navitæ.
Culpari metuit fides.
Nulis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos, & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerperæ:
Culpam pœna premit Comes, &c.

Quod magnus hic Vates, ſecurius de hoc Principe ſibi promittere potuit, de quo Tranquillus ſcribit, in ſe, non ſolùm legum tutelam, quod Imperatoris proprium munus erat, recepiſſe, verùm & morum, quod ad cenſoriam ſeveritatẽ ſpectare ſolebat, hocque regimen æquè perpetuum, quamquam ſine cenſuræ honore, & nomine peregiſſe. Sueton. in Octav. cap.37.

7 Quam eandem curam in omnibus Principibus, ſi boni ut oportet, eſſe percupiant, omnes paſsim Politici Scriptores commendant, ſed pro multis Alfonſum Regem noſtrum allegaſſe ſufficiet, qui non contentus in quadam ex ſuis legibus Regem regulæ comparaſſe, per quã omnia, quæ à legibus deviant, cognoſci, emendari, & dirigi debent; in alia, eundem cordi humano ſimilem faciens, ſic habet: *E los Santos dixeron, que el Rei es pueſto en la tierra en lugar de Dios, para complir la juſticia, è dar à cada uno ſu Derecho. E porende lo llamaron Coraçon, è Alma del pueblo. Ca aſsi como yaze el Alma en el coraçon del ome, è por ella vive el Cuerpo, è ſe mantiene, aſsi en el Rei yaze la Iuſticia, que es vida, è mantenimiento del pueblo de ſu ſeñorio.* L.6.in fin.tit.1. par.2. L.5. eod. tit.& partit.

8 Quæ verba imitari videtur Sanctus Thomas, dum dixit: *Hoc igitur officium Rex ſe ſuſcepiſſe cognoſcat, ut ſit in Regno, ſicut in corpore anima, & ſicut Deus in mundo. Quæ ſi diligenter recogitet, ex altero in eo iuſtitiæ zelus accenditur, dum conſiderat ſe ad hoc poſitum, ut loco Dei iudicium in Regno exerceat, ex altero vero, manſuetudinis, & clementiæ lenitatem acquirat, dum reputat, ſingulos qui ſuo ſubſunt regimini, ſicut propria membra.* Et utraque ſatis indicant, quàm verè quidam ex noſtris dicere potuerit, D.Thom. de regimin.Princip.lib.1. cap.12. Iul. de Almendar. in hiſt.D. Ioan. de Sahag. cant.3.pag. 73.

Ninguna lei tiene eſtima,
Quando no la esfuerça el Rei;
Que es como muerte la lei,
Quando ſu Rei no la anima.

9 Et Marcus Antonius Petilius, poſt plures alios ex Politicis admonere, Principibus in medio Regni ſui habitãdum, quò omnibus æquè præſto ſint, ſuoque calore neceſſarium vigorem impertiri legibus valeant. Adducens ſimiliter cordis comparationem, quod propè ventrem medio in corpore natura locavit, ut membris omnibus commodius ſuccurrere poſsit. Et poſſet etiam aliam ex Sole deſumere, qui nunquam ita ad unum, vel alterum Polum accedit, ut Zodiaci ſui mediam viam excedat. Vnde illud Claudiani, Petil.de Princ.lib. 2.cap.4.pag.56. Claud.in 6.Cõſul. Honor.

Me-

--------- Medium non deſerit unquam
Cæli Phœbus iter, radijs tamen omnia luſtrat.

Et Tiberij apud Tacitum: *Cui immotum fixumque ſemper fuit, Roma nõ excedere, unde in omnia regimen, nec omittere caput rerum, neque ſe, nec Rempublicam in caſum dare.*

Tacit. 1. & 3. Ann.

10 Certè enim, quò longius corporis membra à cordis calore, & vitalibus actionibus diſtant, eò magis frigori, & alijs paſsionibus ſubiacent. Idemque ipſum in legibus experimur, quas dubitabile non eſt, languidius ſe habere, minùſque efficaciter obſervari, in provincijs à Regijs oculis, ac brachijs longè diſtantibus. Nam licèt pro viribus curent (prout & ipſorum munus expoſcit, & D. Thomas, & alij ſuadent) æquam de longinquis, ac de propinquis, curam habere, cum omnium æquè patres exiſtant; & Ovidius alibi dixerit,

D. Thom. 1. p. q. 203. & in 1. 2. q. 112. art. 4 & latè Patil. d. lib. 2. c. 3.

An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Ovidius.

Quod, ut Eraſmus tradit, iam in Adagium pertranſijt, & prius ab Herodoto traditum fuit, inquiente: *Etenim Potentia Regis ſupra hominem eſt, & manus prælonga.* Adhuc tamen nunquam tantum efficere potuerunt, ut iuſſa ſua, ipſis longè diſtantibus, non frigeſcant, aut in totum cordis calore deſtituta, fruſtrentur, ac viribus careant. Quamvis apud Hegeſipum Titus Imperator ita nimis ſibi deferens ad Iudæos ſcripſiſſe legatur, *Nunquam ita occupati ſumus, ut abſentes ſimus orbi terrarum: nam & abſentes adſumus, & longè poſitis propius aſsiſtimus. Vt quæ anima in corpore omnia membra vivificat ſua, ſic Romana providẽtia omnibus Imperij partibus adeſt, & totum Orbem Romanum tanquam præſens gubernat: nam ſi ſingulis animis illa vis divina regendi corporis virtutem dedit, quanto magis Romano vigori, quo quaſi unum totius Imperij noſtri corpus animatur, tuendi eius vitalem quandam ſubſtantiam subminiſtrabit?*

Eraſm. in Adag. pag. 205.

Herod. in Vran.

Hegeſip. de excid. Hieroſ. lib. 5. c. 46.

11 Atque hoc eſt, quod Nos præſenti hoc Emblemate ſignificare cõtendimus, dum Magnetem lapidem pingimus, mira, occultaque adhuc, ſua natura, & proprietate, (inter plures alias, quas de eo varij Auctores ſcribunt) annulum ferreum ad ſe trahentem, & ſuſpendentem, qui & ipſe, quaſi ab eodem lapide virtutem accipiat, alium etiam ſuſpendit, & ſic tertius quartum, & deinceps; ita tamen, ut qui longius diſtant, ſegnius ſtringantur, & tandem in remotioribus, primi mobilis vis omninò deficiat. Quod ſe vidiſſe, & cum primùm vidit, vehementer inhorruiſſe, Div. Auguſtinus teſtatur: *Quis enim* (inquit) *iſtam vim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolùm inerat, verùm etiam per tot ſuſpenſa tranſibat, & inviſibilibus ea vinculis ſubligabat.*

Plin. lib. 36. c. 16. Maiol. in colloq. de lapidibus. Cæſſius de mineral. c. de Magnete. Ioſton in Thaumatograph. claſſ. 4. c. 15. pag. 156.

D. Aug. lib. 25. de civit. Dei, cap. 4.

12 Philo quoque Iudæus probare intendens, homines hodie minores, & exiliores antiquioribus naſci, quia iam à ſua primæva natura longius abſcedunt, his relatu dignis verbis, eandem proprietatem Magnetis deſcribit: *Quemadmodum in magnete, qui è ferreis annulis ipſum tangit, hæret tenacissimè: qui verò hunc deinceps, minùs, pendet tamen, & tertius à ſecundo, & quartus à tertio, & quintus à quarto, & alij ab alij per longam ſeriem, una vi trahente, continuèque, ſed non eodem modo, ſem-*

Phil. in lib. de mund. opif.

per enim, quò longius abſunt à principio, laxantur, eo quòd remittatur vis attractoris, nec tam pariter aſtringere valeat: ita quoque & humano generi accidiſſe videtur, per ſingula tempora ſuccedentibus exilioribus & corporis, & animi viribus, ac qualitatibus, &c. Hanc Philonis ſententiam, eandem ſimilitudinem elegantiſsimis verbis exponens, Divus quoque Ambroſius probare videtur, & alij etiam Patres, quos plenè Ioannes Fileſacus adducit.

D.Ambr.epiſt.42. Fileſac.li.2. ſelect. in Eurip. Sæculi, cap.1.

13 Ego verò, licèt non ignorē, plures alios negare, mundum in aliqua ſui parte ſeneſcere, & perpetuā eius eſſe, ſemperque fuiſſe, naturæ cōſtantiā aſſeverare, hac diſputatione relicta, quod ipſi circa eam de vi Magnetis expendunt, longè certius, ac firmius in legibus, de quibus nunc loquor, affirmo, experientia edoctus, tum ipſas, tum quælibet alia mandata Regia, remiſsius, atque languidius in regionibus à ſuo Magnete, vel Magnate diſtantibus obſervari. Quod ſatis prudenter animadvertit Adam Contzen, huius rei cauſam inferioribus Magiſtratibus tribuens, qui leges, & Reges in illis minùs verentur, quia de eorum exceſsibus non ita facilis aditus accuſatoribus patet, vel quia extrema negliguntur.

Colum.in præf.ad lib. de re ruſt. Ioſton. integro tract. de nat.conſt. Beccan.de origin. Antuerp.lib.2. Contzen lib.7.c.7 §.5. in princ. pag. 536.

14 Et ſtatim inter alia exempla, quod in Indijs Orientalibus & Occidentalibus experti ſumus, recenſet, in quibus non legum, nec Regum incuriæ, ſed diſtantiæ longæ, & gubernatorum ſævitiæ, avaritiæ, & ambitioni tribuendum eſt, quicquid à iuſtis illorum mandatis, & proviſionibus deviavit. Quod & ipſum non minori verborum pondere prius etiam obſervarunt Petrus Maffeius, & alij, quos Ego, de hoc articulo plenius cæteris agens, in meis de Indiarum iure libris recolui, inter quos Ioſephus Acoſta, eandem doctrinam, & eius cauſam his elegantiſsimis verbis expoſuit: *Nam cum remotiſsimæ Regiones hæ ſint, Caputque huius univerſæ Reipublicæ, ſive Regiam, ſive Pontificiam Maieſtatem expectes, longiſsimè diſsitum, licentiæ ac libidini Præfectorum campus latè patens oſtenditur, ut quicquid collibeat, licere ſibi etiam opinentur. Quod enim longè diſtat, quaſi nihil ad ſe pertineat, facilè temeritas humana contemnit. Hinc ſeditioſa conſilia, tumultus etiam, atque adeò totius Reipub. perturbatio. Remedium verò oppidò ſerum, atque incertum. Itaque ut Medici pulmonum, ſi ægrotare cœperint, curandorum, per difficilem eſſe rationem docent, quòd ad traducendum eò uſque medicamentum, longa & valdè clauſa via ſit per ſtomachum, ut pharmaci vis iam debilitata perveniat, aut ne perveniat quidem: ita planè longinquitas ſupremæ potentiæ, atque auctoritatis, huius Reipub. ægritudini levandæ, remedia opportuna vix plerumque expectare permittit. Quamobrem quicquid in rebus Indicis à Præfectis peccatur, ſine emēdatione peccabitur.*

Petr.Maffei.li.12. hiſt. Ind. pag.393. & Ego 1. tom.lib. 3.c.6. ex n. 38. & 2.tom.lib.4. c.12. n.58.

Acoſta de proc. Ind. ſalute, lib. 3. cap.4.pag.290.

15 Et iterum, ſpecificè agens de iniurijs, quæ miſeris Indis fieri ſolent, quas exteri tantùm nobis exprobrant, id non legum, Regumvè culpæ, ſed huic potiùs diſtantiæ, & nequitiæ magis hominum, quàm adminiſtrationis vitio vertendum eſſe, ſic ait: *Quamvis enim rectè, & ſapienter conſtituta Reſpublica, quamvis æquis legibus temperata, facilè improborum temeritate violatur, cum ſit nihil, quod non hu-*

IdemAcoſta d.lib. 3.cap.5.

mana perverſitas, ſi relinquatur ſibi, convertat in peius.

16 Poteſtque eadem hæc doctrina iuvari ex eleganti alio ſimili forcipum, hoc eſt *Tixeras*, quibus ad ſecandum aliquid utimur. Quas, ut res ipſa docet, & ex Franciſco Maurolico, & alijs Novarinus animadvertit, quò propiùs ad clavum medium, qui eas tenet ac regit, aliquid apprehendunt, eò fortius, ac facilius illud diſſecant, quò verò longius, remiſsius operantur.

Novarin. in Phiſiolog. art. 9762. pag. 574.

17 Atque hinc deſcendit gravis difficultas, quam in magnis, vaſtiſque, & diſsipatis Imperijs tuendis, & gubernandis, Divus Auguſtinus, Sanctus Thomas, & plures alij cordati Auctores paſsim expendunt, & Gymnoſophiſta ille Alexandrum Magnum tacitè docuit, eum ſuper aridam bubalam pellem ambulare faciens, quæ pedibus una in ora calcata, ac compreſſa, aliunde in altum ſurgebat, nec uſquam conſtitit firma, quouſque ille tandem mediam pedibus preſſit, ut latiùs poſt Diodorum Siculum, alij recenſent. Idemque alia non minùs apta ſimilitudine oſtendit Eraſmus, ſic inquiens: *Vt naves quædam maiores ſunt, quàm ut gubernari poſsint; ita difficillimum eſt, ditionem ultra modum latam, fœliciter gubernare. Id verò multò difficilius, ſi ditionis portiones, longis intervallis diſtractæ ſint.*

D. Auguſ. de civit. Dei, lib. 4. c. 15. D. Thom. de reg. Princip. lib. 2. c. fin latè Caſian. 5. p. cōſid. 57. Pelag. de plāct. Eccl. art. 62. concl. 6. Madera de excel. Hiſp. c. 9. fol. 61. Soto de iuſt. & iur. lib. 4. q 4 art. 2 Diod. Sicul. lib. 17. Plut. in Apoph. Euſtath. Illiad. 1. par. 15. Eraſm. cent. 9. ep. 95.

18 Simulque etiam eadem hæc ratio ſuo iure expoſtulat, ut quò latioribus Princeps, remotioribuſque provincijs imperitet, eò maiori, ac vigilantiori cura, de omnibus tam præſentibus, quàm longè morantibus cogitet, & à Sapiente ſapientiam doctus intelligat, quòd *Cogitare de illa, ſenſus eſt conſumatus, & qui vigilaverit propter illam ſecurus erit. Quia cura diſciplinæ dilectio eſt; & dilectio cuſtodia legum illius eſt. Cuſtoditio autem legum, conſumatio incorruptionis eſt, incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.*

Sap. 6. 16. & ſeqq.

19 Et hoc facilius certiuſque conſequetur, ſi nō quoſvis de fœce Reipublicæ homines, ut plerumque fieri aſſolet, ad regendas eaſdem remotas provincias mittat, ſive pręficiat; ſed quò in ijs maiores exceſſus, & legum tranſgeſſus timeri poſſunt, eò in eiſdem ſelectiores, ac probatiores Proreges, Gubernatores, ac Magiſtratus conſtituat, ut graviter Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Imppp. ſanxerunt, ſtatuentes: *Per omnes provincias, & regiones, in quibus fera & periculi ſui neſcia latronum fervet inſania, probatiſsimos quoſque, atque diſtrictiſſimos defenſores eſſe mittendos, qui adſint diſciplinæ, & quotidianis actibus præſint, &c.*

L. 3. C. tit. 11. lib. 1. Cod. Theod.

20 Et adhuc magis ad rem noſtram Caſsiodorus, dum formulam Rectoris provinciæ ſcribens, ſic incipit: *Omninò providè decrevit Antiquitas, Iudices ad provincias mitti, ne poſſet ad Nos veniendo mediocritas ingravari. Quis enim latronum ferret audaciam, ſi longè poſitam cognoſceret diſciplinam? Abſolutè poterat vis permiſſa craſſari, ſi conquerens tardius crederetur audiri, &c.* Et ſtatim, formulam Comitivę Syracuſanę civitatis ſubiiciens: *Maiori* (inquit) *cura tractanda ſunt, unde iniuria plus timetur. De proximis vota cauſantium ſuſtinemus: inde autem ultro requirimus, unde ad nos difficilè venire poſſe ſentimus. Non enim de Sicilia querelas volumus venire, ſed laudes: quia gravatur apud*

Caſsiod. lib. 6. epiſ. 21.

Idem eodem lib. epiſt. 22.

nos actio Præſulis, ſi eam tam longinqui potuerint accuſare petitores. Falſus enim dolor eſſe non creditur, ubi tanti laboris tædia ſubeuntur.

Quod & adhuc longè magis eſſe obſervandum, ubi eædem Regiones non ſolùm ſunt remotæ, ſed recens partæ, vel in hoſtium confinijs poſitæ, idem met Caſsiodorus ſic in alijs locis edocuit; *Provincijs novis lectiſsimum ſemper gubernatorem eſſe mittendum, ut eius maturitate conſilij, titubantium poſsint corda firmari. Novitatem quippè ſolicitam, prudentes convenit habere Rectores: ut quemadmodum fuerit vitæ formatus ordo, ſic currat inſtituta devotio. Multum his creditur, quibus confinales populi deputantur, quia non eſt tale pacatis regionibus ius dicere, ubi non tantum bella, quantum vitia ſuſpecta ſunt, nec ſolùm vox præconis inſonat, ſed tubarum crepitus frequenter inſultat.* 21

Idē lib 4. epiſt. 16. & lib. 7. epiſt. 4.

Quæ loca, & alia Ego expendi, dum de eximia cura, quæ, his omnibus de cauſis, haberi debet, in lectiſsimis, & probatiſsimis Prætoribus, Auditoribus, & Proregibus ad remotiſsimas, & vaſtiſsimas Indiarum Occidentalium provincias demandandis, ſermonem inſtitui, ubi ad idem probandum alios etiam Auctores allego, & præcipuè prudentiſsimum, Indicarumque rerum experientiſsimum Ioſephum Acoſtam, pluribus hoc rationibus ſuadentem, & Romanorum exemplo, qui ad ſimiles Provincias, non niſi lectiſsimos, atque integerrimos viros mittendos cenſerent, quippè qui egregiè noſſent, quos animos faceret temeritatis dilata vindicta, utque ſoleat à reliquo grege ſeiunctus, vel ipſe bos efferari, & non ſolùm in patrijs legibus, ac moribus obſervandis, & ſuadendis Gubernatorem eiuſmodi ſedulum, & attentum eſſe debere, verùm & in novis, novæque regioni aptis, ubi oportuerit, promulgandis, quod in alijs rebus publicis, ac civitatibus ex multa antiquitate fundatis, & conſtitutis, non ita eſt neceſſarium, cum illarum moderatores adiumenta plurima eademque maxima habeant, quibus etiam non ſinuntur errare. Ex quibus ſatis apparet ſemper leges, & præſertim in remotis provincijs, non ſolùm languidas, verùm, ut & Plato dixit, abſque probatiſsimis Magiſtratibus mortuas eſſe. 22

Ego 2. tom. lib. 4. c. 2. 4. & 9. ex n. 15

Acoſta de procur. Ind Sal. lib. 3. c 4. pag. 288. & ſeqq.

Plat. de Repub. Dial. 6.

(∴)

Le-

Legum,litiumq́ue multitudo,exitialis.

EMBLEMA LXIIX.



Vt volucres campis ſolitus prædarier Auceps,
Subdola cum viſco retia fraude tegit:
Sic fora ſunt Campi, prætenſaq; retia leges,
Queis Rabulæ miſeros illaqueare ſolent.
Hos abige, ò Princeps: leges, liteſq; ſecentur,
Si ſalvas volucres Plebis habere cupis.

COMMENTARIVS.

1 AD Decorem verò,& meliorem cuſtodiam,& obſervantiam legum,quas adeò utiles, & neceſſarias in Republica diximus,curare Principes debent, ne (ut ſuprà etiam Sup.Embl.66.
tetigi) ita ſint multæ,ut vel ſui numeroſitate vileſcant, vel confuſionem, & litium , ac iurgiorum ſemina ſubditis pariant . Planè enim inter omnes conſtat , nullum prope rebus publicis maius exitium legum multitudine , ac varietate afferri poſſe; & ut Tacitus dixit, non niſi in corruptiſsima Rep. plurimas eſſe Tacit.4.Aunal.
leges.

2 Et cum ſecundùm Imperatorem Iuſtinianum,quod medicina mor- Iuſtin in Auth. hæc conſtit. innov.
bis,id præbeant iura negotijs , & ad hominum medicinam inſtituantur,medicinæque aphoriſmis,ſeu regulis regi ſoleant,(ut pluribus Pe- Canonh. in Aphor.
trus Canonherius oſtendit) inibi multos eſſe morbos manifeſtabunt, pol. ex pag. 517.

lux-

Demoſth.ad Leptinem.

iuxta vetus dictum Arceſilai,ubi plures Medicos,pluraque pharmaca viderimus.

Saaved Empr.21. pag.138.

Oſeæ 8. 11.

Pet.Damariz diri. 4.fol.299.

Quapropter Solon,unam legem unicuique negotio ſatis eſſe dicebat,& Ariſtoteles, à Noſtro Saavedra laudatus, paucas, & de rebus gravibus ferri oportere, reliqua verò Iudicum arbitrio remitti. Et Deus apud Oſeam, ſe ſuo populo in ſcelerum punitionem, plures leges daturum,his verbis comminatur: *Quia multiplicavit Ephraim altaria ad peccandum,factæ ſunt ei aræ in delictum, ſcribam ei multiplices leges meas,quæ velut alienæ computatæ ſunt.* Congi quoque Rex,alioqui Barbarus, ut Damaritius enarrat, ubi primùm a Luſitanis aditus fuit, oblatum, valdèque ab ipſis laudatum, ingens ſuarum legum volumen evolvit, & ubi ita multas eſſe conſpexit, procul illud à ſe reiecit,inquiens,impoſsibile eſſe, tot leges ab hominibus obſervari. 3

Ioã.Oven.li. unic. epigr. 254. pag.mihi 136.

Quod etiam ſenſit,& non invenuſtè Anglus Epigrammatarius irriſit,ſic inquiens: 4

Condidimus leges, quàm multas, quàm propè nullas.
Nam ſi ſervatur nulla,quid ulla valet?
Ut leges ſerventur,adhuc lex unica fiat:
Hæc citò facta foret lex; citò fracta foret.

Geneſ.2.17.

Matth.7.12. Luc. 6.31.

Lampr.in Alexãd. Severo.

Camer.1.to.ſubc. cap.98.

Exod.cap.20.

Idem etiam nobis ſatis Deus indicavit, dum noſtris Protoplaſtis in Paradiſo unicam dumtaxat legem, *De non comedendo de arbore vitæ* conſtituit. Et Servator, Salvatorque Noſter Chriſtus Dominus, qui totam legem ſuam,& naturæ,hoc ſolo præcepto concluſit: *Quod tibi non vis,alteri ne feceris.* Quod quidem pro multis ſufficere putavit, & pro foribus Palatij ſui iuſſit perſcribi Imp. Alexander Severus, ut Lampridius in eius vita recenſet. Neque omiſſum fuit à Noſtris IurisConſultis,qui ex eo illum Titulum confecerunt: *Quod quiſque iuris in alium ſtatuerit, ipſe eodem iure utatur.* Circa cuius illuſtrationem, plura Doctores ibidem,& noviſsimè Camerarius adducit. Leges etiã Moyſi à Deo datæ,decem tantùm fuerunt, quę & ipſæ ad duas reducebantur, *De Deo nimirùm colendo, & proximo amando,* & duabus lapideis tabulis facilè inſculpi potuerunt, ut in Exodi libro latiùs habetur. 5

Caius in l.1. D. de pet.hæred.

Iuſtin. Imp. Nov. 22.

Tull.lib.1.de orat. tradit alia Balduin. in Præfat. ad eaſdē leg.n.8. & in Proleg.iur.civil.& Petr.Suffrid.Leovar. in orat.de prædiãt. leg.Roman. quicquid eas Carpat Phavorin.apud A. Gell.lib.20. c.10.

Legibus quoque admodum paucis, & brevibus, quæ duodecim tabulis eboreis ſcriptæ fuerunt,corpus totius Romani iuris,ut ait Livius olim abſolvebatur. Quas meritò ius vetus appellavit Caius I.C.& primas leges,quę Romanis aliquam Rempublicam conſtituerint Imperator Iuſtinianus. Eaſque vel ob hanc ipſam paucitatem, & brevitatem,ita apud Marcum Tullium Craſſus extollit, ut dicere audeat, in illis,totam civilem ſcientiam,deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, contineri, & ſtatim ſubiiciat, *Fremant omnes licèt, dicam quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur duodecim Tabularum libellus,ſi quis legum fontes,& capita viderit, & auctoritatis pondere,& utilitatis ubertate ſuperare.* 6

Et quoniam hæ poſtea, ſuccedentibus temporibus, Decemviralibus interpretationibus,Conſulum legibus,Plebiſcitis,Senatus Con- 7

ſul-

ſuitis, Prætorum edictis, Prudentum reſponſis, & libris, & demũ Principum reſcriptis, & conſtitutionibus, in eam multitudinem excreverunt, quam Pomponius I.C. & alij, qui de hiſtoria Iuris civilis ſcribũt, latè commemorãt, laborare ſua mole cœperunt, & potius Rempublicam lædere, quàm iuvare, ita ut omninò nova compoſitione, ac reformatione opus habere viderentur. De qua facienda, iam tunc ſuo tempore Caius Iulius Cæſar cogitavit, ut in eius vita Suetonius enarrat, & Craſſus apud Tulliũ fatetur, legalem ſcientiã diſperſam admodum eſſe, oportereq; ius civile in artem aliquã redigi, quæ ipſum in certa digereret genera, & deinde, eorum generum, quaſi quædam membra diſpertiret, tum propriam cuiuſque vim definitione declararet.

Pomp. in l. 2. de orig. iur. ubi Zaſ. Everlin. & alij, Aimar. & Forſter de hiſt. iur. civil. Balduin. & Suffrid. ſup. & alij paſſim.

Suet. in Caio, & Balduin. in proleg. pag. 45.

Tull. d. lib. 1. de orat.

8 Cornelius etiam Tacitus teſtatur, tantos ſuo tempore aliarũ ſuper alias acervatarum legum cumulos fuiſſe, ut omnem propèmodum æquitatis ſplendorem ſua multitudine obruerent. Caligula quoque totum hoc ius abolere voluit, ut Suetonius refert, & ex ſolo arbitrio ſuo occurrentium negotiorum dubitationes decidere. Adrianus, & Macrinus omnia reſcripta veterum Principum tollere, ut Spartianus, & Capitolinus ſcribunt, ut iure, non reſcriptis ageretur.

Tacit. 3. ann. c. 25. Suet. in Calig. c. 34 Spartian. in Adria. Capit. in Macrin.

9 Et tandem Iuſtinianus Imperator, hæc omnia in eam rapſodiam redegit, quæ hodie in Digeſtorum, & Codicis voluminibus circũfertur, ut ipſe latiùs recenſet. Quam, licèt multi laudent, plures vituperant, & illud omnibus in confeſſo eſt, lites non minuiſſe, ſed auxiſſe, præſertim poſtquàm per Lotharium Saxonẽ Imperatorẽ, Irnerij ſuaſione, luce donata, eiuſdẽ, & aliorum barbarorum gloſsis, & interpretationibus obſcurari potius cœpit, quàm illuſtrari, ut graviter Hottomanus conqueritur, & ex Noſtris Ioãnes Parladorius, qui benè notavit, quòd ſi libri hanc in rẽ editi, alij ſuper alios ponerẽtur, Babylonicã turrim altitudine ſuperarent. Cui Ego addo, hinc in his, doctrinarum, & ſententiarum, ut in illa, linguarum confuſionem exortam eſſe.

Iuſt. Imp. in Procœ. Dig. & Iuſt. l. 1. C. de nov. Cod. l. 1. & 2. C. de vet. iur. en. latè Politian. d. lib. 4. epiſt. 9.

Donel Oſuald. Prat. Vacon. & alij quos refert Matthæac. de via & rat. iur. lib. 1. c 27. & Pichar. in prælud. ad 4. lib. Inſt. n. 3.

Hott. in ep. proœ. ad feud.

Parlad. in epiſt. ad filios.

10 Quam pariter, poſt Romani Imperij declinationẽ, experta eſt Gallia, & alia Regna, & Nationes, quæ licèt ſe ab eodẽ Imperio exemtas eſſe glorientur, eiuſdẽ tamen legibus, ultra proprias, ac patrias alias, quas in plurimum habent, regi, iudicarique, ac gubernari voluerunt. Inter quas Noſtra alma Mater HISPANIA, quæ ſi Straboni fides habetur, iam tunc cum ille ſcripſit, qui Auguſti temporibus proximus fuit, ſex ante annorũ millibus peculiares leges habebat, (quod qualiter intelligendũ ſit, Florianus de Ocampo proſequitur) poſteà ab Abide Rege, qui fuit vigeſimusſeptimus poſt Thubalẽ, ante Chriſti adventũ anno 1105. alias univerſales accepit, quæ toti multitudini deſerviret, & unicuique populo privatas, ac velut municipales, quibus Regi commodius poſſet, ſeptem Cancellarijs in ſeptem Hiſpaniæ populis conſtitutis, ut idem Florianus, & diligens Garibaius litteris produnt.

Strab. lib 3. in princip. poſt Beroſ. lib. 5.

Florian. in Chron. Gẽt. Hiſp. lib. 1. c. 9. Tamai. de Varg. ad Luitpr. fol. 98. Madera de excell. Hiſp. fol. 60. & 61. Metienç. de leg. mut. c. 17. in prin. Florian. li. 1. c. 15. Garib. lib. 4. c. 30.

11 Quouſque tandem Gothorũ Regibus eadẽ Hiſpania potitis, quorum primus Athaulfus fuiſſe narratur, anno Dñi 414. ſive ut alij malunt 410. vel 424. procedente tempore, Euricus, qui ex eiſdẽ Regibus Gothis ſeptimus in ordine fuiſſe perhibetur, & regnare cœpit ann. 470 vel ſecundùm Tarrapham 483. novas leges ſuis Gothis conſcripſit,

Tarraph. de Regib. Hiſp. in Eurico. Baſæus in Chron. ann. 410. Garib. li. 8. c. 2. Marian. hiſt. Hiſp. lib. 5. c. 6.

Ruder. lib.2. hiſt. Hiſp. c. 10. & 14. D. Iſid. in Chron. lib.2.c.26.Burgẽſ. in Anaceph. c. 16. Palentin. 2.p. c.9. Baſſæus 1.tom.an. 483.Morales li.11. c.35.Garibai lib.8. c.11. Marian.de rebus Hiſp.lib.5.cap. 13. Matieç.de mutat.leg.d.c. 17.fol. 98. Villadieg. latè in Proœ. fori iud. D.Sebaſ.Covar. in theſ.ling.Hiſp.ver. *Fuerojuzgo*, fol.. 417.

quas deinde Leovigildus ampliavit,& auxit,ſuperfluaſq; reſecavit,ut Rudericus Archiepiſc.Toletanus,& alij Hiſpanicarum rerũ Auctores ſcribunt,& denique Siſenãdus ann.634.Concilij IV.Toletani approbatione,& D.Iſidori Archiepiſc.ordinatione, in unum volumen cõgeſsit, quod *Forum Iudicum* nominari voluit, quaſi eo ſolo ſui Regni Iudices in cauſis decidendis uſuros oſtenderet. Quẽ tamen anno 666. ſive incuria temporũ, ſive bellorum tumultibus ferè oblitteratũ, mutatis correctiſque aliquibus legibus, & alijs additis, Recenſuinthus Rex in uſum revocavit,& demum Ægica anno 693.non minori cura, additis mutatiſque multis,coactoque ad hoc Cõcilio Toletano XVI. in quo ſexaginta Epiſcopi,& quinque Abbates intervenerunt,denuò roboravit,ut plenius referunt Morales,& Mariana,eos reprehendentes,qui hunc Forum cum alio confundunt, qui dictus fuit, *El fuero de Leon*, & non iniuſtè notantes, quam brevi temporis ſpacio Hiſpaniæ leges bis pumicem paſſæ fuerint.

Moral.lib.12.c.20 & 61. Mariana ubi ſup.lib.6.c.18.

Rud. Tolet. lib.5. rer.Hiſp.c.13. Marian.lib.8.c.9.& alij ex ſup.citatis.

Marian. lib.9. c.7. Matienç.d.fol.99.

Quas iterum cum Vvitizæ Regis impietas,Ruderici veſania,& calamitas,quæ in Hiſpaniam Mauros deduxit,in omnibus profanaſſent, & oblitteraſſent,poſtmodum,ea recuperari cœpta, Vveremundus II. Aſturum Rex,mortuo Sanctio patruo,& Remiro conſobrino,iure factus(tradente eodem Archiepiſcopo Toletano,& alijs) anno 982.revireſcere fecit,& liberaliter confirmavit,Sanctorumq; etiam Patrum canonicas ſanctiones in rectam cauſarum deciſionem ſervari præcepit. Sanctius autem poſt Ramirum,omnes has Gothorum leges penitus abolevit,ſi Marianæ fidem habemus, & Barcinonem,reliquaſque Europæ provincias ſequutus,Iuſtinianeos Codices,modò quo Lotharius eos contexuerat,anno 1068. in foro ſervari ſtrictiſsimè præcepit. 12

Poſt quem nihilominùs,his,ut apparet,legibus inſuper habitis,aliæ Secobricæ latæ fuerunt,&iudicãdi per facinora,ſive exẽpla,per duellũ,aut per arbitriũ,pravi mores inducti,quos irrationabiles,& *Deſaguiſados* Rex Alfonſus appellat in Proœmio ſui fori, quẽ ad eos tollendos,& averruncandos edi curavit,qui vulgò dicitur, *El Fuero de las leyes*;& alio nomine, *El Fuero Caſtellano*, fortè ut ad illum alterũ reſpectus haberetur, quẽ Legionenſibus anteà datũ,ſuprà retulimus. Hũc Forũ hodie pręmanibus habemus, cum cõmento Doctoris, ſuo tẽpore celeberrimi,Alfonſi Diaz de Mõtalvo,priuſque(ut ipſe refert) alijs ſcholijs illuſtraverat Vincentius quidam,Epiſcopus Palentinus. 13

Cartag.in Proœm. ſui Doctrinalis de los Cavalleros.

Garib.lib.11.c.21.

Mich.de Herrer.in Chron. Alph. Sapientis,cap.5.

Quis verò fuerit Rex ille Alfonſus,qui illum compilavit? In dubiũ vocari poteſt,quoniam Alfonſus à Cartagena inſinuare videtur,Sextum huius nominis fuiſſe, qui Toletanam urbem à Mauris recuperavit. Quod tamen probari non poteſt,quoniam hic ſolùm quoſdam foros pro Toletanis civibus, & incolis edidit,ut in eius Chronicis legitur,& latè,eos ad litteram referens,Garibaius animadvertit. Neque magis audiendus eſt Alter Scriptor,qui Alfonſum Octavum, eiuſdem Compilationis Auctorẽ facit,anno ſui Regni Octavo,&Chriſti 1260. hoc enim nulla quoque ratione temporis ſerie,vel auctoritate probatur. Quare certius eſt, ad Alfonſum Nonum referri debere, ut in eiuſdem fori initio Montalvus inſinuat, quem ſequitur Hugo Celſus, 14

&

& apertè teſtantur Reges Catholici Ferdinandus, & Eliſabeth, in ſui Ordinamenti Prooemio, ubi ſic inquiunt: *I porque deſpues de la mui loable, i provechoſa ordenança, i copilacion de las leyes de las ſiete Partidas, fechas, i ordenadas por el Señor Rei don Alonſo Nono, de loable memoria: el qual avia antes fecho el Fuero Caſtellano, que ſe llama de Leyes.* In quo tamen advertendum eſt, eundem hunc Regem, Sapientem alio nomine dictum, ſecundùm veriorem aliorum ſupputationem, non fuiſſe Nonum, ſed Decimum huius nominis, quam Ludovicus Molina, & alij ſequuntur. Quem etiam Vndecimum Garibaius iuxta ſuum computum facit, huius varietatis rationem adducēs, quem quoad hoc pro multis allegare ſufficiet.

15 Qui & ipſe Rex, cum experiundo cognoſſet, huius fori leges ſufficientes non fuiſſe, quin potius illarum occaſione plures lites, ac dubitationes enatas, alias ſtatim vulgavit, quæ dictæ ſunt *Del Eſtilo*; & hodie cum peculiari gloſſemate D. Chriſtophori à Pace circumferuntur, ut ipſe in earundem Prooemio demonſtrat. Et cum rurſus, ne has quoque ſufficere intellexiſſet, in animum induxit, magnum illud opus, à Magno Patre ſuo Ferdinando Tertio, qui Hiſpalim cœpit, & Sancti cognomen promeruit (ut ipſe refert) deſideratum, ſerio aggredi. Et Iuſtiniani Imperatoris veſtigia ſequutus, non ſolùm ius civile Romanorum, verùm & Sacrorum Canonum ſanctiones, reliquaſque antecedentes Hiſpaniæ leges, quas obſervatione dignas exiſtimavit, in auream illam Epitomē ſub aptis titulis redegit, & concinavit, quæ quia in ſeptem libros dividitur, *Septem Partita* vocatur, multis præterea Sanctorum Patrum, & Veterum Philoſophorum ſententijs refertam, & illuſtratam. In qua quidem abſolvenda, doctiſsimorum illius ætatis Iuris-Conſultorum opera uſus, ſeptem integros annos cōſumſit, & tandem bona quidem ſcæva, non ſolùm in illius Barbari adhuc ſæculi, verùm & futurorum miraculum, illam vulgavit, anno à Chriſti Domini Incarnatione 1260.

16 Quod ſanè opus, licèt nō magni pendere videatur Rhenat. Choppinus, & ſimul etiam leges Vviſigothorū, quaſi ſolā æmulationē Iuſtinianei Codicis referant. Certius eſt, illum in multis excedere, & ſummoperè laudabile omnibus rectè ſentientibus viſum eſſe, ut latè Noſter D. Greg. Madera proſequitur, poſt Covarruviā, Greg. Lopez, & alios, qui ſummum eius ſtudium, & utilitatem extollunt, licèt non inficientur, Auctoris intentum fuiſſe, leges ſuas, ex alijs ſumere, & ubi contrarium non expreſsit, iuris Civilis, & Canonici rationibus ſe in omnibus conformare, ut idem Covarruvias, & alij teſtantur. Addo etiam cum Ludovico Molina, in dubijs, eodem iure inſpecto, quęſtionibus, Azonis opiniones ſequutum videri. Quod in cauſa fuit, ut aliqui exiſtimaverint, Azonem ipſum eiſdem componēdis interfuiſſe, quod falſum eſſe, benè idem Molina demonſtrat, ſubiungens, coniectari licere, aliquem ex Azonis diſcipulis eidem collectioni operam navaſſe, vel clariſsimos eiuſdem temporis Iuris-Conſultos, quibus mandata fuit, Azonis ſententias, tanquàm ſolidiores ſequutos.

17 Hos porrò Iuris-Conſultos, ut ego addo, nō erit abſurdū, ut duode-

Hugo Celſ. in repert. verb. *Alfonſo*, verb. *Fuero*, fol. 171. & verbo *Leyes*, fol. 239. Olan. in præf. ſuarum Antin. n. 2.

Molin. in præf. ad lib. de primog. n. 21. Chronic. eiuſd. Reg. c. 9. Tarrapha de Regib. Hiſp. in Alphonſ. X.

Garib. lib. 13. c. 7.

Paz in Procem. ad leg. Styl. n. 72. Matiēz. d. c. 17. fol. 10

Procem. leg. Part. Molin. ubi ſup. Garib. d. c. 7. & cap. 9.

Procem. Par. Mōt. & Greg. Lop. ibid. Chro. eiuſd. Regis fol 86. Garib. d. li. 13. c. 9. pag. 202. Humada ad Greg. Lop. pag. 1. Choppin. de dom. Frāc. li. 2. c. 15. n. 5

Madera de excell. Hiſp. c. 7. §. 2. Covar. in 4. Decret. c. 6. §. 4. n. 3. Greg. in repet. verb. *Leges Partitæ.*

Idē Rex in Proœ. Part. Covar. lib. 1. var c. 14. n. 5. Gregor. in l. 10. tit. 5. p. 6. gl. 10. Gutier. 2. canon. c. 5. n. 70. Mier. de maior. 1. p. q. 1. n. 74. Sanch. de matr. li. 3. diſp. 41. n. 8. Parlad. 3. to. diff. 24. n. 7. Molin. lib. 3. c. 7. n. 23. & 24.

cũ illos Cõſiliarios fuiſſe exiſtimemus, quos Primus SãctusRex Ferdinandus eiuſdem Alfonſi Pater, pro ſui Regni gubernatione paulò ante delegerat, à quo initiũ habuit Regius Senatus Caſtellæ, qui hodie ita fulgere conſpicitur, ut Garibaius obſervat, inter quos forſitan ille Garſias enituit, quem Tarapha, Alphonſi ætate floruiſſe teſtatur, fuiſſeque luculentiſsimum legum explanatorem, & ſuper Decretales egregium opus compoſuiſſe.

Garib. lib. 13. c. 4. in fin. pag. 190. & cap. 9. pag. 202. & ſeqq.

Taraph. in Alph. 10.

Cæterum cũ humana natura novas quotidie, ut Iuſtinianus ait, formas edere properet, & ex novis legibus nova dubia emergere, & plura negotia, quam vocabula eſſe ſoleãt, ut alibi Vlpianus ſcripſit, egregium etiã hoc ſeptẽ Partitarum opus, efficere non potuit, quin eiuſdẽ Alfonſi ſucceſſores, novas alias leges, & foros promulgari oportere cenſuerint, inter quos Alfonſus XI. qui Tarifam expugnavit, illas Cõpluti Era 1389. edidit, quæ vulgò *Las leyes, ò fuero de Alcalà* vocari ſolent, & Petrus huius filius, anno 1394. peculiarem illum, & ſatis notandum Forũ, qui dicitur, *El de los hijos de algo*, & ſic alij ſuccedentibus tẽporibus, plures alias leges, ac pragmaticas ſanctiones, quas Alfonſus à Cartagena, Montalvus, & Hugo Celſus latè commemorant. Quo tandem uſque, ſub fœlici Imperio Regum Catholicorũ Ferdinandi & Eliſabethæ, anno 1491. prolatæ ſunt illæ, quæ dicuntur *El Quaderno de las Alcavalas*, & anno 1499. aliæ ad lites breviãdas, & forum iudicialem pertinentes, quæ ſunt dictæ *Las de Madrid.* 18

Iuſtin. Imp. in Authent.

Vlpian. in l. 4. de præſcr. verb.

Cartag. in præfact. doctrinalis, Montalv. in repert. ver. *Leges Regni*, fol. 66 & verb. *Forus*, fol. 49. Celſus in repert. eiſdẽ verbis.

Et hæ ſtatim, & aliæ, Regum Antecedentium, quæ Reipublicæ utiles eſſe viſæ ſunt, in Novum ordinamentum ſub congruis titulis collocatæ, de eorundem mandato, curante dicto egregio Doctore Montalvo, ut ipſe in eiuſdem Ordinamenti præfatione teſtatur, quod poſteà à Salmanticenſi Doctore Didaco Perecio peculiari gloſſemate donatum fuit. 19

Poſt quod opus, cum dubia plura circa earundem legum intelligẽtiam & praxim, & materiam Maioratuum, exorta fuiſſent, ijdem ipſi Reges Toleti agentes, poſt maturum doctiſsimorum virorum conſilium, alias leges edendas ſtatuerunt, quæ quia ipſis morte interceptis, ut in ultima ipſarum narratur, Tauri à Domina Regina Ioanna eorundem filia, & Regni hærede publicatæ ſunt, anno 1505. Taurinæ ſunt appellatæ, & à pluribus eruditis Doctoribus peculiaribus commentarijs donatæ. 20

L. fin. Tauri.

Et demum eædem ipſæ, & plures aliæ, quæ ſub eadẽ Regina, Carolo V. Maximo, & Philippo II. eius filio, & nepote, ſubſequẽtibus annis latæ fuerant, eiuſdẽ Philippi iuſſu, in novã aliam Collectionẽ, ſublatis ſuperfluis, & abolitis legibus, quæ in antiquis habebantur, redactæ fuerunt, anno 1566. eximiũ hoc opus incipiente Lic. Petro Alfonſo de Alcocer, proſequente Lic. Eſcudero, & deniq; perficiente Lic. Bartholomæo de Atienza, ut in Præfatione eiuſdẽ Collectionis habetur, & Garibaius enarrat. Quæ & ipſa Compilatio, nunc demum, anno 1640. de mandato glorioſiſsimi, & Potẽtiſsimi Regis, ac Domini Noſtri D. Philippi IV. quem Deus incolumem ſervet, novis typis, & pluribus legibus additis, quæ poſt priorem promulgatæ fuerunt, excuſſa 21

Garib. lib. 13. c. 9. pag. 202. & ſeqq.

con-

conſpicitur,eandem editionẽ,& additionem ſtrenuè curantibus,ſtrenuis,Doctis,& Nobilibus Viris D. D.Lic. Ioſepho Gonzalez, & D. Ferd.Pizarro,Regijs Conſiliarijs digniſsimis, ut in pragmatica eidẽ editioni præfixa refertur, mihique eius commentandi ſtudio demandato,in quo ſi Deus cœptis votiſque faverit,fortè nec oleũ, nec operam perdidiſſe videbimur. Vt nec nunc quidem,in hoc legũ Hiſpanicarum progreſſu ab origine,& ſubcerta temporũ ſerie,adeò latè enarrando,cum id,ita diſtinctè,à nullo alio factum eſſe comperiã,& in re, de qua agimus,ſatis oſtendat, quantum hoc eximium Regnũ ſub tali, ac tanta ſuarum legum,& pragmaticarũ mole laboret,& laboraverit.

24 Præſertim cum ultra eas,Iuſtinianeis quoque plurimum deferat, & in ſcholis legi,ac diſci,& in foro allegari permittat, ut ex quadam lege Tauri,iam in NovamCompilationem redacta,colligitur. Quæ tamen,(licèt Pinelus,& alij contrarium perperam ſentiant) non ita accipi debet, quaſi in vim legis apud Nos civilia illa Romanorũ iura allegari poſsint,hoc enim aliqualem ſubordinationemRegum noſtrorũ erga Romanum Imperiũ præſeferret, quam ſemper agnoſcere detrectarunt,ſed ſolùm tanquàm Doctorum,& Sapientium hominũ documenta,ut eadem lex oſtendit,& prudenterGregorius Lopez,& alij animadvertunt,& pariter in Francia ex eadem ratione obſervari,quędam Decretalis, Baldus, Boërius, & alij Auctores oſtendunt. Quod adeò verum eſt,ut ſignanter tradiderit Oldradus,quem alij ſequũtur, antiqua Hiſpaniæ lege, capitis reum eſſe, qui in litium cauſarumque deciſionibus Imperiales leges adduceret,licèt hoc hodie ita ſpretum, & oblitteratum videatur,ut nullas frequentiùs fora,& palatiaPrincipum perſonent,& ſæpè plus eis,imò & aliarum Rotarũ deciſionibus, & communibus Auctorum variorum doctrinis, & opinionibus, quam patrijs noſtris legibus à multisAdvocatis,& Iudicibus deferri ſoleat, cum tamen non niſi in harũ defectum,aut ſupplementũ dicta lexTaurina adeas recurri permittat. Quod meritò notat,& reprehẽdit,atque ad vanum Advocatorum memoriæ oſtentationem refert D. Gregorius Lopez Madera,Regius Conſiliarius meritiſsimus.

25 Eorumque facundiam,alioqui ab Imperatoribus Leone,& Anthemio valdè laudatam,necnon eam legum, quam retulimus, multitudinem,tot lites in Republica generaſſe,ex quibus in eadem tot,ac tanta damna ſentiuntur,paſsim omnes,qui benè ſentiunt,agnoſcũt,& in eis reſecandis,cordatos quoslibet ac Prudẽtes Reges, ac Principes ſummum ſtudium collocare debere, omnia iura proclamant, quæ cũ Ego alibi latiſsimè recenſuerim, nunc pro multis allegare contentus ero nobilem legem Regis noſtri Ioannis I.iam ab anno 1386.editam,quo nec legum multitudo,nec malitia hominum ita excreverat,in qua præcipit: *Los Oidores deben penſar quantas maneras ſe pueden catar, i quantas leyes ſe pueden hazer, para acortar los pleitos, i eſcuſar malicias, i deben fazer dello relacion al Rei, para que èl faga las dichas leyes, i las mande guardar, porque cumple al bien de ſu Reino.*

26 Cuius legis Ego licentia uſus,ſi quid in me eſt iudicij, quod ſentio quàm ſit exiguum,ultra plura alia,quæ in hanc rem Petr. Gregorius,

L.1.Tauri, quæ eſt hodie l.2.tit.1.lib. 2.Recop.

Pinel. in Rubr. de bon.mal.2.p.n.12 Ant.Gom.Ciſuẽr. & Burg. de Paz in d.l.1.Taur.

Greg. per text. ibi in l.6. tit.4. par.5. gloſ.2 Gab.Vazq. in 1.2.tom.2. diſp. 153.c.2.n.15.Mader.de excel.Hiſp. c.7.§.2.fol.62.

Cap ſuper ſpecula de privil. Bald.in l. nemo, C. de ſent. Puteus de ſyndic. verb. *Teſtis*, Boer. de auct.Mag.Cõſ. & in Præf.ad gloſ. leg.Longob. verſ. *Licèt in hoc.*

Oldrad.cõſ.69. n. 6.Gregor.Lop. & Mader.ſup. Palac. in c.per veſtras, in introd.n.19.Martha de iuriſd. 1. p. c.26.n.70.& c.28. ex n.7.

Mader. ubi ſuprà fol.63.

L. Advocati,C.de advoc. diverſ.iud. latè Baez.de inop. deb.c.16.ex n.148

L.properandũ.C. de iudic. c.finẽ liti bus,de dolo & cõtum.Ego latè,poſt plures,quos refero 1.to. lib.3. c.3.ex n.7. & 2.to. lib.2. c.29.n.82.

L.7.tit.1.lib.2. novæRecop.li.1.ti.4 li.4.eiuſd. Recop.

Petr. Greg.de Rep.lib.18. cap.5.

Bobad. in Polit. li. 3. cap. 14. ex n. 27. & 84. Navarret. in diſcurſ. pol 40. Zevall tom. 4. in exhort. ad Advoc. ex n. 27. Larrea diſp. 4. ex n. 8. Salgado de reten. Bull. 2 p. c. 3. ex n. 14. & noviſsimè Saaved. Emp. 21. & omninò Boccalin. cent. 1. reg 72.

Bobadilla, Navarretus, Zevallus, & alij comminiſcuntur, non in novis legibus condendis, ſed in tot ac tantis, ita varijs, & ſæpè contrarijs, contrahendis, & ad breviſsimum, quoad fieri poſsit, numerum reducendis, hoc remedium conſiſtere arbitror. Nam quemadmodum tam ſcitum, quam certum eſt illud, quod quidam ex Comicis dixit:

Orator improbus lues eſt legibus.

Ita pariter negari non poteſt, ex earundem legum multiplicatione, eaſdem lites ſuſcitari ſolere, & damna, quæ excuſari nituntur, augeri, ut præter ea, quæ iam ſuprà adducta, & ponderata relinquo, vel Platone docente monemur, dum dixit, quòd *Vbi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi; & concordiam nunquam inter amantes cives ſervari poſſe, ubi mutuæ multæ lites iudiciales ſunt, ſed ubi breviſsimæ, & pauciſsimæ.* Et celebri alio Strabonis documento, qui referens Zaleucũ illum Thurijs olim paucas, & ſimplices leges dediſſe; ſed ſequutos, alias, per ſubtilitatem, & nimiam curam addidiſſe; ex quo factum ſit, ut celebres magis, quàm boni redderentur, ſic addit: *Bonis enim uti legibus, non qui ijs omnes ſycophantias, aut calumnias cavent, & excludunt, ſed qui ſimpliciter latis firmiter inhærent.*

Plato lib. 5. de legibus.

Strab. lib. 6.

Quod dogma *Oraculum* vocat, & aureis litteris ſignandum eſſe dicit Iuſtus Lipſius, integrum caput, quod de legibus ſcripſit, ſic breviãs, *Eas nec multas, nec itẽ lites, probari.* Neque aliud videtur ſenſiſſe Quintilianus, qui poſtquam dixit, legem omnem, aut tribuere, aut adimere, aut punire, aut iubere, aut vetare, aut permittere, ſtatim adiecit, quòd *Litem habet, aut propter ſe ipſam, aut propter alteram*, propter dubia nimirùm, quæ ex ipſis reſultant, & captioſis hominibus ſcripti, & voluntatis ſtatum ambiguum reddunt. Ægyptij quoque litium immortalitatem deſignare volentes, quam plerumque legum multitudo, & obſcuritas cauſat, anguẽ deſpingebant, qui multiplici flexu ſe ita cõvolvit, ut eius finis, vel extricatio vix cognoſcatur: quod Hieroglificũ aptè in rem noſtram deduxit Petrus Coſtalius, in uno ex ſuis Pegmatis inquiens: 27

Lipſ. in monit. polit. lib. 2. c. 10.

Quintil. lib. 7. c. 6. ad fin.

Pet. Coſtal. in Pegmat. pag. 255.

Volvitur inter ſe ſe, rurſuſque revertitur ad ſe
Serpens, nec finis flexibus eſſe poteſt:
Hæc ſpecies expreſſa Fori eſt, hæc forma Senatus,
Dum nequit heu minimis litibus eſſe modus;
Cumque putas finem tantis inſtare querelis,
Auditur tibi lis, quæ fuit una, duplex.

Vbi idem Auctor meritò in iudices invehitur, qui has dilationes patiuntur. Parumque Chriſtianum eſſe inquit, iuſtitiam, quam iura omnia liberaliter, & in procinctu reddi voluerunt, ijs apud nos anguſtijs eſſe, ut neque gratis, neque pecunia, neque labore, tibi eã parare poſsis.

Et in idem tendit illud Ioannis Oveni: 28

Oven. lib. 2 epigr. 60 pag. 58.

Lis genuit leges; legum lis filia; vivi
Non ſine lite ſolet, nec ſine lege poteſt.

Adagium, *Lis litem ſerit, & Noxa Noxam parit*, quæ ex Phocylide, Suida, & alijs deducit, & illuſtrat Eraſmus. Et celebre Apoph-

Fraſ. in Adag. pag. 473. & ſeqq.

theg-

thegma Æneæ Sylvij poſteà Pij Secundi, fœlicis recordationis, qui ut Platina commemorat, ſolitus erat, *Iudicium & leges retia vocare, forum aream, litigatores aves. Aucupes verò, earum Patronos, & Iudices.* Sic prudenter oſtendens, ex quibus lites oriri ſoleāt, & quomodo his homines illaqueati, alijs in prædam cedāt, & libertate ac propria vita, & ſubſtantia priventur.

29 Quo ex dicto, præſens Emblema formavimus, & litium cauſas, & damna ob oculos Principibus ponimus, eaſdemque ut reſecare, vel breviare ſatagant, admonemus, quas peſtem præſentiſsimam, & bello peiorem in Republica eſſe, meritò tradit, & pluribus probat Marcus Antonius Petilius, eandem curam Regibus inter præcipuas iniūgens, & noviſsimus Stephanus Natthen, qui iuſtitiam in litibus vulnerari, probare contendens, plurima de earū damnis, diſpendijs, & peccatis adducit, & inter alia, cuiuſdam Idiotæ ſcitiſsimum dictum, qui illas *Pulvinar diaboli* appellavit, utpotè, qui priùs homines ad ruinas, & diſcordias inſtigat, ac illis poſteà iudicio contendentibus, actis cōſcriptis inſidet, & conquieſcit, veluti iam certus, & ſecurus damnorū, graviumque peccatorum, quæ partes hinc inde litigantes committūt, dum mutuis expenſis, diſsidijs, odio & rancore inter ſe concertant, & vivunt. Vnde in Eccleſiaſtico dicitur: *Abſtine à lite, & minues peccata*; Et Imp. Iuſtinianus, *Sæpè lites materiam criminibus creare noſcuntur.* Themiſtocleſque apud Ælianum dixit, *Quòd ſi duæ ſibi monſtrarentur viæ, una quæ ad Tribunal, altera, quæ ad inferos tenderet, libentiùs multò hanc, quam illam ingrederetur.*

30 Et quemadmodum à Iuris-Conſultis, prudentes, & verecundi illi homines appellantur, qui lites fugere, & execrari ſolēt: ita ex adverſo, litigatores, viros malos appellari, & nihil eſſe tā ſimile actibus dæmoniorū, quàm litigare, Redoanus, poſt alios, obſervat, qui latiſsimè probant, ex eiſdem litibus Iudices inquietari, Rempublicā lædi, partes expenſis vexari, materiam criminibus aperiri, flagellum Dei, & veluti ſcopulos eſſe, ad quos plerique fortunarum ſuarum naufragiū faciunt. Quod non latuit Ciceronem, dum pluribus exaggerat, *Sollicitudinem, & periculum litium.* Senecam à Baldo relatum, qui prudentiſsimè dixit: *Cùm pari contendere, anceps eſt, cum ſuperiore furioſum; cum inferiore ſordidū.* Martialem, qui uno in loco eas, *Amaras* appellat, & in alio, iuſtè miſerum & dementem eum vocat, qui in illis, ſub dubia victoriæ ſpe, vitam atque opes conſumit, ſic inquiens:

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miſer, & demens; viginti litigat annis
Quiſquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

Quod Domitius Ræderus, & alij, ita etiam explicare ſolent, quaſi diceret Martialis, prudentiorem quidem eum eſſe, qui in ſuum inducit animum liti cedere, & ſe victum fateri, quàm eam ad tot annos ducendo, amittere, aut quamvis vincat, pluſ ferè in tam longo litigio impēdiſſe, quàm poſtea victor accipiat.

Platina in eius vita

Petil. de muner. Princ. lib. 9. c. 11. & ſeqq.

Natthen in iuſtitia vuln. par. 2. tit. 2. cap. 1.

Eccleſ. 28. 10.

Ælian. de var. hiſt. lib. 9. cap.

L. properandum, C. de iudic.

Cap. 2. de verb. ſignif. lib 6. l. 4. D. de alien. iud. l. 3. §. tametſi, de arb. l. ſervus 19. de oblig. & act. l. 1. C. de novo Cod. latè Cotta verb. *Lites citò*, & Sylv. nupt. lib. 6. ex n. 8.

Redoan. de ſym. 2. p. c. 31. à n. 9. latè Pena in l. litibus, C. de agric. Tiraq. de retr. lib. 1. §. 8. gloſ. 7. ex n. 20. & Scacc de appell q. 15. ex num. 188. & 243. Forner. in l. 143. de verb. ſign.

Cicer. pro Cluent.

Bald. conſ. 218. n. 1. lib. 3.

Mart. lib. 12. epig. 69. & lib. 7. ep. 64.

Conſonat Ovenus epigr. 67. pag. 226. *Lis pēdet tibi pollet? Semel tibi pēdere præſtat, Quàm pendere diu: ſolve, ſolutus eris.*

Quam expoſitionem, licèt ipſi nihil in eius confirmationem addu- 31
Proverb. 20. 3.
cant, mirè illud Salomonis corroborat, *Honor eſt homini, qui ſeparat ſe à contentionibus, omnes autem ſtulti miſcentur contumelÿs*; ubi Salazarius optima verba Muſonij apud Stobæum in idem expendit, & eſt
Muſon. ap. Stob. ſerm. 19. de patiẽt.
expreſsius, & nobilius multò Chriſti Domini documentum, dum apud D. Matthæum ita conſuluit, *Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei, & pallium.* Et iterùm apud Lucam: *Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Quod planè conſilium, non ſolùm ad ſpirituale commodum reſpicit, verùm & ad temporale etiam, cum ſi quis litem, quamvis iniuſtè ſibi motam proſequi velit, cum pallio, quod ab ipſo exigitur, tunicam etiam in litigij expenſis amittet, & ab Aucupibus noſtri Emblematis, ſi fortè vivus, omnibus tamen privus abibit. Vnde præclarè Terentius dixit:

Matth. 5. 40.
Lucæ 6. 29.
Teren. in Phorm. 2. ſcen. 2.

Etſi facta mihi iniuria eſt, verumtamen
Potiùs quàm lites ſecter, minas quinque accipe.

Et idem Martialis Sextum hortatur, ut quod verè debet, vero ma- 32
Mart. lib. 2. epigr. 13.
gis creditori ſtatim ſolvere velit, quàm illud ipſum, & plus, in litigio iniuſto conſumere, & dum unum creditorem vult ſubterfugere, plures habere, ſimul hanc de qua querimur Iudicum & Advocatorum rapacitatem his verbis inſinuans,

Et Iudex petit, & petit Patronus.
Solvas cenſeo Sexte creditori.

Ovenus lib. unic. epigr. 80. pag. mihi 108.
Quod æmulari volens Modernus Anglus, non minùs ingenioſè ſic in litigioſum debitorem ſcripſit,

Quæ tua nequitia eſt, quod debes non mihi ſolvis;
Solvis Cauſidico: quæ tua ſtultitia eſt.

Idem Ovenus.
Et iterùm, alludens ad id quod vulgò olim & hodie circumferri conſuevit, non eſſe victorem, cui iura favent, ſed cui iudex; & idem in eorum tantùm, & Advocatorum, ac Procuratorum certum commodum cedere, ſic habet:

Certa tibi lex eſt, lis eſt incerta clienti;
Tu lucri, damni certus & ille ſui.

Conſonans nimirum cum illo Petronij, 33
Petron. in ſatyr.

Ergo iudicium nihil eſt, niſi publica merces,
Atque eques in cauſſa qui ſedet, emta probat.

Plin. lib. 7. cap. 32.
Tholoſ. de Repub. lib. 1. cap. 6. n. 14.
Bruſſon. ex Stob. lib. 3. c. 27.
Et cum ſententia Chilonis, inter ſeptem Sapientes relati, quondam Delphis, ut poſt Plinium, Tholoſanus, & alij referunt, conſecrata, nẽpè *Comitem æris alieni, atque litis, eſſe miſeriam.* Soloſque hos, quos dixi, ex litibus vivere, & ditari conſueſſe. De quibus cecinit Poeta,

Ære Patrocinium vendunt, producere cauſas,
Et lites pendere diù, vindemia quædam eſt.

Ad quæ etiam damna reſpiciens. Nevizanus, ultra alia, quæ in 34
Nevizan. in ſylv. nupt. lib. 6. ex n. 8.
eorum deteſtationem adducit, Iudices hortatur, ut partes ad concordiam ſuadere potiùs, quàm ad litigandum ſtudeant, & in memoriam

notabile illud munimentum revocat, quod ſcriptum eſſe inquit in lapide marmoreo penes ſcalas, per quas aſcenditur Palatiũ Broleti Mediolani, *Quod in controverſiis cauſarum, corporales inimicitiæ oriuntur, fit amiſsio expenſarum, labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa, & inhoneſta crimina deinde conſequuntur, bona, & utilia opera poſtponuntur, & qui ſæpè credunt obtinere, frequentius ſuccumbunt; & ſi obtinent, computatis laboribus & expenſis, nihil acquirunt.* Quod elegãter etiam dixit Caſsiodorus, Iudices admonens, ut his damnis & expenſis modum adhibeant, his verbis: *Prætereà convẽtionibus ſe gravari omnimodis ingemiſcunt: ut ad iudicium deducendi, penè tanta videantur amittere, quanta vix probantur addicti diſpendia ſuſtinere. Vocatio enim Iudicis ſpes iuſtitiæ debet eſſe, non mulctæ: nam ipſe Iudex ſuſpectus redditur, ante cuius audientiam gravamina ſentiuntur.*

Caſsiodor. lib.9. epiſt.19.

35 Et Salva Bonorum (quos plures eſſe non dubito) exiſtimatione, idem Caſsiodorus, malorum Iudicum, Advocatorum, & aliorum, qui ex litibus vivunt, impoſturas, ita deſcribens: *Hi ſunt, qui cauſas protendunt adhibiti, impediunt prætermiſsi, faſtidiunt admoniti, obliviſcuntur locupletati. Hi ſunt, qui emunt lites, vendunt interceſsiones, deputant arbitros, dictata convellunt, attrahunt litigatores, protrahunt audiendos, per plicas inextricabiles retrahunt tranſigentes, &c.* Cui ſimilis Rodericus Zamorenſis Epiſcopus; *Vbi Advocatorum* (inquit) *turba ſtrepit, ibi litium anfractibus tota civitas ardet, nec domus aliqua à litigio vacat; de pace non cogitant, qui cum bello lucrantur, alienas cupiunt controverſias, & propinquorum cauſas exagitat, qui ſuas non litigat, &c.* Noſter Baeza, qui & ipſe Advocatus fuit, & fori malitias optimè calluit, inquiens, quòd indocti, & iniqui advocati, canibus quàm hominibus propriores, per fas & nefas lucellum parant; patrocinium enim non æquitate, ſed pecunia metiuntur, & ſunt publicis latronibus nocentiores, impunè enim, & cum imperitæ plebis laude, in medio foro latrocinantur. Alter Baeza Theologus, docens: *Hanc eſſe communem in forenſibus hominibus malitiam, quæ omnia ferè iudicia, & tribunalia pervadit, ubi cauſæ protrahuntur, dilatantur in ſummum incommodum litigantium, & ut Officiales, & Miniſtri iuſtitiæ, auctiores indè prædas faciant.*

Caſsiod. ſup. Pſal. 73.v.10.
Roder. Zamor. in ſpec.vitæ, cap.18.
Baeza de inop. debit. cap.16. n.147.
Baeza Theol. ſup. Luc. cap.18. to.4. de iud. iniq.

36 Vnde eiuſmodi homines Ludovicus XII. Galliæ Rex, Paulo Æmilio teſtante, Sutorum artificium ſibi vindicare dicebat, quia quòd ſutoris proprium eſt, alutam dentibus producere, hoc etiam illis in dilatandis litibus, Prudentumque reſponſis, & Cæſarum legibus. Et Apuleius, eoſdem, *Forenſes rabulas, togatoſque vulturios* appellitavit, quòd litigantes ſoleant eviſcerare. Ex quo dicto Schoonhovius in malos Cauſidicos, hoc Emblema formavit:

Forenſes Rabulas vocavit ille
Togatos benè vultures; ſed illud
Inter hos tamen intereſt, & illos,
Quod cadavera vultures morentur,
Hi vivis quoque detrahant cruorem.

Æmil. in eius vita.
Apule. de aſin. aur. lib.10. vide eundẽ Apol.1. & Eraſm. in Adag. *Mulctores Reipub. petis*, pag.382. Aſcaff. de Ærario, pag.921.
Schoonh. Emb.34

Ea-

Martial lib.10 epig.57. & lib.2. epigr.90.

Auſon.Edyll.2.

Eaque propter illi ſemper laudati, & fœliciſsimi habiti ſunt, qui ſe nunquam litibus implicarunt, ut ſemel & iterum de ſe ipſo teſtatur Martialis, dum dixit: *Lis nunquam, Toga rara. Sit nox cum ſomno, & ſine lite dies.* Et Auſonius Gallus, qui Patrẽ ſuum ita loquentẽ inducit: 37

Litibus abſtinui, non auxi, non minui rem:
Iudice me nullus, ſed neque teſte perit.

Beyerl. verb. *Lis*, pag.222.

Quo Diſticho, ut Beyerlinchius refert, Abrahami Ortelij peritiſsimi Coſmographi tumulum, in Epitaphij Mnemoſynõ, Iuſtus Lipſius cohoneſtavit.

Plin.lib.6.cap. 22.

Illeſc. in hiſtor. Pontif. Gomar. hiſtor. Ind. 2 par. Herrer. decad. 2. lib.2. c.4. pag.43. & alij apud Me 2. tom.lib.4.c.3. n.1 & 2.

Ordin. ad Nun. Guzman.dat Matrit. 5. April. ann. 1528. & aliæ apud Herrer.ubi ſup.

Boccalin. cẽt.1.c. 79. pag.387. vide Iuſt.Lipſ.in Polit. lib.2. cap.de iuſtitia, in fin.Cotæreũ de iur. & off. mil. cap.9.Carrança de partu, c.2. n.243. pag. 122.& Delriũ in notis ad Senecæ Tragœd. 2. tom. pag 230. Colum. de re ruſt. In præf

Eademque ratione Plinius, cum Trapobanem inſulã, & Antichtonum gentem fœliciſsimam deſcriberet, dixit, apud eas, neque fures, neque lites ullas eſſe. Quod etiam in detectis à ſe Occidentalibus Indiarum Regionibus Chriſtophorus Columbus, & alij ex primis earũ conquiſitoribus ſummoperè deſideraſſe, Gundeſalvus Illeſcas, Gomara, Antonius de Herrera, & alij Auctores enarrant, ideòque inſtãter à Catholicis Regibus expoſtulaſſe, ne ullo modo ad eas Advocati, & cauſarum Procuratores tranſire permitterentur, ut ſic damna iurgiaque ceſſarent, quæ ex eorundem colluviè in Hiſpania, & alijs Nationibus experiebantur. Quod eis, aliquibus Regijs ordinationibus conceſſum fuit, eaſque valdè ab Apolline in Parnaſo approbatas, laudataſque eſſe, lepide recenſet Trajanus Boccalinus, plura alia de eiſdem damnis expendens. Inſtitutum tamen Lacedæmoniorum omittens, qui, ut Nicol. Cragius commemorat; Oratores nullos eſſe in ſua Republica ſinebant, & orationem omninò paucis comprehendi iubebant. 38

Quæ etiam in cauſa fuerunt, ut iam ſuo tempore Columella conqueri potuerit, latrocinium Advocatorum, pro nocentibus, & innocentibus advocantium, permitti intra mœnia, & in ipſo foro; & Seneca dicere: *Luridi, velut canes acerrimi, non niſi oblato cibo manſueſcunt.* Et alibi: *Hæc tot millia ad forum prima luce properantium, quàm turpes lites, quanto turpiores advocatos habens.* 39

Lipſ.d.lib.2.c.10. Petil.lib.5.c.11.& ſeqq. & lib.9.c.11. & ſeqq. Natthen. 2.p.tit.2.cap.1.& ſeqq. Illeſc. in hiſt. Pont. 2.par.

Et ut multi Prudentes, Principes, & alij cordatiſsimi viri, tum in noſtra Hiſpania, tum in Gallia, & alibi, de legibus reſecandis, & in Epitomem redigendis, ſimulque de breviandis litibus, Advocatorumque, & Procuratorum technis, & protelationibus cohibendis, varijs temporibus cogitaverint, ut præter Iuſtinianum, & ſuprà relatos, Veſpaſianus, Carolus Nonus Rex Galliæ, Alfonſus Aragonum I. & alij, quos latè Iuſtus Lipſius, Marcus Antonius Petilius, & Stephan. Natthenus commemorãt. Exemplum Turcarum ſimul adducẽtes, apud quos lites omnes, ſive civiles, ſive criminales, eodem ferè die, quo in iudicium deferuntur, terminari ſolent, ut & in Æthiopia, ſub Potentiſsimo illo Principe, quem Prete Ioannem vulgò vocamus, ubi nullis ſcriptis legibus Reſpublica regitur, & lites ex bono, & æquo breviſsimè deciduntur. 40

Hier.Paul.in prac. Cancel. fol. 54. Ioan. Boter.de rat ſtat.lib.1.cap.

Sunt quoque lectu admodum digna, quæ circa hoc idem deſiderũ Hieronymus Paulus, poſt alios à ſe relatos, & Ioannes Boterus ſcri- 41

bunt.

bunt. Et melius adhuc Philippus Comnæus, loquens de Ludovico Gallię Rege XI. quem inquit: *Voluiſſe per omnem Galliam leges, & conſuetudines omnes ad eandem normam conſcriptas, in volumen aliquod redigi patrio ſermone, ad evitandas fraudes, & expilationes Advocatorum, quæ maiores profectò ſunt in Gallia, quàm in quavis alia regione, quæ mihi nota ſit. Atque hoc ipſum tota ferè nobilitas liquido teſtari poteſt. Quod ſi longior ei vita contigiſſet, nec incommoda fuiſſet uſus valetudine, magno quodam beneficio Galliam affeciſſet, quam ſanè plus, quàm è ſuis maioribus ullus alius afflixerat.*

42 Idem etiam in voto fuiſſe videtur Henrico Regi eiuſdem Galliæ huius nominis III. cuius iuſſu magnus ille I. C. Barnabas Briſſonius ius omne Romanum, & Gallicum in unum volumen Codicemvè redegit, quem Henricianum vocavit, qui tamen receptus non fuit, quoniam ante eius confirmationem, tam iubens, quàm exequens, horribili fato à rebus humanis exemti fuerunt, ut latiùs Antonius Mornacius recenſet, licèt hìc Codex poſteà ſub nomine Henrici, eiuſdem Gallię Regis IV. curante Thoma Cormerio Alenconio, typis mandatus eſſe videatur Lugduni ann. 1602. & dignus quidem ſit, ut in ipſius imitationem ſimilis alius in Hiſpania Noſtra tentetur. Quod tempore Regis, ac Domini noſtri Pijſsimi Philippi III. inſtanter petijt, & multis rationibus fieri debere ſuaſit Licentiatus Lupus de Daza, non malè docto libello ad hoc exarato, in quo qualiter innumeræ leges de contractibus, Teſtamentis, & Maioratibus agẽtes, ad paucìſsimas eaſque breviſsimas reduci poſsint, adhibitis exemplis oſtendit.

Mornacius ad Codic. pag. 3.

Lupus de Daza in libello de Cryſi, ſive iudicio legum, quẽ penes me habeo M.S.

43 Eademque rerum Forenſium experientia, in quibus per tot annos Doctiſsimus Antonius Faber verſatus fuit, & communis querela delitium, & criminalium, & civilium diuturnitate, quæ litigantes tot anfractibus vexat, ac tot ſumtibus fatigatos miſerè afficit, illum coëgit, ut à Principibus, alijſque Legiſlatoribus, qui lites execrantur, & bono publico favere deſiderant, ſummis votis expoſceret, ut in eas reſecandas, & breviandas omnem curam, & induſtriam adhibeant, quadraginta articulos, ſive cautiones, quibus hoc conſequi poſsit, ſatis prudenter adducens. His Articulis addi poterunt alij, qui magis ad rem conducere, videbuntur, neque de ſalute deſperandum, tametſi morbus adeò altas radices egiſſe videatur. Nam ut pręclarè Seneca uno in loco dixit: *Multa non audemus, quia difficilia, quæ quidem ideò ſunt difficilia, quia non audemus.* Et in alio: *Mali Medici eſt, deſperare, ne curet. Idem in his, quorum animus affectus, facere debebit, cui credita ſalus omnium eſt. Non citò ſpem proiicere, nec mortifera ſigna pronunciare. Luctetur cum vitijs, reſiſtat, alijſque morbum ſuum exprobret, quoſdam molli curatione decipiat, citiùs meliuſque ſanatur ijs remedijs.*

Ant. Fab. in Cod. Fabr. 2. tom. lib 9. tit. 22. ex pag. 598. ad 603.

Senec. epiſt. 104.

Idem lib. 1. de clement. cap.

Pareto legi, quiſquis legem tuleris.

EMBLEMA LXIX.



Principis Auſonij, Princeps Prætorius arma
Digna Trajano voce notata capit,
Hoc, ſi fas ſervem, pro Nobis utere ferro,
Sin minùs in Noſtrum prælia ſtringe caput.
Firmius haud aliter, Princeps, ſacra iura parabis,
Quàm dum te ſubdis legibus ipſe tuis.

COMMENTARIVS.

SATIS ſuperque de legum neceſsitate, & utilitate dixiſſe videmur, ſed adhuc non ocioſè adiicere poſſumus, Reges & Principes, qui ſtrictiorem earundem obſervantiam in ſubditis exoptarint, nihil urgentius, & efficacius ad hoc conſequendum edicere, vel efficere poſſe, quàm ſi ſe ipſos illis ſubdiderint, & in maxima libertate, minimam licentiam oſtenderint. Certè enim certè ſic eſt, exaſperat homines imperata correctio, blandiſsimè iubetur exemplo, & ut verbis Claudiani loquar, 1

Claudian. in 4. Conſ. Honor.

--------- Tunc obſervantior æqui
Fit Populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi.

Quem

Quem ſequi etiam videtur Sidon. Apollin. dum dixit: (Sidon.carm.5.)

——————— Cætera tunc paret,
Turba libens, ſervit propriis, quia legibus author.

Et Sanazarius: (Sanazar. in Epigr. ad Feder. Neapol. Regẽ.)

Publica nimirùm ſalus tunc ſibi conſtat, & æquum
2 *Imperium, cum Rex, quod iubet, ipſe facit.*

De quo, tametſi plura congeſſerim ſuprà, ubi Principem ſui populi ſpeculum feci, & Sceptrorũ imitationem potentiſsimã eſſe dixi. Nũc tamen præciſsiùs circa legum obſervationem inſiſtens, præſens Emblema cudendum, atque edendum, ſive addendum, è re eſſe cenſui, quod ex hiſtoria Trajani Imperatoris, inter Romanos celebratiſsimi, ſumitur, quam poſt Dionem Caſsium Nizæum, & Xiphilinum, alij plures Auctores enarrant, qui inquiunt, quòd cum Præfecto Prætorio gladium traderet, quo accingi eum moris erat, illum ſtrinxit, & nudatum tenens, ſic dixit: *Cápe iſtum, et ſi rectè impera vero, pro me; ſin aliter, contra me eo ad interitum utere.* Quamvis alij dicant, quòd id dixit Licinio Suræ, quem quidam, ut Cæſaris inſidiatorem, indicave-
3 rant. (Sup. Embl. 28. & 29. — Dio & Xiph. in vita Trajan. Nicephor. lib. 3. Eccleſ. hiſt. c. 23. Aurel. Vict. Zonar. & alij.)

Et ad hanc hiſtoriam abſque dubio reſpexit Plinius Iunior in Panegyrico eiuſdem Imperatoris, dum inquit: *Ego etiam in me, ſi omnium utilitas ita poſceret, etiam Præfecti manum armavi.* Quo loci, meritò Iuſtus Lipſius in notis, miratur, factũ adeò inſigne, & immortale, verbis ita paucis tactum fuiſſe; cum campum præſtaret, in quo tantus Orator, qui minora diducit, exultare poſſet; nec deceret tam aureã vo-
4 cem, & ſenſum, tam arido, & propero ſtylo tantùm ſtringi. (Plin. in Paneg. — Iuſt. Lipſ. in notis ad Paneg. Plin. vide etiam Pet. Fab. 1. ſerm. cap. 3.)

De more autem tradendi gladij Præfecto Prætorio, & quid per hanc traditionem ſignificaretur, qui plura voluerit, Adrianum Turnebum, & Petrum Fabrum legere poterit, & Doctiſs. Savaronem in illud Sidonij, (Turneb. lib. 12. adv. c. 6. Petr. Fab. 1. ſemeſt. c. 3. Savar. ad Sid. carm. 5)

Ipſi etiam ſtrictùm commiſerat Vlpius Enſem.

Et plenius cæteris Noſtrum D. Garſiam Coronelũ D. Iacobi Equitem, in ſuis doctis Scholijs ad Gongoram, circa illum verſum, (D Garſ. Coron. ad Gong. 3. tom. pag. 442.)

Quando à la pompa ſucedia el decoro
En Eſtoque deſnudo, en Palio de oro.

Quibus addo Olaum Magnum, ſignanter tradentem, Fidei integritatem in externis Regijs Aulis Gothiæ, & Suecię, nunquam meritos eſſe, niſi qui ſtrictum gladium, vel pugionem, per cuſpidem, Principis manu, & munere, Fidelitatis iuramento preſtito, ſuſcepiſſent, ne capulo ſumto, ipſum gladium retorqueãt, in viſcera porrigentis. Quam conſuetudinem notans Nicol. Cauſinus, duos, inquit, ſenſus admittere poſſe: vel enim Fidem erga Principes commendat, vel ipſa Principum dona lubrica, & periculoſa oſtendit, ut quæ adverſum mucronẽ,
5 & pro munere pœnam, intentent accipienti. (Olaus lib. 8. cap. 7. — Cauſin. in Polyſ. ſym. lib. 5. c. 39.)

Porrò, ut ad Trajani vocem redeamus, ex ea ſymbolum ſumſit Iacobus Stuartus Scotię Rex, ut tradit Octavius de Strada intento in (Strada in Symb. pag. 50.)

Regiam Coronam mucronis cuſpide, cum lemmate, *Pro me, ſi merear in me.* Et valdè ei cõvenit vulgatior alia, ſed ſemper memoria tenẽda Imperatorum Theodoſij, & Valentiniani, qui peculiari lege ſanxerunt, *Dignam eſſe vocem Maieſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri. Adeò de auctoritate iuris noſtra* (inquiunt) *pendet auctoritas; & re vera maius imperio eſt; ſubmittere legibus Principatum; & Oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur, alijs indicamus.* Quam legem paraphraſticè exponit D. Iſidorus, & hoc carmine ligavit Guntherus,

L. digna vox, C. de legibus.

D. Iſidor. 3. ſent. c. 53. relatos à Grat a. in cap. 2. diſt. 9 Gũther. in Ligurino, lib. 8 Pittac. apud Auſon. in dicta Sapient.

> *Nam nihil, ut verum fatear, magis eſſe decorum,*
> *Aut Regale putò, quàm legis iure ſolutum,*
> *Spontè tamen legi ſe ſe ſupponere Regem.*

Vide Adag. *Cedro dignum.*

Sumtaque videtur ex Pittaci Oraculo, quod pro lemmate noſtri Emblematis fiximus, *Pareto legi, quiſquis legem ſanxeris.* Ipſamque auro, & cedro dignam vocat Dionyſius Gothofredus ibidem. Et adeò ſimilem aliam in noſtro eodem Trajano Plinius Iunior exaggerat, dũ ſedente Conſule, ipſe ſtans, in leges iuravit, ut ſe ſtupere ad hoc factum fateatur, & nulla non prædicatione dignum, *Feciſſe Principem, quòd privatum, Imperatorem, quòd ſub Imperatore, & ſimili Religione ipſum ſe legibus Cæſarem ſubiecíſſe, quas nemo Principi ſcripſit, & non eſſe Principem ſuprà leges, ſed leges ſupra Principem, nihilque ampliùs ſibi licere voluiſſe, quàm privatis.*

Plin. in Paneg.

L. Princeps 31. D. de legib.

Harmen. 1. §. 48. Cuiac. 15. obſ. 30. Corraſ. 2. miſc. 25. Ant Auguſ. de legib c. 18. Mẽdoç. de pact. c. 5. ex n. 28. & alij apud Cened. in Collect. ad Decretal. 167. n. 5. noviſs. Berneger. ad Tacitum, q. 52.

6 Etenim, quod alibi generalius ab Vlpiano ſcriptum comperimus, *Principem legibus ſolutum eſſe* ad ſolas pœnales, vel caducarias, vel quod attinet ad coërcivam earum vim reſtringi debet, ut omnes, qui benè ſentiunt, intelligunt: nam ſi naturalem rationẽ inſpiciamus, & vim, qua ipſa dictante, dirigimur, aut honeſtatem, quæ in Principibus, quò cæteris maioribus, eò etiam maior deſideratur, ſemper tyrannicum illud, *Licèt, ſi libet* horrere, & fugere debent, ut iam latè ſuprà commoneſeci, & hoc pulchrius, & Regium cum Tragico reputare,

Sup. Embl. 28.

> *Minimum decet licere, cui nimium licet.*

Senec. in Troad. Beyerl. litt. V. pag. 221. & ſeqq.

Et cum Cicerone meminiſſe, *Non ſolùm quantum ſibi commiſſum, ſed etiam quatenus permiſſum ſit*; necnon illud alterius Græci Poetę,

Cicer. in orat. pro Rab.

> *Non fas Potentes poſſe, fieri quod nefas.*

Cui rationi plures alias ex divino, naturali, & civili iure petitas, Ferdinandus Menchaca, Franciſcus Suarez, Philippus Hoënonius, Gregorius de Valencia, Andreas Fachineus, Dominicus Sotus, Gabriel Vazquez, & alij Auctores adducunt, quorum dicta ſigillatim Petrus Canonherius expendit.

Canonh. in Aphor. Pol. 1. to. pag. 402. & ſeqq.

7 Vnde & Symmachus, cum Imperatore Theodoſio ſermonem habens, illud certè multò elegantius eſſe dixit, *Principem legibus ſolutũ non eſſe, ſed videri, pluſque apud eum iuſtitiam, quàm licentiam valere*; quod etiam Caſsiodorus his verbis ſub perſona Theodorici Regis expoſuit: *Et quamquàm poteſtati noſtræ, Deo favente, ſubiaceat omne quod volumus, voluntatem tamen noſtram de ratione metimur, ut illud magis*

Symmach. in orat. pro vet. Deor. cultu.

Caſsiod. li. 1. ep. 12

Idẽ lib. 10. epiſ. 16

æſti-

æſtimemur elegiſſe, quod cunctos dignum eſt approbare. Et iterùm: *Cùm omnia poſsimus, ſola credimus licere nobis laudanda.* In idemque tendũt alia iura quæ docent, *Decere Maieſtatem Imperatoris, eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videatur. Salvaque Maieſtatis reverentia, non dedignari ſibi cum privatis ius eſſe commune, nihilque amplius licere bonis Principibus, niſi quod liceat privatis.* Et Latinus Pacatus, qui meritò Theodoſium commendans, quòd illam, quam tulit ſanctionem, opere ipſo veram reddiderit, ſic ait: *Quid tua intererat te Principem fieri, qui futurus eras in Imperatore privatus? Idem es, qui fuiſti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges licebat. Vnum tibi præſtitit Principatus, ut certum haberemus omnes, etiam ſub Imperatoribus alijs vixiſſe te legibus tuis. Nam qui nihil facit licenter cum poteſt, nunquam voluit.*

Idem lib. 10. epiſ. 16.

L. ex imperfecto 23. de leg. 3. & C. de teſtam. §. fi. Inſt. quib. mod. teſt. inf. cum alijs.

L. ult. C. Theod. de appell. Novell. Anthem. de bon. vacantib.

Pacat. in Paneg. ad Theod.

8 Quos præiens Plutarchus, ſic, non minùs eleganter, quàm ſapienter ſcripſit, *Quis ergo imperabit Principi? Lex omnium Regina, & mortalium, & immortalium. Non ea foris ſcripta in libris, aut ſignis ſculpta; ſed viva ipſius corde inſita ratio, & ſemper cum eo habitans, & convivẽs.* Et Lactantius Firmianus ex Cicerone, idem his verbis edocuit: *Eſt quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna, quæ vocet ad officium iubendo, vetando à fraude deterreat. Neque verò, aut per Senatum, aut per populum, ſolvi hac lege poſſumus.* Quod idem valet atque illud, quod alij tradere ſolent, nimirùm, quoad Deum, qui Reges in ipſos Imperium habet, nullam eos exemtionem habere, eique peccare, & ſuorum exceſſuum rationem, & pœnam daturos, ut M. Antoninus apud Xiphilinum dixiſſe comperitur. Et D. Hieronymus de Davide loquens graviter docuit, ſic illius Pſalmum exponens, *Tibi ſoli peccavi.* Ad quod Anglus etiam Poëta alluſit, dum dixit ſub lemmate eiuſdem Pſalmi,

Plutarc. ad Princ. in doct. cap. 3.

Lactant. lib. 6. divin. inſt. c. 8 ex Cicer. lib. 3. de Rep.

Xiphilin. in M. Antonin.

Ioan. Oven. lib. 3. epigr. 51. pag. 70.

Subditus in legem peccat, Regemque Deumque:
Rex peccat ſoli (Rex quia nempè) Deo.

9 Et quantum hoc ad movendos ſubditos ad eandem legum obſervationem expediat, optimè docuit Seneca, antiquorum Regum, aut verius Philoſophorum, ſimulque Legislatorum ſapientiam, & continentiam referens, & collaudans, in quibus pro ſummo erat Optimus, neque poterat potentior eſſe niſi melior: *Tantum enim* (inquit) *quantum vult poteſt, qui ſe niſi quod debet, non putat poſſe, & officium erat imperare, non Regnum.* Et idem ſentiens Caſsiodorus, & quòd ex iubentis exemplo iuſſorum extemplo auctoritas comparatur, Theodoricum Regem inducit, navigationi ita conſulentem, ut etiam in prædijs Regalibus abſcindantur ligna neceſſaria fabricandis apta dromonibus, hanc rationem adiiciens: *Volumus enim hoc exemplum à noſtris prædijs incohare, ut nulli gravis ſit iuſsio, quæ conſtringit & Principem.* Et alio in loco inquit: *Opto meis benè, ſed quod poſsit eſſe commune, quia magnæ iniuſtitiæ genus eſt, aliud ſibi Iudicem velle, quàm poteſt generalitas ſuſtinere.*

Senec. epiſt. 90.

Caſsiodor. lib. 5. epiſt. 18.

Idẽ lib. 12. epiſt. 15

10 Quibus teſtimonijs alia eruditè adiicit Dionyſius Gothofredus omninò legendus. Et eis addi poſſunt exempla Zaleuci Locrenſis,

Gothofr. in not. ad Novel. Iuſt. 105. c. 4. Colum. pag. mihi 412. & ſeqq.

ſe,

Diodor lib. 12. Valer. lib. 6. cap. 5. Rhodig. lib. 18. c. 19. Torres in Philoſoph. Princ. lib. 3 cap. 14. & 15.

ſe, filiumque ſimul, ut ſuæ legi pareret, oculo orbantis, Carondæ Thurienſium Legislatoris, & Diochs Syracuſij, ob ſimilem cauſam ſe ipſum interficientis; uxoris Lycurgi ab eodem damnatæ, quia adverſus legem deliquerat, quàm eius vir fecerat, ne mulieres in feſto myſteriorum curru veherentur. Manlij Torquati, filij morte militarem diſciplinam ſibi illo antiquiorem, & chariorem eſſe oſtendentis, & alia quæ Diodorus Siculus, Valerius Maximus, & alij Auctores latiùs enarrant.

Carroc. de dict. mem.

Phil. Iud. in lib. de Iudice.

Nec omittere poſſumus memorabilem conſuetudinem Imperatoris Caroli Magni, qui ut Ægidius Carrocetus ſcribit, gladij capulo, cui inſignia ſua inerant, edicta ſignabat. Eiuſdem enim eſſe dicebat, & confirmare, & defendere leges. Et inſignia verba Philonis Hebræi, qui egregiè inquit: *Abſurdum enim fuerit, eos in culpa hærere, qui iura præſcribunt alijs: quandoquidem ab his potiſſimum exemplum vitæ petendum, ſicut enim ignis, quæcunque admoventur calefaciens, ipſe primùm innata ſibi vi calet; nix contrà, ſuaptè natura frigida, infrigidat & alia: ſic iudex ipſe debet eſſe plenus iuſtitia, ſi alijs ius adminiſtraturus eſt, à quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia ſitientibus iuſtitiam.* 11

Caſsiod. li. 1. epiſt. 4. lib. 6. epiſt. 21. & lib. 11. epiſt. 8. vide ſup. Emb. 29. Britan. ad Suet. pag. mihi 223 & Tiraq. de pœn. tēp. cauſ. 31. ex n. 58.

Camer 1. ſubceſs. cap. 88. pag. 413.

Panormit. lib. 5. de reb. Alfonſ.

12 Quibus verbis mirè conveniunt alia Caſsiodori, & aliorum, quæ plenius ſuprà tranſcripſi, & Philippi Camerarij doctrina ab alijs Auctoribus inſinuata, qui licèt Democratiam non probent, Regem tamē: Monarcham, ita attrictum legibus eſſe volunt, ut Rex ſit lex loquens, lex verò Rex mutus, id eſt, ut Rex & Populus communicato conſilio communiter ſtatuant, & pro viribus obſervare, & conſervare ſtudeāt, quod ad omnium ſalutem communiter faciat. Prout & ſuo dicto oſtēdit Alfonſus Aragonius, cui teſte Panormitano frequens in ore erat: *Ineptè agunt Principes, qui alijs honeſtè beatèque vivendi leges proponunt; ipſi verò nihilo temperatiores melioreſvè ſe præbent.*

Caſsiodor. lib. 10. epiſt. 5.

Idē lib. 12. epiſ. 1.

13 Quod quidem adeò eſt verum, & neceſſarium, ut non ſolùm in ſe, verùm & in ſuis domeſticis, & neceſſarijs eandem obſervationem legum, & morum integritatem, ob eaſdē rationes curare Principes debeant, ut idem Caſsiodorus ſub perſona Theodadi Regis graviter monuit, ſic inquiens: *A Domeſticis inchoare volumus diſciplinam, ut reliquos pudeat errare, quando noſtris cognoſcitur excedendi licentiam non præbere.* Qui & ipſe, eidem monito inſiſtens, luculētius adhuc, ſic alibi loquitur, *Per milites ſuos Iudex intelligitur: & ſicut diſcipuli Magiſtri ſcientiam produnt, ſic nos obſequentium mores aperiunt. Præceps non putatur obſervaſſe moderato; avarus non advertitur continenti; ſtultus prudentibus ſerviſſe non creditur. Periclitamur fateor in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis, & quod nulli accidit veſtrum, alienum vitium, noſtrum celebratur opprobrium.*

Ego 2. to lib. 4. c. 9 n. 28. & 29.

D. Proſp. lib. 1. de vita contēp. c. 20.

14 Quo fit, ut qui clavum Reipublicæ tenent, in utroque foro pro factis, & dictis ſuorum domeſticorum regulariter teneantur, ut ex Cicerone, pluribuſque alijs Politicis, & Iuridicis Auctoribus, latè alio loco probavi; & optimè D. Proſperus Aquitanicus docuit, ſic inquiens: *Superior ſanctè vivere debet propter exemplum, certus, quòd ei nihil ſua*

iuſtitia ſuffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Et quid ei proderit, non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato?

5 Extatque in huius doctrinæ comprobationem, & magnæ, quæ ex eadem reſultat utilitatis demonſtrationem, optimum exemplum, quod, poſt alios, Iuſtus Lipſius adducit, de Iuſtino Curapalate Imperatore Bizantij, qui cum quemdam ex ſuis, Præfectum Prætorio, cum plena poteſtate in certum tempus conſtituiſſet, intra quod ſe urbis enormia ſcelera exterminaturum promiſsit, & primus ex eiuſmodi delinquentibus, quidam ex illuſtribus, & valdè ipſi Imperatori gratioſus Senator accuſaretur, dum ipſius capturam geſtit, illum apud Imperatorem convivantem reperijt; cui hæc libera verba profatus fuit: *Imperator iuri dicundo Præfecturam à te habeo: & ab ipſo te auxilium, & præſidium meritò ſperabam. Nunc quid? Video his oculis homines palam iniurios, & legum non fractores ſolùm, ſed ſpretores, aut illuſores, in tua domo, gratia, menſa eſſe, itaque ſigna hæc tibi habe irritæ poteſtatis, Ego abdico.* Quibus auditis Imperator, mirari, & excitari cœpit. Et *Tu verò* (inquit) *quod es, eſto: & ius tuum, vel in me, quid ni meos? exerce. Duc ſi peccavi, ſequor: duc ſi quis alius, & ſequetur, aut trahetur.* Quo accepto reſponſo, Præfectus iam animo erectior, oculos & manus in illum Senatorem coniicit, per apparitores renitentem etiam trahit, atque in iudicio convictum, damnatumque, primùm verberibus afficit, tum & grandi pecunia mulctat. Hic ictus, qui tam validum illum concuſſerat, multos terruit; & in paucis diebus vim & vitã iuſtitia recepit.

Lipſ. in monit. & exemp. lib. 2. c. 10 de legib. pag. mihi 205.

6 Par quoque rectitudo in legibus ſervãdis iuſtitiaque etiam in ſuos familiares adminiſtrãda, in Auguſto Cæſare, Ludovico Galliæ Rege, Erchimbaldo, & alijs enituit, quorum exempla ſuprà recenſui. Et eximia in hoc, Noſtri Trajani virtus, tantum ei gloriæ, atque honoris paravit, ut de eo, inter plures alias laudes, dicere eximius eius Panegyriſtes potuerit, Senatum ſub ipſo, non ut anteà, *In Curiam ad certamen adulationum, ſed ad uſum, munuſque iuſtitiæ, veritatiſque conveniſſe.* Et Martialis, eundem zelum, eademque ferè Plinij verba, celebri illo Epigrammate immortalitati ſacrare, quod ſuprà in ſecundo Emblemate retuli, ibi: *Sed iuſtiſsimus omnium Senator.*

Sup. Embl. 63.

Plin. in Paneg.

Mart. lib. 10. epig. 72.

Sup. Emb. 2. n. 12.

7 Unde in electione, & acclamatione ſequentium Imperatorum Deos precabantur, ut illos Trajano ſimiles faceret, inquientes: *Auguſto fœlicior, & Trajano proboſior.* Et Aurelius Victor, ab Eminentiſs. Baronio citatus, ſolum Theodoſium Magnum eo meliorem auſus fuit affirmare. Tantumque eidem, ob eandem iuſtitiæ & legum obſervantiam, aliqui tribuunt, ut Divum Ioannem Damaſcenum ſequuti, ſeriò dicant, & ab aliorum impugnationibus defendere conentur, precibus intenſiſsimis Divi Gregorij Magni ab inferis liberatum, & in cœlum translatum fuiſſe. Quod qualiter contingere potuerit, & intelligendum ſit, ne Catholicæ Fidei repugnet, integro, ſatiſque erudito libello Fr. Alfonſus Ciaconius Dominicanus proſequitur, & laudatis in eandem rem D. Antonino, Cano, Soto, Ægidio Romano, Navarro, Aléſi, Revelationibus SS. Brigitæ & Mathildis, Bellarmino,

Aurel. Victor. in Theodoſ. Baron. an. 395. pag. 727.

D. Damaſcen. in orat. pro fidel. defunct. & alij apud Larreã deciſ. Granatẽſ. ult. 3. p. n. 67 ubi plures pro & contra congeſsit, Navar. de orat. ex pag. 495. & Mour. de incant. ex pag. 18. & 125.

Alf. Ciacon in opuſc. de anim. Trajani.

Benzon. de anno iubil.lib.2.cap.45. pag.272.&in trac de fuga temp.peſt.

&Enriquez,& alijs,tradit Rutilius Benzonius, qui omninò legendus erit.

Ioann Diac.in vita D.Greg.li.2.c.44.

Hieron.Cardan.in Apologia pro Nerone.

Tacit.li.1.hiſt.c.1.

Aurel.Vict.in Trajano.

Buxhor.orat.4.

Et quamvis Ioannes Diaconus affirmet,Eccleſiam Romanam nũquam hanc hiſtoriam recepiſſe, multoſque non credere illam orationem, in qua narratur D. Damaſceni eſſe, extentque Auctores nonnulli, qui eidem Trajano gravia vitia ebrietatis, Sodomiæ, impietatis, & crudelitatis in Chriſtianos, & alia obiiciant, quibus ſuas virtutes ſpurcavit, & tali tamque ſingulari favore, & privilegio ſe indignum reddere potuit. Satis tamen ad accendendum zelum iuſtitiæ,& vigoris legum,in Chriſtianis Principibus ſufficit, quòd vel in impio, tot adeò graves Auctores eius ſalvationem ob hanc virtutem propugnent. De cuius etiam laudibus Tacitus ſecuriorem,uberioremque materiam ſenectuti ſuæ ſe repoſuiſſe teſtatur; rara temporum fœlicitate,ubi ſentire quæ velis,& quæ ſentias,dicere licebat. Quod tamen opus, ut & alia eiuſdem Auctoris, iniuria ætatis nobis invidit, ſed in eius ſolatium Plinium, qui pro multis valet,habemus, & Eutropium, & Sextum Aurelium Victorem, qui de eo quoad hanc virtutem, de qua agimus, ſic ſcripſit: *Trajanus iuſtitiæ, ac iuris humani, divinique, tam repertor novi, quam inveterati cuſtos fuit.* Et extat noviſsimè in eiuſdem laudem non in elegans oratio. M. Zuerij Buxhornij, quam qui de eo plura velit legere poterit; ubi, inter plura alia, ſic de eo, quoad hanc iuſtitiæ virtutem, de qua modo agimus ſcriptum reliquit: *Prima ætate vigilias, & cætera belli munia pari ſemper animi conſtantia exſequebatur, ut parere prius diſceret, quàm imperare. Mandatas ſibi provincias pari iuſtitia continuit, maior privato, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax Imperij, niſi imperaſſet. Paruit tandem & Imperium accepit, non tam ut imperaret, quàm ut decus & maieſtatem Reipublicæ tueretur, &c. In qua adminiſtranda bonorum (quod præcipuum Imperij inſtrumentum) conſilijs utebatur. Non quòd eorum induſtria egeret, ſed quod ita in famam, & Rempublicam videretur. Fecit ut auctoritas Senatui, obſequium civibus, omnibus fiducia rediret. Habebant boni innocentiæ vindicem. Inveniebant in illo mali, quod ſequerentur. Iuſta in omnibus iudicia explevit, nihil factum, quo cuiuſquam ſalus læderetur.*

Sub eoque, ut olim procacitatis petulantiæque, tunc modeſtiæ, & virtutis certamen erat, &c.

Nulla fraus tuta latebris.

EMBLEMA LXX.



Sit licèt obſtruſo Coluber concluſus in antro;
Cervus anhelanti detrahit ore neci.
Iudicis en munus: nullis delicta latebris
Tuta ſinat: virus detegat arte latens.

COMMENTARIVS.

1 AD iuſtitiæ legumque vigorem, quem ex Regum cura, & ſolicitudine pẽdere, in ſuperioribus diximus, illud quoque ducimus pertinere, ut per ſe, & vigilantes alios Iudices, & Quæſtores, in facinoroſos inquirant, populumque ſuum ab ea fece hominum, cuiuſcunique ſint ſortis, expurgent, qui nõ ſolùm peccatis, ſed exemplis nocent, nulliſque favoribus, nulliſvè latebris, aut ſubterfugijs, eorũ gravia flagitia inulta prorepere ſinant.

2 Nam ſi contra illos iubentur inſurgere leges, & armari debere iura, ipſa iura proclamant, quemadmodum vir Sanctus eſt lex viva, quæ vitæ modum, & rationem præſcribit, & Sacræ Scripturæ præcepta cõtinet, ut graviter Auguſtinus, Gregorius, & Philo Iudæus advertunt. Sic etiam ſceleratus, affectus debitis ſuę iniquitatis ſupplicijs, lex itẽ viva eſt, quæ alijs peccatorum gravitatem oſtendit, monetque, ut ab illis quàm longiſsimè abſiſtant; ut optimè inſinuavit Maro dum Phlegiam in medijs tormentis inducit, ita, tanquam ſi lex viva foret, cæteros ſuo exemplo monentem:

L. cùm vir, C. de adulter. l. cõgruit, de off. Præſid. cũ alijs.

D. Auguſt. lib. de meno. 45. tom. 4. Gregor. homil. 10. ſup. Ezech. Phil. in lib. de Abrah.

Virgil. 6. Æneid.

------ ------ Phlegyaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per umbras,
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere divos.

Herod.lib.1.

Quod & ipſum Cambyſes apud Herodotum oſtendit, dum filium, ad iudicandum, in ſella ex patris ſui pelle contecta, qui ſordidè ſe in eodem munere habuerat, conſedere præcepit, ut ſic, ex hac veluti lege doceretur, quem modum in iudicando tenere deberet.

Lucian.in Minoe.

Coſtal. in pegm. pag.174.&Seneca epiſt.16.

Et licèt Soſtratus ab impio & Atheo Luciano introductus, in quodã dialogo ſumma contentione à Minoe impetrare conetur, eorũ quæ turpiter, & flagitioſè egerit, non iure à ſe pœnã expeti, quòd ea facinora, neceſsitate fati, & propter antecedentes cauſas, non ex animo geſſerit. Hic tamen error meritò ab alijs exploditur, & præſertim Seneca, eis reſpondente, qui ob hanc Fati cauſam, nec virtuti, nec Philoſophiæ operam dandã arbitrabãtur, quæ enim cõtra ius & leges facta ſunt, futura ſanè erãt, cum evenerint, ſed tamẽ à volũtate facta ſunt. 3

L. Imperatores, D.de iure Fiſci, l.2 D.quod vi, aut clã, princ.Inſt.de obligat. quæ ex delict. ubi DD. & alij ap. Pinel. in Auth.niſi tricennale, n.30.& Molin.de primog. lib.41.n.11.Ego 2. tom.lib.2. cap.25. n.72.

Ariſt.5.Ethic.

D.princ. de oblig. quæ ex delict.cap. nõ eſt cuiquam, c. meritò 5.q.1.

Vnde rectè Noſtri nos docent Iuris-Conſulti, ſe ipſum voluntariè pœnæ ſubdere, qui deliquit, & quaſi in pœnam quodammodò contrahere, & conſentire. Et quamvis Ariſtoteles has obligationes, quæ ex delictis oriuntur: *Præter animi ſententiam evenietes*, appellet, id ita accipi debet, non quòd ſine voluntate, vel etiam ſine dolo admittantur, ſed quòd in contractibus voluntatem mutuã ſpectamus, quæ propter futuram obligationẽ intervenit: at nemo ideò deliquiſſe præſumitur, ut ſe obligaret, nec ea mens fuit delinquẽtis, ſed lucri capiẽdi, vel dãni inferendi. Ideòque res ipſa, & exitus ſpectatur, & obligatio ex re, id eſt, ex ipſo maleficio procedit, ut Iuſtinianus interpretatur. Quod, qui ſciẽs pœna ei impoſitam perpetrat, in ipſum, & in ipſam ſponte, & deliberatè conſentit. 4

Canonh.in Aphor. Polit. tom.1. pag. 379.

L.licitatio, §.quod illicitè, D.de publ. l.ſi à reo, §. fin. de fideiuſſ. l. capitaliũ, §. famoſos, D. de pœn. Agel.lib.6.c.14 Alex.3.Gen.c.5. Ego, cum alijs, 2.tom.lib.4.cap.5 n.6. Rhodig. lib. 11.cap.3.

Nec minori ratione explodendi quoque, & longè amandandi ſunt illi, qui negant, Principibus, vel Iudicibus, in facinoroſos inquirere convenire, & ex officio, parte non petente, ad eorum punitionẽ procedere, futilibus quibuſdã rationibus moti, quas Canonherius adducit, & Turcarũ exẽplo, qui hunc morẽ ſervare dicuntur; necnõ & Medici, qui non debet niſi accerſitus, morbos inquirere. Etenim, ut benè idem Auctor ſubiungit, licèt hoc in minutis delictis admitti poſsit, in quorũ inquiſitione Iudices aliqui nimis importuni eſſe ſolẽt, & magis ad avaritiam, quàm ad morum emendationem intendunt; in gravibus autem, quomodocumque ad eorum notitiam pervenerint, ſui officij ratio deſiderat, ut nullum non lapidem moveant, in facinoroſis inveſtigandis, & competentibus ſupplicijs afficiendis, quorum exceſſus, atque flagitia, non ſolùm privatis, qui ex eiſdem in damno & iniuria verſantur, officiunt, verùm & univerſam Rempublicam gravant, & Maieſtatem, atque Auctoritatem Principum, quibus ſubſunt, quodammodo lædunt, ut ſignanter Paulus Iuris-Conſultus ſcripſit, & A-gellius, & alij, qui cauſas, & rationes ob quas delicta puniri debeant, & ſoleant, latiùs examinant; & optimè etiam Caſsiodorus, dum ait: *Iniuria quidem noſtra eſt læſa iuſtitia: quia violationes earum* 5

re-

rerum meritò ad nos trahimus, quas amamus. Vnde illud maximè inultum eſſe non patimur, quod in contemtum noſtræ iuſſionis cõſtat admiſſum, &c.

6 Et in noſtri Emblematis terminis, ultra plura alia, quæ ſupra contra Reges, & Iudices deſides in adminiſtranda iuſtitia congeſsi, eleganter Vlpianus I.C. ſic inquiens: *Congruit bono, & gravi Præſidi curare, ut pacata, atque quieta provincia ſit, quam regit. Quod non difficilè obtinebit, ſi ſolicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat. Nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures, conquirere debet, & prout quiſque deliquerit in eum animadvertere. Receptatoreſque eorũ coercere, ſine quibus latro diutius latere non poteſt.* Quo loci, ut illud obiter animadvertam, Eminentiſs. Cardin. Baronius, ſub verbo illo, *Sacrilegos*, Vlpianum, qui fuit Chriſtianorum acerrimus hoſtis, eoſdẽ Chriſtianos intelligere voluiſſe, inquit. Quos, & alibi, *Impoſtores* vocavit, iuxta veram lecturam, & eiuſdem nominis ſignificationem, quã Alciatus, Duarenus, & alij recenſent.

Sup Embl. 19.

Vlpian. in l. congruit 13. de offic. Præſid.

Baron. in Martyrolog. die 1. Ianuar.

L. 1. verſ. *Non tamen*, D. de var. & extr. cognit.

Alciat. 8. pa rer. c. 23. Duaren. de ſac. Eccl. miniſt. lib. 2. c. 14. verſ. *Tertius gradus*, Turrian. in Conſt. Apoſt.

7 Et ad eandem curam reſpiciens Paulus I.C. illam Præſidibus cõtra quoslibet in Principum mandatis iniungi, his verbis oſtendit: *Nam & in mandatis Principum eſt, ut curet is, qui provinciæ præeſt, malis hominibus purgare provinciam, nec diſtinguitur unde ſint.* Noſter quoque Rex Sapiens Alfonſus, in quadam ex ſuis legibus, hoc eſſe proprium Regum munus, ſic diſſertè demonſtrat: *E ataje los malos del Reino, con la eſpada de la juſticia, è arranque los Torticeros, echandolos de la tierra, porque no fagan daño en ella.*

Paul. I.C. in l. Præſes 3. de off. Præſ.

L. 2. tit. 10. par. 3.

8 Poſſemque facilè plura alia teſtimonia in hoc idem tendentia cõgerere, quorũ plurima ex Marco Mantua, Velleio Guevara, Bobadilla, Lanceloto Conrado, & Zipæo, ſi velit, Lector petere poterit. Sed pro multis addidiſſe ſufficiet reconditum illud Tertulliani, qui Trajani famigeratum reſcriptum recenſens, & taxans, quoad Plinij Iunioris epiſtolam reſpondens, edixit, in poſterum inquirendos Chriſtianos non eſſe, accuſatos verò & oblatos puniendos eſſe, de quo etiã latius Paulus Oroſius, & Euſebius ſcribunt, ſic ait: *O ſententiam neceſsitate confuſam. Negat inquirendos innocentes, & mandat puniendos ut nocentes: parcit, & ſævit, diſsimulat, & animadvertit. Quid te ipſum cenſura circumvenis? Si damnas, cur non & inquiris? Si non inquiris, cur non & abſolvis? Latronibus veſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur. In reos Maieſtatis, & publicos hoſtes, omnis homo miles eſt, ſolum Chriſtianum inquiri non licet, offerri licet: quaſi aliud actura eſſet inquiſitio, quàm oblatio? &c.*

Mãtua Sing. 603. Velleius in d. l. de off. Præſid. Bobad. lib. 2. c. 13. per tot. Lancel in Temp. Iud lib. 1. cap 7. n. 16. Zip. de Iud. & Magiſtr. lib. 3. c. 9.

Tert. in Apolog.

Plin. Iun. lib. 10. in epiſt. Traj. 110.

Oroſ. & Euſeb. lib. 3.

9 Ex quo ſatis apparet, quàm ſit & fuerit ſemper conſtans, & certum in quoslibet criminoſos, & facinoroſos homines, etiam ex officio inquiri debere, cum gravis hic Auctor, Trajanum, vel ex hac ratione meritò carpat, quòd Chriſtianos, quos ſceleratos putabat, & puniri iubebat, inquiri vetaret. Sed audi etiam Caſsiodorum ita hãc in omnibus iudicibus obligationem exponentem: *Sit Iudicibus vigor ex legibus. Subſellia non deſinant iura malis moribus intonare, timeat latro iudicium, quod ſemper expavit. Adulter gremium iudicis intremiſcat. Falſarius vocem præconis exhorreat. Fur fora non rideat; quia tunc liber*

Caſsiod. li. 12. epiſt. 5.

tas gaudet, ſi talia non lætentur, &c. Nullus opprimat indigentem, invadite pervaſores, inſequimini perſequentes.

Eandemque pervigilem, & indeſinentem hac in parte Regum, & aliorum Gubernatorum curam, veteres per Ciconiam ex alta turri campos ſpeculantem, ut Pierius, poſt alios, tradit, denotare ſolebant, eò quòd hęc avis, alioqui pietatis, gratitudinis, iuſtitiæ, & aliarum virtutum cultrix, in lacertos, colubros, noxiaque quævis alia, & venenata animalia, ex alto oculorum aciem intendat, & propero volatu, ſimul atque illa conſpexerit, in ipſorum exitium exterminiumque feratur. Qua de cauſa, ut Plinius, Plutarchus, & alij latè recenſent, apud Theſſalos, & alias ubique nationes, nefas Ciconias occidere viſum fuit. Quam eiuſmodi aviũ naturam, pungit Virgilius, dum dixit: 10

Pier. li. 17. pag. 126 & alij ap. Bobad. ſup.

Plin. lib. 10. c. 23. Plut. in lib. de Iſid. & Oſirid. & alij apud Camer. 3. ſub ciſ. c 66. Cauſin. in Poliſtor. lib. 6. c. 40. & 41. & Me in tract. de parric. lib. 2. pag. 111.

--------------- *Cum verè rubenti*
Candida venit avis longis inviſa colubris.

Virg. 2. Georg.

Vbi Servius, Cerda, & alij eius Expoſitores plura notarunt, ex eadẽque, ultra Pierium, peculiaria ſymbola, ſive Emblemata, in rẽ de qua agimus, formarunt Adrianus Iunius, cuius iam alio loco carmina delibavi, & noviſsimus Noſter D. Didacus Saavedra, Egoque hoc etiã quandoque, ſub his verſibus comprehendebam:

Iunius Emb. 17. cuius memini ſuprà Embl. 64. Saaved. Empr. 25.

Maligna viro corpora perforat
Ictu tenaci docta Ciconia,
Horrenda ne extent impunita
Monſtra, pervagatura ſæva.
Ergo potentes excute ſordidos
Rex ipſe, Regnis peſsima moribus
Impura ſpargentes, iniquos,
Finibus eiiciaſque Regni.

Nunc verò, quia minùs vulgare viſum eſt, ſed æqualis potentiæ, ad idem ſignificandum, Regeſque, ac Principes commonendos, ut alma civili iuſtitia delinquentes coërceant, & illecebram veniæ, & impunitatis ſpem à Rep. exterminẽt; civitateſque, ac populos, ceu Herculea clava, Lernæis nocentium monſtris expurgent, hoc, quod vides Cervi ſymbolo, ſeu ſimilitudine utimur, cuius natura talis eſt, ut ſic de eo Plinius ſcribat, *Eſt ijs cum ſerpente pugna, veſtigant cavernas, nariumque ſpiritu attrahunt renitentes. Idem ſingulare abigendis ſerpentibus odor aduſto cervino cornu.* Quam eandem naturam, ſeu proprietatem, melius adhuc expoſuit Ælianus his verbis: *Mutuo inſe odio omne ſerpentium Cervorumque genus flagrat inexpiabili. Serpentem Cervus longè latèque inquirens, tandem in illius veſtigia, longis flexionibus apparentia, iucundè pervenit, naribuſque ad cavernam admotis, ad pugnam, pugnare nolentẽ ipſum, profert. Serpens extracta in altum tollit collum, & crepitu dentiũ horribilis eſt, & acerba ſibila anhelat: contrà Cervus, ridenti ſimilis, è veſtigio inaniter pugnantem, & Cervi collum, & crura circumplicantem, in ſexcenta fruſtra lacerat, &c.* 11

Plin. lib. 8. cap. 32.

Ælian. de hiſtor. anim. lib. 6. c. 11.

Et ad hoc reſpiciens, ſive alludens Carolus XI. Valeſius Franco- 12

rum

rum Rex XXVI. Octavio Strada narrante, eodem noſtro Emblemate, & lemmate utebatur, ſuam vigilantiam in perquirendis, & puniendis ſibi inviſis, ſuævè Reipublicæ noxijs hominibus, eo ſignificare prætendens. Strada in Symbol. pag. mihi 41.

13 Et quoniam in Elephanto eadem quoque proprietas invenitur, & nunquam, ut plures tradunt, poplitem flectit, eundem etiam, pro ſymbolo iuſti, & vigilantis Regis, ac Gubernatoris ſumi ſolere, Petrus Matthæus in ſuis narrationibus prodit. Pantheræ quoque ſimilem naturam, & ſignificationem Boni Principis, Bartholomæus Anglicus, & Petrus Bercorius attribuunt, quoniam cum cætera animalia ad ſe ob mirabilem pulchritudinem attrahat, ſola venenata, vel fugat, vel enecat. Quod in cauſa eſſe, ut nobiliſsima Lucenſis Reſpublica eandem pro inſignibus habeat, noviſsimus Lælius Altogradus latè proſequitur. Pet. Matth. in narrat. Anglic. poſt Phiſiolog. de Genuin. rer. propr. li. 18. c 80. Bercor. in reduct. mor. lib. 10. c. 79. num. 4.

14 Et quidem, licèt inficiari nequeamus, nullam unquam Rempublicam fuiſſe, nec eſſe poſſe, quæ peccaminoſis, & ſceleratis hominibus careat, quia ut Tacitus dixit: *Vitia erunt, donec homines*; & iuxta Senecæ traditionem, *Hoc maiores noſtri queſti ſunt, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas, & in omne nefas ruere.* Mali enim ſemper ad mixti bonis, vel in ſanctiſſimis familijs fuiſſe leguntur, ut pluribus Sacræ Scripturæ exemplis Eraſmus obſervat. In eo tamen Boni Principis, ac vigilantis Gubernatoris præcipuum munus, iuge ſtudium, & ſolers cura conſiſtere debet, ut vel ob hoc ipſum, magis in exquirendis, & puniendis ſontibus ſatagat, quò plures eos eſſe cognoverit, ut diſertè Claudius Saturninus ſcripſit. Atque, ut præclarè Symmachus dixit: *Tantùm denuò legibus ſeveritatis addiiciat, quantum flagitia creverunt.* Horatianum illud obſervans, Altograd. in epiſt. dedic. ad ſua Conſilia. Tacit. 4. Annal. Senec. lib. 1. de benef. cap. 10. Eraſm. cent. 3. epiſt. 41. Saturn. in l. aut facta 16. §. fin. D. de pœn. Symm. lib. 2. ep. 13

Non poſsis oculo, quantum contendere lynceus,
Non tamen idcircò contemnas lippus inungi:
Nec, quia deſperes invicti membra Glyconis,
Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra;
Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.

Horat. lib. 1. epiſt. 1. ad Mæcenatem.

15 Vnde D. Paulus Regem, quem Dei Miniſtrum eſſe definit, vindicem quoque in iram eſſe debere ait, contra eos qui malè agunt. Et D. Petro, quoniam in Eccleſiæ Principem parabatur, ut alteri noſtri Emblematis cervo, in mentis exceſſu, Sindon illa de cœlo ſerpentibus plena comparuit, vocemque præcipientem audivit: *Surge Petre, occide, & manduca.* Et per Oſeam Prophetam Dominus ſe graviter Principes caſtigaturum minatur: *Qui peccata populi comedunt, & ad iniquitatem eorum, ſublevant animas eorum.* Quo loci D. Hieronymus, tunc devorare inquit, cum ea non arguunt, & conniventia patratorum ſcelerum, novis occaſionem concedunt. D. Paul. ad Rom. 3. 4. Act. Apoſt. 10. 13. Oſeæ 4. 8.

16 Docente quippè Caſsiodoro: *Malum cum perſeverat augetur, & remediabile bonum eſt in peccatum, accelerata correctio; quando & hoc pietatis genus eſt, coercere infantiam criminis, ne inveneſcat augmen-* Caſsiod. lib. 3. epiſt. 14. & lib. 5. epiſt. 39

Idem lib. 12. epiſt. 5.

tis. Qui & ipſe alibi, nõ minùs eleganter, hanc inquirendorum, & puniendorum gravium criminum neceſsitatem, & utilitatem, his verbis expreſsit: *Sit Iudicibus vigor ex legibus. Subſellia non deſinant iura malis moribus intonare. Timeat latro indicium, quod ſemper expavit; Adulter gremium Iudicis intremiſcat, Falſarius vocem præconis exhorreat, Furfora non rideat. Quia tunc libertas gaudet, ſi talia non lætentur. Nullus opprimat indigentem: invadite pervaſores: inſequimini perſequentes: eſt vobis competens pugna civilis. Omnia pacata vos redditis, ſi duces ſcelerum comprimatis.*

D. Cypr. epiſt. 2. Arnob. lib. 7. D. Chryſoſt. ſerm. de Abſalon. D. Aug. & Gregor. apud Gratian. in c. ſi ea, 50. 23. q. 4. L. ſi apparitores, C. de cohort.

17 Neque aliud ſenſit D. Cyprian. dum dixit: *Conſenſere iura peccatis, & cœpit publicum eſſe, quòd illicitum eſt.* Arnobius: *Creſcit multitudo peccantium, cum redimendi ſpes datur, & facilè itur ad culpas, ubi eſt venalis ignoſcentium gratia.* D. Chryſoſtomus inquiens: *Semper ſcelera dum non reſecantur, increſcunt, & in multitudinem facinorum proſilitur, quoties ſecura impunitate peccatur.* Gravius adhuc, poſt D. Auguſtinũ, D. Gregorius a Gratiano relatus, inquiens: *Si ea de quibus vehementer Deus offenditur, inſequi, vel ulciſci differimus, ad iraſcendum utique divinitatis patientiam provocamus.* Et Imperatores Honorius, & Theodoſius, qui apparitores, criminoſos fugientes, ſubſequi iubent, & latitãtes, pro qualitate peccati, ſententia damnari, hanc rationem reddentes: *Veniam enim talibus non permittimus, nec indulgentiis crimina ſublevamus.*

L. per omnes 3. C. de defenſ. civit. lib. 1. tit. 11. C. Theod. Ælian. de var. hiſt. lib. 14. c. 27.

18 Idem quoque Theodoſius, dum alibi, per omnes regiones, in quibus fera, & periculi ſui neſcia, latronum fervet inſania, probatiſsimos quoſque, atque diſtrictiſsimos defenſores mitti præcepit, qui adſint diſciplinæ, & quotidianis actibus præſint, eos tales eſſe debere addit, *Qui non ſinant crimina impunitate coaleſcere, & removeant patrocinia, quæ favorem reis, & auxilium ſceleroſis impertiendo, maturari ſcelera fecerunt.*

Salvian. de provid. Dei, lib. 7. Senec. in Hercul. furent. Ego in tract. de parric. lib. 1. c. 1. & 2. & 2 to. lib. 4. c. 5. n. 6. & ſeqq. Cabrera in tract. de Tripl. c. 1.

19 Eſt enim tam verum, quàm vulgatum illud Salviani, dum dixit: *Poteſtas quippè maxima, & potentiſsima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari; in cuius enim poteſtate eſt prohibere, ſi non prohibet, ea profectò iubet agi, quæ non prohibet adimpleri.* Cui loco ſimilis eſt ille Senecæ: *Qui non vetat peccare, cũ poſsit, iubet.* Et Ego alia notatu digna, quæ delicta inquiri & puniri ſuadent, alibi latè congeſsi, & poſt Me D. Antonius Cabrerus in eadem re ſe non ſegniter habuit.

D Greg li 32. Moral. c 5. in illud Ierem 20. 9. Pet. Greg. de Rep. lib. 2. c. 1. in princ.

20 Et nunc addo D. Gregor. qui Ieremiæ locum expendens, qui cum primùm in populi delictis tacuerit, quòd ſe minimè audiri conſpexit; poſteà tamẽ cum creſcentia mala cerneret, in eodẽ ſilentio non permanſit, & ſic ſubdit: *Inflammantur quippè corda iuſtorum, cũ non correpta conſpiciunt acta malorum: eorumque culpæ ſe participes credunt, quod iniquitates creſcere ſilendo permittunt.* Et Petrum Gregorium, æquè prudenter tradentem, quòd ſicut corporis ſingularia contemta, tendunt ad morbos, & morbi non curati ad interitum: ſic contingit in Republica neglecta paulatim quędam immutatio, quæ ſi non curetur, & emendetur, ad corruptionem & interritum facilè eam perducit.

Quam-

21 Quamobrem ab omnibus laudata ſemper fuit ſententia Demoſthenis,dum dixit: *Nullus eſt uſus civitatis,quæ nervos,ac vires adverſus ſceleratos,& iniurios non habet. Neque Reipublicæ in qua venia,& amicorum preces plus valent, quàm leges.* Taciti,qui hanc præcipuè curam obtinere debere Principem inquit,& addit, *Hac amiſſa,funditus Rempublicam trahet.* Senecæ,qui uno in loco tradit, *Sævam clementiam, ſive bonitatem,* eſſe gravibus delictis ignoſcere, nullamque pinguiorem victimam mactari Deo poſſe, quam hominem ſceleratum: & in alio,veluti ad noſtrum cervum reſpiciens, ſevera magis quam rabida voce,& non cum ira,ſed cum iuſtitiæ adminiſtrande zelo, in malefactores procedendum eſſe,ſic dicit: *Et cum cervicem noxio præcidi imperabo,& cum parricidam in ſuam culleo, & cum mittam in ſupplicium militare, & cum Tarpeio proditorem hoſtem publicum imponam, ſine ira, et vultu animoque ero,quo ſerpentes, & animalia venenata percutio, &c.* Horatij,qui fruſtra nos de noſtris malis,ærumnis, ac miſerijs conqueri docet, ſi culpas ſupplicijs non cohibeamus, & malos mores legibus iuſtis,ac ſanctis imperare patimur,ſic inquiens:

Virtutem in columem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Quid triſtes quærimoniæ,
Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
Vanæ proficiunt,&c?

Demoſth. in orat de fall.legatione.
Tacit.3.Annal.
Senec.lib.2.de benef cap 14.
Idem lib 1. de ira, c.16.pag.mihi 546
Horat.lib.3.carm. od.24.

22 Et relictis alijs plurimis,quæ ab alijs plurimis peti poſſunt,D.Ambroſij,ita ſeriò docentis: *Vbi impius interficitur, Chriſtus infunditur, ubi abominatio abolетur, ſanctificatio conſecratur.* Etenim,ut apud Agellium Sextus Cecilius dicebat: *Acerbitas ulciſcendi maleficij, benè atque cautè vivendi diſciplina eſt.* Et ſecundùm doctrinam Pythagoræ: *Qui malos non puniunt, velle videntur bonis iniuriam inferre.* Quod & Salluſtius benè novit, cum dixit: *Ne ignoſcendo malis, bonos perditum eamus.* Et D.Ambroſius: *Ne Nocentes abſolvendo, Innocentes tradamus exitio.* Necnon etiam noſtri Iure-Conſulti, qui his de cauſis maximè conducere inquiunt, ne delicta maneant impunita, ſuppliciaque in emendationem, ac terrorem hominum inducta eſſe.

23 Quibus conſonat M. Tullius, crudeles in Patriam appellans Iudices, qui facinoroſis hominibus delicta condonantes, eos, & alios, ad ſimilia, vel maiora audendum,movere videntur. Et Seneca,inquiens: *Nemo prudens punit,quia peccatum eſt, ſed ne peccetur.* Et alijs omiſsis Iuſtinianus Imperator,ita Capadociæ Proconſulem inſtruens: *Atrocia crimina acerbè punito,ut paucorum hominum ſupplicio,omnes reliquos continuò caſtiges. Neque enim inhumanitas hæc, ſed potius ſumma quædã humanitas eſt, cum multi paucorum animadverſione ſalvantur.* Et non inelegantius Ioannes Pontifex Max. qui compeſcendam eſſe docet malorum audaciam: *Vt ſaltem pœnæ formidine retrahantur à noxijs; ſicque boni, ſectando virtutem meliores effecti, non cogantur cum illis perire.*

Nevizan. in ſylv. nupt.1.li.1 à n.71.
Bened.in cap.Rainũt.verb. *Mortuo,* el 1.Ego d.trac. de parric.c.1.& 2 lib. 1.Petil lib 7.c.9.
Tymp inſp.Princ. fol.827.
D.Ambr.lib.2.de Parad.
Agell lib.20.c.1.
Pithag ap. Laert. in eius vita.
Salluſt.in Catil.
L. ita vulneratus, ad leg. Aquil. l. ſi pœn. l.capitalia,§. famoſos,D.de pœnis.
Tull.in Catil. & in Piſon.
Senec.lib.1.de ira, cap.fin. ad fin.
InExtrav.de pœn.

Quod

Quod etiam in delictis, quæ levia videntur, curandum cavendumque eſſe, his, non minùs elegantibus verbis, D. Hieron. docuit: *Prodeſt ad cautionem etiam minima pro maximis cavere; tantò enim facilius abſtinemus à quocumque delicto, quantò illud magis metuimus. Nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parva formidat. Et ſanè neſcio an poſsimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemtum admittitur, Eſtque ille prudentiſsimus, qui non tam conſiderat, quod iuſſum ſit, quàm illum qui iuſſerit: nec quantitatem Imperij, ſed Imperantis cogitat dignitatem.* 24

Annal. Franc. in S. Ludov.

Quæ omnia exemplo ſuo Ludovicus cognomine Sanctus, Galliarum Rex, cæteris Regibus ſatis indicavit, cum, ut Franciæ Annales recenſent, revocari iuſsit gratiam cuiuſdam criminis, quam inadvertenter conceſſerat, ubi Deo, pro more, preces fundens, in verſiculum illū Davidici Pſalmi incidit: *Beati, qui faciunt iuſtitiam in omni tempore.* Memorabili edita ſententia: *Principem, qui poteſt punire crimen, neque punit, non minùs coram Deo reum eſſe, quàm ſi ipſe perpetraſſet.* Et Maximilianus Imp. huius nominis I. apud Camerarium, quem referunt, loca deſtinata ad ſupplicia ſontium, venerabundum, hoc ſolemni dicto, *Salve iuſtitia*, præterire ſolitum. 25

Pſalm. 106.

Camerar. medit. hiſtor. cap. 76.

Extat quoque in eandem rem memorabile factum Friderici, etiam Imperatoris Germani, & huius nominis I. ad cuius pedes, in ipſo ſuæ inaugurationis puncto, cum delinquens quidam, qui eum, privatum adhuc, graviter offenderat, provolveretur, & ſupplex admodum, ac lachrymabundus veniam expoſtularet, eamque adſtantes omnes Prælati, & Proceres concedi rogarent, adhuc tamen eam firmata mente negavit; & Guntherus hoc factum referens, & laudans, ita de eo ſcribit: 26

Gunther. in Ligurino, ſive de fact. Frider. lib. 1.

Neve gravi Proceres quererentur fortè repulſa,
Non odio miſeri, ſed ſtricti iuris amore,
Exemplique loco, ſe ſe feciſſe, patenter
Aſſeruit, factique ſui vir providus omnem
Suſtulit invidiam, documentaque fortia ſanxit.
Forſitan hæc alij culpent, Ego nobile factum
Laudo viri, dignumque voco geſtare potenti
Sceptra manu, qui ſic animum pietate repreſſa
Continuit, cunctiſque ſui documenta vigoris,
Certa dedit. Plus ſæpè nocet patientia Regis,
Quam rigor. Illa nocet paucis: hæc incitat omnes,
Dum ſe ferre ſuos putant impunè reatus.

Neque ab hac cura, & obligatione, quam ita propriā & præciſſam in Regibus, & Gubernatoribus facimus, eoſdem facilè excuſare debebit, quòd nocentes aufugerint, vel ita ſe abſconderint, ut faciles invētu non ſint, aut in occulto deliquerint, quod aliquando efficere ſolet, ut à meritis ſupplicijs evadant, iuxta illud Aurelij Prudentij, 27

Lex armata ſedet, ſed neſcit crimen opertum.

Prudēt. lib. 2. Ego 2. tom. lib. 1. c. 14. n. 82.

Quoniam adhuc in his perquirendis, & à quibuſvis latebris, vel pro-

prio anhelitu,& ſudore extrahendis,contendere debet, ut noſtri Emblematis lemma,& Cervus oſtendit, & Vlpianus,dum inquit : *In Receptatores quoque animadvertendum,ſine quibus latro diutius latere non poteſt.* Et quemadmodum Regum longæ ſunt manus,ut iam alibi dixi,ita & pedes,adeò ut vel in Adagium apud Nos tranſierit: *Que el coche del Rei alcança las liebres.* Et Nicetas dicere auſus fuerit: *Nihil eſſe,quin ab Imperatoribus emendari queat.Nec ullum peccatum, quod vires eorum ſuperet.* Quicquid Tiberius apud Tacitum contrarium inſinuare videatur,dum dixit: *Neſcio an ſuaſurus fuerim,omittere potius prævalida,& adulta vitia,quàm hoc aſſequi,ut palam fieret , quibus flagitijs impares eſſemus.*

Vlpian.in d l.congruit.
Sup.Embl.54.
Nicetas.
Tacit.3.Annal.

28 Et cum Niceta convenit Caſsiodorus,inquiens: *Nihil eſſe,quod latere Principem ſollicitum poſsit.* Et iterùm : *Nam licèt hæc ſub profunda caligine videantur geri, nullus tamen actus eſt, qui poſsit abſcondi.* Agapetus Diaconus, Soli Principē, hac in parte,his verbis ſimilem & maiorem faciens: *Solis profectò partes ſunt, illuſtrare radijs orbem: Principis verò virtus eſt,egenorum miſereri : porrò his clarior eſt Imperator, qui pius eſt.Ille namque cedit ſuccedenti nocti,hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgere quicquam , ſed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.* Et Guntherus docens,quòd ſi Principes tales ſe ſe in hac cura, quales cōvenit, præſtent,nemo erit,qui ſe ab eorum calore abſcondere poſsit,his carminibus:

Caſsiod.li.5.epiſ.2
Idem lib.7.epiſ 7.
Agap.de offic.Principis.
Gunther.in Ligur. lib.5.pag.107.

Scilicèt hanc in ſe Maieſtas Regia iuſti
Vim terroris habet: procul an propè, præſtò, vel abſens.
Semper terribilis, ſemper metuenda, ſuoque
Plena vigore manet, nullique impunè premenda
Creditur, & ſemper cunctis, & ubique timetur.

Et ſi ad hoc ipſum comprobandum exempla requiras, ea, quæ ſuprà de noſtris Regibus Alfonſo VII.Ferdinãdo V.& alijs,malefactores quærentibus,adducta ſunt,reperere poteris, eſtque ad ſuadendam hanc Principibus curam , & bonos effectus, qui ex ea ſperari poſſunt, manifeſtandos , optimum exemplum in Regno Angliæ, quod,poſt illius Scriptores,noviſsimè Barclayus , & Camerarius latè recenſent, ubi iam nulli hodie lupi reperiũtur,etſi olim multis ſcateret, qui oviũ greges graviter infeſtare ſolebant , eò quòd diligentia antiquorum, propoſitis præmijs,& aliquorum delictorum impunitate,illis , qui eos indagaſſent , & vel ex latebris, & antris remotiſsimis extraxiſſent, & interfeciſſent, totum tam pervicacis feræ genus extinxit.

Sup.Embl.61. & 62.
Barclai. in Iconib. nation.c.4.Camerar.cent 1.cap.28. pag.141.Per Matt. in ſuis narrat. 2. p. narrat.5. pag mihi 175.

29 Neque exiſtimet aliquis , ob flagitioſorum hominum punitionem, & internecionem,etiam ſi plures eſſe contingat,viris & viribus Rempublicam carituram ; nam potius tali fece purgata, magis augetur, atque floreſcit , ut in vite illiceve contingit , quæ ſuperfluis , & vitioſis ſarmentis,aut frondibus viduata,ab ipſo ferro,& ab ipſa vi,vitã capit, & fœcundior exiſtit,ut eleganter dixit Horatius,ſic canens:

Horat.lib.4.od 4.

Duris ut ilex tonſa bipennibus

Ni-

Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Et D.Bernardus,qui eodem ſimili in ſimili utens, non unam putationem,ſed plures,& continuas,ad extirpanda in nobis vitia,requirit, ſic inquiens: *Credite mihi,& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & ſopita denuò excitantur. Parum eſt ergo ſemel putaſſe: ſæpè putandum eſt, imò ſi fieri poteſt,ſemper,quia ſemper quod putari oporteat, ſi non diſsimulas,invenis.*

Ælian. lib. 1. de var.hiſt.cap.34.

30 Extatque apud Ælianum Rhaconis cuiuſdam Perſæ exemplum aptiſsimum,relatuque digniſsimum, qui cum malè morigeratum filiũ ad Artaxerxẽ puniendum adduceret,morteque mulctari debere contenderet, Rexque excipiẽs,ab eo quæreret,an ferre poſſet, ut filius in ipſius conſpectu vita privaretur? Se poſſe reſpondit,& addidit: *Quum in hortulo naſcentium lactucarum ſurculos amaros deſtringo, & amputo, tantùm abeſt, ut dolorem ex eo mater ipſorum lactuca patiatur, ut etiam magis efflореſcat, item magnitudine,& dulcedine plus augeatur. Ad eundẽ modum Ego,ò Rex,cum videro eum,qui meam familiam lædit, & victum fratrum dilapidat, vitam amittere, & à ſuis in ipſos iniurijs prohiberi; etiam ipſe amplificabor,& reliquos mei generis ſimiliter mecum proſperam fortunam agere conſpiciam.* Quibus auditis, inquit Ælianus, Rhaconem ab Artaxerxe collaudatum,& in Collegium ſuorum Iudicum cooptatũ,quòd diceret,eum qui tam ſeverè,& iuſtè, de proprijs liberis audebat pronuntiare, omninò etiam in alienis criminibus incorruptum,& ſincerum Iudicem ſe præſtaturum. Adoleſcentem autẽ præſenti culpa liberaſſe, graviſsimam mortem interminatus, ſi in poſterum in crimine deprehenderetur.

L. mariti, §. hoc quinquennium,de adulter. l. querela 12. C. de falſis, cũ alijs apud Cuiac. de diverſ. præſcrip. c. 24. & lib.4. ob. cap.14.

L. ult.D.de parric. ubi Gothof.& Cuiac.ubi ſup.

Ego in tractat. de parric. cap.fin. per totum.

Tiraq.de pœn.tẽper. cauſ. 29. M. Mantua in gloſſ. 1. par.cap.33.

31 Planè ſi delicta valdè antiqua eſſe proponantur, & quæ iam ferè propter reorum abſentiam, vel etiam Iudicum conniventiam, hominum memoriam exceſſerint,aut propter reorum multitudinem,durũ, vel difficilè eſſe videatur, in omnes animadvertere velle, prudentis Principis,& Gubernatoris erit,oblivionem oblivioni ſuperinducere, quam *Amneſtiam* appellant, & diſsimulationem, magis quàm intempeſtivam ſeveritatem affectare,legum regulis,ac præceptis adhęrens, quæ in multis criminibus poſt quinquennium; in omnibus,poſt vicennium,inquiri non patiuntur, adeò ut & parricidium hac præſcriptione excludi Cuiacius,& Gothofredus exiſtimẽt,quamvis Paulus I.C. *Eorum qui parricidij teneri poſſunt, ſemper accuſationem permitti*, ſcriptum reliquerit,quod anſit verum? Ego latiùs alibi diſputavi.

Suet. in Domit. cap.8.

L. ſi diutino 25.D. de pœn.

32 Quam in rem plura ſuo more Tiraquellus,& Farinacius adducunt, inter quæ illud Livij, narrantis, qualiter M.Duillius Tribunus plebis edixerit,vetera peccata,iam oblitterata,non eſſe repetenda, & Domitiani, qui Tranquillo auctore, antiqua etiam Veſtalium inceſta à Patre Veſpaſiano Titoque fratre neglecta,arbitrariè punienda relinquit. Soleтque ad hoc probandum nobile Modeſtini I. C. reſponſum citari,quo docuit: *Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit,aliquatenus*

pœna

pœna eius ſublevanda erit. Sic etiam conſtitutum eſt, non eodem modo puniendos eos eſſe, qui lōgo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recenti ſententiam recipiunt.

33 Qui tamen Textus, iuxta veriorem eius explicationem, quam poſt doctiſsimum Budæum iam omnes Recentiores agnoſcunt, non tam ad pœnæ temperamentum ob temporis præſcriptionem ſpectat, quam propter delinquentis diutinum reatum, id eſt Carceris cuſtodiam, & ſquallorem, ſordidam veſtem, & alias plures miſerias, & calamitates, quas rei in vinculis tenti, interim dum iudicium pendet, perpeti ſolēt, qui ſtatus, *Reatus* nomine deſignatur, ut Meſſalla primus omniū apud Quintilianum oſtendit, & Suetonius de Auguſto Cæſare tradēs, diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus, nihil aliud, quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina aboleviſſe, ut ſi quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ ſubiret; & expreſsiùs Martialis, ſic ad Candidum ſcribens,

Budæus in not. ad Pand. d. l ſi diutino, Tiraq ſup. n. 7. Corraſ. 2. miſc. c. 20. Corſius 1. indag c. 19. Edu. Caldeira 3. var. c. 7.

Quintil. lib. 8. c. 3.

Sueton. in Auguſt. cap. 32.

Martial. li. 2. epig. 24.

Si det iniqua tibi triſtem fortuna reatum
Squalidus hærebo, pallidiorque reo, &c.

Vbi eius Expoſitores alia loca notarunt, quæ ſimul ad illuſtrandum Vernuleium I.C. conducere poterunt, qui de hac ſordida reorum, affiniumque eorum veſte, & conditione accipi debet.

Vernul. in l. Veſtē ſordidā m 39. D. de iniurijs.

34 Carceris autem miſerias, & ærumnas ita graviter, & ſtrictè apud Theodoſium Imperatorem, cognomento Magnum, Libanius Sophiſta repræſentavit, ut eundem lachrymari coëgerit; & Caſsiodorus, qui carcerem vocat, *Cellam gemituum, triſtitiæ domum, locum perpetua nocte cæcatum. In qua non unum tormentum ſuſtinet reus, qui antequàm incurrat necis exitus, à ſuperis probatur abſciſus. Primum pedor ille, collega catenarum abominabili mærore diſcruciat, auditum alieni gemitus, & lamenta conturbant, guſtum ieiunia longa debilitant, tactum pondera præmentia defatigant: lumina diutius tenebris obtuſa torpeſcunt. Non eſt unum clauſis exitium, multifaria morte perimitur, qui carceris ſquallore torquetur.* Quam etiam in rem alij congerunt alia, & Ego non ingratè hæc pungere volui, ut ſimul Pios Principes monitos reddam, ſuarum eſſe partium, ut in facinoroſos animadvertere, ita de vinctis, & carceratis curam habere, cum Vlpiano docente, *Carcer non ad puniendos, ſed ad continendos homines haberi debeat.*

(∴)

Libanius in Orat. de vinctis, noviſs. à Iacob. Gothof. luce donata.

Caſsiod lib. 11. in fin. inform. indulg. vide etiam ſimilē locū Calpur. Flac. apud Me lib 1. de parric. cap. fin.

Text & DD. in l. omnes 23. C. de pœn. Gomez de delict. An. Rober. 1. rer. iud. c. 10. Valencuel. conſ. 164. n. 66.

L. 8. § ſolent, de pœn. Cuiac. l. 34. obſ c. 14. hiſt. for. Rom. lib. 5. c. 14.

Temperandum, prius quàm puniendum.

EMBLEMA LXXI.



En Fidicen Citharam promtam modulatur ad aurem,
Nec tamen abrumpit, vox licèt una cadat.
Sis Fidicen Princeps, nec quando diſſonat ulla
Chorda, ſtatim rumpas, ſed modulare prius:
Corrige defectus: lapſis concede viciſsim
Vt ſurgant; Regni ſic citharedus eris.

COMMENTARIVS.

1 ETSI adeò vigiles, ac ſolicitos in requirendis, & puniendis ſontibus, Principes eſſe debere, in eo, quod præceſsit Emblemate, dixerimus, non tamen ideò intendimus, eos ita in iram accendere, ut pro primis exceſsibus, ac delictis, quæ ſummam in ſe malitiam non habeant, ad ultima ſupplicia proſiliant, extremiſvè remedijs utantur, ubi admonẽdo, corrigendo, vel temperando, illos, qui à virtutis via in aliquo deflectere viſi fuerint, leviori freno, ad meliorem frugem reducere poſſunt.

Sup. Embl. 11. & 21.

Canonh. in Aphor. Polit. 1. tom. pag. 584.

2 Planè enim cum Reges ſuæ Reipublicæ Medicos eſſe, ſuprà à Nobis, poſt alios, traditum ſit, medicinæ præceptis obſequi debent, quæ ut Petrus Canonherius latè poſt Hyppocratem tradit, non niſi in extremis morbis ad extrema remedia deveniunt, illudque Ovidij ad unguem obſervant,

Om-

Omnia prius tentanda ſunt, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur. Ovid. 1. Metam.

3 Quod poſt Platonem, & alios, eleganter Clemens Alexandrinus, à me alibi translatus, ſcripſit, inquiens, legem non niſi adverſus eos, qui iam immedicabiles videntur, & ad extremam iniuſtitiam provehuntur, ad reſecationem, & occiſionem procedere. Et non minus eleganter Poëta quidam, cuius latum carmen eò tendit, ut probet, quòd quemadmodum medici, ubi ſalubribus herbis uti poſſunt, ad ferrum & uſtionem non veniunt, nec pharmacis turbulentis eorum viſcera dilacerant: ita Principes & Iudices, donec mitioribus remedijs vitia emendare poſſunt. Eius verba ſunt hæc: Plat. lib. 9. de legib. Clem. Alex. lib. 1. Strom. Ego de parric. lib. 1. c. 1. pag. 3

Ergo truces animos gerere, immanſuetaque corda, Poëta vidēd. apud Canonh. ſup. pag. 496.
Caraque ſubactæ ſævire in viſcera plebis
Turpe ferumque putes, nec Rege, aut Principe dignum.
Artis Apollineæ multo ſeu clarus ab uſu,
Diverſis diverſa valeant medicamina morbis,
Nec cunctis Aloen ſuccis admiſcet amaram,
Nec ſemper tetra colocynthide temperat hauſtus,
Ægra nec immiti ferro mox membra recidit:
Sed donec ſuccis herbiſque ſalubribus ullus
Eſt locus, & morboipereſt ſpes ulla medendi:
Non flamma, aut ferro lacerat crudeliter artus,
Sed deſperato tantum putrentia tabo
Membra ſecat: ne fortè gravis contagio ſerpat
Longius, & ſanas vitiatis partibus addat:
Haud aliter gladium ſine cæde & ſanguine geſtat
Maxima dos Regum eſt miti Clementia fronte,
Solaque mortales Dis immortalibus æquat, &c.

4 Eandem quoque ſimilitudinem graviter premit Natalis Comes. Neque longè abeſt Seneca, dum ſic ſignatiſsimè docuit: *Ita legū Præſidem, civitatiſque Rectorem decet, quandiu poteſt verbis, & his mollibus, ingenia curare. Tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, qua moneat adhuc & exprobret: noviſsimè ad pœnas, & has leves & revocabiles recurrat. Corrigendus eſt itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & aſperè, meliorque tam ſibi, quàm alijs faciendus; non ſine caſtigatione, ſed ſine ira. Quis enim ei, cui medetur, iraſcitur.* Natal. Comes lib. 14. hiſtor. Senec. lib. 1. de ira. cap. 5.

5 Eaſdem quoque ſcanſiones hac in re obſervari debere D. Auguſtinus inſinuat, inquiens: *Paratus debet eſſe homo iuſtus, & pius patienter eorum malitiam ſuſtinere, quos fieri bonos optat: ut potius numerus creſcat bonorum, non ut pari malitia ſe quiſque numero addat malorum.* Et D. Chryſoſtomus, qui explicans illud D. Pauli: *Fratres, ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, eiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Sic ſapienter D. Aug. in ſerm. de puer. Centurion. D. Chryſoſt. ſup. Paul. ad Galat. 6.

ſub-

Prover.29. verſ.1.

ſubiungit: *Non dixit punite, aut condemnate, ſed inſtruite, vel inſtaurate, id eſt monitis ad ſalutem adducite*; quia, ut Salomon, iuxta Septuaginta Interpretum verſionem, edocuit, *Melior vir correptionum, viro duræ cervicis, repentè enim ardente eo, non eſt medela*. Quod, ut ibidem noſter Salazarius animadvertit, perinde eſt, ac ſi diceret, longè meliorem eſſe ad coercẽdos aliorum mores virũ corripientem benignè, ac leniter, quàm properè ex ira & indignatione, pro quovis exceſſu ad acerbam punitionem temerè procedentem.

Cicer. in orat. pro Cluent.

Lup. à Vega in coment. del Cid.

Cicero etiam, prudentiſsimè à Maioribus obſervatum tradit, ne in omnes milites univerſim pro qualibet fuga, aut deſertione animadverteretur: *Quia poteſt quidem poſteà, & miles eſſe melior, & vir bonus, & civis utilis*; & ut Lupus noſter, nunquam ſatis laudatus, ſcripſit: 6

El Can de buena lei, de buena raza,
Si non cazare oi, mañana caza.

Caſsiod. li.4. epiſt. 29.

Et Theodoricus Rex, apud Caſsiodorum, Præfectum urbis inſtruẽs: *Sibi cordi eſſe* (inquit) *poſt primam culpam nõ ſtatim deſiderare vindictã, ad admonitionem potius iuſſa convertimus: ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.*

Petra-Sãct. in ſymbol. lib.6. pag.221.

Et hoc fortè eſt, quod Clemens VIII. fœlicis recordationis Pont. Max. ſignificare voluit, dum Sylveſtro Petra-Sancta tradente, gladium, lituum ſacrum, ſive baculum Paſtoralem, & lyram in medio eorum pro ſymbolo accepit, addiiciẽs lemmatis loco, *Nihil ille reliquit*; ut ſignificaret, ſe omnem tuliſſe punctum, cum ex Religione, ac iuſtitia, paterna directione, quæ per baculum ſignificatur, & rigore iuſtitiæ, quam gladius deſignat, veluti ex gravi & acuto ſono, temperare gratam regiminis ſibi cœlitus commiſsi harmoniam deſideraſſet. 7

Nos autem, ea pictura, quam præſens Emblema exhibet, idem ipſum apertius ſignificamus, citharedum, vel lyricinem ob oculos noſtris Principibus proponẽtes, qui prius quàm muſici inſtrumenti chordam aliquam abiiciat, vel rumpat, illam blandè, ac ſenſim digito, & aure tendit, & temperat, & paulatim ad optatum cum alijs concentũ reducere curat. Vt ſic, vel hoc exemplo commoniti, idem in ſubditis corrigendis, & temperandis imitari conentur. Quam ſimilitudinem inter ſuas recenſuit Eraſmus, eam à Plutarcho mutuatus, & anteà, ipſa quoque uſum Quintilianum reperio, & D. Chryſoſtomum, qui ex eadem Muſicæ diſciplina, ſic ſe habere debere eos, qui alijs præſunt, oſtendit, *Vt neque nervum ita intendant, ut rumpant, neque remittant ultra modum, ne harmonia concentum lædant*. Et Ioan. Sariſberienſem, qui eandem exactius cæteris proſequitur, & Trajanum Imperatorem ea uſum ſcribit. Dicebat enim, inſanum eſſe, hac chordarum tenſione magis quam ruptura, non procurare urbis harmoniam, quemadmodũ ſi quis oculos habens lippientes, eos malit effodere, quàm curare. Vnguesque, ſi acriores fuerint, reſecandos eſſe, non avellendos. 8

Eraſ. in ſimil. fol.2.
Plut. in Moral.
Quint. declam. 184.
D. Chryſoſt.
Sariſber. in Policr. lib.4. cap.8.

D. Sebaſt. Covarr. in Theſ. verb. *Harpa*, fol.462.

Fuit enim ſemper lyra, cuiuſcumque illam finxeris formæ, ſed præſertim ea, quàm nos vulgò *Harpam* vocamus (quòd ut Covarruvias ait, raptim tactis per digitos chordis pulſetur) humanæ vitæ aptiſsi- 9

mum

mum hieroglyphicum, iuxta Pierij Valeriani doctrinam, & aptius, Reipublicæ moderationis, in qua, ut in lyra, unuſquiſque ex ſubditis ſuum locū tenet decenter ſortitus, & ex omnibus, licèt diverſæ proportionis, & ſoni, qui illam congruè temperare, ac pulſare didicerit Princeps, melodiam, & ſuavem quandam harmoniam, & conſonantiā elicere poterit. Quod optimè noſter Saavedra noviſsimè in quodam ex ſuis ſymbolis docet, & latè proſequitur, lyram eandem depingens, cum lemmate, *Maiora minoribus conſonant*, eo admonens Reges, qualiter ſe cū diverſis vaſſallis, & populis, quibus dominantur, gerere debeant; ſicuti Nos nunc, qui aliorſum (ut apparet) tendimus, qualiter prius eos corrigere, & dirigere, quam abiicere, vel diſrumpere. Pier. lib. 47. fol. 348. Saaved. Empr 61. ex pag. 464. & vide omninoPlut r. in tractat. de Reb. public. pag. mihi 109.

10 Sæpè enim ut Claudianus ait: Claudian. in Mal. Theod.

> -------- ---- *Peragit tranquilla poteſtas,*
> *Quod violenta nequit, mandataque fortius urget.*

Et ut Tacitus inquit: *In tempeſtivis remedijs delicta accenduntur*; unde ipſo etiam monente: *Parvis peccatis veniam dare Principem convenit, magnis ſeveritatem commodare, nec pœna ſemper, ſed ſæpius pœnitentia contentum, omnia ſcire, non omnia exequi*. Et non ſolùm noſtri Emblematis lyricinem imitari, ſed, ut cum Seneca loquar, officium ſuum idem eſſe, quod bonorum parentum putare: *Qui obiurgare liberos nonnunquam blandè, nonnunquam minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis ſanus filium ad primam offenſam exhæredat? Niſi magnæ, & multæ iniuriæ patientiam evicerint, niſi plus eſt quod timet, quàm quod damnat, non accedit ad decretorium ſtilum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & peiore loco iam poſitam revocet: ſimul deplorata eſt, ultima experitur. Nemo ad ſupplicia exigenda pervenit, niſi qui remedia conſumſit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum eſt, quem appellavimus Patrem Patriæ, non adulatione vana adducti.* Tacit. 13. Annal. Idem in Agric. Senec. lib. 1. de clement. cap. 14.

11 Quinimò in eandem rem, humanos Reges, ac Iudices, divini imitatores eſſe oportere, D. Chryſoſtomus his verbis hortatur: *Iudices cum latrones cœperint, & ſacrilegos, non quomodo ipſos reddant meliores conſiderant; ſed quomodo ab ipſis peccatorum pœnas exigant. Deus autem contrà, cum aliquem reperit peccantē, non conſiderat quomodo ſumat ſupplicium, ſed quomodo ipſum erigat, & meliorem faciat, & in futurū inexpugnabilem. Itaque & Iudex pariter & Medicus, & Magiſter eſt Deus. Ecenim tanquam Iudex examinat, & tanquam Medicus corrigit, & tanquam Magiſter docet prævaricatos in omnem diſciplinam inducens.* D. Chryſoſt. in homil. ad popul. Antioch.

12 Ad ipſum quoque noſtri Emblematis documentum, & temperamētum reſpicit celebris quædam lex Regis Noſtri Alfonſi X. ubi poſtquam præmijs & pœnis cōtineri in officio homines docuit, utrumque attentè, & prudenter temperari debere, ſic ſubdidit: *Por eſſo ovo y meneſter temperamiento, aſsi como fazer bien do conviene, è como, è quando: è otroſi en ſaber refrenar el mal, è tollerlo, è eſcarmentarlo en los tiempos, è en las ſazones que es meneſter, catando los fechos quales ſon, è quien los faze, è de que manera, è en quales lugares.* L. 3 tit. 1. par. 1.

Origen. hom. 4. in lib. Iud.

Iudic. 3. 31. & 32.

13 Et illud, quod tradit Origenes, explicans victorias, quas de Philiſthæis Aod portavit in gladio, & Samgar in vomere aratri, ſexcentos eorum percutiens, ut in Iudicū libro narratur, inquit enim ex hoc ſignificari, poſſe fieri, ut Eccleſiæ Iudex non ſemper gladium proferat in correctionem delinquentium: *Sed imitetur Agricolam, velut aratro ſulcans animæ noſtræ terram; & ſæpius clementi monitione reſcindens, ut aptet eam ſuſcipiendis ſeminibus.*

D. Greg hom. 21. ſup. Ezech.

14 Neque aliud ſenſit D. Gregorius, loquens de temperamento Prælati in ſubditis caſtigandis, in hæc verba: *Tanta debet eſſe diſcretio Prælati, ut nec diſciplina nimia, nec ipſa quoque miſericordia ſit remiſſa: ne ſi inordinatè culpa dimittitur, is, qui eſt culpabilis, in reatu gravius adſtringatur. Et rurſus ſi culpa immoderatè retinetur, tantò qui corrigitur deterior fiat; quantò erga ſe nihil benignitatis gratia agi conſiderat. Exhibenda itaque eſt pravis aſperitas in oſtenſione, charitas in mente; ut & dura oſtenſio delinquentem coerceat, & charitatis cuſtodia mercedem manſuetudinis non amittat.*

Gratian. in c. licèt 1. & 2 c. diſcipina, c. vera iuſtitia, cum alijs, 45. diſt. latè Luc. de Penn. in l. 1. C. de deſer. lib. 12. & Valenz. conſ. 164. ex n. 72.

Eccleſ. 19. Matth. 18. Trident. ſeſſ. 13. de reform.

15 Idem quoque Sanctus, & Leo Papa, ſæpè eandem doctrinam repetunt, & magis eſſe expectandos, & corripiendos delinquentes, quàm illico puniendos: *Pluſque apud corrigendos agere debere benevolentiam, quàm ſeveritatem, plus cohortationem, quàm comminationem, plus charitatem, quàm poteſtatem*, pluribus alijs locis oſtendunt, quæ quia apud Gratianum, & alios obvia ſunt, peculiariter referre non eſt neceſſe. Sicuti neque illa Eccleſiaſtici, & Evangelij loca, de fraterna correctione, gradibuſque eius agentia, quæ integro tractatu Bernardinus Arevalenſis proſequitur. Et ſignanter Concilium Tridentinū, Epiſcopos monens, qualiter ſe in ſuorum ſubditorum correctione habere debeant, & ſtatim ſubijciens: *Cùm ſæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quàm auſteritas; plus exhortatio, quàm comminatio, plus charitas, quàm poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia iudicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt. Vt ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint emendentur, aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri, ſalubri in eos animadverſionis exemplo, à vitijs deterreantur. Cum ſit diligentis, & pij ſimul Paſtoris officium, morbis ovium levia primùm adhibere fomenta, poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad graviora & acriora remedia deſcedere: ſin autē ne ea quidem proficiant, illis ſubmovendis cæteras ſaltē oves contagionis periculo liberare.*

Eraſ. lib. 8. Apoph.

Idem ibidem.

16 Quibus etiam illud Demonaxcis addi poteſt, qui ut Eraſmus in ſuis Apophthegm. tradit, ſubinde ſuadebat, non facilè iraſcendū hominibus, ſi delinquerēt; ſed potius corrigenda eſſe vitia, Medicorū exēplo, qui nō indignantur ægrotis, ſed morbum ſanant. Apollonius quoque apud eundem dicere ſolitus erat, quòd quiſquis erga levia errata, vehementius, quàm par eſt, iraſcitur, delinquentem non ſinit inter culpam extremam, & mediocrem quid interſit dignoſcere.

Lud. Vives de cō cord. & diſcord. lib 3. Seneca latè hanc Cinnæ hiſtoriam referēs, lib. 1. de clemen. c. 9.

17 Et Ludovicus Vives, poſt Senecam, & alios, de Auguſto Cæſare narrat, hoc prudentiæ, & clementiæ temperamento in corripiendis, & expectandis plurimis, quos tanquàm ſibi infeſtos perdere potuit, ſibi

coſ-

eoſdē ex hoſtibus amicos feciſſe, ut Domitios, Meſallas, Aſinios, Cicerones, Cocceios, Salluſtios, Duellios, & poſtremò Lucium Cinnā, qui ipſum Cæſarem ſacrificantem adoriri ſtatuerat, & ad aras ceu victimam quandam immolare. Huic enim, ad ſe vocato, quæ comperiſſet oſtendit; Tacenti, & manifeſtò ſuum ſcelus fatenti, ei vitam, fortunas, dignitatem, & alia in civitate præclara dixit ſe donare, ut ex eo die inciperet inter eos amicitia; quod ita adeptus fuit, ut eundem dum vixit, fideliſsimum amiciſsimūque expertus, & à moriente ex aſſe hæres ſcriptus fuerit. Latinus etiā Pacatus in Theodoſio Magno clemētiam commendat, qua Maximum Tyrannum, affectati Imperij reum, tantique delicti, & mendacij, quo illud patraverat, proprio ore, præſente, & interrogante eodem Imperatore, cōfeſſum, adhuc dimittere voluit, niſi populus illum ad ſupplicium rapuiſſet. Et Nazarius idem valdè commendat in Conſtantino Auguſto, his verbis: *Quod erat conſentaneum clementiæ tuæ, experiebaris remedia molliora, ut quod leniri, quàm reſecare malles, mitior medicina ſanaret.*

Lat. Pacat. in Panegir. ad Theodoſ.

18 Parem quoque clementiam, & prudentiam Maximilianus I. in corrigendo, & contegendo cuiuſdā ſui Aulici furto obſervavit, cuius facti lepidam narrationē latè Camerarius, & Pontanus recenſent. Poſſemque Progenitorum, & ſucceſſorum eiuſdem Imperatoris, Auſtriacæque familiæ, plura alia exempla referre, niſi iā ea Gerardus de Roo, & Nicolaus Vernuleus præoccupaſſent, maluiſſe Magnos hos Principes inquientes, beneficijs indulgentiaque, quàm ſeverioribus remedijs, ſubditorum ſuorum ingenia experiri. Et hinc potentes eſſe, quia leviora, quàm acriora conſilia malunt, & apud eos culpam confiteri, eſt veniam impetrare.

Camer. 1. tom. ſubciſ. cap. 65. Pōtan. in bellar. Attic. 2. p. cap. 29. pag. 53.

Gerar. de Roo lib. 5. in Auſtr. pag. 187 Vern. de virt. gēt. Auſtr. cap. 4.

19 Quod Rex noſter Potētiſsimus, & Benigniſsimus D. Philippus IV. quē Deus incolumen ſervet, novo quodam & heroico exēplo noviſsimè etiā manifeſtavit, cuius vel ſola inſinuatio pro relatione ſufficiet, & inſigne documentū poſteris erit, ut mitius delicta eorū accipiāt, qui aliàs moribus, & vitæ integritate ſumma claruerunt, aut maiorū ſuorū egregijs meritis illuſtrati, ſpem melioris frugis in poſterum præbent, quāvis in aliquo fortè fortuna peccaverint, & à recto virtutis, proprijvè ſanguinis tramite, deviaſſe cōperti ſint. Memores doctrinæ Simonidis, apud Stobæū, qui neminē prorſus eſſe dixit, qui aliquādo in aliquod malū, vel crimen non prolabatur. Et contra naturā penè eſſe, ut quis ſine peccato aliquo vitā tranſigat, vel, ut eſt in Adagio, *Sine crimine vivat, aut omnibus horis ſapiat.* Prout & noſtra etiā Canonica & Civilia iura demonſtrāt, hinc nō ſolùm permittentia, verùm & ſuadētia, primis peccatis facilius veniam indulgeri debere, & ex ante actæ vitæ indole, ſequentis emendationem coniectari ſperarique poſſe.

Eraſm. in Adag. pag. 263.

C. unum oratoriū, §. nomine, 25. diſt. ubi gloſſ. l. nō omnes, in princip. ubi DD. de re milit.

20 Qua de re plura, ad nauſeā uſque Tiraq. congeſsit. Inter alia exēpla, illud Ciceronis adducens, qui ſe Conſulem C. Piſonem defendiſſe gloriatur, quia Conſul fortis, conſtanſque fuerat, & relatis alijs, ob id ipſum quoque abſolutis, ſubiungit: *Semper graves, & ſapientes Iudices in rebus iudicandis, quid utilitas civitatis, quid communis ſalus, quid Reipublicæ tempora poſcerent, cogitaverunt.*

Tiraq. de pœn. tēper. cauſ. 49. & 51.

Cicer. in orat. pro Flacco.

Quintil. declam. 310. Idem lib.7.inſt. orat. cap.de qualit.

21 Docente enim Quintiliano: *Qualecunque crimen donari meritis, donari virtuti poteſt*. Et inde, ut ipſe idem alibi tradit, communiter apud Oratores locus ille receptus fuit, quem *Deprecationem* vocant, quo *In Senatu, & apud populum, apud Principem, & ubicunque Iuris clementia eſt, uti ſolent. In qua plurimum valent ex ipſo, qui reus eſt, hæc tria invita præcedente, ſi innocens, ſi benè meritus, ſi ſpes in futurum innocenter victuri, & in aliquo uſui futuri.*

Tull. 1. Rhetor. ad Heren.

22 Et ante Quintilianū Tullius, ſive Cornificius, aut quiſquis ille fuit, qui Rhetoricorum ad Herennium libros vulgavit: *Deprecatio eſt* (ait) *cum peccaſſe, & conſultò reus feciſſe confitetur: & tamen poſtulat, ut ſui miſereatur. Hoc in iudicio non poteſt ferè uſu venire, niſi quando pro eo dicimus, cuius multa recta eſſe conſtat.* Et iterùm: *Deprecatione* (inquit) *utemur, cum fatebimur nos peccaſſe: neque id imprudenter, aut fortuito, aut neceſſario feciſſe dicemus: & tamen ignoſci nobis poſtulamus. Hic ignoſcendi ratio quæritur ex his locis. Si plura, aut maiora officia, quam maleficia videbuntur conſtare: ſi qua virtus, aut Nobilitas erit, in eo qui ſupplicavit: ſi qua ſpes erit uſui futura, ſi ſine ſupplicio diſceſſerit: ſi ille ſupplex, manſuetus, & miſericors in poteſtatibus oſtendatur fuiſſe.*

23 Harumque rerum omnium ponderationem Perſæ, adeo neceſſariam in Principibus iudicarunt, ut etiam reo non petente, nec deprecante, peculiari lege apud eos caveretur, ut cum quis in iudicio argueretur, delictum aliquod perpetraſſe, non tamen ſtatim condemnaretur, ſed prius ex iudicantis officio, inquireretur diligentiſsimè in omnem illius vitam, inireturque ratio, plura ne turpiter, & flagitiosè, an benè laudabiliterque geſsiſſet. Tum, ſi vincebat turpium numerus, condemnabatur, ſin præponderabantur honeſtis turpia, abſolvebatur. Cogitabant enim non eſſe, ut paulò ante retulimus, humanarum virium, rectum curſum perpetuò tenere; habendoſque pro bonis viris eos, non qui nunquam peccarent, ſed qui ſæpius honeſtè agerent. Quam legem refert, & eximiè laudat M. Antonius Muretus, digniſsimam cenſens, ut ab omnibus cognoſcatur, & exequatur. Et Petrus Herodius, exempla Arbazis erga Bleſim, & Darij circa Sandozem, ob hanc computationem, & veluti Lyræ noſtri Emblematis temperationem, adducens. Ad quam referendum quoque eſt illud Caſsiodori, ita ſub perſona ſui Regis Theodorici, reliquos admonentis: *Quapropter caſibus aſperis, præſtandum eſt ſub iuſtitiæ laude moderamen: ut nec vindictam ſinamus ſuperare peccata, nec culpam inſultare patiamur legibus impunitam.* Et doctrina Noſtri Salmanticenſis Epiſcopi Valençuelæ, quod pœnali legi non derogatur, ignoſcendo ei, qui multum alias meruiſſe, & ſerviſſe comperitur.

Muret. lib.4. var. cap.ult.

Petr. Herod. lib.9. rer. iud. tit.5. c.2.

Caſsiod.

Valenç. conſ. 164. num. 62.

(*⁎*)

Ite-

Iterata culpa, graviùs punienda.

EMBLEMA LXXII.



Lacerat Apis prædira ſtimulans cuſpide
Fucum , qui cellis mella ſegnis arripit:
Nec ſinit acris geminare culpam, duraq́ȝ
Spicula retorquet. Clarus enſis ferrea
Sollicitet arma ; iterata telis crimina
Reges fatigent. Sordet accincta Pietas.

COMMENTARIVS.

1 EA ſanè eſt humanæ naturæ conditio, ut quemadmodũ in virtutibus nemo repentè fit ſummus, neque ad eas niſi de gradu in gradum , ac veluti per ſcalas aſcenditur, ut Regius admonet Pſaltes, inquiens: *Ibunt de virtute in virtutem , videbitur Deus Deorum in Sion* . Et Laurent. Iuſtinianus, demonſtrans, nullũ, niſi ex ordinato progreſſu, ad perfectionem cuiuſcunque artis attingere valere, necnon & illa Proverbialis ſententia, quæ docuit, *Nemo primo quoque die ſit doctus*, quam Ioannes Girardus hoc diſticho expreſsit:

Pſalm. 80. 8.

Laur. Iuſtin. lib. de obed. cap. 27.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 203.

An non & vulgò (quod verum eſt) audio dici,
Primo quoque die nemo Magiſter erit?

2 Ita quoque in vitijs, per eoſdẽ gradus in deteriora prolabimur, ne-

que eò quo cœperunt conſiſtere ſolent,ſed ubi ſemel aberrare cœpimus,in præceps imus,abyſſuſque abyſſum invocat,ut ab eodē etiā Regio Vate docemur, cuius doctrina pariter in Adagium pertranſijt, ut ex Eraſmi collectaneis apparet. Et licèt vulgò uſurpari ſoleat, ad denotandum calamitatem,aliam ſemper vocare calamitatem. Quod alij *Malorum Hydram* dixerunt,& cum illo Æſchyli convenit,

Pſalm.41.v.8.

Eraſm.in Adag. pag.481.

Æſchil. in ſupplic.

Malorum agmen huc fluminis inſtar irruit,
Damni profundum pelagus non navigabile.

Delr.in Adag. ſacr. 2.tom.pag.46.

D.Naziāz.in laud. vitæ ſolit.

Adhuc tamen,ut benè pius & doctus Martinus Delrius animadvertit, de effrænatis etiam peccatoribus illud uſurpare poſſumus, qui ex uno ſcelere ruunt in aliud. Et iuxta D.Nazianzeni ſententiā: *Citius quis* 3
exigui vitij magnā hauſerit copiā,quàm paululū immenſæ virtutis: ſiquidem & melli, vel modicū abſinthium ſuam illicò impertit amaritudinem: mel autē,ne ſi duplo quidē amplius fuerit,ſuam abſinthio impartiatur dulcedinē: & parvus lapillus avulſus,flumen univerſum declivia in loca traxerit: reprimere verò,aut retrahere vix poſsit, vel firmiſsima munitio ac
moles. Vnde occaſionē alij Adagio præſtant,*Semel malus ſemper præ-* 4
ſumitur malus,quod,ultra Eraſmum,plurimis iuris utriuſque locis, & Auctorū doctrinis probari,& illuſtrari poteſt,latè à Tiraq.& alijs cōgeſtis. Sed melius,& ad rem noſtrā aptius ex Cicerone in orat.pro Plutio Sylla,ubi *Omnibus*(inquit)*in rebus iudices, quæ graviores maioreſq; ſunt,quid quiſque voluerit,cogitaverit,admiſerit,non ex crimine, ſed ex moribus eius qui arguitur, eſt ponderandū: neque enim poteſt quiſquis noſtrum ſubitò fingi: nec cuiuſque repentè vita mutari,aut natura converti. Nemo repentè fit ſummus,nemo repente turpiſsimus.* Quæ ultima verba à Cicerone mutuatus videtur Iuvenalis,dum ſimiliter dixit:

Eraſm.in Adag. pag.295.

Cap. ſemel, de regul.iur.in6. Tiraq. de pœn. tēp. cauſ. 51.ex n.156.& plures alij apud Alvar. Velaſc. in axiom. iur. litt.M.n.29.

Iuven.ſatyr.2.

Nemo repentè fit turpiſsimus: accipiente
Paulatim,qui longa domi redimicula linunt.

Quintil. ſi is eſt, in declam.cui titulus *Paries palmatus.*

Eiſque concinnens Quintilianus,quemdam parricidij impetitum, vel 5
ex ſola hac conſideratione liberandum intendit;quòd nō potuerit ad tam immane facinus pervenire, qui nunquā in alijs, etiam minoribus, deliquiſſe compertus fuit,eius verba ſic habēt: *Quid enim perditè, quid flagitiosè, quid impiè fecerit,per quæ ſe parricidā ſcelera promiſerit? Innocētia per gradus certos ab homine diſcedit, & ne in maximis trepidet audacia,diu in minoribus colligit. Nemo inde cœpit,quò incredibile eſt perveniſſe*

Quo fit,ut licèt in præcedenti Emblemate iuſtè dicere potuerimus, 6
primis aliquando ſceleribus veniā concedi poſſe,ubi tamen,quæ fuerant vitia,mores fiunt, & ex delinquētis natura, aut conditione colligitur,ex alijs in alia prorumpere ſolitum,tunc veniæ locus eſſe nō debeat,neque expectari, ut in profundum malorum deducatur, ut aliàs quædam Decretalis ſcripſit: *Quando*(ut benè inquit Caſsiodorus) *genus pietatis eſt in illos diſtringere, qui contra naturæ legumvè ordinem, ſceleratis ſe docentur actionibus miſcuiſſe; nec veniæ debeat habere locum, qui delinquit admonitus.*

Cap. cùm non ab homine, de iudic.

Caſsiod.li.2.epiſt. 14.& lib.4.ep.29.

Sordet enim accincta Pietas,quæ enormibus,vel iteratis ſceleribus 7
parcit,&qui in primis ignoſcendis,laudē mereri potuit,ſi repetitis cō-

ni-

niveat,ignoſcendo malis,bonos perditũ ibit,& ſeipſum,totâque Rēpublicam,ſub hac impunitate in diſcrimen deducet. Monēte quippè, ultra plures alios,Arnulpho Epiſcopo Lexovienſi: *Sicut diſciplina cautelam, ſic inſolentem pronior indulgentia creat audaciam*; & in augmenta facinorum proſilitur,quoties ſecura impunitate peccatur.Metus enim ſupplicij,ſceleroſos in officio continet:quo amoto, aut negligentiùs obito,increſcit ferocia,& ſceleratè agendi libido. Veriſsimèque Cicero dixit, *Maximam eſſe illecebram peccandi,impunitatis ſpem.*

Arnulf.in epiſt. ad Alex. Pap. fol.47.

Cicer. in orat. pro Milone.

8 Vnde,qui talis eſſe cōpertus fuerit, ut præclarè Syneſius Cyrenēſis Epiſcopus tradidit: *Tanquàm membrum incurabile recidendum à nobis:ut ne ſocietate etiam quod ſanum eſt, corrumpatur;nam labes propagatur & ſerpit, & qui tangit ſceleratum,etiam contagionem ſentit.* Et eandem ob rem,non abſque ratione, ut Plutarchus memorat, Lacedæmonij cuiuſdam Apophthegma laudatur, apud quem cum Charillus Rex ſummis laudibus efferretur: *Quomodo* (inquit) *bonus eſt,qui ne in malos quidem acerbus ſit?*

Syneſ.epiſt. 58.

Plutarc.in Apoph. Lacon.

9 Quam diſciplinam Hadrianus Iunius, poſt Suidã, egregio Emblemate inſinuavit,geminas muſcipulas pingēs,quibus incluſæ ſint feles; Murium ideò agmine liberè choreas coram ipſis circumquaque ducēte,ſub lēmate, *Impunitas ferociæ parēs*;&his quæ ſequũtur carminibus:

Iun.Embl.4.

Inſultant pavida hinc natio muſculi,
Clauſis muſcipulæ carcere felibus.
Sublatoque metu fortè periculi
Creſcit tunc animus degeneri inſolens.

10 Ego verò idem intentum premens,& quàm ſit iuſtum,&conveniēs repetitis peccatis non connivere,Regibus,ac cæteris,qui Reipublicæ clavum tenent,inſinuare deſiderans,præſenti hoc,quod vides,Emblemate,Apes aculeatas propono, ſucos acriter à ſuis arcentes præſepibus,ut Magnus inquit Poëta.Quarũ talis eſſe fertur natura,ut ignavũ hoc pecus,quod ſuis operoſis mellificijs plurimũ nocet,pro primo furto mellis,leniter expellere contētæ ſint, mox autē cum clementia nō ſuccedit,ad ipſum ſine alia venia interficiendũ,procedāt.Quod Plin. ſatis oſtendit,dum inquit:*Certum eſſe tardantes fucos ab apibus ſine clementia puniri,& interfici.*

Virgil.4.Georg.

Plin.lib.11.cap.11 & 17.

11 Sed apertiùs Ælianus,cuius integrum caput de hac re agens,quoniam valdè ad noſtrã conducit,tranſcribere libet,& ſic habet: *Fucus, qui inter apes naſcitur, de die inter mellarias cellas abditus manet, noctè verò,cum apes dormire obſervaverit,eorum opera invadit, vaſtatque alveos. Hoc illæ cum intellexerunt, plurimæ enim apium dormiunt, nempè defeſſæ, paucæ verò excubant. Cum viderint furem,verberant eum modicè & leniter,expellunt que alis, & in exilium proiiciunt. Iſte verò non ob id corrigitur,ſua natura piger,&vorax eſt,duobus malis præditus intra favos ſe abſcondit. Vt verò ad paſtionem apes profectæ ſunt, ille rurſus opus invadens,quod ſuum eſt facit,conſercit ſe melle, & depopulatur theſauros dulcis apum. Eæ ex paſtione redeuntes, cum ei occurrerint, non ampliùs leniter eum verberant,neque tanquàm eſſent eum in exilium eiecturæ, ſed*

Ælian.lib. hiſt. anim. mihi 16. c. 32.pag.520.&ſeq.

aſperè aculeis invadentes, percutiunt latronem: nec amplius mulctatur in-
crepationibus, ſed voracitatis, & gulæ nimiæ pœnas vita perſolvit. Apia-
rij hæc dicunt, & mihi perſuadent.

Hæc cum Apes faciant, hæc cum Fuci patiātur, ſatis mihi expreſsiſ- 12
ſe videor, quid prudentes Reges facere, quidvè iteratò peccantes per-
peti debeant, quibus præcedens venia, ſive abolitio, nō denuò peccā-
di incentivum, ſed cautius ſanctiuſque vivendi monimentum præſtare

Demoſth.adv.Androtion.

debuit. Nam ſecundùm Demoſthenem: *Non utique quia ſæpè peccatū*
eſt, propterea vetera peccata novis nunc cumulanda ſunt. Quem locū Pe-
trus Matthæus adducit, referens exemplum Ducis de Biron ſub Hen-

Pet.Matth. hiſtor. Frāc.lib.6. narrat. 4.pag. mihi 2.partis 156.

rico IV. Galliarum Rege proditionis convicti, & damnati, & ſic, ſecū-
dùm traductionē Italicam, inquiens: *Doveva il perdono condurlo al pen-*
timento, è non haveva à precipitarſi à nuove infedelta, che non potrebono,
ne remitterſi, ne perdonarſi, per haver molto fallato ſenza pena. Non ſi de-
vono continuare i mancamenti, l' ultimo paga tutti precedenti.

Quod iuvat id, quod in ſimili de quolibet peccatore in peccata iam 13
anteà confeſſa, & per abſolutionem remiſſa, recidivante, piè & ſignā-
ter D. Gregorius admonuit, ſic inquiens: *Illorum ſacrificium Deus non*

D.Greg.in explan. 4.Pſal.pœnit.

accipit, qui lachrymis quidem ſe compunctionis abluūt, ſed ijſdem, à quibus
ante mundati videntur, peccatorum maculis, in id ipſum revertentes, ſor-
deſcunt. De talibus enim ſcriptum eſt, qui baptizatur à mortuo, & iterum
tangit mortuū, qui per pœnitentiam mundatur à peccato: quē ſi cōtigerit,
eadem quæ punierat iterando peccata committere, nihil contuliſſe videtur
adhibita ſatisfactionis lavatio, quē maculavit inhoneſtius iterata facino-
ris turpitudo, &c Quibus addo, talia interdum delicta cōtingere poſ- 14
ſe, ut nulla, quantumvis generali abolitione, comprehēdi debeant, &
pro primo quoque facto aſperū & abſciſſum Principis cuiuslibet, etiā
valdè pij iudicium, & ſupplicium expoſtulent, ut Nicomachus apud
Curtium de Philotæ in Alexandrum coniuratione agens, eidem Ale-

Curt.lib.6.c.15.

xandro his verbis ſuaſit: *Ille enim ſemper inſidiari tibi poterit. Tu non*
ſemper Philotæ poteris ignoſcere. Neque eſt quod exiſtimes eum, qui tantū
facinus auſus eſt, venia poſſe mutari. Scit eos qui miſericordiam conſumſe-
runt, amplius ſperare non poſſe. Quædam beneficia odimus. Meruiſſe mortē
confiteri pudet, ſupereſt ut malit videri iniuriam accepiſſe, quàm vitam.

Plutar.in præcept. polit.pag.mihi 139

Et in hoc tendēs Plutarchus, in primis, vel parvis delictis, ſive que- 15
relis, Reges & Magiſtratus digladiantiū in paleſtris more, manus faſ-
cijs devinctas habere deſiderat, quo non evadat in gravius malū cer-
tamē, ſed plagam infligat mollē & lenem; in iteratis, vel atrocioribus,
atrocem quoque percuſsionē ſuadet. Prout & Caſsiodorus, qui comi-
tē Provinciæ inſtruens, qualiter conceſſa ſibi gladij poteſtate uti de-
beat, ſic elegātiſsimè, & ad id, de quo agimus aptiſsimè, loquitur: *Scito*
puniendi remediū datum tibi pro ſalute cunctorum. Arma iſta iuris ſunt nō
furoris. Hæc oſtentatio nimirum eſt cōtra noxios inſtituta, ut plus terror
corrigat, quàm pœna conſumat. Claudantur nexibus catenarū, quos leviū
criminū pulſat invidia. Signa tua Abactores timeant, fures paveſcant, la-
trones perhorreant. Innocentia tantùm læta reſpiciat, dum ſibi auxilia
veniſſe credit, qua legum diſciplina tranſmiſsit, &c.

No-

Noxæ ſit æqua punitio.

EMBLEMA LXXIII.



Et ne ob vas fractum ſervum demergis in undas
Pollion? O dignè Cæſaris ira flagrat.
Sit ſervus quamvis, hominem tamen eſſe memento,
Et culpis pœnas eſſe decere pares.

COMMENTARIVS.

1 ETSI pœnas à ſontibus exigi tot rationes, exempla, ac teſtimonia ſuadeāt, quot in ſuperioribus vidimus, eadem tamen ſimul expoſcunt, ut delictis commēſurentur, & illicitè facta competenti, non ſuper excedente vindicta, puniantur, nec ulterius progrediatur ſupplicium, quam reperiatur commiſſum. Vnde & Moyſes inter alias Deuteronomij leges, illam reliquit: *Pro menſura delicti erit plagarum modus.* Eandemque in iuſto Dei iudicio obſervari D. Ioan. oſtendit, in ſua Apocalypſi, ſic inquiens: *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs ſuis, tantum date illi tormentum, & luctum.*

Et Horatius, Stoicorum delirium reprehendens, qui omnia peccata æqualia eſſe contendebant, poſtquàm hoc multis rationibus impugnavit, inde deducit, eorum etiam ſupplicia inæqualia eſſe debere, aiens:

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſautica dignum, horribili ſedere flagello.

L. licitatio, §. quod illicitè, D. de publ. l. ſancimus, C. de pœn. cum multis alijs apud Velaſc. in axiom. lit. P.

L. reſpiciendū 11. D. de pœn.

Deuter. 25.

Apocal. 18.

Horat. lib. 1. ſaty. 3 & de hoc paradoxo vide Cicer. parad. 4. & Berneg. ad Tacit. q. 61.

Ovidius in Triſt.

Ovidius quoque, & ſi ſe deliquiſſe nõ inficiaretur, exceſſum tamẽ punitionis ex eadem hac ratione deprecabatur, dum in Triſtibus inquit:

Tutius exilium, paulòque quietius oro,
Vt par delicto ſit mea pœna ſuo.

Seneca lib. 1. de clement. c. 14. in fine.

Et Seneca, hoc adeò certum eſſe inquit: *Vt propè ſit, quòd iniquè puniat, qui nimis.* Quod perinde eſt, ac ſi diceret, videri iniuſtè, & ſine cauſa punire, qui modum excedit, poteſt enim æquitas eſſe in cauſa; iniquitas in modo, atque exceſſu. Vnde & in Tragœdijs ſic habet:

Idem in Hercul. Furent.

Iudex futurus, ſanguine humano abſtine:
Quicumque regnas, ſcelera taxantur modo
Maiore noſtra.

Mench. quæſt. ill. c. 8. n. 51. & c. 24. n. 17. Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 90. n. 38. Farin. in praxi, q. 4. n. 10. & q. 17. n. 9. & alij plures ap. Velaſc. ubi ſup.
Tull. lib. 3. de legib.
Ego de Parric. lib. 1. c. 20. pag. 87.
Phil. Iud. in lib. de proœm. & pœn.

Extantque in eiuſdem moniti comprobationem, innumera alia Iuris-Conſultorum, & bonorum Auctorum teſtimonia, quæ nunc miſſa facimus, cum apud Menchacam, Menochium, Farinacium, & alios videri poſsint, M. Tullium pro multis adduxiſſe contenti, qui non ſolùm noxiæ parem eſſe pœnam oportere, nos docuit, verùm & illud etiam curandum: *Vt in ſuo quis vitio plectatur, & vis capite, avaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia, & parentum, id eſt, naturæ violatio, naturalium omnium bonorum privatione ſanciatur.* Cuius loci Ego de Parricidijs loquens, mentionem feci, & ſimul alterius Philonis Iudæi, qui ſic habet: *Inepti ſunt Nomothetæ, qui non æquas pro dignitate cuiuſque flagitij animadverſiones ſtatuunt, qui vi pecuniam, vulneri infamiam, cædi exilium, furto vincula minitantur.* 3

Guill. Forn. 1. ſel. cap. 15.
Toto tit. quodquiſque iur. l. qui crimen, C. qui accuſ. poſſ. cũ alijs apud Velaſc. d. litter. P. num. 241.
Ariſtot. 5. Ethic. & Lãgl. 7. ſemeſt. 15.

Quaſi diſparia illa, diſſentaneaque ſuppliciorum genera, benæ moratæ, atque inſtitutæ civitati parum conveniant, ut doctè Guillermus Fornerius animadvertit, & Noſtri paſsim Iuris-Conſulti, quibus nullum frequentius eſſe ſolet proloquium, quàm *In eo quem puniri debere, in quo deliquit.* Sumtum, ut apparet, ex illo Rhadamantis iudicio, quod poſt Ariſtotelem valdè laudat, & ornat Ianus Lãglæus, qui Talionis legem induxit, cenſens nimirum, quod 4

Si quod quiſque fecit, idem patiatur & ipſe,
Id iuſtum fiet denique iudicium.

Ovid. lib. 1. de art. amand. Ælian. de var. hiſt. lib. 13. c. 24. Valer. Max. li. 8 c. 6.
Iud. 1. Eſther 7.
Sen. in proœm. lib. 10. contr. Quintil. declam. 9.
Caſsiod. li. 9. ep. 9.
Sup. Embl. 70.

Cuius in Perillo, & alijs exempla, Profanæ nos paſsim litteræ docẽt, & Sacræ in Adonibezecho, & Amano. Et eorumdẽ iuſtitiã extollens Seneca, ſic ait: *Sunt Dij immortales lenti quidem, ſed certi vindices generis humani, & magna exempla in caput invenientium regerunt: ut iuſtiſsima patiendi vice, quodquiſque alieno excogitavit ſupplicio, ſæpè excipiat ſuo.* Et adhuc magis ad rem, quam intendimus, Quintilianus, his verbis: *Quid æquius excogitari, quid iuſtius poteſt? Graſſatus aliquis eſt ferro, præbeat ipſe cervices. Miſcuit noxium virus: refundatur in ſuum facinus auctorem. Oculos rapuit, effodit, reddat de ſua cæcitate ſolatium.* Caſsiodorus: *Pœna iſta peccati eſt, ut unuſquiſque in ſe recipere poſsit, quod in alios protervus exercuit.* Quibus & alia adrident, quæ ſuprà aliud agentes commenti ſumus. 5

Et in utramque proportionem, ſeu commenſurationem reſpiciens 6

Na-

Natalis Comes, ſic prudentiſsimè ex Medicorum imitatione, & cum omnium Politicorum Schola concludens: *Nam profectò gravibus erroribus gravia ſupplicia conveniunt, levibus levia. Nam ſicut graviſsimis moleſtiſsimiſque morbis, leviſsima pharmaca non conveniunt, quòd ea magis irritent, quàm mitigent vim morbi; ſic levia ſupplicia, ſi graviſsimis ſceleribus iniungantur, ſit impunitas quædam, & quaſi licentia ad eadem flagitia, cum ſceleſtos faciant cautiores, & non timidiores. Sin gravia pharmaca leviſsimis morbis adhibeantur, univerſi corporis ſalus in magnum diſcrimen, ac periculum iniicitur. Quod ipſum fit in civitatum ægritudinibus, & in omni Republica. Impunitas enim fit licentia ſcelerum: crudelitas impellit cives ad res novas, & defectionem.*

Nat.Com. lib. 14. hiſt.

7 Natali conſonans Guiciardinus, per quam pernicioſum eſſe inquit: *Fortiorem medicinam adhibere, quàm aut morbi natura, aut ægroti vires ferre poſsint.* Et Petrus Andreas Canonherius, Aphoriſmo Hippocratis hærens, ſimiliter docet, *Quod quemadmodum diæta, victus tenuis, & exquiſitus, morbis, ubi non conveniunt, ſunt periculoſa, & moleſta: ſic pœnæ, quæ delictis non conformantur, & quibus non conveniunt infliguntur, ſunt civibus pernicioſa.*

Guiciar. lib. 1. hiſt.

Canonher. 1. tom. Aphoriſ. pag. 582.

8 Quam doctrinam, ut noſtris Nos Regibus inſinuemus, aptè, ut arbitror, præſentis Emblematis Iconem eiſdem conſpiciendam proponimus, quæ hiſtoriam Vedij Pollionis à Dione, Plinio, & alijs, litteris traditam repræſentat, apud quem cum Auguſtus Cæſar cœnaret, & ſervus fortè cryſtallinum vas confregiſſet, ſævientis Vedij iuſſu, murænarum pabulo damnatus, in Vivarium earum perferebatur. Is, cum ducentium manus effugiſſet, ſe ad Auguſti pedes provolvit, id unum petens, ut alio mortis genere periret; hoc enim tum duriſsimũ, tum eo tempore uſitatiſsimum erat, cum in more eſſet, eſum, ac piſcinas murænarum in delicijs habere, ipſaſque, ut pinguiores, ac ſuaviores eſſent, humana carne, dominis ſpectantibus, paſcere, ut latiùs Horatij, & Iuvenalis Expoſitores, & alij Auctores enarrant. Auguſtus autem, ut mortis cauſam, genuſque intellexit, & pro tam exiguo delicto, tam gravem pœnam indici. Solvi ſervum iuſsit, virgulaque omnia Pollionis Chryſtallina perfregit, vivariaque everti mandavit, ſic indicans, illam Pollionis ſævitiam ſibi admodum diſplicuiſſe.

Dio in Aug. Plin. lib. 9. c. 23. Zonar. 2. to. Annal. fol. 68 plenius cæteris Crinit de hon. diſcip. lib. 6. c. 10. pag. mihi 215.

Cabot Lamb. & alij in Horat. lib. 2. ſaty. 8. & in Iuven. ſatyr. 5. Salm. ad Pancir. 1. to. pag. 262.

Ariſt. 1. pol. lib. 2. § 1. ad leg. Aquil. l. quod attinet, de reg. iur. cum alijs, apud Mager. de ad voc. arm. c. 11. n. 57. & Ant. Fab. in Iuriſprud. pag. 85.

9 Quam damnati conditio nõ excuſabat: nam etſi ſervos mortuis, & pecudibus, alijſque rebus, quas in mancipio, ac libero uſo noſtro habemus, aliquando Ariſtoteles, & Iuris-Conſulti connumerent, homines tamen eſſe, meminiſſe debemus, ut in noſtro carmine dicimus, illud Catonis ſequuti,

Cum fueris ſervos proprios mercatus in uſus,
Et famulos dicas, homines tamen eſſe memento.

Cato in Diſtic. li. 3.

Atque adeò maior dominorum in eos aſperitas D. Imper. Antonini Conſtitutione graviter coërcetur, illa ratione addita, quòd expedit Reip. ne re ſua quis malè utatur, quam latè Corraſius, & Balduinus illuſtrant, & melius omnibus Seneca, qui ad hanc naturæ inter ſervos, & dominos paritatem reſpiciens, & inde Pollionis, de quo loquimur

§. ſed & maior, Inſtit. de ijs qui ſunt ſui.

Corraſ. 1. miſc. c. 20. Balduin. in leg. 12. tab.

cru-

Senec. lib. 1. de clement. cap. 18.

crudelitatem valdè ſuccenſens, ſic elegantiſsimè inquit: *Servis ad ſta-
tuam licet confugere, cum in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in ho-
minem licere, commune ius animantium vetet: quia eiuſdem naturæ eſt, cu-
ius tu. Quis non Vedium Pollionem peius oderat, quàm ſervi ſui, quòd mu-
ranas ſanguine humano ſaginabat, & eos qui ſe aliquid offenderant, in vi-
varium, (quid aliud quam ſerpentibus) obiici iubebat? O hominem mille
mortibus dignum, ſive devorandos ſervos obiiciebat murænis, quas eſurus*

Plato in dialog. 6. de legib.

erat, ſive in hoc tantùm illas alebat, ut ſic aleret, &c. Et poteris etiam
Platonem adire, qui multò etiam minùs quàm æqualibus, iniurias ſer-
vis inferre permittit. Macrobium qui eos æſtimandos tradit, & ſub

Macrob. 1. Satur. cap. 11.
Berneg. in quæſt. 135. ad Tacit.

peculiari Dei tutela conſtitutos eſſe, inquit, & noviſsimum Bernege-
rum alia tradentem, dum illam quæſtionem examinat, *An impunè ſer-
vus occidi poſsit?*

Ex quibus apparet, quòd cum etiã erga ſervum pretio paratum, de- 10
formem hanc maleficij, & ſupplicij conditionem, clementiſsimus Au-
guſtus, & cordatiſsimus Philoſophus exhorruerint, multò iuſtiùs in
plectendis liberis, & ingenuis hominibus, eandem inæqualitatem, &
crudelitatem in Principibus, & cæteris, qui iuri dicundo præſunt, no-

Idem ibidem.

tare, & execrari debebimus: *Quorum* (ut idem Seneca inquit) *non tra-
dita ipſis ſervitus ſit, ſed tutela.*

Maximè cum eiſdem ſeriò iura, & omnes qui rectè ſentiunt Au- 11
ctores, non ſolùm permittant, verùm & ſuadeant, vel potiùs iu-

Sup. Embl. 63.

beant, ut etiam a pœnis per leges ipſas delictis impoſitis, ſemper
ac fieri poſsit, aliquid detrahant, nedum ut acriùs, & ſeveriùs, quam

Mart. I.C. in l. reſpiciendum 11. D. de pœn.

ipſæ, aut criminis qualitas expoſcit, ſtatuant. Quam in rem, ultra plu-
ra alia, quæ ſupra de iuſtitia ex æquitate, ac benignitate temperanda
a Principibus dixi, ſignanter, cum omnibus iudicibus loquens, ita

Herm. in l. pen. D de pœn.

Martianus I.C. ſcribit: *Reſpiciendum eſt iudicanti, ne quid aut durius,
aut remiſsius conſtituat, quàm cauſa depoſcit: nec enim aut ſeveritatis, aut
clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo iudicio, prout quæque res ex-*

Cap. in pœnis 49. de reg. iur. in 6.

*poſtulat, ſtatuendum. Planè in levioribus cauſis proniores ad lenitatem
iudices eſſe debent, in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo tē-*

Tiraq. in l. ſi unquã, verb. *Revertatur*, n. 246.

peramento benignitatis ſubſequi. Cui conformis Hermogenianus: *In-
terpretatione* (inquit) *legum pœnæ molliendæ ſunt, potiùs, quàm exaſpe-
randæ*; & Summus Pontifex: *In pœnis benignior eſt ſemper interpretatio*

Altiat. in l. poteſtatis, verb. *de verbor. ſign.* Cabot. 2. diſput. c. 6. Caldera lib. 3. var. c. 4.

facienda.

Quibus iuribus copioſè, more ſuo, plura alia Tiraquellus adiecit, 12
& adeò in hanc partem Altiatus, & alij Iuris Scriptores inclinant, ut
hac de cauſa omnes pœnas hodie arbitrarias eſſe contendant, & inde

Caſsiod. li. 1. epiſt. 30. & li. 7. epiſt. 8. in fin. vide Tuldenus in addition. ad prax. crim. Damhoud. c. 11. pag. 19

Imperium, quod in illis irrogandis Iudices exercent, *Merum* fuiſſe
appellatum, quaſi ex hac temperatione, quæ illis ex benignitate per-
mittitur, ſcriptarum legum rigore, ac tenore ſolvantur. Quod licèt
difficultate non vacet, & certum ſit (ut Caſsiodori verbis utar) *Impœ-
nitendam eſſe ultionem quæ de legibus venit, quando crudele nihil efficit,
qui ſequitur leges*; ubi tamen cauſæ aliquæ delictum circumſtant, quæ

Idem Caſsiod. lib. 1. epiſt. 37.

benignitatem ſuadeant, durè faciet quilibet, qui ad eam animi ſui
motum non inclinaverit, cum eodem ipſo Caſsiodoro docente: *Pro-*

cli-

clivior ad miſericordiam via bonis ſemper mentibus pateat. Et Iſocrates Nicoclem monuerit: *Vt mitis eſſet, pœnaſque irrogaret, commiſsis minores.*

Iſocrat. in Parænet. ad Nicocl.

13 Sin autem non ſolùm benigniorem, quam ſequi potuit, legis temperationem, vel interpretationem non amplectatur, ſed ipſa lege ferocior, & amarior, ipſius pœnas, & condignam delicto animadverſionem abſque ulla iuſta cauſa extendere velit, & Pollionem noſtri Emblematis imitari, tunc non ſolùm durum, verùm & iniquum, & crudelem appellare poterimus. Nam cum ſecundùm Senecæ finitiones, *Clementia ſit temperantia animi in poteſtate ulciſcendi, vel lenitas, ſeu inclinatio animi ſuperioris ad lenitatem, adverſus inferiorem, in conſtituendis pœnis.* Qui hac virtute relicta, eaſdem pœnas, quas lenire potuit, & debuit, exaſperat, in contrarium vitium crudelitatis prolabitur, quæ ſecundum eundem, *Nihil aliud eſt, quam atrocitas animi in exigendis pœnis.* Vnde ſtatim benè, & valdè ad rem noſtram faciens, concludit: *Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi cauſam habent, modũ non habent. Sicut in Phalari, quem aiunt, non quidem in homines innocentes, ſed ſuper humanum, ac probabilem modum ſæviſſe.*

Senec. de Clemẽt. lib. 2. cap. 3.

14 Quod & ipſum egregiè quoque inſinuavit Ariſtoteles, periculoſiorem, & peccabiliorem eſſe oſtendens acceſsionem animi ad crudelitatem, quam ad clementiam, ſeu lenitatem, & æque prudenter Plutarchus, inquiens, ſeveros nimis, aſperos, atque inexorabiles, & crudeles in exigendis a ſontibus pœnis Principes, aut Gubernatores, nemini unquam cedentes, nihil ulli condonantes, moroſum, ac difficilem populum efficere ſolere. Aſſuefaciunt quippe illum, & inducunt, ut pertinaciter, ac contumelioſè renitatur, atque repugnet; ideòque melius eſſe, ut in leniorem partem, vel ſi fieri poteſt, in liberationem inclinent.

Ariſt. 2. Ethic.
Plut. in Politic.

15 Quod, exemplo, & dicto ſuo, Pittacus ille Mytilenæus, qui inter ſeptem Græciæ Sapientes numerari promeruit, ſatis manifeſtavit. Nam, ut Laërtius narrat, cum Tyrrenium eius filium Cumis in tonſtrina ſedentem, faber quidam ærarius impacta ſecuri occidiſſet, & Cumani ei hominem vinctum pro ſuo arbitrio puniendum, miſiſſent. Ille, cognita cauſa, hominem dimiſit, dicens: *Ignoſcentiam potiorem eſſe pœnitentia*, ſive ut alij tradunt, *Melius eſſe ignoſcere, quàm punire.*

Laërt. lib. 1.

16 De Claudio quoque Imperarore refert Suetonius, non ſemper præſcripta legum ſequutum, duritiem lenitatemvè mulctarum ex bono & æquo moderatum eſſe, & teſtante Capitolino, is Antonino Imperatori mos erat, ut omnia crimina minori ſupplicio, quàm legibus plecti ſolent, puniret. Quod quia ſecus fecit Tiberius, & in plures Senatores, & Romanos cives, ſontes, & inſontes ſæpè, ſuprà culpam, & modum excanduit; Suetonio tradente, *Lutum ſanguine maceratum*, appellatus fuit. Vt & Sylla, ob ſimiles crudelitates, *Morus farina variegatus.* Et Caligula: *Humani generis monſtrum*; quòd ſæpè deteſtandam illam vocem repetere ſolebat, *Oderint, dum metuant*: & optare etiam, Populum Romanum unam habere tantùm cervicem, ut uno ictu omnes interficere ſimul poſſet.

Sueton. in Claud. cap. 14.
Capitol. in Anton.
Sueton. in Tib. c.
Eraſ. in hoc. Adag. pag. 153.
Sueton. in Calig.
Fulgoſ. lib. 3. c. 1.

Valer. Max. lib. cap. 2. Camerar. 1. ſubc. cap. 75. & 3. c. 22. Beyerlinc. in Theat. verb. *Crudelitas*, & verbo *Immanitas*.

Briſſon. de form. pag. 822. Boxhor. Embl. 13. pag. 114

Vt interim omittam,alia hodie quoque ignominioſa,aliorum no- 17
mina,quorum à Valerio Maximo, & alijs multimodis eſt celebrata, & execrata feritas,& crudelitas,monſtra monſtroſiſsima, luctus, peſtes,totarum gentium vaſtitates. Qui tandem & miſerrimè vixerunt, & miſerrimè mortui ſunt, & dum aliorum ſanguine ſe explere nõ potuerunt,ſuo ſatiati ſunt,& cum illis execrationibus, ut plurimum, unco tracti,quas ex Romanorum vocibus Briſſonius,& noviſsimus Zuerius Boxhornius recenſent: *Parricida cadaver unco trahatur, qui omnes occidit; unco trahatur, qui omnem ætatem occidit; unco trahatur, qui utrumque ſexum occidit; unco trahatur, &c.*

Seneca de ira lib. 1 cap. 9. & 10.

Martial. lib. 7. epigram. 36.

In quorum numerum meritò Seneca Gn. Piſonem refert, qui ira 18
percitus, ſub prætextu militaris diſciplinæ, ut infrà latiùs exponam, tres milites crudeliter occidi iuſsit,quibus iuſtè parcere debuerat,excogitavitque quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum invenerat. Cui & addi poteſt crudelis ille Quæſtor Vitellij,vel Domitiani, qui his, quos ſecum ducebat carnificibus,ſignum dederat, ut quoties naſum emungeret,hominem aliquem interficerent. De quo lepidè ſic Martialis ſcribit,oſtendens hoc ſignum,in locum antiqui *Theta* ſubrogatum videri,quo veteres in reorum ad mortẽ condemnatione uti ſolebant,ut Alexander,Briſſonius,& alij latiùs demonſtrant.

Alex. 3. Gen. c. 5. ubi Tiraq. Briſſon. lib. 5. de formul. Rader. ad Mart. in hoc epigr.

Noſti mortiferum Quæſtoris,Caſtrice,ſignum?
Eſt operæpretium diſcere Theta novum.
Exprimeret quoties rorantem frigore naſum,
Lethalem iuguli iuſſerat eſſe notam:
Turpis ab inviſo pendebat ſtiria naſo,
Cum fleret madida fauce December atrox.
Collegæ tenuere manus: quid plura requiris?
Emungi miſero,Caſtrice,non licuit.

Decius conſ. 175.

Cæſar, & alij apud Me 2. tom. lib. 4. cap. 5. n. fin.

Quod ad erudiendos, lenioreſque reddendos, novos quoſdam, & 19
valdè rigidos criminum Quæſtores proficiet, qui non aliter commiſſum ſibi munus benè exequi putant, neque ad maiores Magiſtratus viam ſternere poſſe, quàm ſi iuſtè,vel iniuſtè reorum ſanguine cruententur,& apud Superiores ſeveritatis famam,& nomen adipiſcantur. Immemores doctrinæ Philippi Decij, qui prudentiſsimè ait,apud ſupremas Curias maiorem honorem ex abſolutione, ſi id cauſæ merita tulerint,quàm ex dura & iniqua condemnatione conſequuturos. Et alterius ſententiæ Cæſaris Dictatoris, qui *Miſerum eſſe inſtrumentum ſenectutis dicebat, recordationem crudelitatis.*

Ant. à Guevar. in epiſt. 1. part. pag. mihi 96.

Bobad. in Polit. li. 2. c. 21. ex n. 100. & ex n. 137.

Sed quoniam apud nullum Auctorem hanc iſtorum Quæſtorum 20
communem vecordiam melius expreſſam legiſſe memini, quàm apud eloquentem illum ſuæ tempeſtatis Mondognienſem Epiſcopum D. Fr.Antonium à Guevara, placet eius verba noſtris hiſce commentarijs inſerere, maximè cum à Noſtro Politio Bobadilla omiſſa fuerint, licèt alia in eandem rem ſatis aptè congeſſerit.Ille igitur,Magnatem quemdam inſtruens, qualiter ſe in Regimine ſui ſtatus habere debe-

ret,

ret, poſt alia ſic habet: *Guardaos de Iuezes mancebos, locos, oſados, temerarios, i ſanguinolentos: los quales à fin que ſuene en la Corte ſu fama, i les den alli una vara, hazen mil crueldades en vueſtra tierra, i daràn mil enojos à vueſtra perſona, por manera, que à las vezes ai mas que remediar en los deſatinos que ellos hazen, que no en los exceſſos que los vaſſallos cometẽ. Miento ſi no me acontecio en Arevalo, ſiendo yo Guardian, con un Iuez nuevo, è inexperto, al qual como yo riñeſe, porque era tan furioſo, i cruel, èl me reſpondio eſtas palabras: Andad, Cuerpo de Dios, Padre Guardian, que nunca dà el Rei vara de juſticia, ſino al que de cabeças, i pies, i manos haze pepitoria. I dixo mas: Vos Padre Guardian, ganais de comer à predicar, i yo lo tengo de ganar à ahorcar; i por Nueſtra Señora de Guadalupe, precio mas poner un pie, ò una mano en la picota, que ſer ſeñor de Ventoſilla. Como yo oì nombrar à Ventoſilla, repliquè eſta palabra: A la mi verdad ſeñor Alcalde, juſtamente os pertenece el ſeñorio de la Ventoſa, porque vos no cabriades en Ventoſilla, &c.*

21 Cæterùm, ut ulterius pergamus, ille quoque Princeps, Gubernator, vel Magiſtratus, exceſſus, & crudelitatis nota in puniẽdis criminibus non vacabit, qui novas, & inſolitas exacerbandorum ſuppliciorũ formas, niſi in raris, & graviſsimis ſceleribus, adhibuerit; cum pœna laquei, pro plebeis, & gladij ac capitis, pro nobilibus, contenti eſſe debeant. Quam ultimam, ſemper decentiſsimum mortis genus habitũ fuiſſe, ultra plures alios, benè Cœlius Rhodiginus animadvertit. Et prior, apud Chriſtianos, in locum Crucis, propter eius venerationem ſucceſsit, ut pleniùs apud Covarruviam, Cuiacium, Lipſium, Rævardum, & alios videre licebit, qui inde Tribonianum in quodam Calliſtrati reſponſo, loco *Crucis*, furca figendos latrones repoſuit.

Rhodig. lib. 3. cap. 23. Baron. in Martyrolog. pag. Pet. Fab. omninò legẽdus, 1. ſemeſt. cap. 4.

Covarr. 2. var. c. 9. n. 7. Cuiac. 16. obſ. c. 1. & in notis ad Paul. lib. 5. tit. 17. Lipſ. 3. de Cruce, cap. 7. L. Capitaliũ, § famoſos, D. de pœn.

22 Nam licèt non ignorem cognitum quoque fuiſſe Romanis, & aliquando etiam Hiſpanis noſtris legibus, & hiſtorijs, culleum, vivicomburium, rotas, quadrigas, ſcaphas, ſagittas, lapidationes, deiectiones è ſaxo, ad beſtias damnationem, crates, æneos tauros, moleſtas tunicas, vivorum ad mortuos alligationem, & ſexcenta alia ſuppliciorum genera, quæ vel dictu horrorem incutiunt, quæ ſigillatim Alexander ab Alexandro, doctiſsimus Petrus Faber, & alij recenſent, & proſequuntur, ab Aulis tamen & Auribus Chriſtianis eorum uſus abeſſe debet, & iã exulaſſe comperitur, cum vel in parricidis, obduratis hæreticis, & publicis viarum dirrubatoribus, etſi culleus, ignis, & ſagittæ pro forma adhiberi ſoleant, prius tamen ſontes laqueo ſtrangulari videamus, ut alibi latiùs oſtendi, & propter deſperationis periculum, reliquis ſupplicijs raò, niſi iam mortui, ſubdantur, quæ longis cruciatibus, & moroſis doloribus vitam adimunt.

Alex. & Tiraq. 3. Gen. c. 5. Pet. Fab. 1. ſemeſt. cap. 18. Rhodig. lib. 10. c. 5. Lazius de Repub. Rom. lib. 4. cap. 8. Camer. 1. ſubc. ſs. c. 87. Theat. vitæ hum. verb. *Supplicium*. Ego in tract. de parricid. lib. 1. cap. 23. pag. 98. & 99.

23 Nam ut ait Valer. Max. etiam in delictis militaribus loquens, *Non excarnificari milites, ſed vel caſtigari, vel puniri oportet.* Et ut piè Seneca inquit: *Acerbiſsima crudelitas eſt, quæ trahit pœnam: & miſericordiæ genus eſt cito occidere, quia tormentum, ultimum finem ſui ſecũ affert, quod antecedit tempus, maxima venturi ſupplicij pars eſt.* Quod intelligens Tiberius, ut Suetonius tradit: *Mori volentibus, vim adhibebat vivendi: nam mortem leve ſupplicium putabat, & precanti cuidam pœnæ*

Valer. Max. lib. 2. c. 2. ubi de Afric. poſter. Senec. lib. 2. de benef. Suet. in Tib. c. 61.

ma

maturitatem, reſpondit: nondum tecum in gratiam redij. Planè talis po- 24
teſt delicti gravitas eſſe, ut in eius punitione ſumma ſit miſericordia,
nullā reorum miſericordiam habere, & ad novas & exquiſitas mortis
pœnas procedere, ut Aimoinus refert Ludovicum Galliæ Regem fe-
ciſſe, in vindicanda Caroli Comitis Flandriæ, Danorū Regis filij, pro-
ditoria occiſione, dum unum ex proditoribus, nomine Burchardum,
alta rota ſuperligatum, corvorum, & alitum rapacitati expoſitum, de-
ſuper oculis defoſſum, & tota facie dilaceratum, inferius ſagittis, &
lanceis, & iaculis millies perforatum, miſerrimè interfici iuſsit, & in-
terfectum in cloacam proiici. Alterum autem, nomine Bertoldū, fur-
cis vivum, & nudum, cum ferociſsimo cane ſuſpendi, qui, quoties ex in-
feriori parte percutiebatur, in reum iram retorquens, totam faciem
eius morſicando devorabat. Aliquando etiam in eam (quod horribile
dictu eſt) ſtercorabat: ſicque miſeram vitam, miſerior miſerrimo, mor
te perpetua terminavit.

Aimoin. de geſtis Frāc. lib. 5. cap 51. pag 368. Gaguin. in ead. hiſtor.

Recentiorque eſt exemplaris vindicta noſtro ſæculo in Gallia de 25
Petro Ravilaco Engoliſmenſi, pro atrociſsimo parricidio in Mag-
num illius Regni Regem Henricum IV. diabolica ſuggeſtione patra-
tum, die 14. Maij ann. 1610. dum cenſente Senatu, Pariſijs, in plateam
ſupplicio deſtinatam, ductus fuit, ibique in tabulato, ut Petrus Mat-
thæus, Iacobus Gualterus, & alij latiùs enarrant, forcipibus canden-
tibus in mammis, brachijs, femoribus, ac ſuris inuſtus. Manus dexte-
ra, parricidij cultrum tenens, igne ſulphureo combuſta: in partes for-
cipibus inuſtas, plumbum liquefactum, oleum fervens, reſina accen-
ſa, ceraque ſimul cum ſulphure liquefacta, iniecta. Quibus peractis,
corpus eius à quatuor equis diſtractum etiam fuit, membra cum cor-
pore igne conſumta, in cinereſque redacta, cineres ipſi in ventum
diſperſi; bona eius fiſco Regio addicta, domus natalitia diſturba-
ta. Pater, ac mater in exilium amandati, fratres denique, ac ſoro-
res iuſsi, ne eiuſmodi nomine deinceps utantur. Sed in his, ut & in
reliquis omnibus, tempori, & cauſæ ſervire debemus, & illud Poë-
tæ ſequi,

Pet. Matth. in ſuis narrat. 4. p. Gualther. in Chronog. pag. 817.

Horat. lib. 1. ſerm. ſatyr. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines;
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Illud quoque ex eadem noſtri Emblematis diſciplina obſervare 26
debemus, quod regulariter, quemadmodum pœna, delicti modum ex-
cedere non debet; ita neque ad alias perſonas, ultra ipſum qui deli-
quit, ſecundùm iuſtitiæ rationem extendi. Quod feriò docuit Calli-
ſtratus inquiens: *Crimen paternum, vel pœna paterna nullam maculam*
filio infligere poteſt. Namque unuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubiicitur,
neque ex alieno crimine ſucceſſor conſtituitur, idque etiam Divi Fratres
Hieropolitani reſcripſerunt. Et idem ipſum ad alias perſonas porri-
gentes, declararunt Arcadius, & Honorius Auguſti, generali lege ſan-
cientes: *Ibi eſſe pœnam ubi & noxia eſt. Propinquos, notos, familiares pro-*
cul à calumnia ſubmoveri, quos reos ſceleris ſocietas non fecerit. Peccataq;
ſuos tenere debere auctores, nec ulteriùs progredi metū, quàm reperiatur

L. crimen 26. D. de pœn ſimilis l. 2. §. nullum patris, de decurion. l. 9. tit. 31. par. 7. Gratian. diſt. 56. per tot.

L ſancimus, C. de pœnis.

com-

27 *commiſſum*. Cui ſimiles aliæ, quas latiſsime Farinacius adducit, neque filium pro patre, neque patrem pro filio; uxorem pro marito, vel maritum pro uxore, ne dum in criminalibus, verùm ne in civilibus quidem, teneri permittunt. Quod Caſsiodorus etiam iniquum appellans, errorem eorum, qui contrarium ſentiunt, vel faciunt, gravibus hiſce verbis notavit: *His multò acerbiora tangentes, alienis debitis ad ſolutionem alios trahi, ſolamque cauſam probabilem videri, ſi aliqua debitori potuit in civitate coniungi. O iniquum perſuaſionis errorem! Dividuntur cauſæ germanis, filius obligationibus paternis, ſi non ſit hæres, exuitur. Vxor maritalibus debitis, niſi per ſucceſsionis vincula non tenetur: & audacia ad ſolutionem trahit extraneos, cum abſolvant iura coniunctos*. Et iterùm: *Omne facinus auctores ſolos inſequitur, & novo infœlicitatis eventu, ſit dedecus proprium, ſcelus alienum.*

28 Vnde & Libanius Niobem inducit, graviter Dianæ, & Apollinis crudelitatem exaggerantem, quòd propter delictum ab ipſa commiſſum, in eius liberos tela torſiſſent. Sic etenim inquit: *O exceſſum! ò ſævitiam! Non erat corpus mihi, quæ loquuta fueram, quæ iniquè egeram? Nonnè ſic æquo, & iuſto conſultum fuiſſet, cum ſupplicium ſceleri inferretur? Iam verò ò Dij, & leges, & iura; improba quidem eſt mater: liberi autem noxia carent. Et ſupereſt quidem mater, occubuerunt verò liberi, in quo peccantes? Quid commeriti? &c.*

29 Et licèt hoc, in criminæ læſæ Maieſtatis divinæ, vel humanæ limitari ſoleat, ubi aliqua iura, filios, quamvis paterni ſceleris conſcij non fuerint, aliquibus pœnis afficere ſolent, id tamen ad ſolas pœnas civiles reſtringitur, putà privationem honorum, bonorum, vel ſucceſsionis, propter peculiares cauſas & rationes, quas ipſamet iura, & innumeri Auctores, tam Theologi, quàm Iuridici, & Politici, qui de eorum tractant explicatione, conſiderant, quos Ego latè in alijs locis congeſsi. Illam magis probans, & illuſtrans, quòd ad continẽdos in officio patres, nihil potuit efficacius excogitari, quàm eos filiorum quoque ſupplicij comminatione terrere, quòd pro ingenito naturæ amore, magis quam proprium ſentire ſolent.

30 Quam ſatis expreſsit Cicero, valdè à Cœlio Rhodigino, & alijs laudatus, dum ait: *Nec vero me fugit, quàm ſit acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis Lui: ſed hoc præclarè legibus comparatum eſt, ut charitas liberorum, amiciores parentes Reipub. redderet.* Et Tertullianus non minùs eleganter, de Deo loquens, qui patrum delicta à filijs aliquando exigere ſolet, & ſic inquiens: *Duritia populi talia remedia compulerat, ut vel poſteritatibus ſuis reſpicientes, legi divinæ obedirent, quis enim non magis filiorum ſalutem, quàm ſuam curat.*

31 Et adhuc plures, & ſatis graves Auctores reperio, qui hac, & alijs rationibus non obſtantibus, prædicta iura, etiam dum ſolas civiles pœnas infligunt, aperto ore iniquas, & iniuſtas eſſe, aſſerere audent, & per noviorem Arcadij, & Honorij conſtitutionem, quam iam adduxi, correcta. Eòque audaciæ procedit Pater Gabriel Vazquez, poſt Covarruviam, & alios, ut de eiſdem ſermonem habens, veritus non fuerit dicere, Arcadium, & Honorium Imperatores ſtul-

Tit. ne ux. pro marit. & ne filius pro pat. Novel. 52. 128 134. Farin. q. 24. n. 15. & ſeqq.

Caſsiod. li. 4. ep 10

Idẽ lib. 2. epiſt. 11.

Libani⁹ in Niobe.

Cap. cùm ſecundũ leges, de hæreu. li. 6. l. quiſquis, §. filijs vero, C. ad leg. Iul. Mai cũ ſimil.

Ego de parric. li. 2. c. 10. pag. 156. & 2. to. de Ind. gub li. 1 c. 14. ex n. 71. ubi Tiraq. Covar. Pet. Fab. Pet. Greg. Simanc. Rodulf For ner. & alios allego, quibus noviſs. M. Marq. D. Ant. Feloagã, & Hier. Altamir. adiicio.

L. iſti quidem, D. quod met. cauſ §. fin. Inſt. de noxal.

Cicer. epiſt. 12. ad Bruth. Rhod. li. 14 c 12. Tiraq. in l. ſi unquã, ver. *Donatione*, n. 333. latè Pet. Fab. li. 3. ſem. cap. 8.

Tertul. lib. 2. adverſ. Mart.

Budæ. in l. 1. D. ad leg. Iul. Mai. Igne⁹ in l. ult. ad Syl'an. Corraſ. in l. qui liberos, n. 62. de ritu nupt. Mercer. li. 2. opin. c. 14. Alf à Caſtro li. 2. de iuſt. hæret. pun. c. 2.

Vazq. in 1. 2. q. 83. c. 3. in fin. Covarr. lib. 1. var. c. 8. n. 1. Steph. Menoch. in Polit. lib. 2. c. 12.

tè loquutos eſſe,dum dicunt, dictis filijs : *Se vitam Imperatoria ſpecialiter lenitate concedere.* Cum nullum in hoc lenitatis ſpecimen exhibere potuerint, quoniam de ratione & rigore iuſtitiæ, ut probatum reliquimus, id ipſum facere tenebantur, ne quiſquam ſine culpa, etiam ſi adſit cauſa, duris, & corporalibus pœnis iuſtè affligi poſsit.

Cap.ſine culpa, ubi Ioã. And. Pech. & alij, de reg.iur. in 6.d.l.crimen,cũ ſimilib. gloſ. celebris in ſum.1.q.4.

Feloaga in diſp. de crim.Maieſt. ex n. 28.

Quod tamen, ultra alias ſolutiones, quas latè, & eruditè noviſsimè D.Antonius Feloaga congeſsit; ita Ego excuſari poſſe cenſeo, ſi animadvertamus Principes illos, non de illa temperantia, & lenitate gloriari, quòd exiſtimarent,ſe de iure idem facere non teneri, cum Auctores fuerint alterius conſtitutionis ſuprà relatæ, quæ peccata ſuos debere tenere Auctores adeò graviter, & generaliter declaravit; ſed ob id tantùm, quòd de facto, cum poſſent, & delicti enormitas quodammodo poſtularet, in liberos proditorum, mortis etiam ſupplicium non exercuerint, prout multi alij Imperatores minùs benigni & temperati exercuiſſe leguntur, quos latè Duarenus, Contius, Scipio Gentilis, & idem Feloaga recenſent. Et Petrus Matthæus, qui poſt narratam dictam cædem parricidialem Henrici Quarti, & parricidæ horrendum ſupplicium,addit Pariſienſem curiam benè ſenſiſſe, flagitiorum quantumvis enormium pœnam, delinquentis perſonam non egredi, in parentes tamen illius, eo, quo diximus modo deliberaſſe, & in nominis eiuſdem abolitionem, quamvis pro ſimili crimine pœna uſque ad nonam generationem ſoleret extendi, & apud Suizzos moris hodieque ſit, totam proditoris parentelam delere, & exterminare, convenientius iudicantes, unam familiam,quàm totam Rempublicam perdere,cuius accolæ, metu huius ſupplicij,à perpetrandis eiuſmodi criminibus abſterrentur. 32

Duaren. in tit. ad leg.Iul.Maieſt. c.3 Cõtius in l.7. eod. tit.Gentil. de coniurat. pag.91. Feloaga ubi ſup. ex num.30.

Pet.Matt. ubi ſup.

Quod & apud Macedones lege ſancitum, Curtius oſtendit, loquens de Philotæ propinquis,qui huius legis metu ſibi manus adegerant, vel fugam invaſtas ſolitudines, & devios montes capeſſerant. Addoque prædictis, non ineptè *lenitatis* nomen,actioni, quam etiam iuſtitia expoſtulabat,Imperatores indere potuiſſe,cum non ſit novum æquum pro iuſto ſumere, ut cum Cicerone & Seneca Ego alibi oſtendi,& etiam Petrus Rebuffus obſervat. 33

Q.Curt. lib.6.

Cic. in Piſon. Sen. lib.2. contr.5. Rebuff. in l. 40. §. æquè, de verb. ſign. Ego d.2. tom. lib. 1.c.14.n.75.&76.

Cun-

Cunctandum in pœnis.

EMBLEMA LXXIV.



Vindex Roma ſuos vincit cum faſce ſecures,
Conſulat ut laxans, conſcia facta reis.
Cui Diadema micat, caveat puniverit ira
Enſe minax quemquam præcipitata ſuo.

COMMENTARIVS.

1 PRÆCLARE, ut ſolet, Seneca docuit, quòd quemadmodum *Propè eſt, ut iniquè puniat, qui nimis: ita propè, ut libenter damnare videatur, qui citò.* Quamobrem ſuperiori Emblemati, quo pœnarum exceſſum Regibus, & Principibus, reliquiſque qui gladij ius habent, fugiendum eſſe ſuaſimus, hoc, quod ſequitur, addendum cenſuimus, ut eoſdem moneamus, pari quoque ſtudio, & temperatione in prævio delictorum examine, uti oportere, omnemque animi motum ſedare, & iræ concitationem, & præcipitationem frænare, antequàm ad ſumendum de noxijs ſupplicium accedant.

Senec. de Clemēt. lib. 1. c. 14. in fin.

2 Eſt enim Præcipitatio noverca iuſtitiæ, ut latè Sebaſtianus Vantius, & Stephanus Natthenus oſtendunt, & ira, brevis furor, qui impedit, ne animus verum cernere poſsit, ut pluribus in ſuperioribus comprobavi, utriuſque vitij plura etiam damna commemorans. Quæ cum ſemper in magnum Reipublicæ, & Rectorum eiuſdem, incommodum

Vant. de nullitate, ob præcipitat. Natth. in iuſt. vulne. pag. 137. & 944 Sup. Emb. 38. & 46

Iul. Cæſ. & poſt eũ Iuven. ſatyr. 6. *Nulla unquam de morte hominis cũctatio longa eſt.*

& periculum tendant; tunc præſertim in maximum cedent, ubi de iudicijs criminalibus, vitaque & ſtatu hominum agitur: de quorum ſalute nullam cunctationem longam eſſe Iulius Cæſar dicere ſolitus erat. Etenim, ut Caſsiodorus inquit: *Iniquum ſæpè nimis eſt, quod delectat iratum, & furentes iuſta non ſentiunt; quia dum commoti animo in vindictam ſæviunt, rerum temperantiam non requirunt.* Scitèque admodum Modernus Epigrammatarius ſcripſit:

Caſsiod. li. 4. epiſ. 10.

Oven. in Monoſt. epigr. 1. epigr. 29 & 2. epigr. 4.

Qui temerè, & præceps rabidas exarſit in iras,
Excedet ſemper limina iuſtitiæ,
Iudicium præceps, inſani Iudicis inſtar,
Omnia nec longis dicutienda moris.

Pſalm. 6.

Proverb. 27.

Cicer. in epiſt. ad Q. Frat. cuius verba poſui ſup. Emb. 38.

Vnde Regius Vates, vel in Deo poſtulat, ut ipſum in furore ſuo nõ arguat, neque in ira corripiat; & in Proverbijs Salomon inquit: *Ira non habet miſericordiam, neque erumpens furor.* Et Cicero, cum Quintũ Fratrem natura iracundum cognoſceret, eundem Ciciliæ Proconſulẽ factum, magno verborum, & ſententiarum pondere, quantum hoc vitium iudicantibus noceat, pluribus admonet. 3

Sup. Embl. 61.

Democ. apud Ant. in Meliſ. in ſerm. de inc. iud.

Quibus accedunt alia, quæ ſuprà alio loco de utraque parte ſeriò in iudicijs audienda, retulimus, & nobile apophthegma Democriti, qui optimum eſſe eum Iudicem dicebat, qui citò intelligit, & lentè iudicat. Et alterum eſſe benevolentiæ, alterum diligentiæ exquiſitæ. Atque item aiebat, nihil inconſideratè agendum in iudicio, ſed prius deliberandum, ne aliquid amplius quàm liceat, dicatur, nevè quid niſi lentè, ac cunctanter pronuntietur. Ita autem pronuntiatum, accuratè exequendum, nec ad gratiam immutandum, nam inconſtãs, & levis temerario deterior eſt. 4

Macrob. apud Camer. 1. ſubceſ. c. 93. pag. 436.

Hanc quoque diſciplinam ſecundùm Macrobium, à Camerario relatum, ſuperſtitioſa Ethnicorum antiquitas in Thyrſo Bachi ſignificare voluit, cuius haſtæ mucro, hedera lambente protegebatur, quo indicare volebant, vinculo quodam patiẽtiæ obligandos impetus furoris. Habet enim hedera obligandi, vinciendique naturam, vini verò calor ad furorem homines propellit. 5

Egnat. lib. 2. exẽp.

Neque valdè abeſt, aut indignum relatu eſt, quod Baptiſta Egnatius de Venetis agens, ſcribit, nimirùm ante eorum Ducem non deferri enſem diſtrictum, & evaginatum, ut ante alios Reges in more eſt; ſed vagina aurea penè tectum, ut nec celeritatem ad ulciſcenda crimina præmaturam ſignificent, nec ſui arbitrij eſſe totam Rempublicam, ſed ſubſequentis Senatorij ordinis ſumnam poteſtatem. 6

Alex. lib. 1. c. 27.

Plutarc. in probl. Roman. pag. mihi 628. Petr. Greg. 3. par. ſynt. lib. 47. c. 14. n. 7.

Ego verò idem Monitum in præſentiarum ex faſcibus, quas vides, in Romanorum lictorum manibus ſecuribus alligatis, de ſ mo, quæ ante Conſules, & alios maiores Magiſtratus deferri ſolebant, eo modo, & numero, quo Alexander ab Alexandro recenſet, ut hoc ſymbolo, (ut Plutarchus ſcribit) teſtatum facerent, animadverſionem Magiſtratuum in puniendis criminibus, minimè properam, aut diſſolutam eſſe oportere, ſed ſalutari mora, conſilijque maturita- 7

te

te temperandam. Dum enim a lictoribus vincula faſcium reſolvuntur, patet receptus ad portum pœnitentiæ, licet amplius deliberare, daturque aliquod interſtitium ad emendationem ſententiæ durioris.

8 Huic rationi aliam idem Plutarchus ſubiungit, nempè in eiuſmodi faſcium ad ſecures colligatione, oſtendere voluiſſe, leves noxias levioribus remedijs, profligata verò facinora, non aliter quàm igni & ferro expiari poſſe; virgiſque obiurgandos, qui non erant ab omni ſpe ſalutis derelicti: ſecures autem malis inſanabilibus admovendas. Et licèt Alexander ab Alexandro hanc ultimam ſolam adducat, probarevè videatur, prior tamen illa magis à plurimis Auctoribus premitur, & ad rem noſtram eandem ipſam inter ſua ſymbola, ſeu Emblemata Clariſsimus ille Heros D. Ioannes à Borgia, & D. Ioannes Horoſcius Covarruvias repræſentarunt, hicque illam non ineleganter hoc rithmate explicat, & applicat:

Alex. lib.3. cap.5.

Valerç. in monit. pag.95. & cōſ.164. n.88. Dom. Baud. in ſuis orat. pag. 561. Saaved. Emp. 25. pag. 158.

El que tiene poder, tenga templança,
Dexe paſſar la ira, que es un fuego,
No quiera del caſtigo hazer vengança,
Ni quiera lo que manda ſe haga luego.
Entereza ſerà, que no mudança,
Dexarſe convencer del juſto ruego,
Que à muchos las ſegures fueron dadas,
Mas no ſin cauſa las traian atadas.

D. Ioann. à Borgia Empr. 72.
Horoſc. Embl. 32. pag. 64.

9 Egoque, licèt actum agere recuſaverim, eandem, ut huic monito valde aptam, omittere nolui, nam quod pulchrum eſt, ut Horatius ait, etiam ſæpius, & à multis repetitum placere debet, maximè ſi quæ communia videri poſſunt, noviter adſtruantur. Rectè enim ſcripſit Hippocrates: *Scientiæ votum acopus eſſe, invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, ſimiliter & ſemiperfecta ad finem perducere, & abſolvere.*

Horat. in Arte Poëtica.

Hip. in lib. de Arte.

10 Et revera dubitari non poteſt, vel tenuem illam moram diſſolvendarum faſcium, ſecurium rigorem ſæpè comprimere potuiſſe, cum ira furor brevis, ut diximus definiatur, & non minùs breviter, quàm naſcitur, deponi ſoleat, torrentis rapidi inſtar, qui ita citò præterit, ac intumuit. Quod Athenodorus ille Sapiēs edocuit, dum Cæſari Auguſto ſuaſit, ut cum ſe iratum agnoſceret, non prius in verba, vel facta prorumperet, quàm vigintiquatuor Alphabeti Græci litteras recitaſſet. Idemque etiam Livium Philoſophum Imperatori Theodoſio Magno ſuaſiſſe (qui plures, quibus micuit, virtutes, hoc iræ vitio deturpare ſolebat) apud Sextum Aurelium, & Paulum Diaconum legimus, & ſatis expreſsit Statius Papinius ſimiliter hoc carmine admonens,

Plut. in Apophth.
Fulgoſ. lib.7. c.2.

Sex. Aurel & Paul. Diacon. in Theod.

--------------- *Ne fræna animo permitte calenti*
Da ſpacium tenuemque moram, malè cuncta miniſtrat
Impetus.

Stat. li. 8. Thebaid.

Hadr. Iun. in Append. Embl. pag. 149.

Et Hadrianus Iunius, quoddam fingens Emblema, leonis, in caudã piſcis deſinentis, quo affectus temperandos ſignificari inquit, cum leo iratum hominem referat, & piſcis ob naturalem ſuam frigiditatem, & blanditiem, iræ temperamentum; atque adeò, hac contrariorum mixtione, doceamur, revocandos eſſe velut iniecto fræno, & coërcendos affectus, & ubi laxatæ eiſdem habenæ fuerint, mox velut ſuccisis poplitibus, illorum impetum compeſcendum, Iunij carmen ſic habet: 11

Fulvam qui in caudam piſcis leo deſinit atrox
Inſigne eſt gentis, Carole docte, tuæ.
Temperiem monet hic valido dandam eſſe furori,
Æſtuet, at mox ut concidat ira brevis.

Claud. in 2. Paneg. Stilicon.

Quoò non valdè ab illo alio Claudiani ab eſſe videtur, dum Stiliconi pariter conſulit, ut nunquam iratus ad puniendum accedat, his verbis: 12

------------------ Vt ſontibus ultro
Ignoviſſe velis, deponas ocyus iram
Quàm moveas, precibus nunquam implicabilis obſtes:
Obvia proſternas, proſtrataque more leonum
Deſpicias.

L. 10. tit. 5. par. 2.

Extatque apud Nos lex quædam Alfonſi Regis huius nominis Decimi, idem ſuis ſucceſſoribus iniungens, his verbis: *Debe el Rei ſofrirſe en la ſaña, faſta que ſea paſſada: è quando lo fiziere, ſeguirſeleba gran pro, que podra eſcoger la verdad, è fazer con derecho lo que fiziere.*

Amm. Marcel. lib. 29. pag. apud Lindemb. 421.

Caſsiod. lib. 11. form. 1.

Quinimò in his Iudicijs Capitalibus, de quibus loquimur, non ſolùm tenuem moram, ſed longam cunctationem requiri, ultra illud Iulij Cæſaris Apophthegma, quod ſuprà pupugimus, ſerio admonet Ammianus Marcellinus, ſic inquiens: *De vita, & ſpiritu hominis, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, laturus ſententiam, diu multum cunctari oportet, nec præcipiti ſtudio, ubi irrevocabile factum eſt agitari*; quem ſequens Caſsiodor. Provinciæ Comitem inſtruens, ſic habet: *Cunctator eſſe debet, qui iudicat de ſalute. Alia ſententia poteſt corrigi, de vita tranſactum, non patitur immutari.* 13

Plutarc. in Lacon.

Et in idem tendit illud aliud Apophthegma Alcamenis apud Plutarchum, qui ſciſcitanti cuidam, quamobrem apud Lacedæmonios plures dies ſumerent, ad cognoſcendum in cauſis capitalibus? & ſiquis fuerit abſolutus, nihilominus obnoxius ſit legi? *Ideò* (inquit) *pluribus diebus cognoſcunt, quoniam ſi in capitis diſcrimine erraverint, non eſt corrigendi conſilij poteſtas. Oportet autem à cauſa liberatum obnoxium manere legibus. Quo fit, ut ſecundùm eandem legem liceat aliquid rectius de eo ſtatuere. Hoc temperamento proviſum eſt, ne vel occidatur innocens, vel effugiat nocens, qui quamvis errore Iudicum ſit abſolutus, poteſt eadem lege denuò conveniri, pœnaſque dare legibus.* 14

Et

16 Et in idem tendens D. Chryſoſt. ſive quiſquis ille eſt, qui homiliā in D. Matthæum ſcripſit: *Iuſtius eſt* (inquit) *iniuſtum iuſtè, (id eſt, ſententia Iudicis evadere) quàm iuſtum iniuſtè perire; quia etſi reus ſemel evaſerit, demum poteſt puniri: innocens autem ſi ſemel perierit, iam non poteſt revocari.* Et incertus Panegyriſtes ad Conſtantinum Auguſt. eius hac in parte prudentiam providentiamque commendās: *Vita enim hominum diu parta, ſemper ſervanda eſt, ſi liceat. Ideò quæ erant reparabilia: conflaſti, quod redivivum nec erat, ſervaſti.*

17 Planè enim, ſicut in militaribus rebus illud Lamachi Athenienſis, vel Scipionis Romani acroama celebrari ſolet, *Non licere in bello bis peccare, turpemque eſſe vocem Ducis dicentis non putaram*; quoniā damnum quod in illis committitur, immedicabile iudicatur, ita æquè turpis in iudicantibus cenſeri debebit, ſi ubi de vita, ſanguine, & ſpiritu hominis agitur, quem Deus omnium creatarum rerum Principem fecit, per iram, aut præcipitantiam erraverint, & in re tam ardua, tantique momenti, & in qua bis peccare non licet, debitam conſiderationem, & comperendinationem non adhibuerint, & primo, quod aiunt, pedatu, ad illam horrendi carminis legem proſilierint, *I lictor, deliga ad palum, manus adſtringito, caput obnubito, arbori infœlici reſte ſuſpendito, vel honoris cauſa caput amputato.*

Plutarc. in Apoph. Reg. & Imp. cap. de Lamacho, Valer. Max. lib. 7. c. 2 ubi de Scipione, Æneas Sylv. lib. 1. epiſt. 131. Bobad. lib. 4. c. 2. n. 31.

Geneſ. 2. Ovid. 1. met. l. in pecudū, D. de uſur. l. vetus, de uſufr. l. 6. §. fin. de acq. rer. dom. §. in peculū, Inſtit. de rer. diviſ.

18 Quò enim gravior eſſe debuerit animadverſio, eò lentius, & cautius ad illam infligendam procedi debet, ut benè Caſsiodorus admonuit, ſic inquiens: *Homicidij ſcelus legum iubemus auctoritate reſecari, ſed quanto vehementior pœna eſt, tanto eius rei debet inquiſitio plus haberi, ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ pericula ſuſtinere.* Qui & ipſe alibi, vel de puniendis latronibus agens, qualiter Præfectus Vigilum ſe in illis damnandis habere debeat, ſic ſtatuit: *Sed quamvis nomen odioſiſsimum furum generalis perſequatur aſſenſus, tamen quia de effuſione humani ſanguinis agitur, nihil ſubitum, aut indeliberatum iubemus aſſumi. Modeſtiam ſequere, qui damnas audaciam: continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad geſta perducti, audiantur aliquid pro ſalute dicturi. Quoniam quicquid non diſcutitur, iuſtitia nō putatur. Convictis verò, atque confeſsis, quæ ſunt decreta ſerventur, quando crudele nihil efficit, qui ſequitur leges.*

Briſſon. de formul. li. 5. pag. 537.

Caſsiod. li. 5. ep. 39

Idem lib. 7. epiſt. 8

19 Hoc etiam documentum inſinuare voluiſſe videtur Iulius Cæſar, qui de ſe ipſo dicere ſolitus erat: *Ego ſum lentus ad condemnandum, ſed multo lentior admittendum.* Tiberius Imperator, quo regnante Senatus-Conſultum factum eſt, ne ſententiæ capitalis ante diem decimum ad ærarium perferrentur, idque vitæ ſpacium condemnatis indulgebat. Quamvis ut Tacitus inquit, magis ad inanem clementiæ famam aucupandam, quàm ullum ob uſum. Nam talis eius natura, & crudelitas erat, ut nec Senatui libertas ad pœnitendum eſſet, nec ipſe interiectu temporis mitigaretur.

Iulij Cæſ. Apophtegma.

Tacit. 3. ann. Suet. in Tiber. c. 75. Diō Caſs. lib. 57.

20 Nero quoque, prius quàm in tetram immanemque belluam degeneraret, oblatam ſibi ad obſignandum chartam, qua duo facinoroſi, & latrocinijs infames, capitis ſupplicio addicebantur, invitus eam accepiſſe traditur, ac diu multumque cunctatus, tandemque libello

Senec. lib. 2. de Clement. cap. 1.

nomen ſubſcripſit, vocemque illam effatus eſt, quam miris Seneca laudibus in cœlum extollit, *Vellem neſcire litteras.* Quæ exempla, ut rectè, eiſdem in ſimili utens, Dominicus Baudius advertit, quò à crudeliſsimis Tyrannis profecta ſunt, cum tamen iuſtè, ac ſalubriter geſta conſtitutavè fuerint, eò maiorem vim ad ſuadendos Chriſtianos, & benè moratos Principes habere debent.

Domin. Baud. in orat. ad ſtudios tumultuantes, pag. 560.

Baron. tom. 4. Annal. Cuiac lib. 5. obſerv. c. 9 & lib. 20. c. 32. Covar. 2. variar. c. 8. & in reg. peccatum, 1. p. in princ. n. 5. Menoc. de arbitr. caſ. 372.

21 Quibus pariter imitandum Chriſtianum alterum, & nō minùs Pietate, ac Religione, quam geſtarum rerum gloria Magni cognomen adeptum Theodoſium, proponere poſſumus, qui, ut latiſsimè Sozomenus, Ruffinus, Zonaras, & alij a Baronio, Cuiacio, Covarruvias, & Menochio citati; recenſent, cum in Theſſalonicenſes iratus, quòd quemdam, à ſe miſſum Magiſtratum, occiderant, graviter ſævijſſet, & plura hominum millia, ſontium, & inſontium, morte damnaſſet, poſteà ira depoſita, & libera, ac ſevera Divi Ambroſij correptione admonitus, Eccleſiæque ingreſſu prohibitus, cum ſuum errorem, ſive furorem agnoſceret, ne vel ipſe, vel poſteri ſui in ſimilem exceſſum prolaberentur, nobilem illam ſanctionem conſtituit, quæ hodie in Theodoſiano, & Iuſtinianeo Codice extat, & in Gratiani quoque decreto inſerta conſpicitur, quæ ita ſe habet: *Si vindicari in aliquos ſeverius, contra noſtram conſuetudinem, pro cauſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos, aut ſubire pœnam, aut excipere ſententiam: ſed per dies triginta ſuper ſtatum eorum ſors, & forma ſuſpenſa ſit. Reos ſanè excipiat, vinciatque cuſtodia, & excubijs ſolertibus vigilanter obſervet.*

L. 13. C. de pœn. in Theodoſ. & 20. eod. tit. in iuſt. cap. cum apud Theſſalonicā 69. 11. q. 3. ubi tamē ſolùm viginti dies præſcribantur.

Quintil. ſen. decl. 303. & 313.

Idem declam. 305

Calpurn. decl. 25.

Sid. lib. 1. epiſt. 6.

22 Adeòque iuſtum, hoc in ſumendis ſupplicijs temporis interſtitium viſum eſt, ut apud Quintilianum ſeniorem eiuſdem tricendij repetita mentio in aliquibus declamationibus extet, & in quadam, reum, ita Iudicem exorantem, inducat: *Omne iniuſtum ſupplicium eſt, quod non eſt exactum ſecundùm legem; da igitur ius mihi quo perire debuerim.* Et Calpurnius Flaccus in alia, ſic tradat: *Pœna raptoris in diem triceſsimum differatur.* Quæ loca, & illud aliud Sidonij Apollinaris, quo inquit. *Ex vetere Senatus-Conſulto Tiberiano XXX. dierum vitam poſt ſententiam trahit.* Qualiter accipi debeant, ne cum dicta Theodoſij conſtitutione pugnent, ubi hoc ſe novè conſtituiſſe demonſtrat, qui in his hæſitaverit, Cuiacium, Lipſium, Savaronem, Petrum Herodium, & noſtrum D. Ioannem Antonium de Tapia, & Robles legere poterit.

Cuiac. ubi ſuprà, Lipſ. in not. ad Tacit. 3. ann Herod. in not. ad d. decl. Quint. Savar. in d. epiſt. Sidon. pag. 57 & 58. Tapia in lib. de los Grandes, in not. fol. 82.

Claudian. in Mal. Theod.

23 Nos ulterius pergentes, hinc ad iuſtam laudem deſcendimus, quàm Claudianus Mallio Theodoro tribuit, quòd cunctanter, & depoſita ira, iudicabat, ſic inquiens:

Quin etiam ſontes expulſa corrigis ira,
Et placidus delicta domas. Dijs proximus ille eſt,
Quem ratio non ira movet, qui facta rependens,
Conſilio punire poteſt.

De hoc fact. Ptolom. Ælian. lib. 14 de var. hiſt. c 43.

De Oth. Sigon. li. 7 de Reg. Ital. Lipſ. in monit. & exēpt. lib. 2. cap. 9.

24 Pariterque ex adverſo, ad notandam Ptolemæi Ægyptiorum Regis incuriam, qui inter ludendum de ſontibus iudicabat, & prout iactus ceciderat, per iram duci iubebat in ſontes, & lucro delinitus, abſolvebat nocentes. Othonis III. Imperatoris imprudentem feſtina-

tio-

tionem,in damnando Comite Mutinenſi,ob tentatam Auguſtæ pudicitiam,quod poſteà falſum apparuit. Clotharij Regis Galliæ rabiem, qua propria manu Iuetotum occidit,& tandem ſerò, conſtita eius innocentia,pœnituit,aliorumque ſimilium,crudeliter æquè,ac præcipitanter iniuſta iudicia exequentium,quorum longam nomenclaturam Camerarius & Beyerlinchius ſcribunt.

De Iuetoto Ego ſup.Embl.38. ex Fulgoſ.& alijs.

Camer. 3. ſubceſ. ex pag.128. Beyerlinc.litt.I.pag.406 & 415. & litt. N. pag.20.

25 Et præ omnibus notãdus,& dãnandus venit Gneius ille Piſo Romanus Cõſul,cui,(Seneca latiùs narrante) cũ placeret pro conſtantia rigor,iratus,quemdã militẽ, tanquã alterius occiſſorẽ,capite plecti iuſſit,qui cũ a Centurione ad patibulũ duceretur, is qui occiſſus ferebatur,fortè comparuit,& quoniam Centurio,rem gratam Piſoni facturũ ratus, cum iã de rei innocẽtia conſtaret, ſupplicij executionem ſuſpẽdens, utrumque magno caſtrorum gaudio,& concurſu ante illum reduxit, furens Piſo,ut idem Seneca ſubdit,Tribunal conſcendit,excogitanſque quemadmodum tria crimina faceret, ubi nullum invenerat, tam duos illos milites, quàm Centurionem,ad mortem ſub hac crudeli forma damnavit: *Te duci iubeo, quia damnatus es: Te, quia cauſa damnationis commilitonis fuiſti: Te , quia iuſſus occidere, Imperatori non paruiſti.*

Senec.lib.1. de ira cap.10.

26 Hæc enim,& ſimilia monſtra iratus, & præceps iudicantium animus producere ſolet,quos a vera rerum cognitione fallax præſumptio ſeducit, & vanis ſæpè indicijs, vel falſis delationibus motos, incerta pro certis ſequi ſuadet. Non animadvertentes,quòd ſecundùm eundem Senecam,magno quidem,ſed certo tamen,& benè informato animo de rebus magnis iudicandum eſt: *Alioqui videbitur illarum vitium,quod noſtrum eſt: ſic quædam rectiſsima,cum in aquam demerſa ſunt, ſpeciem curvi præfracti que viſentibus reddũt,animus noſter ad vera percipienda calligat,* quod etiam Petronius ſic dixit:

Senec.lib.10.epiſ.72.

Petron.in fragm.

Fallunt nos oculi,vagique ſenſus
Oppreſſa ratione mentiuntur.
Nam turris prope quæ quadratas ſurgit,
Attritis procul angulis rotatur.

27 Cuius loci,Seneca non relato, licèt ad alium finem,noſter Saavedra meminiſſe videtur. Et mihi ſemper elegantiſsimus viſus eſt, ad ſuadendos Iudices,ne ex ſolis indicijs, quantumvis vehementia videantur,ad pœnas,præſertim capitales,exequendas, procedant, nec temerè, quæ dumtaxat probabilia ſunt,pro neceſſarijs accipiant, & incerta pro certis,dubia pro compertis. Cum ſæpè accidiſſe videamus, ut ex his damnati, poſtea,detecta veritate,innocentes reperti ſint, ut apud Livium Turni Hordonij caſus oſtendit, proditionis damnati, quòd magnam armorum vim domi habuiſſe compertus fuit, quæ tamẽ Tarquinius Superbus,corruptis ſervis,& nihil tale cogitante Hordonio,clam in eius domum immitti fecerat. Et alter apud Paridem de Puteo,cuiuſdam mulieris ob homicidium ſuſpenſæ,quòd mortuo, cædem paulò ante minatam,probatum fuit,quem tamen eventus oſtendit,non ab ipſa,ſed ab altero eiuſdem inimico occiſum fuiſſe, paulò

Saaved Emp.46. pag.302.

Paris de Puteo de Syndic. verb. *Tortura*, c 6. n.3.fol. mihi 318.

poſt

poſt hoc illo fatente, cum ex alia cauſa captus, ad ſupplicium dedu-
ceretur.

Prout & in Martiano accidit, qui poſteà Romanus exiſtit Impera- 28
tor, alterius homicidij accuſato, quod ut Evagrius, & Nicephorus re-
ferunt, hominem quem in via ab alijs occiſum repererat, Chriſtiana
pietate ſepulturæ tradere deſtinabat; & in D. Athanaſio, de Arſenij
morte impetito, qui tamen ſtatim vivus apparuit, & ab inimicis Atha-
naſij abſconditum fuiſſe conſtitit, ut latiùs Ruffinus commemorat.
Quibus caſibus, ſimiles alios, in pari negotio, quod Pariſijs contigit

Petr. Matth. lib. 3. narrat. 1.

anno 1600. Annæum Robertũ in Parlamento adduxiſſe, Petrus Mat-
thæus in ſuis narrationibus refert, & latè, & eleganter hanc indiciorũ
materiam, ultra cæteros qui de ea ex profeſſo ſcripſerunt, elucidans,

Argent. ad cõſuet. Bituric. tit. de præſumt. ex col. 158. ad 164.

Bernardus Argentræus.

Canonh. in Aphor. polit. 1. tom. pag. 429. Seſſe deciſ. Arag. 111. to. 1. Merſen. in Geneſ. pag. 1440.

Qui nec illi indicio, ſanguinis coram occiſſore, ex occiſi cadave- 29
re profluentis, multum fidendum eſſe concludit, quamvis de eius ve-
ritate, & oculata experientia Marſilius, Puteus, Nevizanus, Hiero-
nymus Magius, & alij, quos ipſe citat, plura tradiderint, & his plenius
Petrus Andræas Canonherius, Ioſephus Seſſe, & Mar. Merſen⁹, quos
legere non pigebit.

Iovius in elogijs, c. de Bartolo.

Quæ omnia contra Bartolum faciũt, de quo ſcribit Paulus Iovius, 30
ſeveritatem ſuprà æquum in torquendis iudicandiſque, noxijs exer-
cuiſſe, cum rerum capitaliũ iudicijs præeſſet. Adeò ut reum furti, nec
ritè confeſſum, & inſontem, præcipiti ſententia ſupplicio affecerit.
Hincque propter invidiam conſpectum hominũ fugiſſe, in rus ſe con-
ferens, & totum litteris abdens.

Petr. Balſac. in lib. de Princip.

Et Petrum Balſacum, noviſsimum Auctorem Gallum, qui, ut Car- 31
dinali Rochiieu blandiretur, qui totam Galliam Nobilium ſanguine
madefecit, ſcribere auſus fuit, ob tenuem quamlibet ſuſpicionẽ, imò
& ſomnium proditionis, quod mentes Principum vexare contingat,
licitum illis eſſe adverſus ſubditos capitalia ſupplicia exercere. Quod

Curt. lib. 6.

fortè ex illo Curtij deſumſit, inquientis: *In ſuo quemque periculo mag-
num animum habere oportet; cum de ſalute Regis timetur, creduli eſſe de-
bemus, vana quoque deferentes admittere.*

Sed hoc verum eſſe poteſt, quoad cautionem, & inquiſitionem, & 32
ut ſalus Principis in tuto ponatur, in qua ſubditi omnes periclitantur,
non autem ut rei inauditi, vel non ritè inquiſiti, puniri poſsint, ut be-
nè oſtendit Petr. Matthæus, ſic in una ex ſuis narrationibus, inquiens:

Petr. Matth. in narrat. 2. par. narrat. 2 pag. in Italis 106.

*Non biſogna credere niente di leggiere, per che la calunnia è coſi ſottile, che
penetra nel mezzo de le piu innocente attioni. Ma dove ſi concerne la ſalu-
te dello ſtato, le coſe piu dubbioſe non de bono eſſere ne rriete, ne ſprezzate.
Debbonſi convertire le opinioni in credenze, le fabole in verita, le apparẽ-
ze in ſicurezza, biſogna credere tutto, è aſcoltare quelli ſteſsi che referiſco
no coſe che paiono vane, è che il tempo ſcopre falſe, &c.*

Etenim quò eiuſmodi delicta graviorem animadverſionem requi- 33
runt, eò pleniorem examinationem, & probationem, ut ſuprà cum

Cicer. in orat. pro Roſc. Amer.

Caſsiodoro dixi, deſiderant, & ut de parricidio agens Cicero dixit:
Quò minùs eſt credibile niſi oſtendatur, eò magis eſt, ſi convincitur vindi-

candum. Vnde & illa querela Tertulliani, quòd ſoli Chriſtiani inauditi, & indefenſi damnarentur à Romanis, quorum adverſus alios nocentes ea erat lenitas, atque æquitas, ut ne in confeſſos quidem homicidas, ſacrilegos, vel inceſtos, vel publicos hoſtes, contenti eſſent ad pronuntiandum, niſi & conſequenter qualitatem etiam facti, locũ, modum, tempus, conſcios, & ſocios exigerent. Et laus clementiæ Cæſaris Auguſti apud Suetonium Tranquillum, eò quòd *Manifeſti parricidij reum, ne culleo inſueretur, (quòd non niſi confeſſi afficiebantur hac pœna) ita interrogaverit, certè patrem tuum non occidiſti?*

Tertul in Apolog cap.1.& 2.

Suet. in Aug. c 33. Ego de parric. lib. 2.c.17.pag.188.

34 At re vera etiam ſi ſupradicta deficerent, vel ex eo lentè, & cunctanter in noxijs puniendis, Iudices omnes, & maximè Reges, ac Principes, procedere deberent, ne cum voluntate, ac voluptate punire videantur, ut iam ex Seneca diximus, quam tantum ab eorum mente, munere, ac dignitate abeſſe oportet, ut vel cum iuſtè in flagitioſos ſuæ ſeveritatis gladium diſtringunt, id quaſi coacti & inviti, & cum ſummo dolore facere debeant, ut optime eoſdem monuit, idem Seneca inquiens: *Conſtituit bonos mores civitati Princeps, & vitia eius fœlicius compeſcit, ſi patiens eorum eſt, non tanquam probet, ſed tanquam invitus, & cum magno tormento ad caſtigandum veniat.*

Senec. 1. de Clem. cap.22.

35 Quem locum reſpexiſſe videtur Antonius Faber, dum relato eodem Seneca inquit: *Veram iuſtitiam illam eſſe, quæ debitam crimini pœnam, quantumlibet iuſtam, non ſine intimo Iudicis dolore irrogat.* Chriſtophorus Beſſoldus inquiens: *Ferina rabies eſt, ſanguine, ac vulneribus gaudere, & ſupplicia non niſi dolenter, & commiſerante animo decernere.* Et ante eos Claudianus his verſibus:

Ant. Fabr. in Iuriſ-Prud. Pap. tit. 2. princip. 3. illat. 7. in fin. pag. 45.

Beſſold. de arcan. rer pub. c. 1 n. 9.

Qui fruitur pœna ferus eſt, legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi, cum viſcera felle
Canduerint, ardet ſtimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus cauſæ.

Claudian. in Conſulat. Mallij.

Et Ovidius:

Sit piger ad pœnas Princeps ad præmia velox;
Quique doleat quoties cogitur eſſe ferox.

Ovid. 1. de Ponto eleg. 3.

36 Et in idem tendit notabile apophthegma Biantis à Plutarcho relatum, qui damnaturus hominem ad mortem lachrymatus eſt, & interroganti, quare fleret, cum penes illum eſſet abſolvere, & condemnare? Reſpondiſſe fertur: *Ideò ſe lugere, quia neceſſarium erat, naturæ condolere, & legibus ſuffragari.*

Plutarc. in Apoph. Biantis.

37 Eiuſmodi enim lachrymæ, ut benè Fulvius Pacianus animadvertit, non intrant in prohibitionem Calliſtrati I.C. aliàs Iudices admonentis: *Ne motum animi ſui vultu detegant, neque cum calamitoſis collachrymentur;* hoc enim eos reſpicit, qui commiſeratione ducti, vera iudicia pervertunt. Squalentiſque, ac pallidi rei, magis quàm defuncti crudeliter interempti, dolore afficiuntur, quam miſericordiam meritò ineptam, & iniuſtam elegantibus verbis Annæus Robertus, omninò legendus, appellat. Non autem eos, qui iuſtitiam ſervantes, naturæ

Pacian. de prob. lib.2.c.44.n.92.

L. obſervandum, de offic. Præſid.

Ann. Rober. lib. 1. rer. iud. c. 10.

con-

condolent,& peccata non peccatores odio habent; cum ſcriptum ſit, quod vera iuſtitia compaſsionem habet.

38 Sed hæc tamen,quæ hucuſque diximus,& tot rationibus, & auctoritatibus communivimus,non excludunt,quin aliquibus in caſibus ordo ſit,ordinem non ſervare,& prius ad punitionem,quam ad exactam & plenam proceſſus formationem,ſive fulminationem devenire. Cuius doctrinæ exempla nobis in latrone manifeſto, factioneque cruenta Vlpianus I.C. reliquit,& in alijs iuſtis cauſis,quæ moram non recipiant: *Tunc enim* (inquit) *non pœnæ feſtinatione,ſed præveniendi periculi cauſa,punire permittitur,deinde ſcribere.* Eſt enim ſæpè,ut Salluſtius, & Tacitus aiunt, periculoſior quies quam temeritas, taliſque conditionis aliqua crimina,ut niſi celeriter compeſcantur, ſero iudicia implores,ut in ſeditionibus contingere ſolet,& in alijs pluribus caſibus, de quibus aliqua dixi ſuprà,ubi de conſilijs maturandis,aut feſtinandis diſſerui,& integrum tractatum noviſsimè Marius Burgius ſcripſit, cui *De modo procedendi ex abrupto*,titulum fecit.

L. ſi quis filio 6.§. hi autē,verſ. *Quid tamen*.D.de iniuſt. rupt.

Saluſt. in Catil. in princ. Tacit.lib.1. hiſt.

Ego ſup.Embl.46.

39 Extatque apud Ælianum,Ageſilai edictum, quo Reipublicæ conſulens, ſanxit,ut in dicta cauſa,ad mortis ſupplicium raperentur, qui noctu ſub impreſsionem Thebanorum coitionem feciſſent. Quod, idem Ælianus valdè probat, ſic inquiens: *Ego verò illos potiſsimum laude dignos iudico, qui naſcentibus malis ſemper occurrunt, & ea, prius quàm virium aliqua ſit acceſsio facta,delent,& extinguunt.*

Ælian. lib.14. de var.hiſt.cap.27.

L.1. C.quando liceat unicuique,l.1 C.unde vi,in Theodoſ. cū alijs apud Me 1.to. lib.3.c. 1.n.9. & 2.to. lib. 1.cap.4.n.38. Velaſc.in axiom. iur. litt.M.n.54.

40 Quod convenit cum noſtrarum legum regulis, admonentibus, *Non eſſe expectandum donec inſula ruat, & melius eſſe in tempore occurrere, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere, aut reparationem negotij ſemel interfecti poſtulare.* Et cum vulgato illo carmine Ovidij,

Principijs obſta ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Illiſque Adagijs: *Satius eſt initio mederi, quàm fini, Serò veniſti, Serò ſapiunt Phryges, Serò vidit iuſtitiam*;in quorum ſcholijs plura alia Eraſmus congeſsit,inter quæ illud Theognis,

Pharmaca naſcenti ſunt adhibenda malo.

Et Perſij:

Elleborum fruſtra cum iam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas, venienti occurrite morbo.

Ovid. de remed. amor.lib.2.

Perſius ſatyr.3.

41 Quibus addere licet Caſsiodorum,præclarè monentem: *Difficultatem querelarum ſubmoveri,dum in ipſis cunabulis ſcelera commiſſa reſecantur.* Nazianzenum,æquè prudenter inquientem, *Miſerum eſt ſerum conſilium capere, ac tum damni ſenſu affici, cum nulla ratione acceptum incommodum ſarciri poteſt.* Præſertim cum ſecundùm Tacitum: *Natura infirmitatis humanæ tardiora ſint remedia,quam mala.* Et ſecūdùm Nazarium: *Facilior,& multò proclivior lædendi, quàm commodandi ſemper ſit via; vulnerare integrum,quàm ſauciato mederi,diſsipare rapta,quàm divulſa componere.*

Caſsiod.li.5.ep.15

Nazianz. in orat. ad Sanct.Lun.

Tacit.in Agric.

Nazar.in Paneg.ad Cæſ.Conſtant.

42 Et quia in rebus bellicis,hæc frequentius, & urgentius contingere

ſo-

ſolent, meritò in militaribus quoque delictis eadem forma procedendi celeriter, & ex abrupto, (quod nos dicimus, *Breve, i ſumariamente*) recepta eſt. Adeò ut feriatis etiam diebus à noxijs ſupplicia pendantur, ut poſt Vlpianum I.C. Iulius Ferretus, Claudius Coteræus, Balthaſar de Ayala, Petrus Faber, & alij, qui de re militari agunt, plenius animadvertunt. Quibus antiquior Valerius Maximus, poſt narratam Pauli Æmilij ſævitiam, qui Perſe Rege ſuperato, exterarum gentium transfugas elephantis proterendos ſubſtravit, utiliſsimum hoc exemplum appellat, hanc ſtatim ratione ſubiungens, *Aſpero enim & abſciſo caſtigationis genere, militaris diſciplina indiget: quia vires armis conſtant, quæ ubi à recto tenore deſciverunt, oppreſſura ſunt, niſi opprimantur.*

L. divus, D. de ferijs, Ferret. in tract. de re milit. tit. de iuſt. & pœn. n. 78. Coter. lib. 3. cap. 6. & 8. Ayala lib. 3. c. 8. Fab. 1. ſemeſt. c. 18. Caball. reſol. crim. c. 294. n. 262

Valer Max. lib. 2. tit. 7. §. 14.

43 Planè tam in his, quàm in alijs gravioribus delictis, illud inter omnes receptum eſt, damnatis iam reis, aut manifeſta probatione convictis, ultionem differendam non eſſe, ut Imperator Conſtantius ſtatuit, ea ratione reddita: *Quòd facultas ſupplicandi, vel quibuſdam malignis artibus pœnas evitandi, etiam crimino ſiſsimis patet*; quod & apud Nos Alfonſina lex ſanxit, ſtatuens: *E ſi el juizio fueſſe dado ſobre algun pleito de eſcarmiento de juſticia, de muerte, ò de perdimiento de miembro, debeſe luego cumplir, &c.*

L. cùm reis 18. C. de pœn. Iaſ. in l. de bitoribus, ex n. 15. D. de re iud. Abb. in cap. 1. col. 12. de mut. petit.

L. 5 tit. 27. p. 3. ubi Greg. Lop. verb. *Luego.*

44 Valetque in hoc, ut & in reliquis alijs vulgatam illud ſemper tamen menti tenendum, & obſervandum Salluſtij monitum: *Prius quàm incipias conſulito, & ubi conſulueris maturè, facto opus eſt: ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio viget*; & nobile apophthegma Dom. Imperatoris, ac Regis noſtri Caroli Quinti, à Saavedra relatum: *Que la Tardança era Alma del Conſejo, i la Celeridad de la Execucion, i juntas ambas la quinta eſſencia de un Principe prudente.* Maximè, cum vel ipſi rei cum iam ſe capitis damnatos intelligunt, & abſque ulla ſpe veniæ, ultimam ſupra caput ſuum horam ſtare, illam properari deſiderent, ut elegantiſsimis verbis ſcripſit Pacatus, poſt alia, ſic inquiens: *Hinc reorum uſque ad damnationem metus, poſteà attonitus ſtupor, & ex deſperatione ſecuritas, & ad locum ſupplicij voluntaria, carnifice non trahente, properatio.*

Salluſt. in Catill.

Saaved. Empr. 64. pag. 488.

Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

Plus terrendum, quàm torrendum.

EMBLEMA LXXV.



Proh Tronitũ; gemit orbis iners; metus implicat omnes,
Iuppiter at terret, non nimis ipſe nocet.
Ignivomo, Princeps, ſceleratos fulmine terre;
Ingens ſit tronitus; ſit tamen ira levis.

COMMENTARIVS.

HOC quoque Emblema, quod nunc ſuperioribus ad- 1
dimus, ex fulminantis, ut vides, Iovis imagine ſumtũ,
ſatis oſtendit, quàm coactè, vel Deus ipſe ad homines
puniendos accedat; cum igne ad hoc miniſteriũ uta-
tur, cuius natura eſt (ut Seneca benè conſiderat) in ver-
Senec.nat.quæſt. lib.2.cap.24. ticem ſurgere, & ſi nihil illum prohibeat, aſcendere;
atque adeò non niſi invitus, & impellentis neceſsitate ſuccuſus, in
contrarium agitur, & ubi eſt aliquid, quod eum ferat deorſum, & ab
impetu ſuo avertat, id non natura, ſed ſervitus eius fit.

Salvian. lib.1. de provid.Dei. Eiuſdem etiam coactionis, ſpecimen aliud nobis exhibuit Salvia- 2
nus, dum tractat, qualiter Deus ad punienda Sodomæ, & Gomorrhæ
peccata non prius deſcenderit, quàm grandis, & multiplicatus peccã-
tium clamor ad eum in cœlum aſcenderet, divinaſque eius cæderet
aures, ſic addens: *Et verò clamor, & grandis clamor eſt, quãdo pietas Dei
peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Oſtendit
ergo Dominus, quàm invitus puniat etiam graviſsimos peccatores, dicẽs,*

quòd clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit ; hoc eſt , miſericordia mea mihi ſuadet, ut parcam: ſed tamen peccatorum clamor cogit, ut puniam.

3 Sed ultra hoc documentum, aliud, præſtantius adhuc, ex eadem figura, & fulminis natura ſumerè poſſumus, nimirùm, vel tunc cum ad illud contorquendum, ac iaculandum Magni Tonantis Iovis exarſerit ira, ea ſe habere in tanta ſeveritate clementia, ut non niſi uno, vel altero, & ſæpiſsimè nullo mortali percuſſo, univerſus orbis expaveat, & in ſuo quiſque capite timeat, quod in alieno dira illa iaculatio fuerit operata. Quod nihil aliud eſt, quàm docere, inferiores Principes, ad hanc ſuperioris imitationem, in ſontibus puniendis ſe habere debere, & paucorum ſupplicio, atque exitio, ita reliquos terrefacere, ut alienum ſpectando, ſuum diſcant, & à perpetrandis ſceleribus, quæ ita acriter plecti viderint, abſterreantur.

4 Quem dicendi docendique modum ex refertiſsima eiuſdem Senecæ pœnu, ut & alia plura depromſimus, ita monentis: *Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animadverſiones Magnarum Poteſtatum, terrent latiùs, quàm nocent: non ſine cauſa, non enim quantum fecerit, ſed quantum facturus ſit cogitatur, qui omnia poteſt.* Qui & ipſe alibi, hac de cauſa, hoc Fulminis ſupplicium *Monitorium* aptiſsimè vocat. *Quaſi eo doceamur, quid cavendum ſit, ipſiuſque caſus metum donet. Nemo enim unquam Fulmen timuit, niſi qui effugit.* Senec. lib. 1. de Clement. cap. 8. Idem lib. 2. nat. c. 49. & cap. ult.

5 Quò & reſpiciens Statius Papinius ſic habet: Stati⁹ lib. 3. ſylvar. ſylv. 3. de lachr. Hetruſci.

------- Attonitum, & venturi fulminis ictum
Horrentem, tonitru tantùm lenique procella
Contentus monuiſſe ſenem.

Et apertius Claudianus, magiſque ad rem noſtram, ipammet Senecæ doctrinam hoc carmine donans, dum Stiliconis prudentiam, & clementiam in plectendis noxijs extollere voluit: Claud. lib. 2. de laud. Stilic.

---------- Hac ipſe Magiſtra,
Das veniam victis. Hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus ſolo terrore, coerces;
Ætherei Patris exemplo, qui cuncta ſonoro
Concutiens tronitu, Cyclopum ſpicula differt
In ſcopulos, & monſtra maris, noſtrique cruoris
Parcus, in Oetæis exercet fulmina ſylvis.

Neque procul abeſt Plinius Iunior, qui ſemel, & iterum refert, qualiter ſub Domitiani Tyrannide, proſcriptis ſuis amicis, illorum ſtragibus, totque circa ipſum iactis fulminibus ambuſtis, extimuerit, ſibique impendere idem exitium, certis quibuſdam notis augararetur. Plin. in Paneg.

6 Omnes ſanè rectiſsimè, cum certum & notum ſit, inter alias cauſas, quæ à criminoſis vindictam ſumi ſuadent, quas iam ſuprà ex Agellio, & alijs tetigimus, illam cum primis à legislatoribus expeti, ut pœna ad paucos, terror autem ad plures perveniat, & qui peſsimo ſuo exé Sup. Embl. 70.

plo

Senec.lib.1.deCle ment c.22. Ioann. Pont.in Extrav.de pœn.
Rhodig lib.6.c.14
Ego latè de parric. lib.1.c.1.& 2.

plo cæteris nocuerunt, exemplari quoque punitione pereuntes, aliјs melioris frugis ſectandæ diſciplinam præbeant, ne cogantur cum illis perire, ut poſt eundem Senecam, Ioannes Pontifex tradit, & latè, & eruditè Cœlius Rhodiginus, oſtendens, apud Terentium, & alios, hac de cauſa, ſeveriores eiuſmodi Animadverſiones *Exempla* vocari, quæ eadem Græci *Paradigmata* dicunt.

L.Capitaliū, §.famoſos, l.aut facta, §. fin. D. de pœn. Auth. ut nul. iud. collat 9.
Quintil.decl.274.
Plat.lib.9.delegib.
Curtius lib.7.c.13 ubi vide Raderum pag.437.
Machab.2.13.

7 Ac proinde Calliſtratus I.C. pluribus placuiſſe docet: *Famoſos latrones, in ijs locis ubi graſſati ſunt, furca figendos, ut illorum conſpectu alij ab iiſdem facinoribus deterreantur.* Quod fortè deſumſit ex Quintilliano, in quadam ex ſuis declamationibus, ſic perorante: *Quoties crucifigimus noxios, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi commoveri hoc metu poſsint. Omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quàm ad exēplum.* Vel ex Platone, ita optimos cuiuſque Reip. Gubernatores admonente: *Quos inſanabiles legislator eſſ. ſenſerit, ultimo ſupplicio hos afficiet: nam hoc exemplo à peccato cæteri deterrentur, & improbis hominibus civitas ipſa mundatur*; vel meliùs ex Quinto Curtio, qui Beſſum ex Bactris Ecbatana ab Alexandro Magno duci iuſſum memorat, ob interfectum Darium pœnas capite perſoluturum, *Vt eo in loco, quo Darium ipſe occiderat, necaretur.* Cui hiſtoriæ, & exemplo ſimile eſt, & illud Andronici, qui, ut in libro ſecundo Machabæorū habetur, ab Antiocho Epiphane Antiochiæ trucidari iuſſus eſt, eodem loco, ubi Oniā ſanctiſsimum Hebræorum Pontificem interfecerat.

L.5.tit.27.p.3.
L.fin.tit.31.par.7.

8 Et idem non minùs rectè, & apertè docuit Rex Noſter Alfonſus in quadam ex ſuis legibus ſanciens, Capitales de ſontibus pœnas, ſtatim poſt ſententiam eſſe exequendas, & quidem, *De dia, concejeramente ante los omes, è non de noche afurto.* Hanc rei noſtræ aptiſsimam rationem ſubtexens: *Ca la juſticia non tanſolamente debeſer cumplida en los omes, por los yerros quefazen; mas aun porque los que la vieren, tomen ende miedo, è eſcarmiento para guardarſe defazer coſa, porque merezcan recebir otro tal.* Quod & in alia his verbis repetijt: *Paladinamente debeſer fecha la juſticia de aquellos, que ovierenfecho porque deban morir, porque los otros que lo vieren, è lo oyeren, reciban ende miedo, è eſcarmiento, diziendo el Alcalde, ò el Pregonero ante las gentes, los yerros porque los matan.*

Saaved. Empr.22. pag.152.
L omne delictū, §.qui in acie. D.de re milit. iuncta ex poſ.Pet. Fab. 1.ſemeſ.c.18.pag.113

9 Eſt enim valdè damnoſum, & ipſis Principibus indecorū, meticuloſè & clancularìè ad ſumēda ſupplicia, niſi raro, & ex magna cauſa, procedere, ut benè nuperus Noſter Saavedra, conſiderat, quamvis harū legum mentionem non fecerit. Nec alterius Arriani I.C. qua docuit, eum qui in acie prior fugam fecit, ſpectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendum eſſe; quo loci, illa verba: *Spectantibus militibus*, non ad fugam, ſed ad pœnam referri debent, & eo modo, quo Nos, poſt doctiſsimum Petrum Fabrum, facimus, interpungi.

10 Et in hoc noſtri Emblematis monitum, & exemplum, reſpicientes Romani, ubi à pluribus, in rebus militaribus, vel in alijs, peccatum fuiſſet, illud pervetuſtum ſupplicium introduxerunt, quod *Decimationem* appellarunt, & in id, tanquam hoc Iovis fulmen, tendebat, ut metus, & horror omnibus iniiceretur, pœna verò ad paucos perveniret.

De qua cum latè, ultra Diodorum, Plutarchum, Polybium, Suetonium, & Antiquiores alios, Tiraquellus, Lipſius, Petrus Faber, & alij ex noſtri iuris Doctoribus commenti fuerint, contentus ero Ciceronem adducere, qui ipſam, eiuſque cauſam, & rationem graphicè his verbis deſcripſit: *Statuerunt Maiores noſtri, ut ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſorte in quoſdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perveniret. Nam miles qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum, vimque pertimuit, poteſt quidem poſteà & miles eſſe melior, & vir bonus, & civis utilis. Quare ne in bellum propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis ſupplicij metus eſt à Maioribus conſtitutus: ne autem nimiũ multi pœnam capitis ſubirẽt, idcircò illa ſortibus comparata eſt, &c.*

Tiraq. de pœn. cauſa 47. Lipſ. de mil. Rom dial. 18 lib. 5 Fab. 1. Semeſt c. 18 Petr. Greg. 19. ſyntag. cap. 10. n. 12. Herod. lib. 10. tit. 7. Coteræus de re milit. lib. 3. c. 8. & alij paſsim.

Cicer. in orat. pro Cluent.

11 Extat quoque huius ſupplicij, & metus, quem cæteris incutiebat, nobilis memoria apud Tacitum, inquientem: *Apronius, ſuis acie fugatis à Tacfarinate, magis dedecore ſuorum, quàm gloria hoſtis anxius, rarò ea tempeſtate, & è vetere memoria facinore, decimum quemque ignominioſæ cohortis, ſorte ductos, fuſte necat. Tantumque ea ſeveritate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, eaſdem Tacfarinatis copias vicerint.* Appianus etiam Alexandrinus, loquens de Cæſare, qui eadem animadverſione, ob ſimilem culpam, ſive ignaviam, uſus fuit: *Legionibus* (inquit) *decimatis, quòd malè pugnaſſent, effecit, ut magis ipſe, quàm hoſtis timeretur.*

Tacit. 3. annal.

Appian. lib. 1. de bell. civil. in fin.

12 Et teſte Capitolino, alij poſteà Imperatores, ut ſe clementiores oſtenderent, loco decimationis, viceſimabant, aut centeſimabant; & ut ait Sidonius Apollinaris, nihil huiuſmodi ſortitio, cum univerſi delinquerunt, iniuriæ habere videbatur, cum potius iniquitas, quæ in plurium morte conſiderari poſſet, ſortis æquitate diſpergeretur. Qua, quia L. Sulla uti noluit, ſed quatuor legiones contrariæ partis fidem ſuam ſequutas, in campo Martio, ne quicquam fallacis dextræ miſericordiam implorantes, obtruncari iuſsit, quarum lamentabiles quiritatus trepidæ civitatis aures receperunt; lacerata ferro corpora Tiberis impatiens tanti oneris cruentatis aquis evehere coactus eſt, meritò à Valerio Maximo, Livio, & Plutarcho, eximiæ crudelis reputatus fuit.

Capitol. in Macrino.

Sidon. Apollin. in epiſtol.

Valer. lib. 9. cap. 2. §. 1. Liv. lib. 88. Plut. in vita Sullæ.

13 Eſt enim tam tritum, quàm certum, mitiùs agendum eſſe cum multitudo deliquit, aliquidque ſeveritati detrahendum, cum non huius aut illius periculum, ſed multorum iacet ſtrages, magiſque tunc monendo, quàm minando agi debere, ut pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus Gratianus in ſuo Decreto paſsim oſtendit, quas in unũ Tiraquellus, & Farinacius congeſſerunt, vulgarem illum verſum citantes,

Per Populum multum, crimen pertranſit inultum.

Quem iuvat Noſter Seneca inquiens: *In ſingulos ſeveritas Imperatoris diſtringitur: At neceſſaria venia eſt, ubi totus deſeruit exercitus. Nam licèt non tollat culpam, neque iram ſapientis, turba peccantium; intelligit quàm iniquum ſit, & periculoſum iraſci publico vitio.*

Gratian. in c conſtitueretur 50. diſt. cap. ordinationes, cum multis ſeqq. 23. q. 4. Tiraq. de pœn. temp. cauſ. 47. & Farin. cauſa

Senec. lib. 2. de ira, cap. 10.

Plutarc. in Scipio. Afric.

Plutarchus etiam memorat, quòd cum Scipione Africano ægrotã-14
te,orta eſſet inter milites magna ſeditio, rem ipſam Scipio ad conſilium retulit, cuius maxima pars,in eos,à quibus initium tumultus ortũ erat, animadvertendum cenſuit. Sic enim fieri poſſe,ut pœna ad paucos,exemplum ad multos perveniret.

Plato lib. ult. de legib.

Quod conſilium,Platonis legi hæſiſſe videtur, qua ſanxit,ſi plures 15
ex civitate proprio conſilio, ſine authoritate communi pacem inivérint, aut bellum moverint, huius rei auctores tantùm morte puniendos,nulla aliorum mentione facta, quaſi hi tandem id impunè laturi eſſent.Quam,exemplo etiam ſuo,ut latè Tiraquellus recolit, Athenienſes apud Thucydidem, Alexander Magnus apud Arrianum, & Curtium,Scipio apud Livium, Titus apud Ioſephum, & Ægeſippum, comprobarunt,multitudini parcentes,in ſeditionumque Auctores tãtùm proceſsiſſe contenti, & illum Aphoriſmum ingeminantes, *Vnius hominis animadverſionem uſque ad ſacium promovendam, multitudinis verò uſque adventiam, & verbo tenus, ac per correptionem.*

Tiraq.d. cauſa 47.

Sandoval en ſu Carolea lib 5. §.1 fol. 191. & lib. 8. §. 9. fol.400.

Idque ſæpius ubique praxi receptum videmus, & in Hiſpania no-16
ſtra in illis invaluit, qui D. Caroli Quinti temporibus ſeditiones excitarunt,vulgò dictas *Las comunidades*, quarum hiſtoriam, ultra alios, lato ſermone Sandovalius ſcripſit, & in alijs, *De Fuente Ovejuna*, qui cum coacta populariun manu, ſuum occidiſſent Commendatarium, anno 1476. mille licèt tormentis de necis auctore quæſiti, nullam aliam vocem emiſſerunt,quam *Fuente Ovejuna lo hizo*, unde & impuniti relicti ſunt, & hoc verbum apud nos in Adagium pertranſijt, ut apud D.Sebaſt.Covarr.videre licebit.

Seb.Covar. in Theſaur ling. Hiſpan. verb. *Fuente*, fol. 416.

Planè ſi multitudo in ſuo ſcelere perſeveret, aut quod commiſsit 17
delictum fœdiſsimum, & graviſsimum ſit, tunc totam quoque puniri poſſe,& deleri ſolere,ex generali cataclyſmi,& Sodomorum à Deo facta caſtigatione,& illa Moyſis,propter peccatum idololatriæ viginti duo millia hominum occidentis, ſatis apparet, & latiùs proſequitur Tiraquellus. Et ſemper in hoc, ut in alijs, illud Ovidij locum habebit:

Ovid.1. Triſt.1.

Iudicis officium eſt,ut res ita tempora rerum
Quærere,quæſito tempore tutus erit.

Pun-

Pungat,& ungat.

EMBLEMA LXXVI.



Non modo Cecropio dulceſcit ſedula ſucco,
Sed vindex etiam geſtat acumen Apes.
Nec nimium dulcis, nimia aut ſit cuſpide Princeps,
Vngere plus debet, pungere ſæpè licet.

COMMENTARIVS.

1 VIDIMVS quidem quantum expediat pœnas à nocentibus exigi,& quo ſtudio,ac modo in illis irrogandis, & exequẽdis ſe habere cordati, & temperati Principes debeant. Quibus adhuc, ultimum hoc monitum, (quod vel primũ eſſe debuit) in re adeò gravi,& ſeria proponendum eſſe cẽſemus,ut iuxta conſiliũ D.Gregorij,mentibus figant: *Miſcendam lenitatem cum ſeveritate, faciendumque quoddam ex utroque temperamẽtum,ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi,neque nimia benignitate ſolvantur.* D.Gregor.lib.2.in Iob.

2 Hoc eſt enim *vinum cum lacte bibere,* ut in Canticis dicitur,& Petr. Bleſenſis exponit: *Severitatem exercere cum manſuetudine;*& neque huius, neque illius gloriam affectare, ut prudenter Marcianus I.C.edocuit: *Sed perpenſo iudicio,prout res quæque expoſtulat,ſtatuere,& etiam in gravioribus pœnis ſeveritatem legum,cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi.* Cantic.5.1. Bleſenſ.in opuſc. L.reſpiciendum, D.de pœnis.

3 Cuius legis,& aliarũ ſuprà in ſimili memini,& eſt digna relatu alia Noſtri Regis Alfonſi, dum inquit: *Ca comoquier que la juſticia es mui* Sup.Embl.53. L.2.tit.10.par.2.

buena coſa enſi, è de que debe el Rei ſiempre uſar; con todo eſſo fazeſe mui cruel, quando à las vegadas no es templada con miſericordia.

Pſalm. 100.

Et hoc eſt, quòd vel in Deo requirit, extollitque Regius Pſaltes, dum canit: *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi, Domine.* Super quẽ verſum totam ferè ſtructuram ſui operis operoſiſsimi, omnique laude digniſsimi, *De Optimo Principe* Eruditiſs. & Religioſiſs. Pat. Ioannes Antonius Velazquez, Societatis Ieſu fulgẽtiſsimus radius, ædificavit. 4

Senec. lib. 2. de Clement. cap. 3. & 7.

Seneca quoque, Clementiam diffiniens, in eadem ſententia eſt, illam tandem inclinationem, & moderationem animi eſſe inquiens, liberum arbitrium habentem, aliquidque ex merita, ac debita pœna leniter ex æquo, & bono remittentem. Quæ non tam ſeveritati, ut imperiti putant, contraria eſt, cum nulla virtus virtuti contraria ſit, quam crudelitati, quæ nihil eſt aliud, quàm atrocitas animi in exigẽdis pœnis. 5

Plutarc. in tractat. de admin. Reip.

Plutarchus etiam, eidem monitioni ſubſcribens, inquit, quòd *Qui in adminiſtrandis rebus verſantur, ſecundarum rerum viam tunc incedere videbuntur, quando non ſingula ad ſummum reducere velint, nec ſeveritate potius, & vi, quàm manſuetudine, & humanitate conficere.*

Ægid. Rom. lib. 3. par. 2. c. 29.

L. 1. D. de legib.

Ariſt. Eth. 5. c. 10.

Et Ægidius Romanus, de re eadem Magiſtraliter agens, ſeveritatem, & clementiam, æquitatem, & rigorem, nec ſibi, nec iuſtitiæ contradicere probat: nam humani actus propter varias circumſtantias, nõ poſſunt una regula metiri, & ideò lex, quæ nihil aliud quàm regula eſt, non debet eſſe ferrea, & omninò inflexibilis, ſed potiùs plumbea, ut Philoſophus in Ethicis docet, ac proinde ex varijs circumſtantijs, quæ lex definire non potuit, oportet nonnunquam, recto arbitrio, vel clementia uti, vel ſeveritate, dummodo ſemper fiat, non excedẽdo merita iuſtitiæ. Quæ quidem, ut benè dixit Soſi pater in quadam epiſtola, in iudicijs, quæ verſantur circa contractus, omninò non noſcit gratiarum genus: in his autem, quæ circa delicta verſantur, manſuetã, & humanam nõ recuſat executionẽ. Alioqui enim ut D. Leo prudenter ſcripſit, ſicut remedia ad ſanitatem inducendam parata, aliquando corporibus nocẽt; ita dũ Principes *Dominari, & ſævire, magis, quàm cõſulere ſubditis quærunt, quod proviſum eſt ad concordiam, tendit ad noxã.* 6

D. Leo Pap. epiſt. 82. apud Gratian. 10. cap. licèt, el 2. diſt. 45.

Bobad. in Polit. li. 2. c. 3. & 4. Aldr. de relig. diſcip. p. 2. Marlian. in Th. pol. c. 5. Simancas, & alij apud Valençuel. conſ. 104.

Buxhorn. Embl. 12 pag. 99. ſub lẽmate, *Inter utrũque.* Saaved Emp. 38. pag. 272 ſub lemmate, *Con halago, i con temor.*

Oroſc lib. 3. Emb. 30. fol. 161.

In eodẽ etiam huius mixturæ Severitatis, & Clementiæ argumento Noſter Bobadilla, & Politici omnes Auctores latè vagantur. Et ſunt qui illam per equum hieroglyphicè ſignificare velint, quem qui regit, una manu frontem tãgit, ac mulcet, ne ſeveritate nimia reſiliet; altera virgã tenet, qua pertinaciã eius expugnat. Ita ſubditos habendos eſſe docẽtes, ut ſimul Principes ſuos amare poſsint, & revereri. Amare ob lenitatem, revereri ob ſeveritatem. Quod fiet, ſi aut hæc illam, aut illa hanc non corrumpat; ſi lenitas Maieſtatem, ſeveritas, quod æquum eſt, non excedat. 7

D. Ioannes Horoſcius Covarruvias idem ipſum indicavit, excuſſo ſymbolo Mali Granati, in quo ſimul acre cum dulci ſolet meſſe, quo usum fuiſſe Regem Noſtrum D. Henricum huius nominis IV. cõmemorat, ut per mixſtionẽ utriuſque ſaporis denotaret, qualis Princeps eſſe debeat, ita ut neque in ſupplicijs excedat, neque in neceſſaria correctione deficiat, quoniam ex illo odium, ex hoc autem ſibi con- 8

tem-

temtum poterit comparare. Rithmicum eius carmen, quo hoc non ineleganter, expreſsit, ſic habet:

No debe ſer cruel, ò juſticiero
(Que dizen) ſi lo es en demaſia,
El Rei, que para ſerlo verdadero,
Huye de lo que ſuena à tirania.
Tampocoes bien perdone de ligero,
Lo que de veras caſtigar debria;
Que no en valde es crecida, i coronada
La fruta de agro i dulce ſazonada.

9 Ioannes etiam Maior ſimilitudine ozimi utitur, quod cum per ſe fragrantiſsimum ſit, ſi tractetur aſperius, ſummum fœtorem ſpirat, & ita inquit: *Ozimon eſt fragrans, ſi leni pollice tractes,*
Plus æquo preſſum, ceu grave virus olet:
Aſperitas ſemper peccat, ſed gratia rarò
Hic ius eſt, ubi ius, qui moderetur erit.

Ioan. Maior Poëta apud Schomborn. lib.6. pol. cap.35. pag. mihi 492.

10 Ego verò in eandem rem, in præſenti (quod, Lector, vides) Emblemate, Apem Apesvè pingo, quæ natura quidem ſua dulcorem habent, & haud dubiè amant, cum adeò ſedulæ, & operoſæ, ut magnus cecinit Vates,

Virgil.4.Georg.

--------------- Liquentia mella
Stipent, & dulci diſtendant nectare favos.

Sed non ideò minùs, coniugatione quadã mellis & fellis, (ut Apulei verbis, licèt aliud agentis, utar) ſuos etiam habẽt aculeos, quibus, ubi oportet, utuntur, & infeſta ſibi animalia graviter pungunt.

Apulei.4.Florid.

11 Eòque libentius hoc ſymbolo utor, quòd Olao Magno teſtante, apud noſtros vetuſtiſsimos Gothos, Apis Regem ſignificabat, quia ut idem Olaus inquit: *Moderatorem populorum oportet, cum iuſtitiæ aculeo clementiæ mel habere commixtum.* Quod, eiſdem propè verbis, Ægyptios hieroglyphicis ſuis litteris indicaſſe, Ammianus Marcellinus ſcribit, ut oſtenderet: *Moderatori rerum, cum iucunditate, aculeos quoque innaſci debere.*

Olaus li.1. de Gẽt. ſept.cap.ult.

Amm.Marcel.lib. 17.

12 Et non latuit doctiſsimum Pierium Valerianum, cum Apum Hieroglyphica ab hoc exordiatur, docens, Apem ſolã ex animalibus, hominum more, Regem habere, quem univerſum apum agmen conſectatur, æquè, atque homines, Regi obtemperantes, de quo Ego etiã ſuperius pluribus egi. Rex verò, vel aculeo caret, vel ad offenſionem minimè exerit: *Quæ quidem* (inquit) *præcipua eſt in Rege virtus, qui in obeũdis vitæ officijs, non magis iuſtitiæ aculeum, quàm dulcem mellis clementiã oſtentare debeat.*

Pier.lib.26. cap.1. fol.mihi 185.

Sup.Embl.20.

13 Quod, licèt illum non laudet, ex Seneca ſumſiſſe Pierius videtur, qui poſt narratam hanc apum Regio politicam diſciplinam, ita ſubiũgit: *Iracundiſsimæ, ac pro corporis captu pugnaciſsimæ, ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipſe ſine aculeo eſt, noluit illum natura,*

Senec. lib.1. de Clem.cap.19.

 nec

nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtaturam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens eſt. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior eſſe animus debeat, quanto vehementius nocet. Vtinam quidem homini eadem lex eſſet, & ira cum telo ſuo frangeretur; nec ſæpius nocere liceret, quàm ſemel, nec alienis viribus exercere odia, facilè enim laſſaretur furor, ſi per ſe ſibi ſatisfaceret, & ſi mortis periculo vim ſuam effunderet, &c.

Ariſt. de hiſt. anim. lib. 5. c. 22. Ælian. lib 1. c. ult. & li. 5. c. 15. D. Baſil. hom. 8. Euſeb. de prępar. Evang. lib. 2. & alij relati à Brodæo 4. miſc. c. 10. & Per. Fab. lib. 3. ſemeſtr. c. 13. pag. 180. & ſeq.

Glycas in Annal. par. 1.

Eiſdem veſtigijs inſiſtunt cæteri, qui de Apum natura ſcripſerunt, 14
& licèt variè ſentiant circa Regis earum aculeum, & utrum illum habeat, vel non? in eo tamen cum Ariſtotele omnes conveniunt, quòd nunquam illum exerit, ſuis apibus vindictam reliquiſſe contentus, ac proinde exiſtimatum, ſeu vulgò traditũ, aculeo carere. Et ad hoc reſpiciens, & multum in noſtri Emblematis terminis loquens, Michael Glycas, ſic habet: *Stimulo quidem Rex Apum præditus eſt, verùm ad vindictam eo non utitur. Sunt hæ leges quædã non ſcriptæ, ſed ab ipſa profectæ natura, ut qui maximis Imperijs potiuntur, ad puniendũ tardi ſint.*

Altiat. Embl. 148.

Petraſanct. in ſymbol lib. 1. pag. 34.

Et Altiatus, dum prædictis aſſentiẽs, hoc Emblema formavit, quo 15
& Petraſancta refert, Ferdinandum Mediceum Hetruriæ Magnum Ducem pro ſymbolo uſum, cum lemmatè, *Maieſtate tantùm:*

Veſparum quòd nulla unquam Rex ſpicula figet,
Quòdque alijs duplo corpore maior erit;
Arguet Imperium clemens; moderataque Regna,
Sanctaque Iudicibus credita iura bonis.

Vbi Claudius Minoes, poſt relatum Senecæ locum, quem Nos etiam ſuprà inſeruimus: *Hoc* (inquit) *optimo Principi propoſitum eſſe, ut inter alias virtutes, quibus opus habet ad ſuæ Reip. adminiſtrationem, nihil animi moderatione habeat antiquius. Etenim eius auctoritas, & agendi facultas, etiamſi maior ſit, quàm in alijs, minimè tamen ſævire debet, ijſque quibus præeſt, terrificum ſe præbere. Nam inter virtutes, quæ Principem maximè decent, clementia eſt.*

Saaved. Empr. 22. pag. 153. & ſeqq.

Idem Empr. 42. pag. 280.

Horat. in Arte: *Omne tullit punctum, qui miſcuit, utile dulci.*

Tacit. lib. 1. hiſt. cap. 16.

Chron. Gothor. in Vvamba.

Noſter quoque Saavedra, uno in loco multus, & ſatis elegans eſt in 16
docendo, quomodo oporteat has duas virtutes Iuſtitiã, & Miſericordiam coniungere, & temperare. Et in alio ex eiſdem noſtris Apibus aratro iunctis, illumque trahentibus, & ad Vrbani VIII. Pontif. Max. fœlicis recordationis inſignia alludere volẽs, hoc veluti ſymbolo totam Regnãdi Artem Veteres ſignificare voluiſſe aptiſsimè tradit, quæ, iuxta carmen Horatij, in miſcendo utilibus dulcia conſiſtit, & in populo, ſuavi interdum fræno, duris etiam interdũ lupatis, regẽdo, & coercendo, qui ut alibi Tacitus dixit: *Nec totam ſervitutem pati poteſt, nec totam libertatem.* Et hanc fortaſsis in Regibus mellis, & fellis, manſuetudinis, & ſeveritatis coniunctionem, cœlum deſuper denotaſſe, dũ in unctione, & in auguratione Noſtri Gothorum Regis Vvambæ, ut ipſorum Chronicon memorat, Apis ex eius capite exire, & in cœlum evolare, conſpecta fuit, quaſi eius piam, & rectam gubernationem ſignificans, quàm poſteà Hiſpania experta fuit.

Pe-

Petronius quoque Arbiter, ad eandem noſtrarum Apum naturam reſpiciens, inquit: *Apes ideò pungunt, quia ubicumque dulce eſt, ibi & acidum invenies.* Quod convenit cum illo Claudiani: Petron. in ſatyr. Claudian. in nupt. Honorij.

Non quiſquam fruitur veris odoribus
Hibleis latebris, nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella legunt Apes.

18 Habemus etiam in eandem rem Imperatoris Friderici I. cognomento Ænobarbi teſtimonium, qui unum ex ſuis feudalibus capitulis ſic exorditur, *Imperialis clementiæ ſerenitas manſueta, eam ſemper in ſubditis ſuis miſerationem favoris, & gratiæ habere conſuevit, ut quamvis ſtricta ſeveritate exceſſuum delicta debeat, & poſsit corrigere, magis tamen ſtudeat, propria tranquilitate pacis, & pijs affectibus miſericordiæ, Romanum Imperium regere, rebellium inſolentiam ad debitam fidem, & debitæ devotionis obſequium revocare, &c.* Cap. I. de pace cōſtant. in uſib. feud.

19 Cuius dicti mentem videtur ſequutus Natalis Comes, dum de eiſdem Perduellibus agens, quamvis hoc delictum, præſertim à Nobilibus commiſſum, graviſsimum eſſe agnoſcat, adhuc tamen in eo puniendo, eandem mixturam lenitatis, & ſeveritatis habendum eſſe inquit, notabiliter addens: *Quod ſi in alterutram partem peccandū ſit, modò ne ſit extremum, præſtat per nimiam clementiam, quam per crudelitatē peccare.* Veriſsimè quidem, & prudentiſsimè, & ex Senecæ diſciplina deſumtum, qui agnoſcens modum in hoc ſervari debere, addit, quòd, *Quia difficilè eſt temperamentum, quidquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet,* id eſt in clementiam. Natal. Comes lib. 19. hiſt. Senec. I. de Clement. c. 2. in fin.

20 Qua nihil laudabilius, nil magnis, & præclaris viris dignius gratiuſvè eſſe poſſe Cicero tradit, quamque tanti fecit Petronius, ut dicat: Cicer. I. offic. & in orat. pro Ligario.

------------ *O Maxima rerum*
Et meritò Pietas homini tutiſsima virtus. Petron. in fragm.

Et Claudianus, ut veritus non fuerit affirmare, per ſolam hanc virtutem Dijs homines exæquari, ſic inter alia Honorij Cæſaris Patrem, filium inſtruentem inducens: Claudian. in Conſul. Honor.

Sis Pius in primis nam cum vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.

21 Nihil enim aliud in Deo ſplendidius emicat, cum Davidicum carmen intonet: *Miſericordia eius, ſuper omnia opera eius.* Et hoc eſſe ſummum maximumque eius bonum rectiſsimè Oleaſter ex illo Exodi loco deducit, ubi cum Deus Moyſi ſe illi omne bonum ſuum oſtenſurū pollicitus fuiſſet, ubi ad eius conſpectum acceſsit, ſic Moyſes exclamavit: *Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, ac multæ miſerationis*; quaſi in his præcipuè virtutibus omnia eius Bonum conſiſtat. Pſalm. 144. 9. Oloaſ. Exod. 34. 6.

22 Quod nec latuit Ciceronem, qui in famigerata illa oratione quo Cæſarem ad ignoſcendū Quinto Ligario maximo eius, & inviſo val- Cicer. in orat. pro Ligario.

dè inimico coëgit, ſic inter plura alia, quæ Miſericordiæ virtutem extollunt, peroravit: *Noli obſecro dubitare C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem, quàm ſæpiſsimè quærere. Nihil eſt enim tam populare, quàm Bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior Miſerimicordia eſt. Homines enim ad Deos nulla re proprius accedunt, quàm ſalute hominibus danda. Nihil habet, nec fortuna tua maius, quàm ut poſsis, nec natura tua melius, quàm ut velis conſervare quàm plurimos.*

Pauſan. lib. 1.

Statius Papin. lib. 12. Thebaid.

Athenienſes quoque, referente Pauſania, peculiarem Arã in medio 23
foro eidem virtuti poſuerunt, iudicantes nimirùm, hoc numen magna habere in tota hominum vita, & caſuum varietate, momenta. Quã Aram elegantiſsimis carminibus deſcripſit Statius, inter alia inquiẽs, quòd eam,

Et miſeri fecere ſacram: ſine ſupplice nunquam
Illa novo: nulla damnavit vota repulſa.
Auditi quicunque rogant, noctesque dieſque
Ire datum, & ſolis numen placare querelis, &c.

Act. 17. 23. & 24.

Doctiſs. D. D. Laurent. Ramir. de Prado in Pentecont. cap. 16.

Euſeb. Noriemb. Gnom. 107.

Eandemque illam eſſe, quam *Ignoto Deo* veteres poſuiſſe in Actis 24
Apoſtolorum refertur, laudatiſsimus Noſter D. Laurentius Ramirez de Prado, ultra alios exiſtimat. Quem ſequutus videtur æquè ſemper laudandus Euſebius Noriembergius, qui Statij premens veſtigia, dum intendit; *Fœliciſsimum quemque aliorum miſereri debere*, ſic habet,

Numinis ignoti vacuis fruſtratur in Aris
Tota ſuperſtitio.
Non thus, non flamen, ſanguis, libamen, acerra
Victima non opus eſt.
Corde datur puro tantum litare querelis
Atque pijs lachrymis.

Senec. Pontan. & alij, qui de Clem. Scripſ. Lãg. Grut. & Beyerlinc. eod. verb. Girald. de Dijs gent. pag. 33. Valenç. conſ. 164. Camer. 3. ſubceſs. c. 22. Lipſ. in Polit. lib. 2. cap. 12. & in monit. lib. 2. c. 12. & 13. Velazq. de opt. Princip. lib. 1. per totum.

Senec. in Octav.

Sed improbus & vanus videri poſſem, ſi omnia quæ de clementia, 25
& eius laudibus, præſtantibuſque effectibus, à præſtantiſsimis alijs Scriptoribus paſsim perpenſa, & congeſta reperiuntur, repetere vellem. Quare calamum cohibeo, & omnium loco, Senecam Tragicum in Octavia ſic ſuum Neronem monentem, his verſibus, meritò aureis à Lipſio vocatis, adduco:

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros
Conſulere patriæ; parcere afflictis, fera
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare
Orbi quietem, ſæculo pacem ſuo
Hæc ſumma virtus, petitur hac cælum via.

Lipſ. apud Caram. in inſign. Hiſpan. pag. 191.

Quibus adiecti digniſsimè poſſunt alij, qui ſub nomine eiuſdem 26
Lipſij, Senecæ hac in parte æmuli, circumferuntur, & ſic habent:

Qui cæde gaudent, Regiamque rem putant
Sævire, longè è Regia exerrant via:

Cum ſit verendo Rege dignius nihil,
Quàm iuris, atque moris humani memor
Clemenſque pectus; inde Maieſtas trahit
Sublime lumen. Nec magis potentiam
Vis ulla firmat, atque parentum favor
Virtute partus: proximè itur ad Deos
Bonos beando, non habet maius bonum
Fortuna Regum, quàm ſalutem plurimis,
Quòd fas habent, donare; quòd lethi metu
Levare cives. Hæc adorea, hic honos
Præſtat triumphis, omnibuſque laureis.
------------ Non Feretrio Iovi
Suſpenſa opimos ſic honeſtant inclytos
Arma Duces, nec hoſtis occiſi decus;
Vt illa ſervans limen Auguſtæ domus
Corona, quæ pro cive ſervato datur.

27 Nec omittendum cenſeo Caſsiodorum, qui formulam indulgentiæ, quam Paſchalibus Sacris Principes concedere ſolent, deſcribẽs, totus eſt in huius virtutis laudibus & encomijs: *Eique cæteras omnes honorabiliter cedere inquit, quando eam humano generi ſalutiferam eſſe cognoſcunt, & parcendo facit, ut Parcæ tollantur.* Quod & iterum repetens, tantùm ei deferri poſſe concedit, ut pro clementia exercenda, à iuſtitia liceat aliquando aliquatenus deviare, eius verba ſunt hæc: *Inclinari precibus noſtra novit humanitas; nec pro affectu Pietatis fines poteſt iuſtitiæ cuſtodire. Benigni quippè Principis eſt, ad clementiæ commodũ tranſilire terminos æquitatis, quando ſola eſt Miſericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recuſant.* Caſsiod. lib. 11. ep. fin. Idem lib. 2. epiſt. 9

28 Vnde Salomon, qui Regum omnium ſapientiſsimus fuit, præcipuũ Regum tutamen in ſublimi hac virtute conſtituit, inquiens: *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Et Seneca, eidem ſententiæ, tanquam ſi illam legiſſet, cohærens: *Non eſt opus* (ait) *ſtruere in altum editas arces, nec in adcenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibuſque muris, turribuſque ſepire: ſalvum Regem in aperto Clementia præſtabit: unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium, &c.* Proverb. 20. Senec. lib. de Clement. c. 19. videndus etiã cap. 3. 9. 10. & 11.

29 Neque ab his abſcedit Imperatoris Alexandri Severi apophthegma apud Ælium Lampridium, qui aliquibus, eius Manſuetudinem culpantibus, quòd dicerent, molliorem ſibi, & contemtibiliorem Imperij poteſtatem hac de cauſa feciſſe, *At* (inquit) *ſecuriorem, & diuturniorem.* Etenim iuxta Dionyſ. Halicarn. prudentiſsimum documẽtum, illud eſt, & ſemper erit: *Optimum, & firmiſsimum Imperium, quod ſubditos beneficijs magis, quàm ſupplicij in officio contineat: illi enim benevolentia, huic metus eſt contra. Quicquid timetur id neceſsitate naturali exoſum omnibus.* Vulcatius quoque Gallicanus aperto ore fatetur: Lamprid. in Alex. Sever. c. 20. Dion. Halic. lib. 6. Vulcat in Avid. Caſsio cap. 11.

Nihil

Nihil eſſe, quod Imperatores magis commendet gentibus, quàm clementia. Et Flavius Vopiſcus refert, Aurelianum Cæſarem, alijs licèt titulis commendabilem, à multis, nec inter bonos, nec inter malos Principes poſitum fuiſſe: *Quòd ei clementia, Imperatorum Dos Prima defuerit.* Et inter alia capitula, quibus Baſilius Imperator ſuum filium inſtruxit, unum integrum, & lectu dignum extat, quo eum Dei exemplo ad hãc clementiæ virtutem hortatur, & ſe in ſontes miſericorditer habendũ, iuſtitiæque humanitatem admiſcendam, ea reddita ratione, quòd, *Vt omnis corporis, umbra eſt ſemper comes, ita ſemper hominem peccatum conſequitur: natura enim humana valdè ad labendum eſt proclivis, & ad cadendum prona, &c.*

Vopiſc. in Aurel. cap. 44.

30 Vnde ſcitum, & certum eſt, quod vulgò iactari ſolet, non minùs turpia eſſe Principi multa ſupplicia, quàm medico multa funera, & illos qui ſe hoc nomine dignos reddere volunt, valdè lætari gloriarique debere, ſi ſuo tempore nulla flagitia fuerint, quæ graviorem animadverſionem expoſcant, ut Cicero de Marco Marcello ſcripſit: *Gladium* (inquiens) *vagina vacuum in urbe non vidimus.* Seneca de Nerone, antequam in peſtem, & lanienam humani generis mutaretur, referens, cũ multo gaudio perfundi, *Quod conditum imò conſtrictum apud ſe ferrum fuiſſet. Summa parſimonia etiam viliſsimi ſanguinis. Nullamque ſe toto orbe ſtillam cruoris humani miſiſſe.* Et Plinius Iunior, de ſe ipſo loquens, ſibique gratans, quòd dum Bythiniæ Proconſulem egit, nullum emerſit facinus, quod capite puniri deberet.

Cicer. in orat. pro M. Marcel.

Senec de Clemẽt. lib. 1. c. 1. & c. 11.

Plin. Iun. lib. 10. in epiſt. ad Trajan.

31 Honorium quoque Imperatorem hac etiam de cauſa nimis commendat & extollit Claudianus hoc carmine:

Claudia. in 4. Cõſ. Honor.

Nullæ Nobilium cædes, non crimina vulgò
Texuntur. Patria mæſtus non truditur exſul.
Non infœlices tabulæ, non haſta refixas
Vendit opes, avidusque emtor non voce citatur,
Nec tua privatis creſcunt æraria damnis.

Caſsiod. lib. 6. ep. 24.

Et Caſsiodorus, in bono populo optat, ut Iudex quærat cauſas, & non inveniat, & ſtatim ita concludit: *Quia utrumque laudabile eſt, ut bonus populus Iudicem benignum faciat, & manſuetus Iudex gratiſsimum populum æquabili ratione componat.*

32 Suntque notatu digna eximiæ huius virtutis, temperatæque in dictæ, non ſolùm pro delictis in alios, verùm & in ſe ipſos commiſsis, exempla, Moyſis, Davidis, Periclis, Philippi Macedonis, Marci Marcelli, ac Bibuli, Iulij Cæſaris, Octaviani, Veſpaſiani, Titi, Caroli Magni, Cazimiri, Ludovici XII. Galliæ Regis, & Alphonſi Aragonum I. quæ eleganter Lipſius enarrat. Quorum hic ultimus rogatus: *Cur erga omnes, etiam malos, ita lenis eſſet?* Reſpondit: *Quia bonos iuſtitia conciliat; malos clementia. Nec debere Reges, tanquam urſos, & leones regnare: nam hominum Clementia, belluarum Feritas eſt propria.*

Lipſ. in monit. & exemp. lib. 2. c. 12. Panorm. lib. ?. de eius dict. & fact. c. 47. & ſeqq. Cochier in Theſ. Polit. cap. 5. ex n. 18. Timp in ſpec. Princip cent. 1 ſig. 32. n. 37 Scriban. in Polit. Chriſt. cap. 6. in Princip. Marlian. in Th. polit. c. 3. Camer 3. to pag 77. & ſeqq. & pag 20?. Beverlin. verb. C[illegible]. Homob. de ſtat. homin.

33 Quibus exemplis alia Marlianus, Camerarius, Homobonus, & Beyerlinchius adiiciunt, & Ego illud Lycurgi, apud Plutarchum in eius vita valdè laudatum, omittendum non cenſeo, qui adeò miti, & pla-

cato

cato ingenio fuit, ut eum, qui ſibi in concione oculum effoderat, cum lapidibus obruere vellent Lacedæmonij, ſervaverit, atque à ſupplicio vindicarit, &, quod magis eſt, in domum ſuam adductum, ita informavit, ac manſuetum reddidit, ut pro nefario cive, bonum illum virum efficeret. Quod factum referens, & valdè extollens Themiſtius, hæc addit: *Præclarè enim illud Rex ille noverat, non referenda iniuria bonum Principem, ſed benè merēdo, ijs, à quibus laceſsitus foret, ſuperiorem videri oportere. Virtutis quippè hæc victoria eſt, vindicta verò poteſtatis.*

Themiſt. orat. 5. pag. 136.

34 Idem ipſe Themiſtius (cuius & Baronius cum laude meminit) ſummam Theodoſij Magni Imp. lenitatem exaggerans, quòd ad illam nō volens tantùm, verùm & volans properaret, ſic tradit: *Cùm nos omnes malorum tolerantiam, ac clementiam admiremur, Tu ipſius improbas tarditatem. Atque hoc illius eſt proprium, qui moleſtè ferat, ſe veniam ſceleri, animadverſionem non prævenìſſe.*

Idem eadem orat. Baron. ann. 388. n. 43.

35 Quod & ipſum, meliùs adhuc, in eodem Imp. retulit, & extulit D. Ambroſius, ita inquiens: *Beneficium ſe putabat accepiſſe Auguſtæ memoriæ Theodoſius, cum rogaretur ignoſcere; & tunc propior erat veniæ, cum commotio maior iracundiæ. Prærogativa ignoſcendi erat indignatum fuiſſe, & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, ut iraſceretur. Hoc erat remedium reorum, quoniam cum haberet ſuper omnes poteſtatem, quaſi parens poſtulare malebat, quàm quaſi Iudex punire. Sæpè trementes vidimus, quos obiurgabat, & convictos ſceleris, cum deſperaſſent, ſolutos crimine. Vincere enim volebat, non plectere. Æquitatis Iudex, non pœnæ arbiter, qui nunquam veniam confitenti negaret.*

D. Ambr. in orat. in obit. Theodoſ.

36 Hocque vel tunc potiſsimè oſtendit, cum Maximum, falſis codicillis ſe Imperij conſortem mentitum, affectatæque Tyrannidis reum, bello ſuperatum, & ante ſe adductum, proprioque ore crimen confeſſum (quia omni ſævius quæſtione eſt à Principe interrogari) adhuc abſolvere voluit, niſi furens, ac commotus Populus, illum ad ſupplicium illicò rapuiſſet. Quod factum, adeò eleganter recenſet, & extollit Latinus Pacatus, ut non pigeat hic illius verba ſubnectere: *Ad primam tuam vocem nefario pectori excuſſa confeſsio eſt; nec cunctari ſaltem, aut muſsitare potuit; quin conſilium omne nudaret: ſe videlicet favoris tui obtendiſſe prætextum, quòd aliter non potuiſſet allicere militum ſocietates, niſi ſe auctoramenti tui finxiſſet auctorem. Et poſt hanc Tu vocem, non illum in crucem tolli, non culleo inſui, non diſcerpi in fruſtra iuſsiſti. Nō poſtremò illam tanti mendacij linguam radicitus erui præcepiſti, cum eorum parte vitalium, quorum fuerat locuta commentum. Quin iam cœperas de eius morte dubitare, & deieceras oculos, & vultum rubore ſuffuderas, & cum miſericordia loquebaris. Sed benè eſt, quòd non omnia potes. Tui Te vindicant, & invitum. Rapitur ergo ex oculis, & ne quid licere poſſet clementiæ, inter innumeras manus fertur ad mortem. Ecce iterum Imperator averteris, & illam Tyranni exitus relationem gravaris. Iam iam eſto ſecurus: geram clementiæ tuæ morem, quod noluiſti videre, non audies.*

Latin. Pac. in Paneg. ad Theod.

37 Pluribuſque alijs relictis, meritò quoque laudari poterit inſignis clementia Regis noſtri Alfonſi XI. Mauro parcentis, qui ipſum in Al-

geci-

Marian.hiſt. Hiſp. lib.16.c.10. Lambert in Thea. Reg.Hiſp.pag.83. Sylv. in notis ad Panor. lib.2. c.48.

Lamorm.in lib.de virt.Ferd.II. Vernul. de virt. Gent. Auſt.c.6.n.5.

Æmil. Prob. in Thraſib. Decian.3. crim.c.35. P. Gregor. 32. ſyntagm. c.82.ex n.22. Catal.&Maſtr.in tract.de indult. q.1. n.14. & in præf.ad fin.

gecir æ obſidione pro ea liberanda occidere voluit, ut latiùs Mariana recoluit, & Friderici III.Imp. Auſtriaci; qui ut Æneas Sylvius enarrat,nimiam eius manſuetudinem incuſantibus, reſpondit: *Se,cum ad Deum funderet preces, miſericordiam eius, non iuſtitiam expoſtulare; ac proinde eandem in ſuos ſubditos exercere curare.* Qua etiam virtute Ferdinandum II.& totam familiam Auſtriacam emicuiſſe,Lamormainus & Vernuleius pluribus probant, & Regium egregiumque eiuſdē germen Rex,ac Dominus Noſter Philippus IV. oſtendit, ſub quo plura delicta cum ſumma pietate punita, vel in totum ob iuſtas, vel publicas gaudij cauſas indulta, ſupra omnes eius Anteceſſores experti ſumus,& ſæpè perduellibus ſibi ſubditis,quos armis perdere poſſet,obli vionis illam legem obtuliſſe,quàm Thraſibulus invenit;& Græci *Amneſtiam* vocarunt,de qua ultra alios Humaniores Auctores,ex noſtris Iuris-Peritis, plura Tiberius Decianus, Petrus Gregorius, Aloyſius Catalanus,& eius Additionator Maſtrillus adducunt.

Senec.de Clemēt. lib.1.c.19.

Caſsiod.lib.3.epiſtol.46.

Omnes ſanè rectiſsimè,cum ſecundùm Senecam: *Excogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum Regenti ſit,quàm Clementia:quocumque modò is,& quocumque iure præpoſitus cæteris erit,eò ſcilicèt formoſius id eſſe, magnificentiuſque fatebimur, quò in maiori præſtabitur poteſtate,quam non oportet noxiam eſſe,ſi ad naturæ legem componitur.* Et Caſsiodoro docente: *Materia ſit gloriæ Principalis delinquentis reatus: quia niſi culparum occaſiones emergerent, locum Pietas non haberet. Quid enim ſalubris ordinatio gerat, ſi morum probitas cuncta componat. Arida ſiccitas madentis pluviæ beneficium exoptat, ſalutiferis medentiū manibus,niſi infirma valetudo non indiget.* 38

Alfonſ. Rex in tit. 32.par.7.

Quæ omnia ſatis aperiunt,iuſtè Regem Noſtrum Alfonſum X.ſuis in legibus, poſt Titulum de pœnis,alium ſubtexuiſſe, cui nomen *De los Perdones*,inditum fuit; cuius Procemium ſic exorditur: *Miſericordia es merced,è gracia,que ſeñaladamente deben haber en ſi los Emperadores, è los Reyes,è los otros grandes Señores, que han de judgar,è de mantener las tierras,&c.* Statim in ſequentibus legibus addens, & explicans cauſas antecedentium meritorum, publicæ lætitiæ,inſignis virtutis bellicæ,vel ſcientiarum,& alias, quæ eoſdem Reges ad leniendas, vel indulgendas pœnas inducere poſſunt,inter quas illam ſignanter proponit: *Quando el Rei perdona à alguno por ruego de algun Prelado, ò de Rico ome,ò de otra alguna honrada perſona.* 39

Pat. Suar. 5. de legib.cap.11.n.9.Emin. Card.de Lugo de iuſt. & iure, diſp.37.n.92. Tiraq. de pœn. tēp. cauſ. 17. Maſtrill. deciſ.205.ex n.35. Carol.Marāt.reſp. 43.n.89.par.2.

Cuius peculiarem mentionem ideò facere volui, quoniam de ea quoque multi graves Auctores pertractant, & his proximis annis in quæſtionem deducta fuit,ſub occaſione homicidij cuiuſdam Præfecti Militaris,ab illuſtri,&ſtrenuo Iuvene Marchione de Cuſſano patrati, pro cuius indulgentia Beatiſs.Pater,ac D.N.INNOCENTIVS X. Rom.Pontifex,& alij Eccleſiæ, & Italiæ Proceres, enixas ad Regem Noſtrum Pijſsimum, & Potentiſsimum litteras dederant, ad inſtantiam Nobiliſsimi, & Eruditiſsimi D. D. Garcia de Barnuevo & Peralta,eiuſdem Marchionis Patris. Qui etiam pro filio,doctum ſatis,& omni litteratura refertum libellum, ſuper hoc articulo, & clementiæ commendatione,ſcribere cœperat. Quem tamen immatura rei mors, 40

in

in carcere adhuc teneri,fruſtravit,& effectum quem dictæ commendatoriæ litteræ operari poſſent,in ambiguo reliquit.

41 In quibus quidem exaudiendis, necnon in cæteris cauſis perpendendis, quæ à regulis iuſtitiæ ſub prætextu clementię, ac miſericordiæ deflectere videantur,& aſperitatem pœnæ lenitate mollire, meritò Seneca, quamtumvis eiuſdem clementiæ vehementiſsimus, & diſſertiſsimus Encomiaſtes, ſummam adhibendam eſſe prudentiam, ac moderationem præcepit: *Quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat. Nec promiſcuam, ac vulgarem clementiam habere oportere, nec abſciſam: nam tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli, atque adeò modum,& temperamentum eſſe tenendum.*

Senec.de Clemēt. lib.1.c.2.in fin.vide Bobad.lib.2.c. 2.ex n.55.

42 Quod Caſsiodorus etiam admonuit his verbis: *Quapropter caſibus aſperis præſtandum eſt ſub iuſtitiæ laude moderamen: ut nec vindictam ſinamus ſuperare peccata, nec culpam inſultare patiamur legibus impunitam.* Et D.Auguſtinus ſic inquiens: *Omnis qui iuſtè iudicat, ſtateram in manu geſtat. In utroque penſo iuſtitiam, & miſericordiam portat: ſed per iuſtitiam reddit peccati ſententiam, per miſericordiam peccati temperat pœnam, ut iuſto libramine, quædam per æquitatem corrigat, quædam verò per miſerationem indulgeat.* Qui & idem Divus pariter, ſe mirabiliter gerit in ea quæſtione extricanda, an iuſtum, & decens videri poſsit, Epiſcopos apud ſeculares Iudices pro ſontibus intercere, cum hoc videatur iuſtitiæ regulis adverſari, quæ eoſdem pro ſuis peccatis puniri debere,requirunt.

Caſsiod.li.3.ep.46

D.Aug.in Enchir. cap.75.

Idem Aug 2.tom. epiſt.132.

43 Et hoc eſt quod veteres Ethnici oſtendere voluerunt, dum Minervam prudentiæ Deam (ut iam ſuprà tradidimus) iudicanti de hominum criminibus Iovi, aſsiſtricem eſſe dixerunt, & quod Henricus Stephanus his verſibus comprehendit:

Sup.Embl.63.

Henr.Stephan.in Muſa ornatrice Principum.

Dici ſeverum turpe non eſt Principi,
Præſidio & ipſa iuſtitia ſæpiſsimè
Severitatis indiget, ſi vult ſuam
Auctoritatem, ſi tueri ius ſuum:
Sed diligenter caveat hic Princeps velim,
Tantum ſeverus ne videatur dum ſibi,
Crudelis iudicetur omnium,
Ad facta quædam tetra dum dilabitur,
Et ipſa gaudet qualibus crudelitas.

44 Noſter etiam Saavedra idem documentum ſatis eleganter proponit, exemplíſque Regum Noſtrorum Petri, Ioannis II. Henrici IV. & aliorum, illuſtrat, quorum alijs nimia ſeveritas,alijs nimia clementia & indulgentia plurimum damni attulit. Atque ideò ita vni conſulendum admonet, ne altera offendatur,& deſeratur,& cum illo Torquati Taſsi ſuum claudit diſcurſum:

Saaved. Empr.22. pag.153.

Sigon.de Reg.Ital. cuius verba refero ſup. Embl.64.

Surius to. 3. lib.8. cap.49.

Cade ogni Regno, è ruinoſa è ſenza
La baſe del Timor ogni clemenza.

Ego

Ego huic etiam meo,ne nimius eſſe videar, finem imponam,Totilæ apud Sigoniam exemplum addens,qui nullis precibus flecti voluit, ut ſtupratori cuiuſdam virginis parceret, inquiens,idem eſſe eiuſmodi delicta condonare, ac committere. Et Sancti Dunſtani, Angliæ Archiepiſcopi,apud Surium,qui cum quoſdam facinoroſos clericos vellet punire,pro quibus Rex precabatur,ad Chriſti crucifixi imaginem ſe convertit, & ab ea,ut illos puniret,viva voce monitus fuit, qua audita,Rex in ſua interceſsione ceſſavit. 45

Ego deInd.guber. 2.tom.lib.1.c.14. ex n.5. & cap. 16. ex n.34.

Et illam quæſtionem ſuprà dictis ſubiiciens,an magis è Republica eſſe poſsit, delinquentium vitæ,& ſanguini parcere, eoſdemque pro delicti modo in metallum, triremes, ſalinas, calcariam, aliavè opera publica damnare, quibus in commune bonum deſerviant,& ipſi ſimul debitas ſuis noxijs pœnas exſolvant? Et planè apud Romanos hoc ſæpè in uſu fuiſſe, pluribus alibi docui; & Diodorus Siculus latè recenſet, Ægyptios Reges, damnatos omnes, atque ex hoſtibus captos,ſervitijs eiuſmodi mancipaſſe. Et Thomas Morus in illa ſuæ benè formatæ Reipublicæ Idea, quam nomine Vtopiæ donavit, eundem Vtopienſibus morem eſſe tradens, illum valdè probat, & Romanorum exemplo confirmat. De Sinenſibus quoque, ad Tartariæ muros reficiendos, capitales reos damnare ſolitis, idem, Pat. Trigaultius, & Pintus litteris produnt, & de multis alijs Nationibus Balduinus. 46

Diodor. Sicul.lib. 3.c.2.& lib.1.c 5. Morus in Vtopia lib. 1. pag. 25. & lib.2.pag.115.

Trigaul de reb.tinar. lib. 2. Pintus fol.129. Balduin. in §.ſervi autem,de iure per ſon. & in §. pœnæ ſervusqq.mod.ius patr.poteſt.

Quibus veluti aſſentiens Rex ille Luſitanus Ioannes II. inter ſuos Prudentiſsimi nomen promeritus, Vaſconcello, ultra alios, teſtante: *Quoties in cauſarum capitalium tribunali aderat, Senatoribus identidem mandabat, ut reos ſumma cum parſimonia condemnarent, quippè quod vir quilibet difficulter, ac non niſi magnis ſumtibus educaretur. Inſulas ſibi eſſe multas, quas colere,& habitare,maius operæ pretium foret, ibi exulare poſſe.* 47

Vaſconcel. in anaceph.c.16.n.9.

Idem quoque Patrijs noſtris quibuſdam legibus,circa commutandas in ſervitium triremium, aliàs pœnas capitis, admonemur. Quas peculiari ſuo decreto Pijſsimus Rex Noſter renovavit, & obſervari mandavit. Cui pro ingenita clementia illud Anaſtaſij Imperatoris convenire videtúr:qui cuidam Aſiæ Præfecto ſcribenti, quoddam ipſius mandatum, circa coërcendam quorumdam licentiam, ſine multo ſanguine exequi non poſſe, ita reſcripſiſſe narratur: *Non velle ſe, quidquam procedere omnium, quamvis res magna, & memorabilis ſit, ſiquidem ſanguinis una gutta eſſundi debeat.* 48

L 8.tit.11.lib.6. l.10.tit.28. lib.8. Recop.

Camer. 3. to. cap. 22.in fine.

Igna-

Ignavia fugienda,& fuganda.

EMBLEMA LXXVII.



Quævis ignavum toto ictu percutit OEſtrum?
Hercules ipſe potens, otia clava ferit.
Otia, blanditiæ, procul eſte; ignavia cedat;
Vt Clavum teneas, Rex, tibi Clava datur.

COMMENTARIVS.

1 CVM de Regum, ac Principum cura in exquirendis, & extirpandis gravioribus criminibus dixerimus, non abs re erit, ſi eoſdem illorum ſeminarium pari quoque ſtudio indagare, & extirpare debere, commoneamus: *Quando* (ut benè docet Caſsiodorus) *& hoc pietatis genus eſt, coercere infantiam criminis, ne iuveneſcat augmentis*. Et iuxta aliud Libanij monitum, iam ſuprà ad aliud adductum, *Optimi quique Magiſtratus arbitrentur, accuratam etiam in parvis diligentiam, maiorum eſſe conſervationem*. Cui adſentiens Divus Hieronymus, æquè prudenter animadvertit: *Non eſſe tanquàm parva contemnenda ea, ex quibus magna proveniunt, prodeſſeque ad cautionem etiam minima pro maximis cavere. Tantò enim facilius abſtinemus à quocunque delicto, quantò illud magis metuimus: nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parva formidat.*

Caſsiodor. lib. 5. epiſt. 39.

Liban. declam. 39. de quo, & alijs vide ſup. Embl 30.

D Hier. in epiſt. ad Celant. Damaſc. lib. 2. de imagin.

2 Hoc porrò vitiorum ſeminarium, hancque graviorum criminum infantiam, non iniuſtè, aut ineptè in civium otio, & ignavia conſtitui-

mus,eorundemque remedium in illa fuganda,& compeſcenda, reperiri proponimus, cum hoc ipſa hominum natura ſatis oſtendat, qui cum in vitia proclives ſimus, citius quis in otio degens, magnorum vitiorum hauſerit copiam,quàm paululum immenſæ virtutis; nihilque ſit,quod nos frequentius,divinæ,& humanæ litteræ doceant.

Sup.Embl.18.
Eccleſ.33.29.

Vnde præter ea, quæ de Regum deſidia ſuprà retulimus,de quibuſvis otioſis in Eccleſiaſtico legimus: *Multum malitiæ docuit otioſitas,* quod cum illo Menandri convenit: 3

Quàm multa Mortalibus otium facit mala.

Ezech.16.
Heſiod. lib. 2. op. & dier. Plutarc. in vita in Caton. In fine.

Et Ezechiel, eidem otio Sodomæ iniquitates, & abominationes attribuit, & Heſiodus à Plutarcho laudatus, nihil quicquam flagitiorum eſſe dixit, quod non ab ignavia,tanquam ex fonte, originem habeat.

Colum. de re ruſt. lib.11.
D.Bernard.de vita Chriſtian.
Ovid.lib.1. de remed.amor.

Magnus quoque Cato apud Columellam, *Homines* (inquit) *nihil agendo,malè agere diſcunt.* Et D.Bernardus:*Otium cogitationum,& tētationum malarum eſſe incentivum.* Ovidius,idem ipſum adulteria, ſtupra,& Cupidinis faces accendere, his, vulgatis quidem,ſed memoria dignis carminibus, prodit, 4

Quæritur,Ægiſthus quare ſit factus adulter?
In promtu cauſa eſt,deſidioſus erat.
Otia ſi tollas periere Cupidinis arcus,
Contemtæque iacent,& ſine luce faces.

Senec.in Octav.

Et Seneca Tragicus iſtis:

Vis magna mentis,blandus atque animi calor
Amor eſt, iuventa gignitur luxu,otio
Nutritur,inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fovere,atque alere deſiſtas, cadit.
Brevique vires perdit extinctas ſuas.

Boch.ſymb.7. pag.19.

Quæ premens Achilles Bochius,tetrum Cupidinem pingit,in otioſum ſua tela contorquentem,& poſt alia ſic finit, 5

Vrentes pariunt ſemper lenta otia amores;
Vnde eſt mors vivens irrequieta quies.

Plato in Theæth.
Plin.in præf. nat. hiſtor.

Divinus etiam Plato,habitū quidem corporis deſidia, & otio diſſolvi docet,exercitationibus autem ali, & augeri: & ſimiliter animi, inſtitutione,& meditatione vegetari,quæ ſi tollas, hebeſcit, & vel id quod ante didicerat,obliviſcitur. Quod & Plinius probat,inquiens, oportere inquietum hominis animum opere paſci, non minùs quàm corpus cibo & potione ſuſtentari. 6

Eraſ pag.550. Pet. Greg. de Rep. lib. 23. c.7.Rhodigin. lib.11.c.1.&3.Camer. cent.1. c.15. Delrius, Maiolus, Bobad.& alij apud Me 2.to.lib.1.c.4. ex n.131.
Verin.in diſt.lib.1

Eſtque adeò vera hæc doctrina, ut vel iam in Adagium tranſierit, *Otia dant vitia,* ubi Eraſmus in eius comprobationem,& otij deteſtationem,ultra alios,qui in eodem argumento verſantur, plura congeſſit.Et in idem tendit illud Verini, 7

------------ Pariturque labore
Virtutis robur, corrumpunt otia corpus.

Et

Et Divi Nazianzeni:

Nazianz. 3. ſent.

Otia luxuriant, quod agas tu ſemper habeto,
Vt tibi mens erret irrequieta minùs.

Et his Antiquioris Salluſtij, qui florentem Reip. Romanæ ſtatum, cui ad Occaſum ab Ortu Solis omnia domita armis patebant, otij, atque divitiarum affluentia, quæ prima mortales putant, labi cœpiſſe, deplorat.

Saluſt. lib. 1. hiſt.

Ac proinde Scipio Africanus apud Plutarchum dicere ſolebat, dãdum potius eſſe negotium Populo Romano, quàm otium faciendum: *Hæc enim puto* (inquiens) *otij abundantia, illorum animis inſevit omnia vitia, maximèque perfidiã, qua notantur à Demoſthene in Olynthiaca.* Idẽ etiam Plutarchus recenſet, quòd Magnus Alexander dicebat, maximè ſervile eſſe, delicatam, mollem, & otioſam degere vitam. Contrà verò maximè Regium laborare. Adverſus pravam Thracum conſuetudinem, qui ſummæ ducebant laudi otioſum eſſe; ſed ſummo dedecori cultorem eſſe terræ. Rectiſsimè quidem omnes, nihil enim æquè animum, aut corpus obtundit, quàm torpida quædã remiſsio, ut Caſſiodorus, ultra plures alios, his verbis edocuit: *Natura ſiquidem humana, ſicut duris laboribus inſtruitur, ita per otia torpentia fatuatur.*

Plutar. in eius vita

Idẽ in vita Alex.

Caſsiod. lib. 1. epiſtol. 39. in fine.

Eaque de cauſa, multi illam, poſt Ovidium, agro ſimilem faciunt: nam ſicut hic, ſi aratro non ſulcatur, ſpinas, & lolia producit, ita mens humana, quæ non exercetur, vitiorum ſpiritus edit:

Ovid. 5. Triſt. eleg. 12.

Fertilis aſsiduo ſi non renovetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.

Alij, idem, exemplo ab ipſo cœlo ſumpto, demonſtrant, quod ſi aſpicias, in continuo motu eſt, ideòque nulli mutationi obnoxium: quemadmodum, & exercitatione corpus roboratur, nimia quies noxia viſcera obſtruit; venas putrido ſanguine implet, & quadam veluti torpedine lædit, pluraque alia damna producit, quæ elegantiſsimo carmine Baptiſta Mantuanus latè recenſet, ſegnitiem inter Megeræ ſocias nutritam inquiens. Cuius carmina hic non gravanter insererem, niſi iam ſuprà eorundem tenorem tranſcripſiſſem.

Mantuan. lib. 1. de calam. ſuor temp. vide carmina ſup. Embl. 18. ad fin.

Idem Ovidius, qua ſolet facilitate, aliud ſimile ex aquarum natura deſumit, ſic inquiens:

Ovid. 1. de Ponto

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Vt capiant vitium ni moveantur aquæ?

Quod adeò verum eſt, ut Mare Mortuum, quia nullis agitatur undis, noxijs vaporibus continuò aerem inficiat; ſicut & qui otio, veluti ſepultus eſt, vitiorum fœtidos eructat vapores, qui ipſam animam, ex auguſto detrudunt ſolio, & cœno ſuo contaminant.

Quam ſimilitudinem plurimum illud Senecæ iuvat, qui tradit, ipſos quoque piſces ſtagnatis aquis innatos, & innutritos, ob ignaviam, noxium hominibus cibum præbere, exemplum in anguillis, & in alijs adducens, qui latebroſis, & cœnoſis, ſive lutoſis locis aluntur.

Senec. lib. 3. natul. quæſt. cap. 19.

Et hinc omnes, qui rerum naturalium cauſas perſcrutantur, eas om-

imo aquas,quæ in continuò ſunt motu, ſalubriores, limpidiores, & clariores eſſe concludunt. Vnde & Sylveſter Petraſancta commemorat, quod Guido Ferrarius Cardinalis, puteum continuis tubulis ad hauriendam ex eo aquam, agitatum (quem Nos, *Noriam* dicimus) pro ſymbolo ſumſit, cum lemmate, *Motu clarior*, parem ipſe de ſe claritatem pollicitus, ſi amici haurirent crebrò illius liberalitatem. Quod longè aptius; ad rem de qua agimus, accommodari potuit, ut & Ego aliquando ſub hoc carmine feci, Principes commonens, ne Militares, vel Togatos viros in otio marceſcere patiantur, quos, alioqui bonos, ipſo exercitio meliores efficient;

Petraſanct. in ſymbol. lib. 6. pag. 267

Nunquam multi iugi putei corrumpitur unda,
Quam velit aſsiduè vertere cura frequens.
Turba Miniſtrorum varijs exercita curis,
Sic incorruptis, munia reddet, aquis.

Barclai. in Argen. lib. 4. pag. mihi 818

Et ſenſit etiam in noſtris terminis Ioannes Barclayus, ſic inquiens: *Salubriores fieri aquas putant, ubi ex puteis aſsiduè hauris, quæ, ſi ceſſas, aliquo veterno emoriūtur. Haud diſparis ſati vires, & animi vulgi ſunt, ipſa laboris aſsiduitate crudeſcunt, & ignaviam odere, otio corrumpūtur.*

Senec. lib. 6. de benef.

Quod Seneca tunc maiori ſtudio urgendum iniungendumque ſuadet, cum minùs de his, quibus imperatur, confidimus, ſic inquiens: *Quoties parum fiduciæ eſt in ijs, quibus imperas, amplius eſt exigendum, quàm ſatis eſt, ut præſtetur quantum ſatis eſt.* Et hæc omnia elegantiſsimis verbis complexus videtur Latinus Pacatus, dum Magni Theodoſij bellicos, & togatos labores, ac ſudores extollens, prædictis exemplis ad eorundem continuationem ſic adhortatur: *Gaudent profectò divina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quicquid homines vocamus laborem, illius natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cælum rotat; ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit, ita tu Imperator continuatis negotijs, & in ſe quodam orbe redeuntibus, ſemper exercitus es, & ne contraheres corporis veternum ſtudes, cuiuſcemodi operæ inſidiantem, otij terſiſſe rubiginem, &c.*

Pacat. in Paneg. ad Theod. fol. 4.

Eraſ. in ſimil. fol. 3.

Extat quoque apud Eraſmum in eandem rem aliud aptiſsimum ſimile, de Ferro, quo ſi non utaris, obducitur rubigine, uſu autem ſplendeſcit; ut & in animis, & corporibus hominum accidit, in quibus langueſcit virtus ac vigor, niſi negotijs, ac laboribus exerceas, contra niteſcit, ſi in his opportunè tractādis exercearis. Quod ſimile, etſi Eraſmus nihil alleget, à Marco Catone ſumtum videtur, qui, ut Agellius litteris prodit, dicere ſolitus erat: *Vitam humanam propè uti ferrum eſſe. Ferrum ſi exerceas, conteritur: ſi non exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri. Si nihil exerceas, inertia, atque torpedo, plus detrimenti facit, quàm exercitatio.*

Agell. lib. 11. c. 2. in fin.

Ovid. 1. de Ponto, 5. 1.

Quod idem prorſus eſt, atque illud Ovidij,

Otia corpus alunt, animus quoque paſcitur illis;
Immodicus contra carpit utrumque labor.

Mant. Parth. lib. 1.

Et Baptiſtæ Mantuani,

Cal-

Calcar erit ſegni, pigros rubigine ſenſus
Otia corrodunt, ſopitaque pectora torpor
Noxius obliquat; ferrum ſi tranſit in uſus
Aſſiduo ſplendore micat, vultuque nitenti,
Audet ad argenti decus aſpirare ſuperbum,
At ſi longa quies ierit, fuſcatur, & atram
Vertitur in ſcabiem, celerique abſumitur ævo.

Et Moderni Epigrammatarij Angli, dum inquit: Oven. lib. 3. Epig. 153.

Ingenium ſtudio, ſi non acuatur, hebeſcit;
Vt telum, aſſiduam cos niſi præſtet opem.
Ingenium ſtudijs alitur, teritur quoque, ſicut
Tela terendo acuit cōs, acuendo terit.

17 Ioan. Stobæus, ex Socratis doctrina, eandē ipſam, de qua agimus, nobili Emblemate, Amaltheæ cornu depicto, oſtendere nititur, quatenus ipſius Amaltheæ nomen illum ſignificat, qui minimè *Malthon*, id eſt, diſſolutus, ſed gnavus, & operarius eſſet; huncque bona omnia cōſequuturum. Per cornu verò bovis, quod animal eſt laborioſiſſimū, virum operarium innui. Botros autem, & ſimilia in cornu eſſe, quoniam omnia quorum egemus, in agricultura ſeu labore inſunt; quamobrem geſtantes ipſum, bonus genius, bonaque fortuna introducuntur.

Stob. ſerm. 54. de Agricult. pag. mihi 369.

18 Altiatus etiam, in otioſos, aliud excuſsit Emblema, ex illo Pythagoræ præcepto deſumtum, quo ſuper chænicem, id eſt menſurā diarij victus, non eſſe inſidendum, dicebat, his ſubiectis carminibus, quæ ab eodem in Parergis, latiùs exponuntur,

Altiat. Embl. 81.
Idē lib. 1. Parerg. cap. 17.

Quiſquis iners, abeat, nam in chænice figere ſedem,
Nos prohibent Samij dogmata ſancta ſenis.
Surge igitur, duroque manus aſſueſce labori.
Det tibi dimenſos craſtina ut hora cibos.

19 Et aliud Labæus Batillius, ad illud Salomonis alludens, quo pigros, & ignavos ad formicas amandat, ut vel earum exemplo à veternoſo inertique ſopore deſiſtant; cuius carmina hæc ſunt:

Batillius Embl. 14.
Proverb. 6. 6.

Tu qui deſidiam colis, atque ut in otia natus,
Ignavis votis tempora cuncta trahis.
Aſpice, formicæ lætis quando agmina campis
Sub tectum aſſiduæ grana reperta vehunt.
Scilicet haud ignaræ hyemis triſtiſque ſenectæ,
Subtectum aſſiduæ grana reperta vehunt.

20 Similia quoque alia apud Boiſſardum, & Oræum, & Iacobum Catſium reperiuntur, quę tanti mihi non ſunt, ut hic inferendæ videantur. Florentius autem Schoonhovius, aliquanto melius, idem argumentū premit, Dianam venationi intentam depingens, quam fruſtra Cupido à tergo ſequēs, ſuis telis impetere tentat, & ſub lemmate, ***Labor Amoris domitor***, hoc ſic explicat, & applicat:

Boiſſard. Emb. 25. Oræus Emb. 29. & ſeqq. Catſius Emblem. 36.
Schoōh. Emb. 35.

Omnia parve puer, Veneris iuſtiſsima proles,
Telorum duro cum premis Imperio.
Sola Diana tamen, veſtri vim deſpicit arcus,
Dum ſequitur fortes, fortior illa feras:
Otia ſi tollas, perijt veſana libido,
Quam labor aſsiduus, duraque vita domat.

Theſaur. rer. Ind. lib. 1. cap. 8.

21 Præſtare quoque poterunt alterius Emblematis vicẽ, Monotapenſis Regis inſignia, qui, ut in theſauro rerum Indicarum habetur, exiguũ ligonem cum manubrio eburneo, & binis ſagittis geſtabat. Ligone ſubditos ad terram colendam adhortãs; Alteraque ſagittarum deſignans, habere ſe poteſtatem otioſos, rebelles, ac nefarios comprimendi; Altera, arma ſibi ad inimicorum impetum reprimendum, ac propulſandum ſuppetere.

Poetę apud Eraſm. in Adag. Herculei labores, pag. 330.

22 Nos vero, præter omnes, &, ut arbitror, non ineptius, eandem otij propter gravia damna, quæ ubique parit, propulſationem, ea, qua Lector vides, pictura, Herculis, œſtrum clava toto impetu perſequentis, inſinuamus. Antiquitatis veſtigia ſequuti, quæ tantum virum, & quẽ, ut Poëtæ canunt: *Duri celebrant labores*. In hoc tam vili animalculo exagitando, totis viribus, ac nervis contendere finxit, ut oſtenderet, virtuti laboribus aſſuetæ, atque comparatæ, nihil odioſius eſſe, pernicioſiuſvè iudicari, quàm otium. Herculemque, quem *Alexicacon*, id eſt, *Malorum depulſorem*, vocarunt, in hoc ignaviæ vitio abigendo, gnavum admodum fuiſſe. Quod per œſtrum ſignificatur, vulg ò *el Moſcardon*:

Virgil. 3. Georg.

Aſper, acerba ſonans, quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta.

Colum. lib. 9. c. 14.

23 Quod ſecundùm Columellam, in extremis partibus favorum naſcitur, amplioris magnitudinis, quàm ſint apes cæteræ, eaſque nõ ſolùm in melle conficiendo non iuvat, ſed potiùs fugat, & exagitat, & otioſus, & iners favos, quos ipſæ tanta arte, tanta ſedulitate conficiunt, depopulatur. Vnde per hoc inſecti genus otium ſignificatur, ut ſuprà in alio Emblemate tetigi, poſt Virgilium, dum ait:

Sup. Embl. 72.

Virgil. 4. Georg.

Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

Plutar. in Mercat.

Cui cõgruit illud Plauti, ubi homines ſegnes, & qui ad paratã ab alijs menſam, nihil ipſi adducentes, accedunt, muſcas, his verbis vocavit:

Muſca eſt meus pater: nil poteſt clàm illum haberi;
Nec ſacrum, nec tam profanum quicquam eſt, quin ibi illuc adſit.

Solin. Plin. Alex. & alij apud Giral. ſynt. 1. & in Hercule, pag. 557. in fi.

24 Vnde & *Miagus* Hercules dictus fuit, quaſi muſcarum oſſor, vel depulſor. Et teſte Solino, & alijs à Giraldo relatis, Romæ in celebri illo fori Boarij templo, quod Virgilius *Aram Maximam* vocat, Herculi dicato, muſcæ nunquam intrare audebãt, quaſi ab eiuſdem clava perterrefactæ, quæ præ ipſius templi foribus dependebat. His plura alia facilè addere poſſem, quæ ex Græcorum fabulis de odio Herculis in muſcas, & cicadas, Natalis Comes adducit.

Natal. lib. 7. Mithol. c. 1. pag. 694.

Et

25 Et de ignaviæ per fucos deſignatione, Heſiodus, & alij ab Eraſmo, & Adriano Iunio ſuis in Adagijs relati, verbo *Fucus*, & ab Eruditiſs. noſtro Lud. Cerda in illud Virgilij:

Eraſm. & Iunius in Adag. *Fucus*, pag. 273. & 288. & 561.

Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro imparibus ſe immiſcuit armis.

Cerd. in 4. Georg.

26 Nunc ſatis, vel ex dictis colligitur, qualem quantamque curã, & operam, in otioſis puniendis, & ad laborem excitandis, ad Herculis imitationem, ſummos quoſque Reipublicæ Præfectos adhibere oporteat. Quibus etiam, præter Herculẽ, exemplum præſtare, facẽque præferre poterunt Athenienſes, apud quos Athæneo, Petro Gregorio, Heigio, & alijs teſtantibus, ſcimus, otij, atque inertiæ publicam accuſationem fuiſſe; eiuſque rei Cleanthem, & Menedemum Philoſophos corã Areopagitis cauſam dixiſſe. Singulis quippè annis, cives, coram illorum ſe ſiſtebant iudicio, rationem reddituri, cui arti quis ſe dediſſet, quo quæſtu vitam toleraret. Ita enim exiſtimabat ſapientiſsimus populus; vitam in actione conſiſtere, ignavumque pecus à civitatis ſuæ penetralibus arceri debere.

Anthen. lib. 4. c. Petr. Greg. lib. 39. ſyntag. cap. 6. Pet. Heig. lib. 2. quæſt. c. 27. pertot Alex. Caſian. in axiom. polit. pag. 73. ubi non minùs de vita, & morib. civium, quàm de Fide, inquiri oportere tradit.

27 Quæ etiam lex, ſecundùm Philoſtratum, Indiæ Brachmanis Philoſophis, ſive Gymnoſophiſtis, in uſu erat, apud quos, in pranſus foras ad opus extrudebatur, qui nihil utilis operæ, vel parẽtibus, vel ſuis rebus neceſſariæ, cur pranderet, adduceret. Eandemque (referẽte Herodoto) prius Rex Ægyptiorum Amaſis conſtituerat, ſanciens, ut ſinguli, quotannis apud Naumarchos, id eſt, cuiuſcunq; Præfecturæ Præſides, profiterẽtur, unde viverent, qui autem hoc nõ faceret, huic pœna extremum ſupplicium eſſet. Qua cum lege, illa Corinthiorum conveniebat, quã Athenæus ex Diphilo in Mercatore diſſertiſsimis carminibus refert, & digna quidem eſt, ut in omni benè cõſtituta Republica practicetur, & genus hoc mortalium ex urbibus, velut purgamina eiiciatur.

Philoſtr. in vita Apol. lib.

Herod. in Euterp. in fin.

Athenæ. lib. 6. c. 2.

28 Ad quorũ æmulationem Solon, teſte Laërtio, & Iulio Polluce, hominem otioſum, ter deprehenſum, infamia notari voluit, cuiviſque, ipſum accuſare volẽti, obnoxium eſſe. Et Draco ſeveriùs, ſi Plutarcho credimus, morte mulctabat eos, qui abſque utili aliquo officio, vel exercitio vitam traducerent. Et Lycurgus leges tulit, quibus iuventutẽ ab otio ad laborem, ad venandum, currendum, natandum, eſuriendũ, ſitiendum, algendum, æſtuandum, inſtigaret, quibus rebus Venus, & alia vitia (ut iam diximus) exulant, ac ſedantur. Et Plato, adhuc magis in rem noſtram, & eadem fucorum ſimilitudine utens, ita in ſuis libris de Republica cavit: *Otioſi fucis aculeatis ſimiles ſunt, & in quacunque fuerint civitate, eam turbant, quemadmodum pituita, ac bilis corpus: quos oportet bonum Medicum, & legum fundatorem non minùs, quàm ſolertem agricultorem, è minus præcavere, primùm quidem ne oriantur in civitate, quòd ſi oriantur, ut cum ipſis favis protinus excidantur.*

Laert. in vita Solon. Polux in Onom. lib. 8.

Plut. in Solone.

Plato lib. 8. de Republ.

29 Parthi quoque, more recepto, obſervarũt, ne quis die exorto, ante liberis victũ præberet, quàm curſus, iaculãdiq; certamine ſuſcepto, ſudore circum capita defuſo, permaduiſſent. Sicut, iuxta Alexandrum

Alex.lib.2. Gen. cap.25.

ab Alexandro, apud Baleares inſulas, matres, infantes pueros ab ipſis vitæ incunabulis, his diſciplinis educabant, ut niſi oblatum cibũ funda peterent prius, cibo veſci prohiberentur. Et ſecundùm D. Bernardũ,

D. Bernar. in epiſt. ad Ruſtic.

Ægyptiorum monaſteria hunc tenebant morem, ut nullũ abſque opere, & labore ſuſciperent, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſalvationem: *Nam ſicut in terra* (inquit) *inculta naſcuntur vepres, & in aqua immota vermes; ita in anima otioſa malæ cogitationes proveniunt.* Atque ut his me expediam, & qui otioſos inſector, otioſus non videar, in omnibus congerendis, quæ contra eos ab alijs tradita ſunt, nulla quidem fuit, vel eſt Natio, (ſi Thracas fortè, ac Sybaritas excipias) quæ peculiaribus legibus, & animadverſionibus hoc ignaviæ vitium, ut aliorũ graviorum incentivũ, non fuerit proſequuta, & extra ordinem coërcuerit, ut latiſsimè Philip. Camerarius oſtẽdit, & antè eũ Petrus Crinitus, elegantiſsimam Pici Mirandulani orationem contra otioſos adducens. Qui, inquit, ubi deſides ignavi, & oſcitantes vitam tranſigunt, non herclè magis vivunt, quàm ſtolidæ pecudes, & meræ belluæ; neque enim vivunt, ſed ſpiritum trahunt, ſicut pecudes ſolent.

Camer. 1. to. cap. 15. & ſeqq. & 2. to. cap. 32. & 33.

Pet. Crinit. lib. 1. cap. 12.

Senec. epiſt. 82.

Quò & tendit Senecæ illud, *Otium ſine litteris mors eſt, & vivi bo-* 30
minis ſepultura. Et elegans in otioſos dictatum Caroli Paſchalij, ubi inquit, quòd *Otium generoſitatem deterit, omne acumen hebetat, ingeniũ obſcurat, memoriam debilitat, cuiuslibet bonæ rei peritiam abolet, omnia ſemina virtutis extinguit. Et quò blandius eſt vitium, eò hominum vitæ infeſtius exurgit, eſtque omnis nequitiæ ſtabulũ, omniũ criminũ pabulum, impuriſsimumque impudicorum hominum volutabrum.*

Paſchal. in dict. cõtra otium.

Quod ultimum, mirè cõvenit, cum Diphili carmine ſuprà præfato, 31
dum in otioſis neceſſe eſſe ait:

————————— Aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum iungier commercio,
Aut in foro agere ſycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem, &c.

Salluſt. in Catil.

Et cum illo Salluſtij: *Gloriam, honorem, Imperium, bonus, & ignavus* 32
æquè ſibi exoptant: ſed ille vera via nititur, hoc eſt virtute tendit ad virtutes. Huic ignavo, quia bonæ artes, & mores deſunt, dolis atque fallacijs, id eſt ſimulatione, & fuſitate contendit.

L. quidã ignaviæ 26. C. de Decurio. lib. 10. l. 1. & per tot. C. de mendic. valid. ubi DD. alia iura adducunt.

Iuſtin. in novel. 80 & novell. 113. ubi Balduin. Gothofr. & Ritthershuſ.

Romani quoque, omniũ gentium cordatiſsimi habiti, plures leges 33
in otioſos & ignavos tulerunt, etiã ubi ſub religionis prætextu, ſe a publicis laboribus, & curialibus functionibus abſtrahebant, & præſertim cum oſtiatim, corpore ſani, & validi, mendicabant. Quas Iuſtinianus Imp. pluribus Novellis ſanctionibus renovans, & peculiares Quæſtores ad eos inquirẽdos, & puniẽdos conſtituẽs, eiuſmodi otioſos, peregrinos, & vagos meritò *Terræ onus* appellat, & cuiuſcunq; conditionis ſint, procul ab urbibus abigi, & alijs pœnis coerceri præcepit, & velint nolint, ad laborandum, in miniſterijs, & operibus Reipublicæ utilibus, & neceſſarijs, compelli: *In quibus valeant ſimul quidem laborare, ſimul*

au-

autem alit, & ſegnem ita ad meliorem vitam traducere, quia mens inerti otio dedita, haud ſanè quicquam bonorum peperit.

33 Eaſdemque ſanctiones, ſummo quidem ſtudio cõſtitutas, in patrijs noſtris Hiſpaniæ legibus reperiemus, ſed proh dolor, valdè ſegniter obſervatas, cum nullibi terrarum plures otioſi vagantes, & ignavi homines eſſe ſinantur, quos vulgò *Araganes* vocare ſolemus, ex verbo (ut puto) Græco *Araga*, quod inertiam, vel deſidiam ſignificat, ut Cuiacius, & alij docuerunt, quamvis Noſter D. Sebaſtianus Covarruvias aliàs etymologias comminiſcatur.

34 Nullibique etiam ſpiſsiora mendicantiũ examina populos vexent, mentitis plerumque, ac ſimulatis ægritudinis cauſis, & alijs ſubdolis technis, & fraudibus utentium, quas, plures Auctores latè recenſent, plures ſimul cautiones adducentes, quibus ingens hoc malum, vel in totum, vel ſaltem pro maiori parte mederi poſſet. Quæ licèt aliquoties tentatæ ſint, nunquam tamen ita plenè, ac conſtanter in praxim deductæ, ut antiqui huius, & Reip. oſsibus hærentis morbi, qualitas, ac gravitas expoſcebat. De quo valdè queritur Alfonſus Venegas, qui centum fermè ab hinc annis ſcripſit, latè in hoc argumento diſcurrẽs, & pluribus monſtrans, nullum eſſe pauperem ex ijs, qui ad corrogandas eleemoſynas per urbes vagantur, qui aliquod miniſterium pro ſuo modo, ac captu exercere non valeat, ex cuius mercede, ſive ſtipẽdio, victum ſibi neceſſarium ſingulis diebus comparare poſsit. Quod etiã pari prudentia, atque elegantia, Ludovicus Vives proſequitur, eiuſmodi vagantes pauperes, ſeu validos mendicantes, fucis noſtri Emblematis ſimiles eſſe inquiens, qui alienis laboribus fruuntur.

35 Extatque apud Flavium Vopiſcũ notabilis quædã epiſtola Hadriani Imperatoris, ad Servianũ Conſulem miſſa, in qua referens, qualiter Alexandrini Chriſtiani per D. Petrum inſtituti, civilem vitam traducerent, inter alia tradit, & laudat, quod nemo apud eos viveret otioſus, etiã ſi cæci podagrici, vel aliàs luxati eſſent, cuius verba, cũ alijs, Cornelij Taciti de Hortalo loquentis, quæ huc transferri poſſunt, ſuprà in alio cõmmẽtario repoſui. Quod Nos æquè (ut dixi) in pauperibus ſequi, & imitari, debemus, & pudere, quòd hoc etiam conſilium, vel Peruanos Reges Incas, alioqui barbaros, nõ latuerit, ut latiùs Garcilaſſus Inca in eorundẽ hiſtoria, poſt Acoſtã, & Valeram recenſet, & alia in eandem rem lectu digna congerens noſter Politicus Pet. Ferd. Navarrete, qui de damnis ex hac pauperũ, & vagantiũ hominũ colluvione, & permiſsione, integrum, & ſatis doctum diſcurſum ſcripſit, & Homerici carminis meminit, quo hoc genus fucorum ita perſtringit,

Hic quia nequitijs aſſuevit, adire laborem
Non vult, & timida populi petit oſtia voce,
Vt replere ſuam queat inſatiabilis alvum.

36 Nec minori ſanè cura in abigẽda, proculq; à Repub. noſtra amandãda illa aliorũ hominũ fece, & face procedere oportet, quos vulgò *Gitanos* dicimus, qui turmatim etiã & otioſi pererrant, & nullibi nõ nocẽt, cũ nullibi cõquieſcãt, nec alicui officio, vel miniſterio, quod in pu-

L. 4 tit. 20 p. 2. l. 1 & 2. tit. 4. lib. 2. & tit. 14 lib. 8. Ordin. l. 11. tit. 12 lib. 1. l. 2. tit. 11. lib. 8.

Cuiac. & alij de verb. feuda. lib. ver. *Araga.*

Covar. in Theſaur. ling. Caſtell verb. *Aragan*, fol. 82.

Aleman. in ſuo Guzmanulo à Gaſpar Enſl in latium converſo, Camer. 1. tom. c. 16 Doct. Herrera en ſu Alvergue de los pobres, & alij.

Veneg. in libro cui titul. *Diferencia de libros*, pag.

Vives lib. 2. de ſublevatione pauper.

Vopiſc. in Saturnino.

Sup. Embl. 41.

Garcil. hiſt. Incar. part. 2.

Navarret. in diſc. polit. c. 9. ex pag. 67.

Hom. Odyſ. 1.

Beccanus in Hermath.lib.1. ad fin. Delri⁹ lib 4.diſquiſit.Magic.c.3.q.6. Corduba inDidaſcal.li.1.c.50.Quignon.in ſyntagm.de los Gitanos,Camerar.1.tom.cap.17. Mager. de advoc. arm.c.8.n 77. & ſeqq. Beſſold. in Theſau.prac.verb. Zigeiner.pag.962. Petr.Greg. lib.34. ſyntag.c. 16.n.ult. Suri⁹ an.Chr.1572 fol.844.Covarr. in Theſ. ling. Hiſpan. verb. *Gitanos*, fol. 438.

Cervant.inNovel. de la Gitanilla.

blicũ commodet,domi bellivè,ſuum animũ,vel operas applicet. Hos exteri,*Cyngaros* etiam appellant,& varias de eorum origine,& peregrinandi cauſis, rationes comminiſcuntur, falſas tamen & ridiculas omnes,cum,ut benè ſentiunt Goropius Beccanus,Martinus Delrius, D.Didacus à Corduba,D.Ioannes Quignonius,Camerarius,Magerus,Beſoldus,Surius,Petr.Gregorius,D.Sebaſtianus Covarruvias,& alij,ipſaque experientia ſatis oſtendit,nihil aliud ſint, quàm manipulus furum,& colluvies peſsima otioſorum, ac fraudulentorum hominum, ex varijs nationibus non ita remotis, ſed vicinis, imò & ex ipſis noſtris; qui extra civitates,in agris,in trivijs tentoria erigentes, proditionibus,latrocinijs, deceptionibus, & permutationibus, atque ex chyromantica,quam fingunt, divinatione, homines oblectant, & his, & alijs fraudibus,atque impoſturis eleemoſynas corrogant, victumq; ſibi mendicant, quas ſi pleniùs quis cognoſcere cupiat lepidam ſatis Novellam Michaëlis de Cervantes legere poterit.

Sup.Embl.31.

Horat.2.carm. ode 16.

Catull. ad Lesbiã.

Oſſor.li.1.deReg. inſt.

Ac planè,licèt otiari aliquando liceat, ut alacrius ſtatim laborem 37
repetamus,ut iam ſuprà plenè diſſerui,illudque otium laudaſſe, & exoptaſſe videatur Horatius,dum cecinit,

Otium divos rogat in patenti,&c.

Aſsiduum tamẽ otiũ,ut ibidem benè obſervat,& diſtinguit Cabotius, nemo ſanus Princeps ſubditis ſuis permittere debet, quod, ut Catullus ad Lesbiam ſcribens ,inquit: *Reges prius, & beatas perdidit urbes,* utpotè quæ, ſecundùm Hieronymi Oſſorij doctrinam, non aliter gubernari conſervarique poſſunt, quàm ſi quilibet ex ipſarum accolis ſuum gradum ſervet,ſuumque officium faciat.

Cicer.in Læl.& 1. de offic.

Cyr. Theodor. in amicit.exulan.

In quo Cicero naturalem illam hominum ſocietatẽ conſiſtere di- 38
xit, quæ efficit,& exigit: *Vt alij alijs prodeſſe debeamus, & cõmunes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus.* Quòd Cyrus Theodoricus his verſibus extulit,

Homines ſociantur per me artibus ſuis;
Nam quærit ecce fullo calcearium,
Equitum Magiſtro gratus eſt fræni faber.
Agrum colenti, mechanicus coniungitur,
Breviter habeto, qualibet ars cuilibet.
Piſcator omnis indiget re ruſtica,
Eget piſcatore, rura qui colit;
Ille panes dans, ipſe piſces accipit;
Sic omnis opifex quærit alterius opem,
Hic denique modus civitates promovet.

Sup.Embl.35.

Et quia hoc ſtudium à pluribus Regibus,& Regnis ſpretum fuit,ſe, 39
& ſimul ipſa,peſſum dedere,hoſtileque iugum pati cœperũt,qui anteà dum laboribus domeſticis,& militaribus aſſueverant, potentes quoſlibet alios hoſtes & duces vincere,vincire, & in triumphum agere ſoliti erant, ut iam ſuprà,adductis Sybaritarum,Romanorum, Cartha-

gi-

ginenſium ſub Anibale poſt Cannẽſem victoriam, Noſtrorũque, heu, Hiſpanorum, & aliarum nationum exemplis fusè monſtravi, & prudenter docuit Scipio Africanus, dum apud Livium ita Maſiniſſam cõpellat: *Non eſt crede mihi tantum ab hoſtibus armatis ætati noſtræ periculi, quantum à circumfuſis undique voluptatibus. Qui eas ſua temperantia frenavit, ac domuit, multò maius decus, maioremque victoriam ſibi peperit, quàm nos Syphace victo habemus.* Cui mirè conſonat Honorij ad filium monitum, apud Claudianum, quod ſic habet:

Livius lib. 10. decad. 3.

Claud. in 4. Conſ. Honor.

> ----------- *Multis damnoſa fuere*
> *Gaudia; diſperſi pereunt, ſomnoque ſoluti;*
> *Non tibi Regificis tentoria larga redundent*
> *Delicijs, nevè imbelles ad ſigna miniſtros*
> *Luxuries armata trahat, &c.*

40 Indeque omnes Militares & Politici Scriptores, & ſi bella nõ urgeant, bellicis tamen laboribus ludiſque agonalibus, exercendos eſſe populos docent, ne ignavia & luxurie torpeſcant, & cum opus fuerit, nihil præter mollitiem, & libidines detegant. Nam ut præclarè inquit Vegetius: *Romanis ad reliquas alias Nationes ſubigendas, adverſus omnia profuit, Tyronem ſolertem eligere, ius, ut ita dixerim, armorum docere, diſciplinam quotidiano exercitio roborare, quæcunque evenire in acie, atque in prælijs poſſent, omnia in campeſtri meditatione prænoſcere, ſeverè in deſides vindicare. Scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciã. Nemo facere metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit. Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas, ad victoriam promtior eſt: rudis, & indocta multitudo, expoſita ſemper ad cædem.*

Veget. de re milit. lib. 1. cap. 1.

41 Re enim vera, ut D. Hieronymus inquit: *Corpus aſſuetum tunicæ, loricæ onus non ſuſtinet, caput opertum linteo, galeam recuſat, mollem otio manum, durus exaſperat capulus.* Et ante eum Seneca: *Cuius pedes inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cuius cænationes ſubditus, & parietibus circumfuſus calor temperavit, hunc levis aura non ſine periculo ſtringit.* Ac proinde, ut idem ſubdit Vegetius: *Aptiorem armis iudicabant ruſticam plebem, quæ ſub Divo, & in labore nutritur, ſolis patiens, umbræ negligens, balnearum neſcia, deliciarũ ignara, ſimplicis animi, parvo contenta, duratis ad omnem laborum tolerantiam membris: cui geſtare ferrum, foſſam ducere, onus ferre, conſuetudo de rure eſt. Neſcio enim, quomodo minus timet mortem, qui minus deliciarum novit in vita.*

D. Hier. epiſt. 1.

Senec. de div. provid. cap. 6.

Idem Veget. dict. lib. 1. cap. 3.

42 Caſsiodorus quoque, non inelegantius, eiuſdem prævię in militibus diſciplinæ, & exercitationis neceſsitatem agnoſcit, dum inquit: *Ars enim bellandi ſi non præluditur, cum neceſſaria fuerit non habetur. Diſcat miles in otio, quod proficere poſsit in bello. Animos ſubitò ad arma nõ erigunt, niſi qui ſe ad ea idoneos, præmiſſa exercitatione confidunt, &c. Primordia cuncta pavida ſunt: & aliter timiditas non tollitur, niſi cum rebus neceſſarijs novitas abrogatur.*

Caſsiod. li. 1. ep. 40

43 Curent igitur Principes prudentes, ut benè monet Annibal Scotus, Taciti verbis inhærens, primum ne ipſi, otio, vilisſimo domino ſe mancipent: deinde ne Miniſtri, & illi, quorum ſtrenua opera præcipuè

Scot. in Tacit. lib. 2. hiſt.

Pædionæus od. 6.

utuntur, illud arripiant, & denique, ut in ſubditos omnes ſimilis cura
perveniat, alioqui Regnum cum dedecore amittent, vel imminuent,
& varijs periculis vitam exponent, & quàm ſit certum experientur,
quod dixit ille, qui dixit:

Præclara vendunt bona laboribus Dij,
Nunquam inertem laus ſequitur virum.

Pacat. in Paneg. pag. 4.

Vnde Priſci illi Romani, tanti laborem faciebant, ut de ijs Lati- 44
nus Pacatus ita ſcribere potuerit: *Sic agreſtes Curij, ſic veteres Corun-
cani, ſic nomina reverenda, Fabricij; cum induciæ bella ſuſpendebant, inter
aratra vivebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Ca
pitolini Iovis laureis, triumphales viri ruſticabantur. Inde eſt quod acce-
pimus datos ſerentibus faſces, & miſſas cum Curulibus ſuis per rura pal-
matas, quòd agricolas Conſulares, paſtoreſque Trabeatos, & Dictatores
inter armenta veſtitos, &c.*

Livius lib. 4. D. Auguſt. de civit Dei, lib. 4. c. 16. Roſin. antiq. Rom. lib. 2. c. 18. pag. 180. Camer. 3. tom. c. 50. pag. 178.

Valer. Max. lib. 7. tit. 1.

Idemque ipſum magis adhuc oſtendere voluerunt, dum Agenoriã, 45
quæ ad agendum excitaret. Stimulam, quæ ad induſtriam ultro ſtimu-
laret: Strenuam, quæ faceret ſtrenuum, intra urbem, tanquã Deas, co-
luerunt, & ſacra illis publica conſtituerunt. Quietem verò Deam, etſi
Pacis ſociam, ac Fœlicitatis agnoſcerẽt, publicè ſuſcipere noluerunt,
ſed ei extra urbẽ portamque Collinam, in via Labricana, ut ex Livio,
D. Auguſtinus, & alij memorant, fanum ædificarunt, ſic indicantes, in
benè conſtituta civitate, nullum omninò otium, nullam, etiam alioqui
optabilem, quietem, coli permittivè debere; ſed egregios, atque ſtre-
nuos cives, ex alijs laboribus ad alios aſſueſcendos, diſponendoſque
eſſe, ut Appius Claudius, Valerio Maximo referẽte, apertè docebat,
crebrò dicere ſolitus: *Negotium Populo Romano, melius, quàm otium
committi: Non quòd ignoraret, quàm iucundus tranquillitatis ſtatus eſ-
ſet, ſed quod animadverteret, præpotentia Imperia agitatione rerũ ad vir
tutem capeſſendam excitari, nimiam quietem in deſidiam reſolvi. Et ſanè
negotium nomine horridum, civitatis noſtræ mores in ſuo ſtatu continuit,
blandæ appellationis quies, plurimis vitijs reſperſit.*

Covarr. Embl. 19. cent. 2.

De Sedentario autem ſtudioſorum otio, & quod hoc reprehenſio- 46
nem non mereatur, cum mentem & ingenium potius acuat, quàm he-
beret, ſub cotis Emblemate non malè Noſter D. Sebaſt. Covarruvias
hoc adiecto carmine docuit:

Aqueſta hambre de ſaber rabioſa
(Tan natural al hombre) nos incita
A no paſſar en torpe vida ocioſa
El tiempo, cuya eſtima es infinita:
I la eſpeculacion es una coſa,
Que à las potencias naturales quita,
I ſuſpende ſus actos, quando calma
En la contemplacion traſpueſta el alma.

(* * *)

Sic Præmijs omnia florent.

EMBLEMA LXXIIX.



Fons ſalit irriguus. Creſcunt flos, ſemina, plantæ,
Vernantes properat prodiga limpha dies.
Præmia fœcundent Animos, reverentia recti
Orbi aderit: Virtus ſemina grata dabit.

COMMENTARIVS.

1 NON minùs ſcitum, quàm tritum eſt illud Ariſtotelis Ariſt.1.Ethic. c.5.
monitum, quod duobus veluti polis, ſive cardinibus cuiuslibet benè conſtitutæ Reipublicæ gubernationem moveri, civeſque bonos effici, & in officio contineri docuit, pœnis videlicet adverſus eos qui malè agerent, & præmijs, rectè ſe gerentibus, ſtatutis. Cui adridens Antiſthenes, his ſublatis, omnem Rempublicam peſſum itu- Antiſth. ap.Laërt. lib.6.
ram dicebat; & Vlpianus, præcipuum officium Legislatoris in eo cõſiſtere, ut bonos, non ſolùm metu pœnarum, ſed etiam præmiorũ ex- Vlpian.in l.1.D.de iuſt.& iur.
hortatione efficere cupiat. Quippè quia iuxta illud vulgatũ Horatij, Horat.lib.1.&16.

Oderunt peccare mali formidine pœnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

2 Democritus quoque à Plinio laudatus, duos tantùm eſſe Deos cõ- Plin.lib.2.cap.7.
ſtituebat *Pœnam*, & *Beneficium*, quæ etiam pro Dijs apud Aſsyrios colebantur. Et Cicero de ſuis Romanis agens, ſcriptum reliquit, *Summũ* Cicer.pro Cluent.

rectè factis Maiores noſtri præmium, plura peccatis pericula eſſe voluerunt; & alibi, nullam civitatem, nullum Imperium, nullam denique nationem potentem, ac diuturnam eſſe poſſe, quæ non æqualiter curet, ut à flagitijs retrahantur animi mortalium, & ſimul etiam ad virtutem, & præclara facinora, gloria, præmijs, & honoribus propoſitis, incitentur.

Idem lib.3. de nat. Deor.
Dio Pruſ. orat. 3. pertot.
Nat. Com. in Mythol. li.7. in princ.

3 Quem locum, licèt Ciceronem non laudet, egregiè proſequitur Natalis Comes, poſt Dionem Pruſæum, qui longiſsimam de hoc argumento orationem ſcripſit, & alijs ſimilibus adductis, Simancas, & cæteri Politici Scriptores paſsim illuſtrant, & lex noſtra Partitæ his verbis adumbrat: *E con eſtas dos coſas ſe endereça el mundo, faziendo bien à los que bien fazen, è dando pena, è eſcarmiento a los que lo merecen, &c.*

Simãc. de Rep. lib. 9. c.20. & 22. Bobad. in Polit. lib.1. c.5. n.8. & lib.4. c.2. nu.66. Saaved. Emp.23. & plures alij apud Me 2. to. lib.2. c.1. ex n.57. c.30. n.32. & 76. & lib.3. c.19. n.39.

4 Idemque Nobis viam aperit & ſternit, ut quoniam in ſuperioribus adeò latè de cura & ſtudio Principum in ſontibus plectendis tractavimus, nunc etiam eandem, in benemerentibus de ſe, ac Republica remunerãdis, adhibere debere, commoneamus, ultra ea, quæ iam ſuprà de cohoneſtandis bonis Conſiliarijs, & Magiſtratibus ſcripta reliquimus. Nam ut valdè ad rem noſtram Rex Noſter Alfonſus X. in quadam ex ſuis legibus inquit: *La juſticia no es tan ſolamente en eſcarmentar los males; mas aun en dar galardon por los bienes: è demas deſto, naze tambien otro pro, ca dà voluntad à los buenos, para ſer todavia mejores, è à los malos para emendarſe.*

L.3. tit.1. p.1. adfi.
Ego ſup. Embl.53.
L.2. tit.27. p.2.

5 Quod etiam agnoſcens Caſsiodorus: *In diſcreti* (inquit) *hominum mores confuſique vagarentur, ſi aut culpa formidinem, aut virtus præmiũ non haberet.* Et Libanius ſcribens: *Æquum non eſſe improbitatem caſtigare, & probitatem negligere, neque ex dimidio tantùm, quod iuſtum eſt facere, maioremque ex hoc, quàm ex illo utilitatem in bonum publicum redundare.*

Caſsiodor. lib.9. epiſt.22.
Liban. declam.31.

6 Rectiſsimè quidem omnes, quia ut præmonuit Seneca, ut iniuſti iudicis eſt, negligentem non corripere; ita & benè agentem non remunerare. Quoniam honores, & præmia ad inſignia queque facinora mirificè, velut ſtimulis, homines impellunt, faciuntque ut difficilia, & periculoſa, & ardua omnia, levia, & plana, & facilia videantur, ſicut è contrario, ubi fores occluſæ ſunt virtutibus, illæ neceſſario vitijs, & ſceleribus patent, & vel ſpontè ad præclara quæque in ſtudio, & ſtadio virtutis currentes, & anhelantes, infrigidantur. Et ut ait Scipio Admiratus: *Ad deteriora homines invitantur, ſumto videlicet eo argumento, quòd ſi bona opera non remunerantur; ergo neque mala puniuntur.*

Senec. de beneſic. lib.1.
Admirat. li.2. diſſ. polit. c.7. in fin.

7 Vnde idem Cicero: *Honos* (inquit) *alit artes, omneſque accendimur ad ſtudia gloria.* Cuius dictum ita verum viſum eſt, ut inter Adagia numerari meruerit, ubi Eraſmus alia ſimilia congeſsit, omiſſo tamen Livio, non minùs verè quàm eleganter inquiente: *Eò impendi laborem, ac periculum, unde emolumentum, atque honos ſequeretur, nihil non aggreſſuros homines, ſi magnis conatibus, magna præmia proponantur. Magnos animos, magnis honoribus fieri.* Et Plutarcho, qui de præmijs militaribus agens, ſic habet: *Spiritus militares, animique ardores Dux ipſe exci-*

Cicer. 1. Tuſcul.
Eraſ. in hoc Adag. pag.743.
Liv. decad.3. lib.
Plut. in vita Cæſ.

tat

tat atque alit, quando honores, & dona largiens oſtendit, ſe non ſui luxus, aut voluptatis gratia, bello divitias parare; nec illas opes, ſeu cõmunia virtutis præmia apud ſe recondi, ſed in hoc tantùm ipſum eſſe divitem, ut militibus præmia dare valeat.

8 Plinius quoque Iunior, eximiè ſuum laudat Trajanum, quòd *Non pœnis malorum, ſed bonorum præmijs bonos fecerit, iuventutemque accenderit, & animos erexerit ad æmulandum, quod laudari videbat. Nec fuit quiſquam, quem non hæc cogitatio ſubiret, cum ſciret, quidquid à quoque in provincijs benè fieret, omnia Imperatorem reſcire, & bonis omnibus, quæ ſitas virtute dignitates, offerri, honoriſque, & gloriæ campum patere.* Plin. in Panegyr. cap. 70.

9 Et pluribus alijs relictis, nullus magis hanc premiorum efficaciam, & neceſsitatem, pro omnibus Reipublicæ functionibus, expreſsit, & ſæpius, curam, quàm Principes in illis diſtribuendis habere debent, repetijt, quàm Caſsiodorus. Nam in quadam epiſtola dixit: *Nutriunt præmiorum exempla virtutes. Neque quiſquam eſt, qui non ad morum ſumma nitatur aſcendere, quando irremuneratum non relinquitur, quod conſcientia teſte laudatur.* Et in alia, *Principalis propoſiti eſſe debet, honeſtos labores palma remunerationis ornare, ut viciſsitudine, quæ provecti gaudent, deſides mordeantur, ſibique imputare poſsint, quod clementiſsimis temporibus, iudicij Principalis præmia non merentur.* Et rurſus in alia: *Certantes* (inquit) *in ſtadio numeroſior corona glorificat: Olympicos currus frequens palma nobilitat: ſic vel in rebus levibus glorioſior efficitur, cui frequenter præmia referuntur.* Et denique in alia, hunc præmiorum honorem, adeò neceſſarium Romanis viſum commemorat, ut nec ſtrenuè laborantibus animalibus negaretur, ſic inquiens: *Tribuenda eſt iuſtis laboribus compenſatio præmiorum, quia exprobrata militia creditur, quæ irremunerata tranſitur. Athletam populis palma deſignat eſſe victorem. Sudores bellicos Civica corona teſtatur. Expectant etiam equos præmia ſua: & tanta iuſtitiæ vis eſt, ut nec illis tardius detur laboris pretium, qui ſentire non poterant denegatum. Quod ſi ita eſt, dignum hoc homini reddere, qui per honeſta cognoſcitur ſtudia placuiſſe.* Caſsiod. li. 2. ep. 16 / Idē lib. 9. epiſt. 8. / Idē lib. 8. epiſt. 22. / Idē lib. 2. epiſt. 28.

10 Cuius doctrinę rationem idem ipſe Caſsiodorus alibi expreſsit, inquiens, quòd *Quamvis proprio fruatur honore, quod eſt natura laudabile; nec deſint probatæ conſcientiæ faſces, cum generant animo dignitates; adhuc tamen non poteſt credi virtus, quæ ſequeſtratur à præmio.* Quod valdè convenit cum præclaro illo apophthegmate Catonis apud Plutarchum, dum dixit: *Iuventuti auferri ſtudium honoris, quoties virtus præmijs videatur, quia ea vulgò non habetur virtus, cui non emolumentum, & honos ancillantur.* Idem lib. 1. epiſt. 3 / Plutarc. in Apoph.

11 Certèque, ut Horatius graviter monuit, Horat. lib. 1. epiſ. 2

------------ Aut virtus nomen inane eſt,
Aut decus & pretium rectè petit experiens vir.

Nam ut Apoſtolus inquit: *Qui arat, in ſpe debet arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi.* Et licèt dici ſoleat, ipſam ſibi virtutem pulcherrimam eſſe mercedem, nemo tamen, ut rectè Iuvenalis cecinit, *Illam amplectitur, præmia ſi tollas*, quod ſumerè potuit D. Paul. 1. Cor. / Iuven. ſatyr. 10.

Ovid.li.2. de Pōt.

ex Ovidio, qui idem ipſum his admonuit carminibus,

Non tamen invenies multis de millibus unum,
Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti facti, ſi præmia deſint,
Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Ennod.dict.22.
Idem lib.4. ep.32.

Et ab utroque, præter alios, Enodius, ſic inquiens: *Qui tollit ſudoris præmium, frangit ſtudia dimicandi. Tolle opem prædæ, tuliſti vota certaminis. Neſcio quàm iuſtus dolor de amiſſa laboris fruge naſcatur.* Et iterū: *Si tollantur virtutis præmia, quem laboraſſe non pudeat?*

Quibus Publianus ille conſonat Mimus, 12

Cum vitia proſunt, peccat qui rectè facit.

Xenoph.in œcon. lib.

Et Xenophontis in Oeconomicis doctrina, monentis, quòd *Magna imminet bonis deſperatio, cum ab ignavis ſe præmijs diſcretos non aſpiciūt; & qui ſe periculis, & laboribus obiiciunt, cum ſubterfugientibus pari ratione haberi.*

Eurip.in Hercul.
Tacit.lib.1.hiſt.
Eccleſ.cap.26.

Quæ eadem eſſe videtur atque illa Euripidis, ita loquentis: *In hoc pereunt multæ Reſpublicæ, cùm qui bonus & ſtrenuus eſt vir, nihil plus quàm ignavus fert præmij.* Necnon & Taciti, dum dixit: *Si nocentem innocentemque idem exitus manet, acrioris viri eſt, merito perire.* Et Eccleſiaſtici, qui ubi benemerentes præmijs dignis fraudari videbat, ſe intimum dolorem capere, his verbis expreſsit: *In duobus contriſtatum eſt cor meum, vir bellator deficiens per inopiam; & vir ſenſatus contemtus.* 13

Coch.lib.2.Thea. pol.cap.3.per tot. Boter. lib.7. de illuſt.ſt.c.8.heres 6. de erud. Princip. cap.16.
L.1. de iuſt.& iur. l.& virtutū, C. de ſtat.& imag. l. ſed ſi lege, §.cōſuluit, de pet.hær. l ſi pignore, D.de furt. Alex.5.gen.c.1. Valenç.conſ.82.n.34
Senec.epiſt.28. ad Lucil.
Caſsiodor.lib.1. epiſt.42.

Indeque Virtuti, & Benemeritis iniuriam inferri, quando in moriones adulatores, malarumque artium homines, quis magis munificus eſt, quàm in bonos egentes, eruditos, virtutibuſque inſignes, Cochierus, Boterus, & alij Politici clamant, & exemplis illuſtrant. Et hanc præmiorum in benemerentes remunerationem, & diſtributionē, omnibus quidem hominibus, & præſertim Regibus, non ſolùm civili, verùm & naturali lege, ac ratione, imò & inſtinctu quodam iniunctā eſſe, paſsim iura noſtra proclamant, & Alexander ab Alexandro poſt gravem diſſertationem oſtendit, & ante eum Seneca, ſic ad Lucilium ſcribens: *Credimus nihil eſſe grato animo honeſtius. Omnes hoc urbes, omnes hoc etiam ex barbaris regionibus gentes clamant, in tanta iudiciorum diverſitate, deferendam benè merentibus gratiam, omnes uno ore affirmant, in hoc diſcors turba conſentit.* Et Caſsiodorus, qui aperto ore in eadem cura dominantium iuſtitiam oſtendi docuit, his verbis: *Remuneratio meritorum iuſtum Dominantis prodit Imperium, apud quem perire neſcit, quod quempiam laboraſſe contigerit.*

L.57.tit.18.par.3.
Greg. Lop. in d.l. gloſſ.1.

Et Rex Noſter Alfonſus, non ſolùm à iuſto, & ab honeſto, verùm & à pulchro, hanc diſpenſationem in Regibus ita commendans: *Fermoſa gracia es la que el Rei faze por merecimiento de ſervicio, que aya alguno fecho, ò por bondad que aya en ſi, &c.* Vbi eiuſdem legis Gloſſographus, ſic notanter ſcribit: *Pulchra eſt iſta lex, & meritò dicit pulchram gratiā, quæ fit in remunerationē ſervitiorū, cū tunc non dicatur contra ius, ſed potius ſecūdùm iuris diſpoſitionē. Vnde tanquā beneficium eſt latiſsimè interpretanda, & in dubio non præſumitur perſonalis, ſed realis.* 14

Cu-

15 Cuius obligationis, eximiæque utilitatis, quæ ex ea in commune bonum reſultabat, evidens teſtimonium, ac veluti ſymbolum, antiquæ Græcorum urbes nobis exhibuerunt, quæ, ut Vitruvius, & Dio Chryſoſtomus referunt, vel in ludicris rebus, nobilibus Athletis, qui Olympia, Pythia, Iſthmia, Næmæavè viciſſent, ita magnos honores conſtituebant, uti non modo in conventu ſtantes, cum palma & corona ferrent laudes; ſed etiam cum in ſuas civitates reverterentur, cum victoria triumphantes, quadrigis in mænia, & in patrias invehi ſolerent, è reque publica, perpetua vita conſtitutis vectigalibus frui. Romani, qui (ut Carolus Paſchalius, poſt alios recenſet) tot Civicas, Murales, Navales, Obſidionaleſque coronas, & varia alia præmiorũ genera, publicaſque Imperatorum laudationes, pro ſtrenuè fortiterque in bello pugnantibus excogitarunt, & denique triumphum, quo nihil unquam mortales oculi viderunt auguſtius,

Vitruv. lib. 1. cap. 1. Dio Chryſoſt. orat. 9.

Paſchal de Coron. & in tract. de legato cap. 87.

Iuven. ſatyr. 16.

Vt qui fortis erat, ſit fœliciſsimus idem;
Et læti phaleris omnes, & torquibus omnes.

Carthaginenſes, qui pro expeditionum numero, totidem aureis annulis ſuos milites exornabant, Noſtrique antiqui Hiſpani, circa quorũ ſepulchra tot columellas erigi moris fuit, quot quiſque hoſtes neci dediſſet.

16 Extantque apud D. Petr. Chryſologum aliæ in eandem rem ſatis aptæ ſimilitudines, dum inquit, quòd quemadmodum agricola fructus uberes, & exſatiatas epulas cantat, ut imminentem vomeris laborem non ſentiat, & ſudorem: nautaque portus meditatur & lucra, ne undarum ruinas, ne maris diſcrimina pertimeſcat: ſic miles, ne vulnera metuat, nec gladios perhorreſcat, prædas perſonat, & triumphos.

D. Chryſol. ſerm. 118.

17 Ianus etiam Boiſſardus Emblema, quo demonſtret Honorem eſſe præmium virtutis, & ad eam valdè homines excitare, tradere volens, armatum hominem pingit, quem virtus palma donat, & fama corona, hæc carmina ſubdens:

Boiſſard. Embl. 7. pag. 15.

Laudatos quoties Sapiens admittit honores,
Præmia virtuti debita iure petit.
Nutrit Honos artes, & Virtus creſcit honore:
Laudibus, & dignum fit ſine honore nihil.

18 Achilles autem Bochius, ad docendum, quòd *Honos onus levat*: belli Ducem ſuam phalangem præeuntẽ, & in armatos hoſtes irruentẽ, depingit, eiuſque labores præmij, & honoris ſpe levari, ſic inquit:

Achil. Boch. ſym. 16. pag. 38.

Ijdem labores, haud graves
Sunt Imperatori æquè, & militi,
Quod ipſe Honor magis leves
Semper labores Imperatorum facit.

19 Et apud Octavium de Strada, & Sylveſtrum Petraſanctam aliud ſymbolum Pij III. Rom. Pont. fœlicis recordationis reperio, quo, ad-

Strad. in ſymb. pag. 11. Petraſanct. lib. 6. pag. 220.

huc magis ad noſtri intentum alludens, manum formavit, ſimul oleæ ramum, ac flagellum geſtantem, cum lemmate, *Pœna, & præmium,* quaſi his duobus ſe ſubditos gubernaturum indicaret, & ab illis ſciſcitaretur, utram vellent ſortem promereri?

Camer. centur. 4. Embl 69. Strada pag. 38. Horoſc. lib. 3. Emblem. 30. fol. 161. Ariſt. lib. 5. de hiſt. anim. c. 19. D. Th. in 4. metheor. Alber. Magn. lib. 25. de animal.

A quò non longè abfuit illud Franciſci I. Galliarum Regis Chriſtianiſsimi, qui, ut idem prodit Strada, Salamandram medijs flammis incumbentem geſtabat, cum his litteris, *Nutriſco, & extinguo*: quibus, ut ait D. Ioann. Horoſcius, ſignificare voluit, ſibi, ſicut igni, & nutriendi, & extinguendi, hoc eſt, præmiandi, & puniendi voluntatem facultatemque eſſe. Quod tamē ipſe Horoſcius non ſatis probat, quia falſum eſt, (licèt communiter traditum) Salamandram igni nutriri, licèt illum aliquatenus ſufferat, ut Ariſtoteles, & alij verius litteris tradunt. 20

Saaved. Empr. 23. pag. 154. vide Euſeb. in Theopol. pag. 535. Idem Empreſ. 40. pag 266. vide etiā ad hoc Euſeb. in Theop. pag. 535.

Noſter noviſsimus Saavedra, docere intendens, quanta ſit vis præmiorum, etiam in ſe parum ponderis, præter vulgi opinionem, habentium, ad hominum animos ad præclara quæque facinora permovendos, torquem prætexuit, ex quo D. Iacobi gladius, Gentilitiæ apud Nos nobilitatis ſtemma, dependet, cum hac inſcriptione, *Pretium virtutis,* in cuius commentatione, & in alio, quo montem pingit, aquas ſcaturientem, cum hac, *Quæ tribuunt, tribuit*, plura documenta circa honorum, & præmiorum diſtributionem doctè & prudēter congeſsit. 21

L. 3. tit. 10. par. 2. vide ſup. Emb. 66.

Nos verò, nihil aliorum adinventionibus detrahentes, & uberes fructus, quos Reges, ac Principes ex eadem, opportunè, & iuſtè merentibus, pro meritis facta, colligere poſſunt, denotare volentes, hunc quem cernis fontem, ſuis rivulis prata irrigantem, omniaque affatim vernantem, florereque facientem, ſpectandum, atque imitandum proponimus, Regiumque hoc dogma à Rege noſtro Alfonſo X. qui Sapientis nomen promeruit, mutuamur, qui in quadam ex ſuis legibus, cuius iam ſuprà in alio propoſito memini, Ariſtotelis veſtigijs inhærēs, Regnum horto ſimile facit, cuius Dominus Rex eſt, ſubditi arbores, iudices, & alij officiales laboratores, leges vallum & ſepimentū, & poſteà ſic inquit: *E otro ſi, ſegund eſta razon dixo, que debe el Rei fazer en ſu Reino, Primeramente faziendo bien à cada vno, ſegun lo merecieſſe. Ca eſto es aſsi como la agua, que faze crecer todas las coſas, è de ſi, adelante los buenos, faziendolos bien, è honra, è taje los malos del Reino con la eſpada de la juſticia, è arranque los torticeros, echandolos de la tierra, porque non fagan daño en ella, &c.* 22

Heſiod. in Theog. Cic. de nat. deor. Plut. de plac. Philoſ. c. 3. Vitruv. li. 2. cap. 2. Auſon. in Lud. ſep. ſapien. latè Tiraq. de nobil. cap. 31. n. 586. D. Iſid. lib. 13. etymol. cap. 12.

Quo ſimili nullum potuit aliud aptius excogitari, cum Heſiodus aquam rerum initium ſtatuerit, & elementis omnibus antiquiorem, & poſt Ciceronem, & alios, valdè ab Auſonio laudetur: 23

Mileſius Thales, aquam qui Principem
Rebus creandis dixit.

De qua etiam Divus Iſidorus ſic eleganter ſcribit: *Aquæ effuſæ omnium naſcentium in terra cauſa fiunt, fruges gignunt, arbores, frutices, herbaſque producunt, ſordes detergunt, peccata abluunt, potum cunctis animalibus tribuunt.*

In

24 Indeque exiſtimare poſſumus, Salomonē, cor Regis, quod in manu Domini eſſe dixit, quia quocunque voluerit inclinabit illud, aquarum diviſionibus comparaſſe, quaſi eius Pietas, & Beneficentia ſit, vel eſſe debeat, velut fons dulcis aquæ pleniſsimus, à Deo accipiēs inſtillatas ſalutares gubernādi rationes, ſuorumque ſubditorū animas pluribus muneribus irrigās, & ſic ex illis eliciens herbeſcentē rerū omniū pulcherrimarum, atque optimarum viriditatem, ne alias, ſi fons hic communis areſcat, populus etiam aridus ſqualliduſque reddatur.

Proverb.21.1.

25 Caſsiodoro quippè benè monente, *Beneficia ſunt, quæ Regna ſublimant, & libertatis Dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſibi ſubiectos ſtudeat ampliare. Quia in ævum vivit, quod Munificentia Principalis indulſerit, nihilque eſt tam egregium, quàm feciſſe fœlicem, & eò uſque præſtare, quò ſe erectus ſtupeat attigiſſe.* Qui & ipſe alibi, velut ad noſtri Emblematis fontem, & ubertatem ex eo provenientem, reſpiciens, ſic habet: *Quis neſciat noſtrum eſſe commodum ſupplicantis adquæſitum? Et illud Bonis Principibus creſcere, quòd benigna poſſunt largitate præſtare? Hæc ſunt enim Regia dona, quòd ſemina ſparſa, in ſegetem coaleſcūt: in unum coacta, depereunt.*

Caſsiod.li.3.ep.11
Idē eod.li.epiſt.29

26 Quibus in locis Senecam ſequi, vel imitari videtur, qui inquit: *Hoc privilegium, inter alia, Regibus à Natura conceſſum. Nam quodcuique Mortalium fortuna datum velit, eorum ore pronuntiat, & ex eorum reſponſis lætitiæ cauſas Populi, urbeſque concipiunt.* Et Latinum Pacatum, qui in hoc ipſo, maiorem Principum fœlicitatem conſiſtere, ſic ſcriptum reliquit: *Nulla maior eſt Principis fœlicitas, quàm feciſſe fœlicem, & interceſſiſſe inopiæ, & fortunam viciſſe, & dediſſe homini novum fatum.*

Senec.iā ſup.citat.
Pacat.in Paneg. ad Theod.

27 Vnde eſt, quòd idem ipſe Seneca, *Beneficum ſydus*, Principem vocat, quod cum recondito linguæ ſacræ ſermone conſonat, eoſdem Principes *Nebidim* nominante, quod Chriſtus Dominus apud Divum Lucam *Beneficos* expoſuit, *Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos Benefici vocantur*, quaſi Benigni, liberales, atque munifici, & Dei in terris imagines, ac vices gerentes, qui ſecundùm plures, ut tradit Ioannes Fungerus, à *Dando* nomen accepit, & adeò hac nuncupatione gloriatur, ut iuxta D. Chryſoſtomum: *Licèt multi qui donant, præcipiant ne alijs dicant, ne gratia uni facta, multos excitet petaces: ipſe contrà clamet, & quæ alijs dat, prædicet, ut alijs rurſus petendi à ſe occaſionem præbeat, dando enim maiores oſtendit divitias, dives in, & ſuper eum invocantes.*

Senec de Clemēt. lib.1.cap.3.
Lucæ 22.25.
Funger.etym.ver. Deus.
D.Chryſoſt. hom. in Geneſ.

28 Quod etiam his verbis expreſsit Divus Hieronymus: *Deus ſemper largitur, ſemper donator eſt; non mihi ſufficit quod ſemel dedit, niſi ſemper det. Peto ut accipiam, & cum accepero rurſus peto, avarus ſum ad accipiendum Dei beneficia. Nec ille deficit in dando ipſa, nec Ego ſatior in accipiendo, quanto plus bibo, tanto plus ſitio, &c.* Et adeò certum eſſe agnoſcit Ovidius, ut vel in hoc ipſo ſuorum Numinum eſſentiam, & cultum ipſis tribui ſolitum doceat, & earum exemplo Reges ad dandum, ac beneficiendum ſuadeat, ſic inquiens:

D.Hier. cont. Pelag.
Ovid.2.de Ponto, eleg.9.

Regia crede mihi res eſt ſuccurrere lapſis,
Convenit & tanto quantus es ipſe viro
Hoc tecum commune dijs, quod utrique rogati,
Supplicibus veſtris ferre ſoletis opem.
Nam quid erit quare ſolito dignemur honore.
Numina, ſi demas velle iuvare Deos?
Iuppiter oranti ſurdas ſi præbeat aures,
Victima pro templo cur cadet alta Iovis? &c.
Vtilitas igitur magnos hominesque Deosque
Efficit auxilijs quoque favente ſuis.

Chilenſ. Epiſc. in lib. Iud. pag. 328. & 374.
P. Velazq. de opt. Princ. lib. 3. annot. 14. & ſeqq.

29 Ac proinde rectè videtur docuiſſe Chilenſis Epiſcopus: *Tunc Principem populi Dominum eſſe, cum Beneficus fuerit, & illum à Deo eſſe, qui liberalis exiſtit.* Et doctiſs. P. Ioan. Ant. Velazquez inquiens latèque comprobans: *Beneficentiam proprium Principum characterem eſſe, & ut deberi eſſe, etiam quæ ſponte tribuunt, exiſtiment.*

L. 3. in fin. tit. 1. p. 1. iuncto tit. 27. *de los galardones*, p. 2.
D. Greg. lib. 12. ep. 7. relatus in cap. 1. de donation.
L. cùm multa, ff. de bon. quæ liber. Auth. de nō alien. reb. Eccleſ. §. 2.
Salluſt. in Iugurth.
Senec. epiſt. ad Op.

30 Idemque ſentiens Rex noſter Alfonſus X. gloriatur, ſe in ſuis legibus Septē partitis ſpecialē Titulum de Præmijs, quæ Hiſpanè dicimus *Galardones* collocaſſe, quamvis in alijs iuris libris, ſive rapſodijs non reperiatur, quaſi oſtendēs, hanc curam, præciſam, & præcipuam in Regibus eſſe debere, ut niſi in remunerandis benemerentibus creverint, nihil ſe præſtitiſſe putent, ut aliàs in donationibus à quibuslibet Nobilibus factis, ſummus Pontifex D. Gregorius ſcripſit, & de Imperiali liberalitate loquens Imperator Iuſtinianus, inquiens: *Oportere eā culmen habere præcipuum, & optimā menſuram eſſe donatarum rerum immēſitatem*; & ante eum Salluſtius, docens, *Minùs flagitioſum eſſe Principē armis, quàm munificentia vinci.* Seneca in epiſtola ad Opium, ſcribens: *Melius beneficijs Imperium cuſtodiri, quàm armis.*

Iſocr. ad Nicocl.

31 Quia ut Sapienter ait Coriphæus Græcorum Oratorum Iſocrates: *Tutiſsima Regum cuſtodia non turribus, propugnaculis, mænibus, ſatellitibus, aut armis continetur, ſed amicorum præſidijs, civium benevolentia, propriaque virtute, quibus quidem opibus Regna & Imperia nō modò ſervari, verùm etiam in dies augeri, atque propagari.*

Ego 2. tom. lib. 2. cap. 10. ex n. 61. & cap. 30. ex n. 20.
L. Attilius, de dónat. c. cùm in officijs, ubi DD. de teſtam. l. 2. & fin. tit. 27. p. 2. ubi Greg. Menoch. caſu 88. ex n. 51. Valēçuel. conſ. 82. Ego d. cap. 30 ex n. 21.

32 Et hoc eſt, quod latè Ego, poſt Tiraquellū, & alios plurimos, alibi dixi, eiuſmodi nēpè Principū largitiones fræno non ſubiacere, & pleniſsimè, ac cumulatiſsimè pręſtandas, accipiēdaſque eſſe, reiecta Matthæi de Afflictis, Pineli, atque aliorū ſentētia, qui de rigore iuris Principes ad eas faciendas non teneri, auſi ſunt affirmare, ea ducti ratione, quòd ſubditi ac vaſſalli hæc ſervitia, ut & ſimilia obſequia, ſuis dominis debeant exhibere. Certius eſt nāque, nihil eſſe, quod magis ad Regum officiū pertineat, quàm in his remunerationibus ſe valdè liberales oſtendere, & nō ſolùm iuxta ſervitij meritum acriter, & ſtrictè eas compenſare, atque arbitrari, ut in pluribus iuris communis, & Regij noſtri locis habetur, & plenè Menochius, & alij paſsim ſcribunt; verùm & ultra illius ponderationem, præmiorum trutinam onerare.

Caſsiod. li. 1. ep. 36

33 Quia (ut præclarè inquit Caſsiodorus) *Maiora nos decet dare, quàm*

ab accipientibus acceptiſſe videamur. Hæc æqualitas æquitas non eſt; ſed pars noſtra iuſtiſſimè penſat, cum redaendo plus fuerit onerata. Et rurſus: *Non præiudicat iuri publico perſonalis exceptio: quia beneficialem eſſe Principem licet, nec intra regulas conſtituti poteſt munificentia Regalis arctari. Ira levis coerceatur graviſsimis inſtitutis, impatiens ambitio iure frenetur; Clementia non habet legem, nec debet ſub anguſtis terminis benigna ſequi, quem decet iure laudari.* Quam etiam ſententiam eleganter ſequens & exprimens Carolus Scribanus, poſt alia quæ doctè & prudenter ad Principum liberalitatem excitandã ſcripſit, ſic habet: *Danda verò in primis opera Regi, ne beneficijs vincatur. Turpe Regem beneficijs vinci, Regiumque ditare magis, quàm diteſcere, & magis addere, quàm adimere,* &c. Et iterum & magis adhuc ad noſtrum intentum: *Et verò nullius amore & benevolentia Principem vinci, omnes vincere, nihilque irremuneratum tranſire, proximum Deo eſt, & habet aliquid in ſe divinum nolle beneficentia, aut liberalitate vinci, obſtrictoſque omnes beneficentia tenere, nulli eſſe. Et ultronea etiam beneficentia fortunare plurimos, beareque inrogatis beneficijs. Hinc quiſquis verè Princeps eſt, Deum ſequutus, obſequium omne, non ut ex pari inter pares, ſed dupla ſemper remuneratione reponet, ut nihil ulli debeat, ſed Principi etiam poſt obſequia debeat, quiſquis illa præſtitit, &c.* Idem lib. 2. ep. 30. Scrib. in pol lib. 1. cap. 5. pag. 49. Idẽ c. 12. pag. 105.

34 Quod etiam à privatis ſummo ſtudio curari debere Cicero tradidit, inquiens, debere agros fertiles imitari, qui multò plus reddunt, quam acceperunt. Et Alexander ab Alexandro graviter docuit, ad hoc Gratiarum picturam expendens, & poſt alia ſic notabiliter inquiens: *Nec tantùm eadem menſura, ſed multo maiori, ſi poteſt, beneficium remunerari, & benè cumulatam gratiam referre decet, nec vocare ad calculos expenſorum, & acceptorum. Ideò non immeritò Gratias, unã averſam, duaſque nos aſpicientes, Veteres effinxere, quia geminata Gratia, & cumulata ad nos redire debet.* Cicer. lib. 1. offic. Scrib. in polit Chr. lib. 2. cap. 3. p. 105. Alex. 5. gen. c. 1.

35 Et in hoc inquit Cœlius Rodiginus, ſummum faſtigium facinorum Alexandri Magni conſtituiſſe, & de Pyrrho Epirotarum Rege, tradit Plutarchus, quòd erat *Valdè alacris & promptus ad rependendam gratiam.* Et Antonius Panormitanus, Alfonſum Primum Aragoniæ Regem ex eo etiam multum extollit, quòd *A nemine unquam gratitudine & officioſe vinci paſſus fuerit.* Quod etiam nobili Apophthegmate ſignificare voluit, Ludovicus XI. Galliarum Rex, dum, Comnæo teſtante, dicere ſolitus erat: *Fœliciter agi, ſua quidem ſententia, cum eo, cui nullo ſuo magno meritò Princeps benefacit: & ut quis beneficio ſit obſtrictus Principi, id multò præſtare, quàm ut Princeps clienti, aut famulo alicui ſuo multum debeat. Eoque ſe ingenio eſſe, ut qui ſibi ob aliquã beneficentiam deberent, eos plus diligeret, quàm alios, quibus debere ſe aliquid ipſe putaret.* Rhodig. lib. 7. c. 28. Plutar. in vita Pyrrhi. Panorm. de dict. & fact. Alf. lib. 1. Comin. lib 5. pag. mihi 450. & ſeq.

36 Extat quoque apud Guntherum notabile Friderici I. Imperatoris exemplum, qui in plebeium quendam, qui ſingulari certamine inermis fortiſsimum armatum hoſtem ſuperavit, adeò magnos honores deferre voluit, ut vel ipſum eos accipere puduerit, his relatum carminibus: Gunther. in Ligur. lib. 2. ex v. 602.

Cui Rex ob facinus præclarum, præmia laudis
Digna referre volens, titulos, & nomen equeſtre,
Armaque, cornipedeſque feros, cultuſque nitentes,
Largiturus erat: puduit conſurgere tantum
Plebeium, generiſque ſui tranſcendere fines,
Et ſub fortuna potius remanere priori
Credidit, acceptis largis à Principe donis.

Iamblic. in epiſt. ad Dijs colium.

Et non eſt ſilentio prætereundus Iamblicus, qui eandem Principũ in ſuis largitionibus liberalitatẽ, etiam cum exceſſu, ſic eleganter cõmendat: *Inter omnia Principum opera plurimi facio, & admiror magnanimitatem, & magnificentiam, & maximè cum benemerẽdo de hominibus, non exactis, & avaris rationibus utuntur, neque parcunt in largitionibus, nec tanquam in lance, ac trutina æqualia pro æqualibus commutant; ſed gratias ingenuè proferunt, non tantùm ex vaſe fundentes illas (ut Poetæ canunt) nec alijs huiuſmodi organis incluſas, ſed nudas, intectas, & ſine velamentis externis continuas, ſibique cohærentes benigniter, ac benevolè porrigunt, ut decet, & gratioſum eſt. Huiuſmodi enim gratiarum decus meritò Coronam Imperij appellaverim.* 37

Tiraq. de nobil. c. 37. ex n.44. & in l. ſi unquam, verb. *Donatione*, ex n. 8. Rimin. in §.1. de donat. ex n. 1220. Ego d. cap. 30. ex n.26. Beyerlinc. in Theat. verb. *Præmium*, & verb. *Liberalitas*, Canonh. in Aphor. pol. to. 1. pag. 778.

Decian. reſp. 25. ex n.60. vol. 2. Cõtzen 1. pol. cap. 16.

Accurſ. in l. ſed et ſi, §. pen. verb. *Modica*, D. de iudic.

Poſſemque ſexcenta alia exempla aliorum Principum in eiuſmodi remunerationibus valdè excedentium, facili negotio congerere, quæ apud Tiraquellum, Riminaldum, Cochierum, Beyerlinchium, & alios reperiuntur. Sed ſufficiant pro omnibus, quæ de Auguſta Familia Auſtriaca, & Hiſpana Monarchia Tiberius Decianus, & Adan Contzen lato ſermone recenſent, in nullis alijs uſquam, hanc curam remunerandi benemeritos, & effundendi opes, ad ſubditos ad præclara quæque excitandos, magis viguiſſe, & ſplenduiſſe, tradentes, & ex adverſo Turcas, ſive Othomanides reprobantes, qui nulla virtuti præmia rependere norunt: ſed inſcitia, pauperie, & ſervitio tot populos premunt. Cum Principum proprium ſit, & eſſe debeat, ut parva, ac modica ſe concedere putent, etiam ſi multa magnaque largiantur, ut aliàs ſignanter dixit Acurſius, loquens de quadam donatione Eccleſiæ à Comitiſſa Matilda multorum terræ iugerum facta, quam ipſa nihilominùs in ſuo teſtamento modicam appellavit. 38

Contz. 3. pol. c. 8. §. 1. in fin.

Bodin. lib. 4. de Repub. cap. 6.

Vnde meritò ab eiſdem & alijs Auctoribus paſsim, concluditur, nullas donationes à Principibus factas, præſertim in remunerationem ſerviriorum immenſas videri debere. Et Contzen docet, Principum non minorem errorem eſſe, benè merentibus nullam, aut malam gratiam reddere. Et Ioannes Bodinus, Principem inſtruens, quo pacto ſe gerere debeat, inter multa alia præcepta, quæ ad Imperium retinendum utiliſsima tradi poſſunt, nihil tam neceſſarium eſſe inquit: *Quàm ut illum omnes, quantum fieri poterit, amore, ac benevolentia, nullus odio proſequatur. Illud autem omnium optimè conſequetur, ſi pœnæ, ac præmia pro meritis cuiuſque decreta ſint. Et quoniam gratioſiſſima ſunt præmia, pœnæ verò odioſiſsimæ, Principẽ oportet, ut ametur, & colatur, omnia præmia tribuere, Magiſtratus inquã, Imperia, Sacerdotia,* 39

cura-

curationes, munera, beneficia, restitutiones; pœnam verò irrogare nemini, ſed Magiſtratibus integerrimis, ac prudentiſsimis permittere pœnarum irrogationem, &c.

40 Quod ultimum, nempè, ut Principes ſibi præmiorum diſtributionem reſervent, & pœnalia, atque odioſa iudicia per alios exerceant, communiter etiam ab alijs Politicis præcipi ſolet. Primum verò, quod in eiſdem largam & uberem præmiorum compenſationem requirit, ita latè & favorabiliter ampliari debere, omnes uno ore proclamant, ut non ſolùm primam eorum largitionem, verùm & conſervationem, & incrementum, etiam in poſterum, curare teneantur, ſibique iniuriā fieri cenſeant, ſi quis quolibet modo ipſorum liberalitates imminuat, vel aſtuta interpretatione defraudet.

41 Nam ut eleganter, etiam de privatis loquēs, Seneca tradit, *Parum eſt dediſſe, fovenda ſunt beneficia, & cui initio ratio non fuiſſet præſtandi beneficij, aliquid ei præſtamus, ob id quia præſtitimus.* Cui adridet illud Martialis, Senec. lib. 4. de benef. cap.

Martial. li. 9. epig. 71.

------------ Nam ſtare, aut creſcere debent
Munera.

Et Plinij Iunioris: *Beneficia ſubvertas antiquiora, niſi illa poſterioribus cumules*; & ſpeciatim de Principibus loquens Caſsiodorus, ſub Regis Theodorici perſona, ſic inquiens: *Nec tamen benignitas noſtra una remuneratione contenta, honores geminat, augmenta procurat, & eo ſtudio dona reparat, quaſi debeat omne quod præſtat.* Et iterùm: *Amamus noſtra beneficia geminare, nec ſemel præſtat largitas collata faſtidium, magiſque nos provocant ad frequens præmium, qui initia noſtræ gratiæ ſuſcipere meruerunt. Novis enim iudicium impenditur, favor autem ſemel præſtitis exhibetur.* Et rurſus: *Mutilari certè non debet, quod laborantibus datur; ſed à quo fidelis actus exigitur, compenſatio imminuta præſtetur. Providete itaque, ut quod benemeritis impendimus, incorrupto munere conſequantur.*

Plin. Iun. lib. 1. epiſt. 4.

Caſsiod. li. 1. ep. 12

Idem lib. 2. epiſt. 2

Idem lib. 1. epiſt. 10

42 Cum quo loco conſonat Imperator Anaſthaſius, qui per abſurdum, perque temerarium eſſe inquit, liberalitatem Imperialis Pietatis, aſtuta interpretatione, non in augmentum anteriorum privilegiorum, ſed diminutionem convertere. Et celebris doctrina Rotæ, & aliorum, quos Menochius refert, & ſequitur, qui valdè conforme intentioni, & voluntati Principis, qui dignitatē conceſsit, eſſe inquiunt, quòd illi perpetuò aſsiſtant eius prærogativæ, & honores. Et alia non minùs celebris, & nota digna cuiuſdam Gloſſæ Iuris-Canonici, quæ infames eos eſſe inquit, qui Regales Imperialeſvè largitiones & favores intercipere audent.

L. fin. verſ. *Cūper abſurdum*, C. de præp. ag. in reb. lib. 12.

Rot. ſacr. Palac. deciſ. 70. num. 4. Menoch. lib. 3. præſ. 103.

Gloſ. in cap. olim, verb. *Aliter*, de verb. ſignif. Ego in Polit. pag. 223. col. 2.

43 Quibus Ego ſignanter adiicio, hoc apud Hiſpanos & Gallos, vel ipſum nomen *Galardon*, ſive *Guiderdon*, quo hæc præmia ſignificantur, ſatis oſtendere, cum ſecundùm D. Sebaſtianum à Covarruvias, utrūque nomen à verbo *Gardare* originem trahat, quod in utraque lingua, conſervare, defendere, ac protegere valet, & ſemel conceſſum beneficium ſartum tectumque tueri.

Covar. in Theſaur. verb. *Galardon*, fol. 422.

Et ex his deſcendit, eiuſmodi Regias largitiones in remuneratio- 44
nem ſervitiorum factas, non tantùm temporales, & perſonales eſſe debere (maximè ſi ipſa ſervitia perpetuam cauſam habent) ſed rea-
Ego d. 2. tom. lib. 2. cap. les etiam, atque perpetuas, ut alibi latè probavi. Simulque etiam valdè commendari, ac laudari debere Potentiſsimi Regis, ad Domini Noſtri Philippi Quarti, quem Deus ſoſpitet, nuperum pijſsimum, prudentiſsimumque decretum, quo aboleri, & ab Aula & Praxi exſulare iuſsit Regeſtum, quod præcedentibus annis introduci cœperat, in quo omnes omninò gratiæ, ac liberalitates, in quemlibet privatum à Regia Maieſtate conceſſæ, litteris memoriæque mandabantur, neque anteà quis, eiſdē, quovis tempore, qualibetq; ratione donatus, ad alias denuò petendas admittebatur, quàm ex dicto Regeſto de prius impetratis, teſtimonium authenticum exhiberet, ut ita conſtare poſſet, an ſufficienter remuneratus exiſteret. Hoc enim, ex ſuprà relatis, Regiæ dignitati, ac conditioni dedecens viſum fuit, quæ hanc (ut diximus) trutinam reſpuit, & tunc magis ſuum munus exercet, cum antiquiora beneficia poſterioribus cumulat.

Ac planè longè Regalius eſſet, quòd Principes, ad Romano- 45
rum ſimilitudinem, libros alios, ſive laterculos, aut matriculas formari iuberent, in quibus curioſi, aut ſtationarij, ad hoc deputati, adnotarent, quid quiſquam ex ſubditis quovis loco, ac tempore, laude, & remuneratione dignum egiſſet, ut ipſi Reges, ac Principes eiſdem aſsiduè perlectis, illorum promtam notitiam habere
Tertull. in lib. de fuga, ubi Pamel. & Cerda. poſſent, & vel ſecum (etiam partibus non petentibus) attentè diſpicerent, an eoſdem aliqua competenti largitione donaſſent. Quos libros *Matrices Beneficiariorum*, *& Curioſorum* Tertullianus appellat, & de eis ibidem Pamelius, & Cerda, alijque, quos alibi retuli, plura notarunt.

Ego d. 2. to. lib. 2. cap. 7. ex num. 35. poſt Turneb. Ræ-vard. Pancir. & alios.

Et per ſimilem alium Aſſuerus, Perſarum Rex, licèt centum vi- 46
ginti ſeptem provincijs dominaretur, in cognitionem, & memoriam ſervitiorum Mardochæi devenit, illumque plurimis honoribus decoravit, valdè dolens, ſe id multò antè non feciſſe, ut in li-
Eſther cap. 6. bro Eſther Sacra Scriptura commemorat: quod factum commendans, & illuſtrans elegantiſsimus Carolus Scribanius, Reges mo-
Scrib. in Pol. Chr. lib. 2. c. 3. pag. 105. net: *Vt Aſſuerum velint imitari, ut Mardochæos inveniant.* Sic quoque Imperator Alexander Severus, teſte Lampridio: *Deſcriptum habebat quid cui præſtitiſſet, & ſi quos ſciret, vel nihil petijſſe, vel*
Lamprid. in Alex. Sever. cap. *non multum, unde ſumtus ſuos augerent, vocabat eos, & dicebat: quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete ne privatus de me quæraris.*

Panormit. de dict. Alfon. lib. 2. c. 16. Veſpaſianus etiã, Panormitano tradēte, diem perijſſe dicebat, quo 47
nullum beneficium in aliquem collocaſſet. Et Iacobus Bornitius, qui
Bornit. lib. 1. de præm. c. 4 pag. 42 integrum tractatum de Præmijs ſcripſit, alios Politicos citat, qui eiuſmodi Catalogum benemeritorum, Principes ante oculos habere
Rebuff. ad leg. Gal lic. tit. de mercat. gloſſ. 14. pag. 450. debere, commonefaciunt. Cui addo Rebuffum, qui connumeratis officijs, quæ hodie in Gallia venduntur, inquit, unum vacare, quod reliquis præſtantius, & neceſſarius eſt, nempè, quod Antiquis *Memoriale*,

ſive

ſive à *Memoria* vocabatur. *Hi enim* (inquit) *conſcribebant eos, qui vel ſcientia, bello, aut alibi, pulchrè, ac cum laude ſe geſsiſſent, eoſque Imperatori commemorabant, ut ex hoc præmijs dignis afficerentur. Sed hodie ij, qui præclara geſſerunt facinora, contemnuntur, & quidem ſtolidi multoties evehuntur. Excitetur cum effectu hoc officium, & omnia ſe benè habebunt.*

48 Et ſecundùm eoſdē Politicos, ſibi perſuaſum omnes cordati Principes habere debent, prudentiſsimum illud Xenophontis conſilium, docentis: *Nullam mercem vilius Regibus conſtare, quàm eam, quæ ſpe præmiorum à ſubditis emitur.* Maximè cum multoties, (ut benè noſter Saavedra conſiderat) abſque ulla Regij ærarij diminutione ea præſtare poſsint & ſoleant, honorum quibuſdam titulis, aut inſignijs excogitatis, quæ ſubditis auro, atque argento pretioſiora ſint, ut Romanis in more fuiſſe comperimus, apud quos, Seneca, præter alios, teſtante: *Imperator aliquando torquibus, murali, & civica donat: quid habet per ſe corona pretioſum, quid prætexta, quid faſces, quid tribunal & currus? Nihil horum honor eſt, ſed honoris inſigne.* Vnde Arminius apud Tacitū videns Flavium fratrem, qui Romanorum caſtra ſequebatur, in præmium oculi inter pugnandum amiſsi, torque & corona donatum: *Vilia tanti ſervitij præmia irriſiſſe*, narratur.

Marq. in gub. Chr. lib. 2. c. 3. §. 2. pag. 16. Saaved. Empr. 58. ex pag. 425.
Xenoph. in Tyran.
Saaved. ubi ſup. & iterum Empr. 23. ex pag. 155.
Senec. de benef. lib. 1.
Tacit. lib. 2. Ann.

49 Quibus exemplis ſimilia alia aliarum nationum latiſsimè Bornitius, Paſchalius, & noviſsimus Hoppingus congerunt, & expendunt, Et Henricus Kicſius, qui peculiarem tractatum de iure aureorum annullorum ſcripſit. Sed nulla ullibi illuſtriora notari poſſunt, quàm quæ noſtra Hiſpania iam pridem in Militarium Ordinum torquibus & inſignibus in uſum deduxit, de quorum origine & inſtitutis Aubertus Miræus præter plures alios ſcripſit. Quorum adipiſcendorum gratia nihil præclarum eſt, quod tam belli, quàm togæ homines non aggrediantur.

Bornit. in tract. de præm. Paſch. de Coronis Hoping. in tract. de iure inſign.
Miræus in tract. de orig. Equeſt. Ord.

50 Ideòque prudenter idem Saavedra ſubiungit, valdè Reges noſtros in eis elargiendis parcos & attentos eſſe debere: *Ne honor cui debent excellentiora committi ſui facilitate, aut numeroſitate vileſcat*, ut alibi Leo Pontifex dixit; & Divus Hieronymus ſic ad Pamachium ſcribens: *Quamvis clarus honos vileſcit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipſa dignitas, quàm multi indigni poſsident.* Quod in cauſa fuit, ut ille alter Equeſtris nobiliſsimus Ordo, qui dictus fuit *De la Vanda*, à Dom. Rege Alfonſo XI. inſtitutus, & ſuis initijs plurimi habitus, cuius conſtitutiones Epiſcopus Mondognienſis latè recenſet, brevi tempore interciderit, & in uſu eſſe deſierit, ut refert Salazar de Mēdoça, parilem caſum in reliquis, niſi cautius procedatur his verbis comminans: *Inſtituyò la Orden de la Vanda, i diola à muchos Cavalleros principales. Vino à darſe à gente tan baxa, que ſe deñava de traella la de bien; i aſsi ſe acabò en tiempo del Rei don Enrique IV. Tenga Dios de ſu mano las Ordenes Militares, i librelas de çancadillas; que les puedē armar ruines Miniſtros para deſlucillas.*

Saaved. ubi ſuprà.
Leo Pap. in cap. 1. de privil.
D. Hier. in epiſtol. ad Pamach.
D. Ant. de Guevar. in epiſt.
Salaz. de Mendoç. de dignit. Hiſp. c. 4. in princ. fol. 87.

Sed hæc tamen omnia, quæ de Regum in ſubditos liberalitate, & munificentia hucuſque adeò lato ſermone retulimus, ita accipi vo-

lumus, ut profuſionis,& prodigalitatis vitium, quod prædictæ virtuti opponi, & officere ſolet,nequaquam probare videamur. Hoc enim Senecæ præceptis, & alijs, quæ benè congeſsit Lipſius, repugnat, id vel in Alexandro Magno acriter reprehendentis, & benignitatem benignitate tolli docentis. *Refert enim* (inquit) *cui, quando, quare, ubi, donetur, ſine quibus facti ratio non conſtat.* Vnde & Democritus apud Maximum Tyrium, cum cerneret quendam, quibuslibet promte,ac inconſideratè largientem: *Malè* (inquit) *ſit tibi,qui gratias virgines, effeciſti meretrices.* Et Rex Noſter Alfonſus Sapiens, id ipſum agnoſcens, ſic habet: *Mas bien eſtà la liberalidad à todo ome poderoſo,è ſeñaladamente al Rei, quando uſa de ella en tiempo que conviene, è como debe. Ca el que da mas de lo que puede, no es franco, mas es gaſtador, è demas avrà por fuerça à tomar lo ageno, quando lo ſuyo non le cumpliere. E ſi de la una parte ganare amigos por lo que les diere,de la otra ſerleban enemigos à quien lo tomare.*

Senec. lib. 2. de benef. c. 15. & 16. & lib. 3. cap.
Lipſ. lib. 2. Polit. cap. 17.
Max. Tyr. ſer. 8.
L. 18. tit. 5. par. 2.

Sicut & illa diſtributio, quæ uni,vel paucis præſtat, quod per plu- 52
res diviſum,eoſdem remuneratos,ac beatos efficere potuiſſet, & ob unius, vel alterius compendium cæterorum diſpendium inducit. Quem minùs prudentem exceſſum pluribus ſymbolis, & bonorum Auctorum locis Bochius,Horoſcius,Navarretus,Camerarius, & noviſsimus Bernegerus, & Saavedra notarunt, & Zuerius Buxhonnius in Emblemate 3. *Nec ſemel, nec ſimul*, & Ego alibi latè proſequutus ſum,Indiarum Proreges inſtruens,qualiter ſe in huiuſmodi honorum, & præmiorum remuneratione habere debeant,& inter alia celebrem Iuris Canonici locum expendens, qui docet, qualiter cuſtos Eccleſiæ,in eius lampadibus accendendis, ſe habere debeat, ubi gloſſa ſingulariter notat: *Quòd ità exceditur modus in eo, quod eſt amplius, ſicut in eo quod eſt minus.* Quibus nihil eſt,quod nunc ſignanter addere poſſim,niſi locum Salviani,ita loquentis: *Vbi unus accipit, quod univerſi, & ſi par eſt menſura, maior invidia eſt. Quo fit ut licèt ipſum accipiat, plus debere videatur. Quia magis fit unus obnoxius,qui videtur omnibus comparatus.*

Bochius ſymb. 67. pag. 144. Horoſc. in Emblem. Berneger. ad Tacit. q. 76 Saaved. pag. 154. 273. & 583. Navarret. diſcurſ. 23. Camer. 3. ſubceſs. pag. 157. & 169. Ego 2. tom. lib. 2. c. 7 ex num. 69. c. 1. ubi gloſſ. de off. cuſt.
Salvian 2. ad Eccl. Cathol.

Sic

Sic Docti à Potentibus ſublimandi.

EMBLEMA LXXIX.



Iam propero carptura gradu faſtigia vitis,
Appetit æthereæ culmina Pyramidis:
Nec renuit radiatus apex ſervire lacertis
Fructiferi rami, dum ſua muſta levat.
Non ſecus Imperij culmen ſublatus in altum,
Doctrinæ vites ſuſtinet, atque fovet.

COMMENTARIVS.

1 ET ſi in eo quod præceſsit Emblemate ſatis oſtenderimus, quàm ſit, eſſeque debeat muneris Dominantium, de ſe ac Republica benemerentes largis præmijs afficere, ſuaque liberalitate, & benignitate iuvare, ut ſimul hi iuſtam ſui laboris mercedem accipiant, & alios ad ſimilem promerendam accendant. Adhuc tamen operam perdere non videbimur, ſi hanc curam in favendis fovẽdiſq; eruditis & litteratis hominibus, alijſque bonis artibus præditis:

------------ *Quibus arte benigna,*
Et meliori luto finxit præcordia Titan.

Præcipuo ſtudio impendi debere, eiſdem Principibus in hoc ſytagmate ſuadeamus.

2 Eſt enim certiſsimum, nihil eſſe, quod magis ad ipſorum faſtigium

glo-

gloriamque pertineat, quàm earundem artium profeſſores ſub ſuam protectionem recipere, honoribus decorare, præmiiſque competentibus enutrire, & ita ſibi & ipſis immortalem, atque immarceſcentem apud poſteros laudem famamque comparare. Accendimur quippè omnes ad ſtudia gloria, ſive ut loquar cum Hadriano Iunio:

Iun.Embl.11. ad Sambacum.

Gloria debetur ſtudijs, atque aſſecla merces.

Honoſque alit artes, ut iam ſupra ex Cicerone, & alijs retulimus, excelſæque cuiuſque indolis eſca præmium eſt, potentiorumque favor, quem ſi tollas, paucos reperias, qui tametſi ſuaptè natura ad ſtudiorum ſumma nitantur aſcendere, ſe humo tollere poſsint, & ſui ingenij lucem in proprium, & commune ſimul bonum diffundere, & propagare.

Tertullianus. Etenim Tertulliano teſte: *Nullum certum opus eſt mercedis incertæ.* 3

Plin.lib.6.epiſ.23. Et rectè Plinius Iunior, huic noſtro monito hærens, ſcriptum reliquit: *Nulli cuiquam tam clarum ſtatim ingenium eſt, ut poſsit emergere, niſi illi materia, occaſio, fautor etiam commendatorque contingat.* Et

Claudian.lib.2. de laud.Stilic. Claudianus:

------------- *Egregios invitant præmia mores,*
Hinc priſcæ redeunt artes, fœlicibus inde
Ingenijs aperitur iter, deſpectæque Muſæ
Colla levant.

Lipſ.epiſtol.73. in Cent.ad Germ. & Gall. Et Iuſtus Lipſius, eleganti ſimilitudine uſus: *Vt navis* (inquit) *in malacia hæret, ſic ingenium in ſuo languore, cui melior aura non aſpirat.*

Quos præiens Ovidius, ſic canit: 4

Ovid.3.de Ponto.

Scribentem iuvat ipſe favor, minuitque laborem,
Cumque ſuo creſcens pectore fervet opus.

Lucan.in carm.ad Piſon. Et Lucanus: *Ipſe per Auſonias Æneia carmina gentes*
Qui ſonat, ingenti qui nomine pulſat Olympum
Meoniumque ſenem Romano provocat ore,
Forſitan illius nemoris latuiſſet in umbra,
Quod canit, & ſterili tantùm cantaſſet avena
Ignotus populis, ſi Mecænate careret.

Mart. lib.8. epigr. 56. Martialis ad eundem Mecænatem alludens, cuius in Virgilium, Horatium, & magnos alios Poëtas, & Scriptores ingens munificentia effecit, ut eius nomen hodieque, vel uti in Adagium, pro inſigni quolibet bonorum ſtudiorum fautore tranſierit, ut Carolus Stephanus, &

Steph. & Calepin. verb. *Mecænas.* Calepinus advertunt, ſic verè & eleganter ſcripſit,

Temporibus noſtris ætas cum cedat avorum,
Creverit & maior cum Duce Roma ſuo:
Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quemquam tanta bella ſonare tuba.
Sint Mecænates non deerunt, Flacce, Marones,
Virgiliumque tibi, vel tua rura dabunt, &c.

Et

5 Et idem Ovidius, veterum Romanorum ſtudium erga Poëtas extollens, & recentiorum incuriam in eiſdem iuvandis incuſans, ſic ait:

Cura Ducum fuerant olim, Regumque, Poetæ
Præmiaque antiqui magna tulere chori:
Sanctaque Maieſtas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ ſæpè dabantur opes,
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio Magne, tibi.
Nunc hederæ ſine honore iacent, operataque doctis
Cura vigil Muſis, nomen inertis habet.

Ovid. lib. 3. de arte amand.

6 Et de eiſdem, ſuo quoque tempore contemtis, agens Iuvenalis ita inquit:

Quis tibi Mecænas? quis nunc erit, aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?
Tunc par ingenio pretium: nunc utile multis
Pallere, & toto vinum neſcire Decembri.

Iuven. ſatyr. 7.

7 Et his recentior Eraſmus, multus eſt paſsim in eadem ſtudiorũ, ſtudioſorumque cura Principibus commendanda, ut quo poſsint proſint, & fœlicia ingenia ſuis opibus iuvent, quæ nullibi inquit, non dexterrima reperientur, ſi his pedamentis non deſtituantur. Mecænatemque habeant, qui ſuppeditet otium qui addat animum, qui tueatur adverſus excetram invidiæ, quæ non aliter, quàm umbra corpus, ſequitur eruditionis gloriam. Denique ad cuius iudicium ſuas erigant vires, cui ſuas conſecrent vigilias. Additque, ideò prudentem Antiquitatem Muſis virginibus ſuum Apollinem præfeciſſe. Et quòd adhuc durius habeantur bonæ litteræ, in cauſa eſſe, quòd frigeant Mecænates, & regnent meliorum litterarum hoſtes, nam ut honos alit artes, ita genus vitæ ſordidum, nullus ſtudiorum comes, nullus æmulus, nemo mirator, nemo fautor, nullus honos; nulla præmia, etiam ex diligẽtiſsimo ignaviſsimum reddunt ſtudioſum.

Eraſm epiſt. 29. & 71. cent. 7. & in Adag. *Ne bos quidẽ pereat*, pag. 705. & in I. ad Theſſalon.

8 Idem quoque ſentiens Symmachianus Afer, arduas ac præruptas Parnaſi rupes ſola hac Optimatum ope, facilè ſcandi poſſe, his verbis oſtendit: *Quò circa biiugam ingeniorum illam rupem ſenticoſa aſperitudine protulimus, ſcandi haud proclivem. At enim ſi eruditi aderant Principes, Optimates; ecce ſcanſiles, inſtar graduum, illi ſcopuli. Aliter ſi ineruditi, ſi inbenefici, næ, & illi ſcopuli ſunt, & obſiſtunt.*

Symmach. adverſ. Marcionem.

9 Et Altiatus, poſt Diogenem, Demoſthenẽ, & alios, quos eius Expoſitores adducunt, divites huiuſmodi ac Potentes Viros carpere volens, qui in paraſitos, ſcurras, moriones, fatuos, & alios ſimiles homines, doctis & ſtudioſis relictis, ſuas divitias profundunt, elegans illud cuſsit Emblema, ficus in altis rupibus ſitæ, cuius fructus ſolis ineptis, & nocivis avibus in eſcam cedunt, ſub lemmate, *Luxurioſorum opes*, & his carminibus:

Rupibus aereis, ſummique crepedine ſaxi,
Immites fructus ficus acerba parit.

Altiat. Embl 73.

Quos corvi comedunt, quos devorat improba cornix.
Qui nihil humanæ commoditatis habent.
Sic Fatuorum opibus, paraſiti & ſcorta fruuntur,
Et nulla iuſtos utilitate iuvant.

Petr. Coſtalius in pegm. pag. 329.

Petrus etiam Coſtalius, pariter docere volens, quòd *Honos alit Artes*, hoc Pegmate utitur, ex Cicni natura deſumto, 10

Non canit aſſueta Cycnus vocalis in unda
Ni Zephyri ſpiret mollior aura ſibi.
Claſsica propoſito ſapientia creſcit honore,
Speratoque alitur docta Minerva lucro.
Sic tua Mecænas circumſtetit aura Maronem,
Et cœpit Clario gratior eſſe Deo.

Modern. ap. Thea. vitæ hum. litter. P. pag. 500.

Quod Modernus Alter hoc Diſticho clauſit,

Dulci ſonum mollis Zephirus demulcet olorem,
Et Vatum ſtimulat pectora dives honos.

Philoſt. lib. 1. Icon. Naziãz. in epiſt. ad Celeuſium. Plutarc in orat. de fort. Alex.

Et ante illos Philoſtratus, & Nazianzenus, de eadem Cycni natura loquentes, latiùs adnotarunt. Et Plutarchus, eandem ferè ſimilitudinem premens, ſic habet: *Vt enim frugum copiam bona temperies, & tenuitas aeris gignit: ita artium, & bonorum ingeniorum insrementa, benignitas, honor, & clementia Regis efficit: & contrà, Principum invidia, ſordes, aut ſtudium contendendi, omnia iſta extinguit, & perdidit.* 11

Camerar. cent. 4. Embl. 51. Gellius lib. 20. c 7.

Quo loco relato, Ioachimus Camerarius aliud ſimile adducit, ex Luna, quæ, ut tradit Lucillius apud Gellium alit oſtrea, & implet echinos, & inde, inquit ad rem noſtram, aliud Emblema formari poſſe, 12

Creſcente adcreſco Luna, decreſco minuta,
Aulæ num melius pingitur effigies?

Eraſm. in ſimil. pag. 50. Schoonh. Emb. 65 pag. 194.

Et Eraſmus in id ipſum reſpiciens, inquit, quòd cum Aſinus ſit omninò Muſice indoctus, ex oſsibus tamẽ eius optimæ fiunt tibiæ, ut ait Æſopus apud Plutarchum. Ita divites quidam, ipſi indocti, tamen pecunia ſuppeditant ingenium ſtudioſis. Ex quo ſimili (Eraſmo non citato) Florentius Schoonhovius hoc Emblema confinxit, aſinum diſſectis cruribus reſupinum depingens, & tibicinem ſub arbore, tibia, quam ex eius oſſo fecerat, dexterrimè modulantem; 13

Sunt Aſini cantare rudes, tamen oſſa miniſtrant,
Quæ fiſtulis aptiſsima,
Sic quibus res eſt ampla domi, tenues ſtudioſos
Opibus iuvare convenit.

D. Sebaſt. Covarr. Embl. 13. cent. 2.

Dignum quoque relatu eſt Emblema aliud D. Sebaſt. Covarruviæ, quo ſub pictura molendini pneumatici, ſive alati, quod vocamus, *De viento*, cum lemmate, *Si flaverit*, ita valdè ad rem noſtram appoſitè inquit:

Virtud, letras, ingenio, entendimiento,
I buenas partes, pero con pobreza,

Si

Si no reciben de quien puede aliento,
Haziendoles favor con ſu largueza,
Es un molino, que llamais de viento,
Pueſto en lo alto de una fortaleza,
Que quando el aire calma, eſtà parado,
I ſu artificio deſaprovechado.

14 Ego verò, eandem diſciplinã, hac vitis, qua utor, figura aptiùs inſinuari poſſe exiſtimo, quæ validæ alicui arbori, vel Pyramidi innixa, in altum ſe, ſuoſque fructus botroſvè ſuſtollit, & uberiores, dulcioreſque progenerat. Quod fulcimen, levamen, vel iuvamen ſi deficeret, per terram folijs ſparſa iaceret, & ab omnibus calcata, inutilis redderetur. Vnde, poſt Columellam, Tertullianus, hanc eſſe vitis & hederæ naturam inquit: *Vt malint parietibus invehi textili ſylva, quàm humi teri voluntaria iniuria.* Eandemque Nos in doctis quibuſque, & ſtudioſis viris conſideramus, qui ſi Potentioribus placere hærereque mereantur, atque illorum ope opibuſvè iuvari, ex ſolo in Solem Soliumque conſurgent, & uberrimos ſui ingenij fœtus producent, gravioreſque, & honoratiores apud omnes exiſtent. Prout & Iuſtus Lipſius, eadem ſimilitudine uſus, his verbis expreſsit: *Vt vitis iacet, nec fructum fert, niſi ad ſtipitem, aut arborem applicita, vix etiam litterati, niſi gratia & favore Magnorum ſubnixi.* Et Ioachimus Camerarius his, vitem humi ſtratam pingens, quia ulmum, cui adhæreſceret, non habebat, cũ lemmate, *Opis indiga,* Colum. de re ruſt. lib. 1. c. 6. Tertull. in lib. de anima, cap. 19. Lipſtus cent. 2. ad Belg. epiſt. 13.

Stratus humi palmes, abſentem ſterileſcit ob ulmum,
Indiget alterius quilibet auxilio.

15 Eſt autem Pyramis, ad Reges ſignificandos, aptiſsimum ſymbolũ, tum propter ſui ſtabilitatem, magnitudinem, atque excellentiam, de quibus mira Plinius ſcribit, eas otioſam atque ſtultam Regũ Ægyptiorum pecuniæ oſtentationem appellans: tum quòd ipſi Ægyptij, Reges ſuos, qui mortales reliquos gloria præceſsiſſent, metis & Pyramidibus, quæ ſepulchris eorum ſuperponerentur, honorare cõſueverunt, ex quatuor vaſtiſsimorum angulorum lateribus ab imò in acumen deſinentibus, in ignis ſpeciem, unde & illis nomen inditum fuit, tanta interdum opera, & maieſtate, ut inter ſeptem orbis miracula haberi meruerint, ut præter Solinum, Strabonem, Ammianum Marcellinum, & alios, refert Pierius Valerianus. Addens ex Nazianzeno, & alijs, non deeſſe, qui exiſtiment, Pyramides eas in Ægypto celebriores, à Ioſepho Hebræo exædificatas, ut frumenti conditoria eſſent. Plin. lib. 36. c. 12. Pier. lib. 39. fol. 291. & lib. 60. fol. 439.

16 Extatque apud Hadrianum Iunium Emblema aliud, ubi hoc illuſtrat, noſtro valdè conſimile, niſi quòd generalius Reges, tanquam pyramides, ſuis opibus, atque adminiculis invalidam plebeculam, ac minoris conditionis hominum ſtatus, fulcimento, & ornamento eſſe debere admonuit, ut eius verba demonſtrãt, quæ ſic habent, Iunius Embl. 14.

Pyramides Pharium monumenta perennia Regum,
Errantibus circum ligat hædera ſequax brachijs.
Regum opibus firmis plebs ſuſtentatur egena,
Mentiſque conſtans firmitas viret perenniter.

Quod longè verius,& commodius dixiſſet, ſi ad litteratorum levamẽ ſuum Emblema (ut Nos in noſtro facimus) contraxiſſet,& præſertim ad Poëtas,qui à Perſio,& alijs, *Hederæ ſequaces* dicuntur, quòd ea, ſimul cum lauro, coronari ſolerent,ut latè eiuſdẽ Perſij explanatores, & alij paſsim Auctores oſtendunt.

Perſ. ſatyr. 1. Horat.od.1.& 36.lib. 1.& epiſt.3. lib.2. ubi eorum expoſ. & Altiat. Emblem. 204. ubi Minoes.

Omnes in eo pariter conveniẽtes,quod præter ſuprà relatos à Seneca Tragico dicitur: 17

Senec. in Hyppol.

Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Sup. Emblem. 63. Cauſin. in Poliſt. ſym.lib.2. cap.31.

Et hoc ſtudium ſublevandorum ſtudioſorum Principibus viris votivum eſſe debere,ad Herculis imitationẽ, quem Veteres, ut iam alibi tetigi,tot victorijs clarum,Muſagetem etiam indigetarũt,quaſi Muſarum ductorem,litteratorumque Tutorem, ſic(ut rectè Cauſinus tradit)indicare volentes, latere Muſas in tutela bellicæ virtutis, & ſub Principum virorum auſpicijs iucundius florere.

Poeta apud Cauſinum ubi proximè

Vnde eos ad hanc curam meritò excitavit Poëta,ſic canens: 18

Pieridem,Heroes,doctos,& amate Poetas,
Aurea nec ſuperent munera Pieridas.
Carmine purpurea eſt Niſi coma, carmina ni ſint,
Ex humeris Pelopis non nituiſſet ebur.
Quem referent Muſæ vivet,dum robora Tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Batil. Embl.46.

Et Batilius Lebeus ad noſtrum intentum reſpiciens, & Herculis Miſagetis fabulas premens,ſic habet:

Templa hic cum Muſis, priſci monumenta Quiritis
Muſarum Alcides duxque comeſque tenet.
Tam benè conveniunt,illæ huius numine tubæ
Clarus hic illarum vocis,& artis ope.

In cuius Emblematis commẽtario latiùs in hoc argumento diſcurrit.

Et ſummè ſemper laudata eſt Cræſi in Pindarũ,Policratis in Anacreontem,Lyſandri in Chœrillum, Augusti & Mecenatis in Virgiliũ, & Horatium,M. Catonis in Ennium eximia liberalitas,& ſic aliorum in alios,tum Poëtas,tum ſtudioſos, & litteratos viros comitas & benignitas,quorum ingentem Catalogum noviſsimè,ultra plures alios, Camerarius,& Beyerlinchius conſcripſerunt. 19

Camerar. 1. ſubciſ. cap.4.tom.2. c.55 & 56.& to.3. pag. 170. & pag. 243. Theat.lit. P. pag. 497.

Et de Alexandro Magno,ultra honores Homero habitos, narrat, poſt alios Conradus Geſnerus, Ariſtoteli, ob libros de hiſtoria animalium,quos eius iuſſu elucubravit,octingenta talenta auri dono dediſſe,quæ,ut ipſe Geſnerus ſupputat, quadringentis octoginta Coro- 20

Geſner.in præf. ad lib.de quadrup.

na-

natorum millibus æſtimantur. Additque, quod ſi hodie viveret Alexander, intelligeret profectò, & miraretur, inter innumera eius Regia opera, nullius meritò tantam ad poſteros gloriam, & famam ipſius tranſmiſſam, quantam ex hoc uno apud vulgus hominum contemto opere.

21 Oppianus quoque Anacerbēſis, Poëta longè doctiſsimus, eodem Geſnero, & Volaterrano teſtantibus, cum M. Antonino Imperatori opus ſuum de Piſcibus, & de Venatione dedicaſſet, ultra patris exulantis in urbem reſtitutionem, quam ipſe dumtaxat expoſtulavit, pro quolibet verſu aureum numum accepit, quo dono exhilaratus, poëmata ſua aureis litteris exaravit, ut merito aurea appellētur, ſunt autem utriuſque poëmatij carmina quinquies mille & octingenta. Geſner. ſup Volater. lib. 18. antrop.

22 Et Martialis, Priſci, ſui Patroni, erga ſe beneficentiam collaudans, qualiter ea excitatus, ſuis in carminibus ſtudijſque profecerit, hoc Epigrammate luculenter oſtendit; Martial lib. 12. Epigramm.

Quod Flacco, Varioque fuit, ſummoque Maroni
Mecænas atavis Regibus ortus eques:
Gentibus & populis hoc te mihi Priſce Terenti
Fama fuiſſe loqu. x, chartaque dicet anus.
Tu facis ingenium, Tu ſi quid poſſe videmur,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

23 Eademque de cauſa divinus ille Plato ab Æliano relatus, Hipparchum ipſius diſcipulum, Piſiſtrati filium, ſummis laudibus effert, quod ultra honores Homeri carminibus habitos, miſit etiam ad Anacreontem quinque remorum navim, ut ad ſe veniret; Simonidi vero Ceo ſumma cum diligentia adhæſit, ſemperque ſecum habuit, magnis muneribus & mercede perſuaſum. Omnemque operam navavit eruditis doctiſque viris: & voluit ſua auctoritate præire Athenienſibus ad ſtudia litterarum, & præſtantioribus, atque melioribus ipſis imperare conabatur. Nemini enim ſapientiam invideri par eſſe cenſebat, quippè cum eſſet vir bonus & integer. Ælian. de var. hiſt. lib. 8. cap. 2.

24 Plurimiſque alijs omiſsis, hæc ipſa in litteratos propenſio, valdè in Leone Imperatore reſplenduit, cum in una ex ſuis Novellis dixiſſe legamus: *Vtinam meis temporibus evenat ſtipendia militum in Doctores artium ab ſumi.* Et in Athalarico, Gothorum Rege, cum de eo referat Caſsiodorus, quanto ſtudio curaverit, ut Grammaticis, Rhetoribus, necnon iuris Expoſitoribus in urbe Romana ſalaria competentia, & ſine ulla diminutione, aut mora præberentur, eam rationem adiiciens, *Quòd manifeſtum ſit præmium artes nutrire, nec cogi debere de alieno pendere faſtiato, cui piaculum eſt, vel horarum aliquo vacaſſe momento. Et quòd ſi Principes opes ſuas Scenicis pro populi oblectatione largiuntur, & ea ſtudioſiſsimè conſequuntur, qui adeò neceſſarij non habentur, quanto magis illis ſine dilatione prabenda ſunt, per quos & boneſti mores proveniũt, & Palatio Regio facunda nutriuntur ingenia.* Leo Imp. Novel. Caſsiod. li. 9. ep. 21

25 Apud Crantzium quoque notabilem hiſtoriam habemus de Hiarne mediocris fortunæ homine, ſed ſingularis ingenij, qui Daniæ Reg- Crantz. hiſt. Daniæ lib. 1. c. 33.

no donatus fuit, ob id tantùm, quòd in laudem Frontonis Regis præ defuncti, elegans Epitaphium ſcripſit lingua vernacula, quod Saxo Grammaticus in Latinam ita transfudit,

Frontonem Dani, quem longum vivere vellent,
Per ſua defunctum rura tulere diu,
Principis hic ſummi tumulatum ceſpite corpus,
Æthere ſub liquido nuda recondit humus.

Vitruv. lib. 1. in princip.

Vitruvius etiam ſe valdè mirari ſcriptum reliquit, cur Græcorum 26
maiores in Olympicis ludis vincentibus, ita magnos honores conſtituerint: *Scriptoribus verò non eoſdem, etiamque maiores tribuerint, quorum prudentia tanta munera privatim publicèque hominibus præparat, quorumque quotidiana præcepta, perpetuis induſtrijs, & laboribus culta, infinitas utilitates, ævo perpetuo, non ſolùm ſuis civibus, ſed etiam omnibus gentibus præſtant, inſtituūtque civitatibus humanitatis mores, æqua iura, leges, quibus abſentibus, nulla poteſt civitas incolumis eſſe.*

Veget. de re milit. In prolog. lib. 1.

Et Flavius Vegetius idem agnoſcens, ſic ſuos libros de re militari 27
exorditur, quos ad Valentinianum Auguſtum direxit: *Antiquis temporibus mos fuit, bonarum artium ſtudia mandare litteris, atque in libros redacta offerre Principibus. Quia neque rectè aliquid inchoatur, niſi poſt Deum faverit Imperator: neque quemquam magis decet, vel meliora ſcire, vel plura, quàm Principem, cuius doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubiectis. Quod Octavium Auguſtum, ac bonos dehinc Principes libēter habuiſſe, frequentibus declaratur exemplis. Sic Regnantium teſtimonijs crevit eloquentia, dum non culpatur audacia.*

Cuſpinian. in Maxim. 1. pag. 486. num. 16.

Indeque Cuſpinianus, meritò laudat Maximiliani Primi Imperato- 28
ris Regium apophthegma, quo pronuntiavit, ſe nullos homines plus amare, nullis maiorem charitatem, & reverentiam debere, quàm viris doctis; eoſque non ſubeſſe, ſed præeſſe alijs oportere. Quo cum ſentiens Rex Noſter Alfonſus X. idem ipſum in vim legis obſervandum ſuis poſteris tradidit, ſic in una ex ſuis Septem Partitis ſtatuens: *E aun deben honrar à los Maeſtros de los grandes ſaberes: ca por ellos ſe fazen muchos de omes buenos, è por cuyo conſejo ſe mantienen, è ſe endereçan muchas vegadas los Reinos, è los grandes ſeñores, &c.*

L. 3. tit. 30. par. 2.

Barclay. lib. 1. Argen. pag. 96. & ſeq.

Elegans quoque hac de re diſſertatio apud Ioannem Barclayum in 29
ſua Argenide reperitur, ubi pluribus probat, ſine ſcelere & periculo contumelioſè haberi non poſſe eximios viros; ſed & genus inhumanitatis noxioſiſsimum eſſe, non illos extollere, & præmijs ſollicitare de publico, quacunque in arte excellere reperiantur. Errareque & peccare graviter Principes, qui cum in res ludicras, & voluptuoſas, & in tot viliſsimos homines, tantum auri profundant, nunc perverſam rationem inſtituunt, ut in multis gentibus prope ſit ad egregij animi indicium arceri à Regijs, aut in illis iacere: *Adeò* (inquit) *timida, aut barbara fœlicium vitia amant exarmare virtutem; quaſi ea potiores futuri ſint, ſi egenam, aut neglectam ſuperbi calcaverint.*

Petron. in ſatyr.

Quam querelam prius lepidè ſatis expreſsit Petronius Arbiter 30
Poetam non humillimi ſpiritus inducens, à quo cum quæſitum eſſet,

cur

cur tam malè veſtitus incederet? propter hoc ipſum inquit: ***Amor ingenij neminem unquam divitem fecit:***

Qui pelago credit, magno ſe fœnore tollit,
Qui pugnas, & caſtra petit præcingitur auro,
Vilis adulator picto iacet ebrius oſtro;
Et qui ſolicitat nuptas, ad præmia peccat.
Sola ruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas invocat artes.

Iactantur itaque quæcunque ratione poſſunt litterarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniã poſiti, neſcio quomodo bonæ mentis ſoror eſt paupertas. Quem locum pungens Iuſtus Lipſius, in uno queritur, raram eſſe coniunctionem virtutis, & fortunæ, præſertim in modeſto, & ſapiente, & bonæ mentis. Et in alio ita inquit: ***Blenni aliquot, & buccones, ad culmina honorum veniunt: meliora & altiora ingenia arcentur. Ita ævum eſt, paucos nuda virtus, aut doctrina evexit.*** Lipſ. de admirãd. lib.2.cap.15. & in cẽtur.ad German. & Gallos, epiſt. 51.

31 Et ut benè Ioannes Fileſacus animadvertit (multiplices cauſas ſterilitatis ingeniorum expendens) iam olim & toties auditæ ſunt huiuſmodi aliorum Poëtarum querelæ. Sic enim Statius Papinius dolet ſuo tempore vilem honorem ſtudijs habitum; & Ovidius cum inquit: Fileſac. 2.ſelect.in ſyntag. de Script. c.5.ex pag.352. Statius Epiced. in Patr. Ovid.6 Faſt.

Dulcis erat mercede labor, tempuſque ſecutum eſt,
Quod ſubitò gratæ frangeret artis opus.

Et Calpurnius Flaccus exinde conſulens, Calpur. Eclog. 4.

Frange puer calamos, & inanes deſere Muſas,
Quid enim tibi fiſtula reddet
Quo tutere famem? Certè mea carmina nemo
Præter quàm ſcopulis ventoſa remurmurat Echo.

32 Quem ſequutus Martialis, Flaccum hortatur, ut Muſis relictis, forũ aliaſvè artes lucroſas ſectetur, hanc rationem ſubtexens, Mart. lib.1. epigr. 77.

Præter aquas Helicon, & ſerta, lyraſque Deorum
Nil habet, & magnum ſemper Inane ſophos.
Quid tibi cum Cyrrha? Quid cum Permeſsidos unda?
Romanum propius divitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant, at circumpulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Et Fauſtus Andrelinus, ſic inquiens: Andr.lib.1.Poem.

Diſpereant latiæ ſteriles mea caſtra camænæ
Diſpareat fallax nomen Apollo tuum
Invidia amicis properat, nil Phœbe propinas.
Nil mihi dat Helicon, Pegaſus unda nihil.
Coccina fers humeris, & ſerica quæque ſatelles,
Et Pathicus, Leno, Pharmacopola, Coccus

Horum eſt quicquid nunc auditur in orbe monetæ,
Nil aliud Vates, quàm benè dixit, habet.

Arioſt.cant. 35. Stanz. 23.

33 Eſt alijs relictis, Ludovicus Arioſtus ſic eundem dolorem expreſsit,

Si, por gran colpa de i ſignori avari,
Che laſcian mendicar i ſacri ingegni,
Che la virtu premendo, & eſſaltando
I vitij, caccian le buon arte in vando.

Lup. à Vega in Ieruſal. cant. 1.

34 Et non inelegantius noſter nunquã pro meritis laudatus Lupus à Vega, ſuum Poëma *De la Ieruſalen*, ſub eadem querela, ſic exordiens:

Bien sè que vengo à tiempo, que no eſperan
La virtud, i trabajo premio alguno:
Pocos eſtiman, muchos vituperan,
Ciſnes ſon todos, ſin cantar ninguno.

Idem cant. ult. inf.

Et rurſus ſic finiens:

Yo ſolo de la embidia perſeguido
Eſtrangero en mi Patria, i deſterrado,
A Ovidio en eſto ſolo parecido,
Aunque por las eſtrañas ſiempre honrado:
De ſola mi verdad favorecido,
I del mortal poder deſengañado,
Dexo eſtas lineas barbaras, i viles
A los pinceles que vendran ſutiles.

Que mal puede volar en larga ſuma,
Si à cuidados domeſticos atiende,
De todo bien deſamparada pluma,
Yo me diſculpo, i el poder me entiende:
No porque tanto de volar preſuma,
Pero por ver lo que la piedra ofende;
Mas que puede eſperar de ſu montaña,
Ingenio que camina por Eſpaña?

Altiat. Embl. 120.

35 Quo loci ad vulgatum illud Altiati Emblema reſpexit, quod ſub pueri figura confinxit, in altum dexteri ingenij alis volare conantis, niſi illum grave pondus alteri manui alligatum deorſum deprimeret, cum his carminibus:

Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas;
Vt me pluma levat, ſic grave mergit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per arces
Me niſi paupertas invida deprimeret.

Boiſſard. Emb. 10.

Cum quo conſonat aliud Boiſſardi, quod ita ſe habet:

Haud facilè emergunt, qui paupertate præmuntur:
Quos retinet tanquam compede tetra fames
Immodicis opibus virtus ne gaudet: at illa
Degeneri ſordet ſubruta pauperie.

36 Eſt enim certiſsimum paupertatem, ut comitem, ita & novercam bonorum ingeniorum, excellentiumque artium, & litterarum eſſe ſolere, quæ animum, tum ab alijs curis, tum maximè ab hac rei familiaris, vacuum, liberumque deſiderant, ut præſenſit Ennius, dum dixit: *Multi aliquid adventant, quorum paupertas obſcurat nomina*; & expreſſiùs Dionyſius Halicarnaſeus, inquiens: *Nihil generoſum ſapere poteſt, qui quotidiani victus penuria urgetur.* Et elegãter Iuvenalis ſic canẽs: Ennius Halicarn.lib.4. Iuven.ſatyr.7.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. Minimè cantare ſub antro
Pierio, Thyrſúm vè poteſt contingere ſæva
Paupertas, atque æris inops, quo nocte dieque
Corpus eget: ſatur eſt cùm dicit Horatius Ohe.
Quod ſi Virgilio puer, & tolerabile deſit
Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydri,
Surda nihil gemeret grave buccina, &c.

37 Vnde & Horatius Iulij Flori ingenium valdè commendans, eum monet, ut has curas relinquat, ut ad famæ templum aſcendere poſſit, his verbis: Horat.lib.1.epiſ.3

-------------- Ipſe quid audes?
Quæ circũ volitas agilis thyma? Non tibi parvum,
Ingenium, non incultum eſt, nec turpiter hirtum;
Seu linguam cauſis acuis, ſeu civica iura
Reſpondere paras: ſeu condis amabile carmen:
Prima feres hederæ victricis præmia: quod ſi
Frigida curarum fomenta relinquere poſſes,
Quò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.

Et rurſus in Arte Poëtica docet, neminẽ corrogandis, augendiſvè pecunijs intentum, quicquã in Poëſi pulchrũ perficere poſſe, inquiens: Idem in Arte Poët.

---------- At hæc animos ærugo & cura peculi
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & lævi ſervanda cupreſſo?

38 Plinius quoque Iunior, ad Canium Ruffum ſcribẽs, dolet, quòd intentione rei familiaris obeundæ, crebris excurſionibus ab ſtudijs avocetur; monetque ipſum his verbis: *Quin Tu (tempus eſt enim) humiles, & ſordidas curas alijs mandas? Et ipſe te in alto iſto, pinguique ſeceſſu ſtudijs adſeris? Hic ſit negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his etiam ſomnus reponatur. Effinge aliquid, & excude, quod ſit perpetuò tuum: nã reliqua rerum tuarum poſt te alium, atque aliũ domi* Plin.Iun.lib.1.ep.3.

num ſortientur: hoc nunquam tuum deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit.

Caſsiod. lib. 9. epiſ. 21. in fin.

Et Caſsiodorus, poſtquàm ſub Athalarici Regis perſona, ſalaria ex publico imminuta præſtari debere, præcepit, inde factum eſſe concludit, ut *Ceſſet nunc illa ſatyris Doctoribus querulis uſurpata ſententia, quia duabus curis ingenium non debet occupari. Ecce iam habêre tolerabile probantur hoſpitium; unde nunc meritò, uni ſolicitudini iugiter exhærentes, toto vigore animi ad bonarum artium ſtudia transferantur.* 39

Diſcant igitur Principes, inter præcipuos theſauros ſuos ea reponere, quæ in alendos, & ſublevandos homines, eminẽtioribus ſtudijs, diſciplinis, & alijs, quibuſvis artificijs præditos, erogaverint (neque enim vulgares Muſas, ſtudiavè inutilia, vel ad negotiorum uſum minùs apta ingenia, ad hæc præmia acerſo.) Sciãtque, vel à Symmacho docti, *Bonas artes honore nutriri, atque hoc ſpecimen eſſe florentis Reip. ut diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur.* Multoſque reperiri, ut benè Ioannes Barclaius conſiderat, qui publicæ prudẽtiæ, ac providentiæ ſunt apti, qui tamen, quia non quæruntur, neque beneficijs eiuſmodi ſublevantur, in occulto latent, aut in privatis curis cõſeneſcentes, non uſu, non negotijs lęvigantur. 40

Symmach. lib. 1. epiſt. 73.

Barclai. in Argen. lib. 1. pag. 100.

In magnum ſanè Reipublicę detrimentum, cui nulla poteſt alia maior calamitas contingere, quàm ſi ſtrenuis militaribus Ducibus, eruditiſvè, ac prudẽtibus Togatis Gubernatoribus, vel Scriptoribus, aut Doctoribus careat, quorum defectum ſub finem mundi maiorem eſſe futurum, quidam vaticinantur, & utinã noſtris temporibus in noſtra Hiſpania hanc plagam minùs frequenter experiremur; maiorię curæ eſſet, in deficentium locum haberi magnorum animorum ſeminarium, atque delectum, quos nullũ tempus, nulla Regio non gignet, ſi mòdò ſint, qui foveant, & provehant, cum vel docente Iuvenali: 41

Aſcaff. & relati ab eo in lib. de ærar. pag.

Iuven. ſatyr. 10.

---------- Experientia conſtet,
Summos poſſe viros, magnaque exempla daturos,
Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

Caſsiod. lib. 8. epiſt. 13.

Et ut Caſsiodorus inquit: *Non ſint imparia tempora noſtra tranſactis. Habemus ſequaces, æmuloſque priſcorum.* Quod prius etiam Tacitus his verbis admonuit: *Neque omnia apud priores meliora; ſed noſtra quoque ætas multa laudis & artium imitanda poſteris tulit.*

Tacit. 3. Annal. & 1. hiſt.

Et hæc ſimul etiam contra eos notare oportebit, qui ſolum antiquos Scriptores & Artifices laudare, & æſtimare ſolẽt, & ut Plato ait, ſemper recentioribus præferre conſueverunt, quaſi laſſa & effœta natura, nihil iam laudabile pariat. Quos contra iuſtiſsimè ſtomachatur Horatius cum dixit: 42

Plato in Hyppia.

Horat. in Arte Poetic. Plin. Iun. lib. epiſt. 16. & lib. 6. epiſ. 21. Sidon. lib. 6. epiſt. 8.

Indignor quicquam reprehendi, non quia craſsè,
Illepidevè dictum putetur, ſed quia nuper.

Et de his, & de alijs, qui ſimiliter ſolùm exteros Auctores mirantur, & indigenas parvi faciunt, plura dicere poſſem, niſi iam alibi à Me poſt Fileſacum, & alios tradita eſſent.

Fileſac. lib. 2. ſelec. tract. ult. de multipl. Script. gener. Ego 2. to. in epiſt. ad Lectorem.

Litterati Principibus ſuſpiciendi.

EMBLEMA LXXX.



Quis Crocodilos flumine nantes
Edomat audax, inſidet acer?
Parva, levis gens Tentyrita.
En cave Princeps ſis Crocodilus,
Omnibus horror, quippè paratur
Penna volans, & Natio docta
Vilis, & acris, quæ domet auſus,
Tollere famam quiſque valebit.

COMMENTARIVS.

1 VIdimus, & abundè ſatis (ni fallor) adſtruximus, quàm ſit, eſſe quę debeat Regali Faſtigio cohærens, eruditorum, quaviſvè alia utili arte eminentium hominũ cura, & competẽs pro cuiuſque meritis honor & ſublevatio. Nunc verò eò noſtrũ ſermonẽ dirigimus, ut nõ minùs apertè Principibus oſtendamus, eandem curã, non ſolùm ad ſe pertinere, verùm valdè quoque ſuæ dignitati, atque exiſtimationi conducere, ſi gloriam ament, & famæ, nominiſque ſui laudem, & nullo unquam ſæculo interituram memoriam ſubditis, & exteris, præſentibus & poſteris, relinquere velint.

2 Quo in ſtudio flagrare debere Ariſtoteles monuit, dum dixit: *Velle pecuniijs excellere Tyrannicum eſt; honoribus verò magis Regium.* Seneca docens: *Debere Principes multa etiam famæ dare.* Et melius Taci- Ariſt.5.Pol.c.10. Senec. de Clem. lib.1.cap.15.

 tus,

Tacit. 4. Annal.

Polyb. in ſua hiſt.

tus, inquiens: *Principum ſorti, præcipua rerum ad famam dirigenda. Cæteraque illis ſtatim adeſſe, unum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam*. Et Polybius, Principes in hoc ab aliorum hominum conditione his verbis diſtinguens: *Argentum quidem & pecunia eſt communis omnium poſſeſſio; at honeſtum, & ex eo laus & gloria, Deorum eſt, aut eorum, qui à Dijs proximi cenſentur.*

3 Compertum eſt enim, & omnium ſæculorum exemplis notatum, nihil tam obſcurare, & delere poſſe Principum gloriam, nihilque citius memoriam nominis ipſorum extinguere, & ſepelire, aut etiam odioſos, & deteſtandos poſteris reddere, quàm quòd viros doctrina, & virtute præditos reiecerint, aut neglexerint. Contrà verò, nullum illuſtrius Nobilitatis inſigne, nullam clariorem tubam, ad laudes illorum ubique celebrandas, excogitari poſſe, quàm ingenioſorum, & doctorum hominum amorem honoremque mereri, & eorum ſcriptis cum laudum præconijs æternitati commendari; rerumque à ſe præclarè geſtarum gloriam litteratorum magis, quàm famæ pennis extendere, & ut olim de Ennio dictum fuit: *Aſsiduos volitare per ora virorum.*

Veget. 2. de re milit. cap.
Senec. declam. 262.

4 Præclarè quippè dixit Vegetius: *Vnius ætatis eſſe quæ fortiter fiunt, quæ verò pro utilitate publica ſcribuntur æterna manere*. Et ante eum Seneca: *Non annorum numero, neque ſpatio ætatis terminari fortium hominum vitam, ſed laudis, & famæ, perpetuæque poſteritatis immortalitate.* Quæ non aliter, quàm Hiſtoricum, aliorumque celebrium Scriptorum monumentis conſequi poteſt, quorum præcipuum officium, ut Tacitus inquit, in ſuis Annalibus eſſe debet: *Ne virtutes ſileantur, atque pravè dictis factiſque ex poſteritate, & infamia metus ſit.*

Tacit. 3. Annal.

Pindar. in Nemæis Od. 4. & 7.

5 Vnde verè dicere potuit Pindarus, magnas corporis vires, magnaſque animi virtutes ab hymnis, & laudationibus Hiſtoricorum, & Poëtarum deſtitutas, denſis tenebris circumfundi: *Sermonemque factis diutius vivere, quem cum Charitum favore lingua è mẽte extulerit profunda.* Quem ſecutus perpetuus eius laudator, & imitator Horatius, integrã Odam in hoc effectu Poëtici muneris laudando conſumit, & multis exemplis adductis concludit:

Horat. Od. 8. li. 4.

Dignum laude virum Muſa vetat mori,
Cælo Muſa beat, &c.

Idem eod. lib. Od. 9.

Et ſtatim in ſequenti ſic graviter cecinit:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro:
Paulùm ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Ovid. lib. 4. de Pont. eleg. 8.

6 Et apertius Ovidius, inde deducens, nullam rem aptiorem, optatioremvè Principibus contingere poſſe, quàm bonum Poetam, qui eorũ nomen, ac famam ab iniurijs temporis vindicet, his verſibus:

Nec tamen officio Vatum per carmina facto,
Principibus res eſt aptior ulla viris.
Carmina veſtrarum peragunt præconia laudum,
Neve ſit: actorum fama caduca cavent.
Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulchri,
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.
Tabida conſumit ferrum lapidemque vetuſtas,
Nullaque res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos, ſcriptis Agamemnona noſti,
Et quiſquis contra vel ſimul arma tulit.
Quis Thebas, ſeptemque Duces ſine carmine noſſet,
Et quicquid poſthæc, quicquid & ante fuit, &c.

7 In eandem ſententiam conveniens Tibullus, ſic habet, Tibul.lib.1.eleg.4

Quem referent Muſæ vivet, dum robora tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Et Lucanus hoc carmine, Lucan.lib.9.

O Sacer, & magnus Vatum labor, omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus ævum.

8 Alijſque relictis, Iacobus Boiſſardus idē ipſum Emblematicè oſtē- Boiſſard.Emb.11.
dere volens, Ducem una ex parte pingit, militaribus ſpolijs onuſtū,
& ex altera Scriptorē, eius egregia facta, admoto ad librum calamo,
quaſi exarantem, cum hoc lemmate, *Quæ ſcriptorum monumentis mandata ſunt, æterna redduntur*, & his carminibus:

Egregijs fruſtrà virtus ſe bellica geſtis
Inflat, & ad laudes nititur ire ſuas.
Ni ſcriptis vulgata eius ſit fama per orbem,
Et fiat radijs clarior hiſtoriæ.

9 Florentius autem Schoonhovius, ſub lemmate, *Vivitur ingenio*, hinc Schoonh.Embl.29
figuram mortis, Regum Coronas calcantis, inde librum, roſeis ſertis pag.89.
redimitum, quem ſerpens circumdat, excuſsit, hæc carmina ſubdens;

Regna cadunt, urbes pereunt, nec quæ fuit olim
Roma manet, præter nomen inane nihil.
Sola tamen rerum, doctis quæſita libellis,
Effugiunt ſtructos Fama decuſque rogos.

10 Quos omnes excedit Seneca, hoc ipſum documentū pluribus exem- Seneca, omnino
plis, & rationibus ornans, & inter alia illis Virgilij carminibus, quibus legendus, epiſt.21.
duobus memoriam æternam promiſsit, & præſtitit,

Fortunati ambo, ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo:
Dum domus Æneæ Capitoli immovile ſaxum
Accolet, Imperiumque Pater Romanus habebit.

Tacit.4.Annal.
Sidon. lib.5. ep.8.
Eraſ.in ſimili fol. mihi 53.in fin.

Nos vero, Reges,ac Principes notare, ſimulque admonere volen- 11
tes,qui eiuſmodi viros,de quibus loquimur, quos ſuſcipere,ac ſuſpicere debebant,deſpicere,ac contemnere ſolent, & parvi facere gloriam,quam ex eorum ſcriptis conſequi poterant, exiſtimantes, ut alibi Tacitus inquit: *Præſenti potentia extingui poſſe ſequentis ævi memoriam*.Et parum animadvertentes: *Improborum probra* (Sidonio Apollinari docente) *æquè ut præconia bonorum,immortalia manere*, præſens hoc Emblema formavimus,ex Crocodilo,ut apparet, à puſione, ſive Pygmæo Tentirita domito,atque frenato;quo ſimili,in eandem rem, de qua agimus,his verbis Eraſmum uſum fuiſſe comperio,*Crocodilus, invictum alioqui, & pernicioſum animal, tamen Tentyritas adeò metuit, ut ad eorum vocem etiam expaveſcat:ita Tyranni,cum omnes contemnant, tamen eruditorum litteras ſubtimeant.*

Plin.lib.6. cap.25. & lib.28. c.3. Solin.cap.34. Senec. lib.4.nat.quæſt. c. 2.Strab.lib.17. Maiol. colloq.de ſerpen.pag.mihi 172. & ſeqq.

Quod ſumtum eſt ex horum hominum natura, & in frenandis Cro- 12
codilis genio,ſive ingenio,de quibus Plinius, quem ſequuntur Solinus,Seneca,Strabo,& alij à Simone Maiolo relati,ſic ſcribit: *Tentyritæ inſulam in Nilo habitant, ſtatura parvi, qui ſoli Crocodilos congredi audent. Flumini innatãt,dorſoque, equitantium modo, impoſiti,biantibus reſupino capite ad morſum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes,extrema eius utrinque, ut frenis in terram agunt captivos, ac voce etiam ſola territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque uni ei inſulæ Crocodili non adnatant,olfatuque eius generis hominum, ut Pſyllorum ſerpentes fugantur.*

Virg.5.Æneid.
Curtius lib.8.

Amare igitur, vel timere Scriptores Principes debent, qui etſi le- 13
ves alioqui,ac contemtibiles primo adſpectu videri poſsint, *Immania cete, & ingentes Crocodilos*, ut alibi ait Virgilius, domare frenareque valent, & quò velint ipſorum famã poſteritati traducere; uſque adeò verum eſt illud Q. Curtij,quo, aliud agens, præmonuit: *Nihil tam firmum tamque ſtabile eſſe, cui aliquod periculum non ſit, etiam ab invalido; cum & leo culicem,muſcamque pertimeſcat, aliquandoque minimarum avium pabulum fiat, & ferrum rubigo conſumat.*

Camer. 2. ſubceſ. cap.12.13.& 86.
Schoonh.Emb.15. pag.45.

Quibus exemplis alia plura addit Philippus Camerarius,& ex illo 14
leonis,quem culex infeſtat,Emblema confecit Schoonhovius,ſub titulo, *A minimis quoque ſibi timendum*,& his carminibus:

En ego qui terror cunctis incedo per orbem,
Solius culicis ſpicula dira tremo:
Ne nervis confide tuis,nam parvula quæque
Dum minimè credis,quo perimamur habent.

Camer.in ſymbol. cent.4.Embl.14.

Et ex Xiphia,alioqui valido & formidabili piſce, qui ſolet ab exiguo œſtro, ſive aſylo necari,Ioach.Camerarius ſic inquiens:

Piſcibus ipſe alijs ſum formidabilis hoſtis,
Mox hoſtis miſerè me necat exiguus.

Burg.in vitijs ling. Embl.32.pag.71.

Et magis ad rem noſtram Antonius à Burgundia aliud, in quo Ele- 15
phantem pingit, ad muris adventum graviter concitatum, & ita habet,

Car-

Carnea quem tanto moles petit impete? murem.
Cur ita? Pygmæo pexuit ungue feram.
O pudor: & tantas, res tantula, cogit in iras?
Sic agitur: mordax hoc quoque lingua docet.

Proverb.22.1.

16 Indeque Salomon eoſdem Principes monet, ut de fama & bono nomine curent. Quod inquit: *Melius eſt, quàm divitiæ multæ, & ſuper aurum & argentum gratia bona.* Ad hanc nimirum poſteritatis curam, quam habere debent, reſpiciens, ut ibi Salazarius noſter, præter alios, animadvertit, & bonam civium, & Scriptorum gratiam, & commendationem, pro qua conſequenda aurum & argentum ſpernere, aut etiã in eoſdem Scriptores liberaliter expendere debent.

Iſocrat. in orat. de Reg. ad Nicocl. in princip.

17 Quod etiam conſilium Iſocrates Nicocli, vel primum dediſſe comperimus, in oratione, qua illum ad Regnandum inſtruxit; inquiens, quòd Regibus donatur, callidiſsimè vẽdi. Illud verò munus pulcherrimum, ac utiliſsimum eoſdem reputare debere, quod ex præclaris Sapientium, atque eruditorum Virorum admonitionibus, & laudationibus conſequuntur. Quod dictum Fauſtus Andrelinus celebris Poëta, his verſibus locupletavit,

Fauſt. Andrelin. lib. 1. carm.

Magnanimo qui dat Regi, vel rura, vel aurum,
Argentum, menſas, coccina, vaſa, domos,
Dat cupidè Curio, Craſſo, parvaque potenti
Munera Fabricio, pernicioſa Midæ:
Non aurum cupiunt, præclaræ ſed laudis honores,
Et decus, & clari nomina clara Duces.
Carmina qui Regi, Regum fert munera, vitam
Carmina poſt vitæ tempora Cæſar habet.
Carmine defunctus magnus nunc vivit Achilles:
Semper & Alcides carmine vivus erit
Vos, quibus æternæ facimus vaga murmura famæ,
Digna decet larga dona dediſſe manu.
Exiguo, reliqua quæ dantur, tempore reſtant,
Quæ data ſunt Vati, munera ſemper habes.

18 Quod benè agnoviſſe videntur multi antiquorum, & recentiorum temporum Heroes, qui hac de cauſa celebres Hiſtoricos, aut Poëtas magno in pretio apud ſe habuerunt, pecunijs, muneribuſque & honoribus, ſalarijs, ſtatuis coronis, templis, ſepulchris, alijſque varijs modis condecorarunt, quorum copioſam narrationem, qui velit, apud Theatrum vitæ humanæ Beyerlinchij reperiet: ſed omniũ loco Magnum illum Alexandrum Macedonem exhibere ſufficiet, qui cũ ſe totum ad Achillis exemplar componere cuperet, & longo poſteà intervallo ſuperaverit, hoc uno illum ſe fœliciorẽ & fortunaciorem fuiſſe dixit, ut Plutarchus, & alij paſsim litteris produnt, quòd immortali Homeri carmine celebratus, per totum terrarum orbem innotuiſſet,

Theatr. lit. A. pag. 689. lit. G. pag. 105 litt. H. pag. 72. litt. P. pag. 496. & ſeq. & lit. S. pag. 315.

Plutar. in Alex.

Plin. Iun. lib.6. epiſt. 17.

ſic indicans,ut aliud agens Plinius Iunior ſcripſit: *Se hoc uno monimēto homines quantumvis claros,& rerum geſtarum gloria conſpicuos à mortalitate aſſerere poſſe; nam cætera fragilia, & caduca, non minùs quàm ipſi homines, occidunt, deſinuntque.*

Plutar. in Apopht. Laconic.

Lamprid.in Alex. Severo.

Plin. Iun. lib.3. epiſt.21.

Idemque ipſum, æquè ſignanter Eudamidas apud eundem Plutarchum oſtendit,dū rogatus à quodam,quam ob cauſam Lacedæmonij, priùs quàm inirent prælium,Muſis immolarent,cum nihil illis videretur cum Marte eſſe commercij? *Vt rebus* (inquit) *fortiter geſtis, cōtingat honeſta commendatio.* Et Alexander Severus apud Lampridium,qui ita habet: *Sed amavit litteratos homines: vehementer etiam reformidans, ne quid de ſe aſperum ſcriberent.* Et Plinius Iunior, qui iā ſuo tempore hūc morem antiquum fuiſſe,his verbis oſtendit: *Fuit moris antiqui,eos, qui vel ſingulorum laudes, vel urbium ſcripſerint, aut honoribus,aut pecunia ornare: noſtris verò tēporibus,ut alia ſpecioſa & egregia,ita hoc in primis exolevit. Nam poſtquam deſijmus facere laudanda, laudari quoque ineptū putamus.* Et Antiquioribus alijs omiſsis,elegans quoque eſt in eodē argumento exornādo Ludov.Arioſtus, Principes laudans,qui Scriptorū,& dignorū Poëtarū pennis(quos raros eſſe inquit)ſe ſuaq; facta à Lethęis undis eripiunt. Contrà eos vituperans, & intellectu a Deo privatos inquiens: *Che da la Poeſia gli haſato ſchivi, &c.* 19 20

Arioſt. in Orland. Fur.cant.35.ſtanz. 22.& ſeqq.

Barclai. in Argen. lib.1.pag.101.quē lege.

Quod in Rithmis ſequentibus,omninò legendis,varijs exēplis demonſtrat, & in eandē ſententiam conſentiens Ioan. Barclaius, parum eſſe ait, in Principē ullum,velut in uno cœlo omniū virtutū ſtellas cōveniſſe,niſi nobiles Scriptores meritus,fortiuſque fuerit, qui eaſdem poſteris calamo tradant,& ultra mortalium ſortem extendant. 21

Quæ quidē omnia ſecus longè illis Principibus contigiſſe videmus, qui Heroicos Poëtas, graveſque, & eloquentes Scriptores & Hiſtoriographos ſibi gratos,beneficijſque devinctos,habere non curarunt, eoſvè in aliquo læſerunt,vel contempſerunt,cum exinde maximā ſui nominis gloriæque iacturam apud poſteros reportaverint,totque cōſperſi maculis fuerint,ut uix ad eas abluendas totus veritatis in contrariū ſe habētis Oceanus ſufficere poſsit,ut in noſtro Rege D. Petro accidit,de cuius vitijs & ſævitijs plus,quam debuit,hac de cauſa eius Hiſtoriographus Petrus Lupecius ab Ayala vulgavit,ut nuper Dom. Comes de la Roca,multis titulis clarus,docto in rem hanc libello demonſtrat;& in Paulo II. Pontifice Maximo, quem nimis Platina ab eodem malè tractatus,ſuis ſcriptis laceſsit. 22

D.Comes de la Roca in lib. de vita D. Pet.Reg.

Feſt. Avienus de ſitu Orbis.

Bellarm.& Stheu. contra Vallam, & plures alij paſsim.

Feſt.Avien.in deſcript.Orb. Filiuc. 2.ſelect.pag.343.

Eadēque cauſa Laurentiū Vallam permovit,non ſolùm cōtra aliū Pontificē,verùm & contra ipſam demū Eccleſiam Romanā,& donationē eidem à Conſtantino Imp. factam, improbè debachandi, ut latiùs Eminent.Card.Baron.& Bellarm. & Auguſt. Stheucus eandē acerrimè defendentes,enarrant. Vſque adeò certū eſt,vel puſillos Tētyrytas noſtros, quibus Dei munere legēda ſcribere datum eſt,etiam à magnis Principibus timeri ſuſpicique debere,cū & ex ira, vel favore dividant mortalibus Fata, & ſuis ſcriptis famam, infamiamvè perennem reddant,quia,ut Feſtus Avienus inquit: *Muſis in termina vita* 23

Permanet, & memori laus ſemper pullulat ævo.

Mo-

Monetæ Probitas, & Veneratio.

EMBLEMA LXXXI.



En Conſtantini Nummos homo pronus adorat.
An quia ſit Numen nummulus iſte ſibi?
Numinis æterni an quia pars non parva Moneta
Mutari obſiſtit, iam quod adoret habet?

COMMENTARIVS.

1 NON ſufficit Reipublicæ curam clavumque tenentibus, ſubditorum animos præmiorum, & beneficiorũ, de quibus egimus, gratia & liberalitate demulcire, niſi eiſdem bonam probamque Monetam conſtituãt, materia, ut poſt Paulum I. C. alij plures tradunt, electa, cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubveniat, & forma publica percuſa, uſum dominiumque, non tam ex ſubſtantia præbeat, quàm ex quantitate, neque ultra merx utrumque ſit, ſed alterum pretiũ vocetur. Quod Paulus ab Ariſtotele ſumſit, eandem doctrinam, & numorum cudendorum cauſam, & originem plenius adhuc tradente. In quo etiam argumento Plinius de Romanis agens, & Budæus, Tiraquellus, Covarruvias, & alij, de Hebræis, Græcis, & alijs Nationibus, latè verſantur.

L. 1. de cõtr. empt. l. ſi ita 42. de fideiuſſ. & latè omnes, qui de re Numaria ſcripſerũt: quos vide apud Larreã 1. to. diſcept. c. 12. ex n. 2. Marquez in gub. Chriſt. lib. 2. cap. ult.

Ariſt. 1. Pol. c. 9.

Plin. lib. 33. cap. 1. & 3. Eutrop. lib. 2. Bud. in notis ad d. l. 1. Tiraq. de retr. lign. §. 1. gloſ. 20. n. 20. Covar. de veter. num. collatio. Forcat. dial. 48. Baſil. Pont. relect. expoſ. de monet. Marquez in gub. Chr. lib. 2. cap. 39.

2 Omnes ubique pariter aſſerentes, hanc curam probæ Monetæ populis impertiendæ, adeò propriam Principum eſſe, & eſſe debere, ut

vel

Frider.Imp.inc.1. 1. quæ ſint Regalia, ubi latè DD. Sixtin.de reg.lib.2 c.7. Harniſæus & Beſold. in diſſert. de iur.Maieſt. Budel de Monet.li.1. c.28.& alij ap.Larreā d.c.12. ex n.6. & Knichen.in Encielop. c.16. ex n. 71.&in trac de ſaxum non provoc. iure,ex n.349.

vel ob hoc,ad eos tantùm,qui ſuperiorem non agnoſcunt, hæc facultas, poteſtaſque pertineat, & inter præcipua ipſorum Regalia dinumeretur,ut poſt Imperatorem Fridericum,Sixtinus,& alij,qui de Regalibus agunt,latiſsimè proſequuntur.

L.1.& 2.C.de falſa Monet.l.pen.C. eod.in Theod. Vela,& alij in trac.de delict. c. de falſa mon.iūcta l.nō tātùm, D. de appell.

Eidemque Monetæ,ita in publicum conſtitutæ,talis,tantaque auctoritas,& veneratio inſit,ut quælibet ipſius adulteratio,corroſio, reprobatio,vel immutatio, inter capitalia, imò & graviora læſæ Maieſtatis crimina cenſeatur. Ideòque, conſcij etiam huiuſmodi ſceleris, intercluſa provocandi,alioqui favorabili,& ſemper conceſſa facultate,variorum Cæſarum legibus puniantur. 3

Iſid.6.etym. c.17. Corr.3.miſc. c.13 n.3.Funger. & alij verb. *Moneta.*

Iul.Firm. in lib.de divin.Girald. ſynt. 1.pag.37.

Quod fortè occaſionem nomini præſtitit,ſi D.Iſidoro,& alijs Grāmaticis,quos Ioannes Cortaſius, & Fungerus referunt, fidem habemus,quaſi Moneta à monendo dicatur,quòd moneat, ne quid fraudis in materia,vel pondere fiat, & veluti divinum quid venerari, ſuſcipi, ac ſuſpici debeat. Ad imitationem Iunonis,quam *Monetam* etiam Romani veteres appellarunt, ut Iulius Firmicus, & alij recenſent,quòd ex arce Templi commonuerit Pop. Rom. cum terræmotus factus eſſet, ut ſue plena procuratio fieret. 4

D Iſid. d. lib.1. c. 47.D.Epiph.in lib. de pond.in fin. Fūger.verb. *Numus.*

L.unic.C.pub.lætic.D.Matth.c.21. Caſsiod. lib.6. ep. 7.& lib.7.ep.32 latè Arniſ.de iur.Maieſt.c.26.

Suet.in Caligul.

Vnde etiam & Numi nomen accepit,non ſolùm à *Nomo*, quod legem Græcis ſignificat, vel à Numa Pompilio, qui primus apud Romanos Numos cudiſſe,ſuoque nomine, & imagine inſigniſſe perhibetur,ut vulgò Grammatici tradunt; ſed potius,quia Numinis cuiuſdam(ut dixi) venerationem habebat,ſive quia Principes vultus ſuos, quos ſacros,vel æternales vocabant,numis frequenter imprimere ſolebant,ut in quadam Codicis Iuſtinianei lege, & expreſsius apud D. Matthæum, & Caſsiodorum habetur, quare & Moneta à Suetonio Iconium vocatur. 5

D. Aug. de Civit. Dei,lib.4.c.19. Girald.ſynt.1.pag.37

Iuven.ſatyr.1.

Sive, quod magis arbitror, quia Pecunia apud omnes gentes, & maximè apud Romanos,pro Dea habita fuit, eique ſe homines, ut Pecunioſi eſſent, commendare ſolebant, Æſculumque, & Argentinum Deos venerabantur, ut ex D. Auguſtino, & alijs Giraldus animadvertit, Iuvenalem ſimul expendens,& exponens,qui contrarium inſinuare videtur,dum dixit: 6

-------------- Etſi funeſta Pecunia templo
Nondum habitas; nullas numorum ereximus aras.

Cum tamen idem, in antecedentibus carminibus, divitiarum Maieſtatem inter Romanos ſanctiſsimam fuiſſe dixerit,& Pecuniæ effectus latiſsimè,& ſcitiſsimè commendaverit.

Menand.ap. Stob. in orat. de Pluti laud. Girald. ubi ſup.

Quos,& ante eum,Menander ab Stobæo relatus,& à Giraldo trāſlatus,his elegantiſsimis Senariolis, in quadam fabula retulit. 7

Epicharmus dixit hos quidem Deos,
Ventos,ſolem,terram,ignem, ſtellas,aquam.
Ego utiles verò Deos eſſe arbitror
Noſtros,& Argentum, & Aurum maximè
Iſtos quidem ſi dedices tua in domo

Quid-

Quidquid voles roges, tibi omnia aderunt,
Ager, domus, ſervique, & Argyromata,
Teſtes, amici, iudices, tantum dato,
Ipſos habebis, vel miniſtrantes Deos.

8 Cui, alijs omiſsis, noviſsimus Epigrammatarius adridet, ita, non minùs lepidè, eandem numorum Deitatem, & à Numine tractam etymologiam complectens, Oven.lib.2. epigr. 110.

An ne Numen vocant, Criticique Numiſma Latini,
Quod Nomon Argivi, quodque Nomiſma vocant?
An quia, Numme potens, numerata pecunia vulgò
Diceris, à numero tu quoque nomen habes?
An ne, Deam quia te, Regina pecunia, mundus
Æſtimat, & nummo Numen ineſſe putat?

9 Eiſdemque conſonans Heſiodus, *Pecuniam eſſe animam mortalibus,* dixit, & alij plures; quos Budelius, & Noſter Menchaca, & noviſsimus D. Ioannes de Larrea recenſent, eandem Deam, & Reginam cunctorum appellant. Inter quos Petronius ſic habet: Heſiod.in Ergis. Budel. de re num. lib.1.c.3. Menoc. in præf.cõtr.illuſt. n.77. & ſeqq. Larrea d.c.12.ex n.62 ubi vide bona verba Lorini. Petron. in Satyric.

Quiſquis habet numos, ſecura naviget aura,
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.
Vxorem ducat Danaen, ipſumque licebit,
Acriſium iubeat credere, quod Danaen
Carmina componat, declamet, concrepet omneis,
Et peragat cauſſas, ſitque Catone prior.
Iuris-Conſultus Paret, Non Paret, habeto,
Atque eſto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor; quid vis numis præſentibus opta,
Et veniet. Clauſum poſsidet arca Iovem.

10 Quapropter Salomon, inter antiqua, & præcipua Hebræorũ Adagia, illud collocavit, *Pecuniæ obediunt omnia,* quod tam cæteris Nationibus in ore fuiſſe, quàm nunc etiam omnibus eſt in uſu, luculenter Eraſmus, Delrius, & Pineda, idem ipſum Adagium illuſtrantes, oſtendunt. Et Apollinis Pythij Oraculum, qui Philippo Macedoni conſulenti de victoria, reſpondit: *Argenteis haſtis pugna, & omnia vinces:* De quo etiam idem Eraſmus aliud Adagium deduxit, addens, & ſimul Delrius, huc fortè alluſiſſe Verris, rapaciſsimi hominis, dictum apud M. Tullium: *Nihil tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſsit.* Eccleſ.c.10. v.19. Eraſ. in hoc Adag. pag.521. Delri⁹ 2. tom. pag 438. Pined. in Eccleſiaſt. d.c.19.v.19. Eraſ.ſup. pag.522. Tull.2.in Verr.

11 Quod veteres oſtendere volentes, Danaes fabulam confinxerunt, ab Acriſio patre munitiſsima turri incluſæ, quàm tamen Iupiter in imbrem aureum converſus, & per tegulas in puellæ gremium ſe ſe dimittens, gravidam fecit. Quàm ultra Horatium, & Petronium modò relatum; Paulus Silentiarius hoc lepido Epigrammate explicat: Horat.3.carmin. od.16.quem lege.

Aureus in cæcas penetravit denique rimas,
Et Danaes duros Iupiter in thalamos
Fabula ſic inquit,me iudice: ferrea clauſtra
Aurum perrumpit,duraque vincla domat:
Aurum omnes vectes infregit,& arguit artem
Clavis,& inflexit torva ſupercilia.
Sic Danae devicta fuit,non ullus amator
Aurum cui fuerit,ſupplicet hic Veneri.

Henr. Stephan.in præf. ad ſent. Comic.Græc.

Philemon quoque Comicus apud Henric.Stephanum, in eiuſdem 12
thematis comprobationē, Amaltheæ cornu ex ſe omnes fructus evomens,non bovinum,ſed aureum,vel argenteũ pingendum eſſe inquit, quod ex his metallis omnia bona promanent. Sic etenim habet:

An cornu Amaltheæ fuiſſe exiſtimas,
Vt pingitur pictoribus,cornu bovis?
Argentum erat,quod poſsidere ſi queas,
Mox cuncta præſtò, nutum fuerint ad tuum
Teſtes, Amici, ſocij, itemque prædia.

Iunius inter Adag. Eraſm.pag.264.

Quorum carminum etiam meminit Hadrianus Iunius in Adagio *Herculis cornu*,illud in eundem ſenſum exponens,& plura ſimul de Amalteæ cornu litteris tradens.

Dio lib.43. Livius lib.32.

Demoſt. in Olynt.

Sunt etiã, qui hoc ipſum veluti Emblematicè ſignificare voluiſſe, 13
Romanos exiſtimant,dum in non paucis è priſcis numis, fulmen pro nota inſculptum reperitur, quaſi pecunia fulmini comparetur. Quod etiam,& quidem aureum, Aquilas,quas ijdem Romani pro ſuarum legionum ſigno geſtabant,unguibus tenere, Dion, & Livius (fortè ex eadem ratione) teſtantur, cum pecunia belli fulmen, & nervus à Demoſthene vocitetur.

Batil.Embl.202.

Neque abludit aliud Emblema Batilij, ex illo Apollinis ad Phi- 14
lippum Macedonem oraculo ſumtum, in quo hominem pingit, aurea balliſta munitiſsimę urbis portas evertere, vel aperire cōnantem,& ſic habet:

Et ſtabiles Aurum portas,& clauſtra revellit;
Hæc Balliſta ſacram deiicit una fidem:
Aurato cornu multas non irritus urbes
Pulſatas;Macedo ſic ſibi ſæpè tulit.

L. 1. & 2. C. de falſ.monet.

Ego verò, non ſolùm Monetarum poteſtatem, ſed & auctoritatē 15
& venerationem,quam habere debent, Principibus inde re,& ſuadere prætendens, nullum aptius Emblema excudi poſſe exiſtimo, quàm hoc, quod nunc ob oculos pono,ex Conſtantini Magni Imperatoris Numiſmate ſumtum. Hic enim non contentus ſeveriſsimas illas æquè ac ſaluberrimas leges, quæ in Iuſtiniani Codice reperiuntur, contra Monetæ adulteratores promulgaſſe, ſic quoque effigiem ſuam numis inſculpi voluit,ut hominis flexis genibus Deum invocantis, in cœlū-

que

que panſis manibus convenientis, ſpeciem præſeferret, ut latiùs in eius vita Euſebius enarrat. Quo exemplo, ſive figura, licèt pietatem eius detegi, idem Euſebius exiſtimet, Harniſæus tamen ſignificare, & admonere voluiſſe, inquit, quanta veneratione Moneta haberi deberet, quam vel ipſe pronus adorabat, vel ex panſis ad cœlum manibus, ut pro ſalute populi cederet, precabatur.

Euſeb. in vita Cõſt.
Harniſ. de iur. Maieſt. d. cap. 7. n. 5.

16 Vnde ipſe hic idem Magnus Imperator, Monetas, *ſuas*, alibi vocat, ut Maieſtatem Imperialem illis ineſſe demonſtret: & Caſsiodorus, in earum veneratione cunctorum ſalutem conſiſtere, loquens cum Comite ſacrarum largitionum (cuius erat miſsilia Principis nomine Kalendis Ianuarijs in vulgus ſpargere) his verbis oſtendit: *Verùm hanc liberalitatem noſtram alio decoras obſequio, ut figura vultus noſtri metallis uſualibus imponatur, Monetamque facis de noſtris temporibus futura ſæcula commonere. O magna inventa Prudentum! ò laudabilia inſtituta Maiorum, ut & imago Principum ſubditos videatur paſcere per commercium, quorum conſilia invigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum!*

L. 2. C. de falſ. monet. l. ſi quis nummum, eod. tit. in Cod. Theod.
Caſsiod. li. 6. ep. 7.

17 Et iterum, ſic appoſitè inquiens: *tamen omninò Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, ſi in noſtra peccatur effigie? quam ſubiectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinat? Sit mundum, quod ad formam noſtræ ſerenitatis adducitur. Claritas Regia nihil admittit infectum. Nam ſi vultus cuiuslibet ſincero colore depingitur, multò iuſtiùs metallorum puritate principalis gratia cuſtoditur. Auriflamma nulla iniuria permixtionis albeſcat. Argenti color gratia candoris arrideat, æris rubor in nativa qualitate permaneat, &c.*

Idem lib. 7. ep. 32

18 Qua eadem in cura adeò etiam invigilarunt Romani, ut ad eiuſdẽ monetæ auctoritatem; & probitatem conſervandam, Romæ, in æde tantùm Iunonis Monetalis eam percuti ſinerẽt, præfectis in hoc opus æris, auri, argentique flatoribus, quos Triumviros Monetales vocarunt, ut poſt noſtrum I. C. Pomponium, & alios, qui de Romanorum Magiſtratibus ſcripſerunt, benè Bernardus Vvaltherus, & Ioann. Bodinus obſervant. Addentes, in Francia quoque, & in Anglia, eadem de cauſa, non alibi, quàm intra ipſorum Regum Palatia Monetarum cuſsionẽ permitti, ubi eundem etiam Triumviratum Monetalẽ hodieque vigore ex Arreſtis Paponij ſatis apparet.

Pomp. in l. 2. D. de orig. iur. §. deinde cum eſſet.
Vvalt. 2. miſc. c. 6.
Bodin. de Repub. lib. 6. cap. 3.
Papon. lib. 4. tit. 9. pag. 126.

19 Prout & in clariſsima, prudentiſsimaque Venetorum Republica, de cuius hac in parte cura, ita valdè ad rem noſtram Gaſpar Contarenus ſcribit, *De Præfectis Monetæ nihil eſt quod plura dicamus. Eius Magiſtratus illa cura eſt, ne argentum, aut aurum imperfectius, aut impurius cudatur, quàm lex ſtatuit: nevè numi ſint minores pondere, quàm lex iubet, quod ſanctiſsimè apud Nos ſervatum fuit, quamobrem maximo in pretio apud omnes nationes barbaras, ne dum apud Chriſtianos, Veneti numi ſemper fuerunt, hodieque ſunt.*

Contar. lib. 4. de Rep. Venet. fol. 70
Clapmar. de arc. rer. pub c. 16. Larrea d. c. 12. n. 36.

20 Apud Turcas quoque, eandem rei numariæ curam, & quòd nemini numorum cudendorum poteſtatem faciant, Bonfinius, Leunclaius, & alij agnoſcunt, & laudant, quos Arnoldus Clapmarius, & noſter D. Ioannes de Larrea recenſent. Et ultra eos Scipio Gentilis, & Herin-

Scip. Gent. ad d. c. 1. quæ ſint reg. §. 3.
Hering. de Molẽd. q. 1. n. 14 pag. 6.

gius,

gius, addentes, quòd ſi quando Turcici Imperatores, aliquos in Reges Principeſvè conſtituunt, aut in fidem clientelamvè ſuam recipiunt, duo hæc ſemper excipere ſolent: *Monetas, & preces publicas, pro ſalute Principis.* Et idem in Imperio Germano hodie obſervari, tradit noviſsimus Nicolaus Bernegerus, electis ponderatoribus, probatoribuſque Monetarum, quos veteres *Zigoſtatas* appellarunt, quibus cura rei monetariæ, luſtratioque commiſſa, in dictis eam ad rem binis quot annis diebus, Kalendis nimirum Maij, & Octobris.

Berneger. in quæſ. ad Tacit. de moribus Germ. q. 19.

Et Ego hic peculiari obſervatione hoc notare volui, ut almæ noſtræ Hiſpaniæ incuriam hac in parte ſuccenſeam, quam cum Deus quaſi Dominam Arbitramque, ſive diſpenſatricem auri, argenti, aliarumque totius orbis divitiarum effecerit, ut iam in huius libri præfatione retulimus, atque adeò cæterorum Regnorum numiſmata ex ſuis pendere deberent, nullibi tamen minor huius rei cura conſpicitur, neque Magiſtratus aliqui, Monetaleſvè Triumviri conſtituti reperiuntur, qui auro, argento, ærivè probè conflando cudendoque præſint, & ne quid detrimenti ex adulteratione propriæ Monetæ, vel extraneę illatione, ſive invectione Reſpub. capiat, ſedulò curent. 21

Quod in cauſa fuit, ut hiſce noſtris calamitoſis temporibus cuprea ſive ærea ferè obruti ſimus, & in ea, argenteaque etiam, & aurea, tot mutationes, & variationes, augmenta, & diminutiones experti, plurimis circa eas, & quidem ſæpè ephimeris legibus, ſeu pragmaticis latis, ut nec marinus apud Græcos Proteus, vel apud Latios Vertumnus, tot, ut alibi Propertius ait, in uno corpore formas acceperint, & plus ex his damni, quàm ex hoſtium bellis, & telis acceperimus, ita ut vel exteri Scriptores noſtram hac in parte incuriam, ne dicam inſcitiam, notare potuerint. Inter quos eloquentiſsimus Carolus Scribanus: *Se neſcire* (ait) *quomodo inter tot magna ingenia, tot ſelecta Regia Conſilia, huic malo obviam itum non ſit. Niſi quis credat Potentiam & Prudentiã iuxtim ſtabulare non poſſe, ut credas refractarios, & indomitos equos, quos unum equile non capiat.* 22

Proper. lib. 4. eleg. Eraſm. in Adag. Proteo mutabilior.

Auct. Gallo Polit. apud Caranzam de monet. 3. p. cap. 5. Maced. in Manifeſ. Luſitan. Scriban. in Polit. Chr. lib. 1. cap. 24.

Cum tamen apud omnes non minùs notum, quàm certum ſit, florẽtiſsima Regina, vel ob hanc tantùm cauſam non ſolùm cæſsim, vel ùm peſſum iviſſe, ut multis exemplis ab omni Antiquitate petitis plures paſsim Auctores oſtendunt. Et ſignanter Noſter Ioannes Mariana, de Rege noſtro Alfonſo X. agens, qui vilioris materiæ monetas ſuis populis dedit, & damna quæ hanc mutationem conſequuta ſint (veluti ea quæ nos experti ſumus) enarrans, ſic habens: *Immutatæ pecuniæ dolor urebat, unde maior annonæ charitas eſt conſequuta. Id malum novo incommodo, cum remedium quæreretur, cumulatum. Rerum venalium pretia à Rege taxata ſunt, unde ſuprema annonæ difficultas extitit, rerum dominis eo pretio vendere recuſantibus. Sic maiorem plerumque perniciem afferunt, quæ ſapientiſsimè in ſalutem excogitata fuiſſe videbantur.* 23

Tymp. in ſp. Princip. Pontius in relect. de Monet. Theat. vit. human. eod. verb. Saaved. in id. Pol. pag. 458. & 530. & 535. & alij apud Larream diſcep. 12. ex n. 49

Marian. de rebus Hiſp. lib. 13. c. 11.

Similem quoque caſum in Gallia contigiſſe narrat Robertus Gaguinus, cum Philippus Valeſius Monetæ æſtimationem auxit, ita ut quæ unius denarij erat, quinque denariorum parvo poſt tempore haberetur: *Hac enim* (inquit) *res annonæ charitatem importavit, ita ut* 24

Gaguin. hiſt. Frãc. li. 8. pag. mihi 143.

triti-

tritici ſextarius LXXVI. avenæ verò ſeptuaginta ſolidis venirent. Et alios plures cumulant Keckermanus, Oreſmius, & Biel, prudētiſsimos quoſque viros iudicare tradentes, magnorum mutationum in Rebus publicis præſagia eſſe, inſolitam quamlibet Monetæ mutationem, ſeu depravationem, aut augmentationem; utpotè, quæ ſubiectos ipſos ad defectionem impellat, & extraneos, in eorundem Regnorum, quantumvis florentiſsimorum, ſubverſionem alliciat. Ac quaſi ex Oraculo prodijſſe Bodini ſententiam, docentis, non modò corrumpi Monetam, ſed ne mutari quidem poſſe, ſine incommodo civitatis: quoniam mutatio pretij, aut materiæ numiſmatum, cenſus etiam, ac bonorum cuiuſque dubitationem affert. Quo fit, ut nemo quantum in bonis habeat, conſtituere poſsit: incerta ſunt pacta conventa, incerti reditus, vectigalia, tributa; denique pœnæ ipſæ ac præmia, quæ à legibus, & iudicibus irrogantur. Poſtremo ærarij opes, ac multa, tum in publicis, tum in privatis rebus rationibuſque, dubia, ac ſuſpenſa fore neceſſe eſt.

KecKerm. 1. pol. cap. 2. Oreſm. & Biel in trac. de Monet. Aſcaff. de ærario pag. 217.

Bodin. de Repub. lib. 6. c. 3.

25 Quod etiam ante eos explicuit Caſsiodorus, his verbis: *Additur, quod venalitas cuncta diſſolvitur, ſi victualia metalla vitiantur: quando neceſſe eſt reſpui, quod in mercimonijs corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur unius eſſe commodum, diſpendia ſcelesta cunctorum, ut deteſtabile vitium venire poſsit ad pretium?*

Caſsiod. li. 7. epiſt. 32.

26 Et ut verè ſentit Matthęus Lop. Bravo, qui cum hæ Monetarum mutationes in Hiſpania noſtra contigerunt, ſcripſit: *Nec mercium* (inquit) *in iſta alijſq; pecuniarijs in deterius mutationibus, proderit taxatio: malo enim (ut Hiſpana hiſtoria, experientiaque docuit) remedium exitialius. Omnis namque merces ſuas recuſabit vendere mercator. Vnde maior caritas, inopia, & ſeditionis properatio.* Et Chriſtophorus Beſſoldus, poſt plura alia, quæ in eandem rē doctè congerit, addens, non ſolùm Monetam rerum pretia ſecū trahere, rebuſque omnibus, velut animam, ut inquit D. Auguſt. ineſſe, verùm, quod plus eſt, ex eiuſdē bono, vel malo habitu, morum quoque civilium, bonum, aut malum ſtatum manifeſtari. Atque adeò meritò Poëtam quendam dicere potuiſſe,

Bravus de regen. rat. lib. 3.

Beſſold. de iur. Maieſt. thel. 54. & in tract. de ærar. c. 6.

Et quoniam mala ſunt ſæcula, Moneta mala eſt:
Tempora ſi mala ſunt, malam & eſſe Monetam neceſſe eſt.

Et Alterum, qui magis adhuc ad noſtram querimoniam accedit, & ad Ovidij carmina alludit,

Ovid. 1. Metam.

Diſcitur ex nummis, quàm ſe mala tempora mutent.
Omniaque in peius deteriora ruant.
Aurei erant quondam numi, fuit aurea & ætas;
Nummi nunc fiunt cuprea maſſa mali.
Cuprea nunc ætat hominum eſt, nunc cuprea proles;
Inque dies fiet poſt ſcelerata magis,
Retulit ut Naſo veraci carmine doctus.

27 Vnde ſcitiſsimè Plautus nihil nequius numis novis excogitari poſſe, docuit, dum dixit:

Nam nunc novæ quæ prodeunt Comœdiæ,
Multò ſunt nequiores, quàm Numi novi.

Innoc. III in cap. quãto, de iur. iur.

Et ab Innocentio III. Pontifice Maximo, Rex Aragonum Petrus Secundus, graviter increpatur, quòd irrequiſito populo, legitima Moneta mutata, reprobam aliam induxerit, ſeque hanc non alteraturum iuraverit, & per eiuſmodi actus grave ſcandalum ſuo in populo generaverit. Additque, iuramentum illud iniquitatis vinculum, ſi ei ſtandum eſſet, fore futurum, Conſiliarioſque, qui ei huius facti auctores fuerunt, non Conſiliarios, ſed Deceptores appellat. Circa quem Textum plura noviſsimè quidam ex Noſtris ſatis doctè congeſsit, poſt eloquentiſsimum Ioannem Marquez, qui copioſum de Principum poteſtate circa Monetarum mutationem ſyntagma conſcripſit, & Ioan. Bodinus, qui Reges Aragonum, more à Maioribus accepto, cũ Imperij ſacris initiantur, iurare ſolitos inquit, ſe antiquæ Monetæ leges minimè violaturos, prout & Reges Navarræ, non niſi ſemel, ſi illius Regni hiſtoriæ, quam Beſſoldus, & Aſcaffus referunt, fides habetur. Quamvis, quoad Aragones pertinet, verius ſit, hoc iusiurandum poſt caſum dicti Textus introduci cœpiſſe, ut latiùs de tota eius hiſtoria agens, tradit Petr. Belluga, addens, *Cave ne conſulas Principi Monetæ mutationem in damnũ populi, quia non eris Conſiliarius, ſed Deceptor.* Quod gravius adhuc præmonuit Ioannes Andreas, ſub eiuſdem Textus occaſione inquiens: *Quòd multi tales hodie reperiuntur Conſiliarij, qui Deceptores ibi appellantur, & tantùm nituntur ad danda conſilia pro extorſione pecuniæ, & quod lex dicat, expellendos eſſe eiuſmodi Conſiliarios, alioſque idoneos introducendos.*

D. Larreà diſc. 12. n. 42. & 65.
Marq. in gub. Chr. lib. 2. cap. ult. §. 2. ex pag. 223.
Bodin de Repub. lib. 6. cap. 3.
Beſſold. de ærar. cap. 7. Aſcaff. dict. pag. 217.
Belluga in ſpecul. Princip. ann 1245. & 1336 Marquez ubi ſup. pag. 224. & in rubr 36. §. grave damnum, n. 10. in fin vide Carrãzã de monet. pag. 364.
Ioan. Andr. d. cap. quanto, n. 2.

Qui ſanè ſi tales ſe oſtendere cupiunt, vulgatum Diſtichum præ 28
oculis ſemper habere debebunt,

Vna Fides: Pondus: Menſura: Moneta ſit una,
Et ſtatus illæſus totius orbis erit.

Vvarem de ſubſidijs, c. 5. n. 37.

Et nobile apophthegma cuiuſdam Landgravij Haſsię ab Vvaremundo Erembergio relatum, qui auctoritatem Principis, & cognoſci, & retineri hiſce tribus notis dicere ſolitus erat, *Tuto itinere, Fide promiſſi, & proba Moneta.*

Pragenſ. apud Heringium ſtatim citandum.

Et in idem tendit gravis de cõtrario in Bohemia uſu querela Coſ- 29
mę Pragenſis, inter alia referentis, Carolum Magnum, cum filium ſuũ Pipinum, poſt ſe in ſolium ſublimandum diſponeret, eum terribili cũ ſacramento conſtrinxiſſe, ne in Regno ſuo ſub dola, & prava taxatio ponderis, aut Monetæ fieret. Et ita ſubiungit: *Certè nulla clades, nulla peſtilentia; nec mortalitas; nec hoſtes, totam terram rapinis incendijſque devaſtantes, magis populo Dei nocerent, quàm frequens mutatio, & fraudulenta peioratio nummi. Quæ peſtis, aut quæ infernalis Erynnis inclemẽtius ſpoliat, perdit, attenuat Chriſticolas, quam fraus in nummo herilis?* Similem querelam in eodem Regno Bohemiæ ſub Rege Ioanne, ex Dubravio recenſet Heringius. Addens ex Auctore Chronici Aulæ Regis ex cuprea numorum materia, & corrupta eorum forma, impediri omnium rerum venalium fora,

Hering in tract. de Molendin q. 1. n. 14. pag. 6 & ſeqq.

Nam

Nam quivis ſutor his nummis dixit abutor,
Et dixit ſartor, ex his nummis nimis arctor.
Conqueritur Piſtor, meus omnis quæſtus in his tor
Pet nummis. Triſtis etiam fit Faber in iſtis
Denarijs parvis. Luit hoc villanus in arvis
Artificum turbæ clamant ſuper hoc, & in urbe,
Optant deleta, citò quod ſit iniqua Moneta.
Nemo ſtat exceptus, qui non damnum ſit adeptus.
Per talem fraudem; ſi ceſſat, tunc cane laudem.

30 Quod ſi noſtra tempeſtate obſervatum fuiſſet, tot ærumnas ſub æroſis, ac doloſis Monetis non pateremur, nec ſenſim in Hiſpaniam noſtram nefandum illud Politici cuiuſdam dogma prorepſiſſet, qui numum nuper cudi ſuaſit, cum hac inſcriptione, *Moneta pro tempore*, quaſi ſeculum noſtrum ita pravum ſit, ut vel in numis nulla fides, nulla probæ materiæ quantitas, vel qualitas attendi ſoleat. Quod perinde eſt, ac ſi doceret, ipſum omnem ſtatum, quem hoc modo ſublevare aliqui Principibus conſulunt, de ſuo ſtatu deturbari oportere, & Chriſtianos Gubernatores Antonini Caracallæ peſsimos mores induere, cui, Xiphilino, & Dione Caſsio teſtantibus, tum, cætera omnia, tum numus adulterinus erat, & pro argento aurovè, plumbum inargentatum, & æs inauratum civibus dabat. Aut Hippiæ Athenienſis, cuius factum Ariſtoteles refert, & taxat, dum omnem numum, qui tum Athenis in uſu erat, Adocimon, hoc eſt improbum eſſe iuſsit, vilique eius pretio conſtituto, omnem ad ſe pecuniam deferri imperavit, quam iterum longè pluris elocavit ijs, qui eandem alio ſigno cudere vellent.

Ariſtot. in Oecconom.

31 Planè enim, licèt negare, nec poſsim, nec velim, omnem ferè numorum ſubſtantiam, non tam ex ſuæ materiæ ponderiſvè æſtimatione, quàm ex Principum cudentium iuſſu, atque arbitrio pendere, ut magis communiter omnes, qui de re numaria agunt, poſt Mætianum Iuris-Conſultum docere videntur. Hoc tamen arbitrium, iuris, ac rationis regulis temperatum eſſe debere, ijdem ipſi Scriptores. Et alij paſsim edocent, graviter illos peccare tradentes, ſi abſque graviſsima, & urgentiſsima cauſa, monetam, quam probam, & legitimam ſuis populis dare debent, proprijs lucris intenti, vero ſuo valore, aut pondere fraudent. Quod ultra alios Magiſter Marquez his verbis teſtatum reliquit: *Porque es obligacion de los Principes, como de fiadores de la fee publica, conſervar la moneda en ſu peſo legitimo, como el Papa Inocencio Tercero eſcribio al Rei don Pedro el Segundo de Aragon. I fue la cauſa, porque el Rei don Pedro el Quarto confiſcò los Eſtados del Rei de Mallorca, que pretendia era ſu vaſſallo, por averla baxado de lei. I el Poeta Dante llama al Rei Filipo el Bello de Frãcia Monedero falſo, porque èl fue el primero que en Francia enflaquecio la moneda de plata la mitad de la lei, con grandes alteraciones de ſus ſubditos, i eſcandalos de los eſtrangeros, &c.*

Metian. in lib. de aſſe, Bellug. rubr. 36. Petr. Greg. lib. 1. de Rep. c. 1. n. 31. Harniſ. cũ multis d. c. 7. Molin. to. 2. diſp. 101. & plures apud Laream.

Marquez ubi ſup. Harniſe⁹ d. cap. 7. T. Imp. in ſpec. Princip. 2. par. ſig. 23. Marian. lib. 3. de Reg. inſt. cap. 5. & plures alij ap. Laream diſp. 12. n. 38 & 40.

Polien. lib. 6. ſtratag.

Ideo autem dixi: *Sine graviſsima, & urgentiſsima cauſa*; quoniam ubi hæc ingruit, cũ omnes leges excludat, Monetales quoque tamdiu, quamdiu ipſa perſtiterit, ſibi obſequentes habebit, ut Leuconis exemplo Polienus oſtendit, qui cum pecunijs indigeret, ut hoſtibus reſiſtere poſſet, iuſsit omnem ad ſe Monetam deferri, aliudque ei ſignum impreſsit, duplicatoque pretio valere præcepit; dimidiam ſic partem dominis reddens, & alteram dimidiam ſibi lucratus. 32

Plin. lib. 33. cap. 3.

Mart. lib. 4. epigr. 89. & lib. 8. ep. 71.

Covar. de numiſmat. c. 7. n. 5 Harniſ. d. c. 7. n. 7. Beſſold. de iur. maieſt. pag. 202. Larrea diſp. 11. pag. 168.

Cui exemplo, ſimile aliud de Romanis, in bello primo Punico pecuniarum defectu laborantibus, Plinius latè recenſet, & in idem tendit, quod de libra Septitiana Martialis interpretes tradunt, & aliæ mutationes, numorumque ex plumbo, corio, papyro, alijſque viliſsimis materijs cuſsiones, quas ſub noſtris Regibus Ioanne I. & Henrico II. & alijs ubique Principibus, ex cauſis ſimilibus factas, Covarruvias, & alij a Noviſsimo Larrea congeſti commemorant. 33

L. 2. C. de cõmer. l. 1. & per tot. C. quæ res export. l. 1. & per tot. tit. 18 lib. 6. Recop.

Ego in Polit. lib. 6. cap. 1.

Et hæc quidem, pro illis ſuadenda cura & ſolicitudine probæ Monetę dixiſſe ſufficiat, dummodò illud veluti ſuperpondium addamus, hanc quoque parum proficere, niſi æquè ſolerter caveant, atque provideant, ne eiuſmodi monetæ, quodlibetvè aurum, argentum, reſvè alia, quæ pretioſa cenſeri poſsit, extra ſui Regni terminos exportetur, atque extrahatur. Quod cum nullibi non peculiaribus legibus ſanciatur, quæ etiam iubent ſubtili ingenio hæc omnia, ſi fieri poſsit, a barbaris erui, & ad nos deduci debere, nullibi tamen ſegnius, quàm in noſtra Hiſpania obſervatur, cuius calles, ut alibi pleniùs oſtendi, argento auro, pretioſiſque lapillis, ac gemmis ſterni poſſent, ſi talem in retinendo, qualem in acquirendo diligentiam & vigilantiam adhiberemus. 34

Turneb. lib 14. c. 21. Iul. Scalig. exercit. 9. Salmuth. ad Pancirol. titul. de Novo Orbe, ex pag. 26.

Barclay. de Iconib. Nationib. cap. 7.

Acoſta, Malueñda, Garcilaſſ. Maiol. Beyerl. & alij ap. Med Polit. cap. 1. & in 1. tom. lib. 5. c. 1. n. 12.

Neque enim ferendi credendivè ſunt Turnebus, & Iulius Scaliger, qui divitias ad nos ex Orbe Novo tranſvectas, flocci nauciquè faciũt, aut Satyricus ille Barclayus, qui dicere auſus fuit, quod Hiſpani, *Sui ærarij famam, opulentia Indicæ nomine, & ingentibus prætereà verbis, cautè, & induſtria fraude ſuſtentant*, cum contrarium univerſus Orbis teſtetur, qui ferè totus ex eiuſmodi divitijs dependet, & plures alij Fidei probationis Auctores, qui in illis recenſendis immorantur, & vel ex ſola Potoſienſi Argenti fodina, ex prima eius detectione, ad hæc noſtra tempora plus mille millionum extractos eſſe commemorant. 35

Cicer. in orat. pro Flacc.

Alfonſ. Carranz. in tract. de monet. 3. par. cap. 4.

Planè Cicero, Flacci edictum commendans, quo vetuit, ne ex omnibus provincijs Populo Romano ſubiectis, aurum in Ieroſolymam deferretur, ſimiles leges omni laude dignas, his verbis oſtendit: *Quis eſt Iudices, qui hoc non verè laudare poſsit; exportari aurum non oportere, tum ſæpè anteà Senatus, tum me Conſule ſæpiſsimè iudicavit.* Quem locum quidam ex Noſtris expendens, hoc ſolùm à Noſtris ignoratum, vel neglectum, prudentiſsimè, & penitiſsimè dolet, cum tot noſtræ ſubſtantiæ ſanguiſugas patiamur, & poſt detectionem Novi Orbis, in extraneas provincias; &, quod magis dolendum eſt, ut plurimum hoſticas, mille quingenti, & quod excurrit, milliones exportati dinumerentur. Vnde ob eandem hac in parte incuriam effectum eſt, ut vulnera telis noſtris facta patiamur, & cuprea vilique moneta obruti 36

au-

aurea, argenteaque careamus, & inter medias propriaſque divitias mendicemus, non ſecus, atque in medijs aquis, ac pomis ſitijſſe, & eluſurijſſe Tantalum Veteres fabulantur.

37 Qua miſeria, nullam maiorem inveniri poſſe, Salomon edocuit, dũ dixit: *Vir cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam, & homo extraneus vorauit illud, miſeria magna eſt.* Eamque Nobis velut exprobrans, aut ſubſannans Prudentiſsimus ille Francorum Rex Henricus, huius nominis Quartus, ut Petrus Matthæus in ſuis narrationibus memorat, cum in eius præſentia Hiſpanicæ divitię à quodam nimis extollerentur, & quod Piſtoleti, & Regales numi Hiſpanici ubique ferè pretia rerum conſtituerent, reliquis monetis quaſi ferias agentibus, reſpondiſſe narratur: *Hiſpanica Moneta domi ſignificat abundantiam, foris indigentiam, & neceſsitatem. Hiſpani ad nos veniunt, Nos non proficiſcimur in illos, neque nobis donant ſuas pecunias, ſed debent Nobis veluti ſuis creditoribus, & plus quatuor milliones auri quotannis ab eaſdem viliſsimis noſtri Regni mercibus expiſcamur.* Eccleſ. 6. v. 2. Petr. Matth. in narrat. Thom. Lanti in Orat. cõt. Hiſp.

38 Quod expertiſsimi & callidiſsimi Principis dictum Nos cautiores, & attentiores in noſtris divitijs retinendis reddere deberet, ne proprio noſtro gladio ab inimicis Hiſpanæ Monarchiæ iugulari videamur, & duplici damno affici, dum illud ipſum quod extrahi patimur, in Nos ipſos ſtatim converti ſentimus. Docente quippè Vegetio: *In omnibus præ ijs, expeditionis conditio talis eſt, ut quicquid tibi prodeſt, adverſario noceat; quod illum adiuvat, tibi ſemper officiat.* Et ſecundum aliam Xenophontis ſententiam: *Ab hoſtibus parta abundantia, non ſolùm commeatum, ſed immortalem gloriam apud omnes mortales parere ſolet.* Veget. lib. 3. de re milit. cap. 21. Xenoph. de geſt. Græc. lib. 5.

39 Sed nimirùm, ut de eadem noſtra incuria in Monetis cudendis, & probis retinendis, loquens, Scribanus obſervat, magna ferè Regna, vel ipſa magnitudine ſua ad neſcio quæ improvida labuntur, quaſi ſub ingenti mole fatiſcant genua, *Atque ita* (inquit) *cum orbem propè univerſum auro, argento, gemmis laſſent Hiſpani, Regnum ipſi ſuum ære fatigant ignobili, & pro auro, argentoque, æs illis ab hoſte cuſum eſt. Aut fors dicendum, ſemper abundantiam contumelioſam fuiſſe in ſe ipſam: evenire que nunc hoc apud Hiſpanos in auro, ut mirum videri poſsit, cur non vinctos in ergaſtulis habeant auro, & divitijs improbos onerent, tanto locupletiores, quanto nocentiores. Nam quid ego aliud dicam? Aurum video tota propè Hiſpania exulare, æs imperare. Quando chara mihi tellus, diſcuſsis opulentiæ tenebris lucem intuebere? Quando ægro corpori remedia admovebis? Habes Regem qualem ne voto aſſequare maiorem, amantem tui, publicique amantem boni, Audi Vota Mea Deus, audi Bonorum omnium.* Scriban. in Cath. Chriſt. lib. 1. c. 24.

(* * *)

Tributa qualiter imponenda.

EMBLEMA LXXXII.



Non carpo florem, ſed ſuccum exhaurio tantùm:
Siccine mel fingo, Flos tamen ecce manet.
Sic ſuccum è Regno (flos eſt) decerpite Reges,
Vt flos non pereat, duret amænus adhuc.

COMMENTARIVS.

L. 1. § in cauſis, de quęſtionib. Lipſi⁹, Pet. Greg Marq. Contzen, Bobad. & alij, quos Ego cōgeſsi 2.to lib. 1. cap. 13. ex n. 23. & c. 18. ex n. 3.

PROBÆ Monetæ curam, quam adeò in ſuperiore ſyntagmate Regibus, ac Principibus commendavimus, illa etiam ſubſequi debet, quæ in imperandis, temperandiſque tributis verſatur, ubi urgens occaſio, communiſvè totius Regni utilitas, illa à ſubditis corrogari ſuadet. Nam etſi negari non poſsit, hæc iuſtis legitimiſque Principibus, ubi iuſtè & legitimè indicuntur, à vaſſallis præſtari debere, utpotè in quibus totius Reipublicæ nervi conſiſtant, ut paſsim in Theologorum, Iuriſprudentum, & Politicorum libris habetur, quos alibi plena manu congeſsi. 1

Cic. pro lege Manil. & lib. 2. off.

Tacit. lib 4. hiſt.

D. Chryſ. hom. 23.

Quò reſpiciens Cicero, ea, *Ornamenta Pacis, & ſubſidia Belli eſſe*, inquit, *dandamque operam, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, tributa eſſe conferenda, & neceſsitati parendum.* Et Tacitus: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Et alibi: *Diſſolutionem Imperij doce, ſi fructus quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuantur.* Cum quibus D. Chryſoſtomus, & 2

Caſ-

Caſsiodorus, omninò legendi, conveniunt, & Rex Noſter Alfonſus Decimus, qui in ſuis Septem Partitis legibus habet; *Sen guiſada coſa, que Pechos, i Tributos ſe paguen al Rei en ſeñal del Reconocimiento del Señorio. E fueronles otorgadas eſtas coſas porque oviessen con que ſe mantoviessen honradamente en ſus deſpenſas, è con que pudieſſen amparar ſus tierras, è reinados, i guerrear contra los enemigos de la Fè, è porque pudieſſen eſcuſar ſus pueblos de echarles muchos pechos, è agravamentos.* Omnes quippè in Craſsianum illud, à Plutarcho relatum, conſpirant, *Nullam auri vim ſatis eſſe Principi, cui ſit alendus exercitus.*

Caſsiod. lib. 12. epiſt. 16.

L. 6. tit. 24. l. 6. & 11. in fin. tit. 28. par. 3.

Plut. in vita Craſ. Thom. Mor. in Vtop. pag. mihi 31.

3 Adhuc tamen ijdem ipſi Principes curare ſummopere debent, ne ſub his, aut alijs quibuslibet titulis, ultra quàm neceſsitas exigat, populos gravent, luxæ vè utilitati, aut cupiditati, potius quàm communi ſaluti proſpiciant; medicinamque ipſo morbo duriorem efficiant; ſed leviori quidem, & ſuaviori modo, quo poſsint, has ſubditis præſtationes indicant, atque ita eorum ſubſtantiam exugant, ut eoſdem ad alias, ubi res popoſcerit, habiles & idoneos inveniant. Monente quippè prudentiſsimo Seneca: *Magni animi eſt, magna contemnere: Prudentis eſt mediocria malle, quàm nimia, iſta enim utilia ſunt, illa quòd ſuperfluant, nocent. Sic ſegetem nimia ſternit ubertas, ſic ad maturitatem nō pervenit nimia fœcunditas.*

Senec. epiſt. 39.

4 Quam doctrinam Caſsiodorus, æquè prudenter de tributis agens, his verbis expreſsit: *Sed à Nobis, qui Fiſci utilitatem ſtabili volumus diuturnitate conſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas: ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatque magis deeſſe, quia immaniter viſa eſt accreviſſe.* Et rurſus inquiens: *Illud amplius noſtris utilitatibus applicamus, quod miſericordi humanitate concedimus, Regnantis enim facultas tunc fit ditior cū remittit, & acquirit nobiles theſauros famæ, neglecta vilitate pecuniæ.*

Caſsiod. lib. 4. epiſ. 38.

Idē lib. 1. epiſt. 16.

5 In eandemque collimans D. Gregorius Pontifex Magnus, ad Cōſtantiam Auguſtam Conſtantinopolitanam ſcribens, eamque rogans, ut marito Italiæ oppreſsionem, & miſeriam ob multa, & varia tributa, quæ pendere cogebatur, repræſentaret, ſic habet: *Sed ego ſuggero ad hoc, ut etſi minores expenſæ in Italia tribuantur, à ſuo tamen imperio oppreſſorum lachrymas compeſcat. Nam & idcircò fortaſsè tantæ expenſæ in hac terra minùs ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur; præcipiant ergo ſereniſsimi Domini, nihil cum peccato colligi: nam ſcio, quia etſi parum attribuitur Reipublicæ utilitatibus, ex eo multum Reſp. adiuvatur. Quod etſi fortaſsè contingat, expenſis minoribus minùs adiuvari, melius eſt tamen temporaliter nos non vivere, quàm vos ad æternam vitam obſtaculum aliquod invenire.*

D. Greg. in Reg. lib. 4. epiſt. 32. quē & alios refert Bobad. in polit. lib. 5. cap. 5. n. 11.

6 Iuſtinianus quoque Imperator, ſibi gratulans, quòd venalia ſuffragia pro eligēdis Iudicibus compeſcuerit: *Conſideravimus enim* (inquit) *quia licèt quæſtus immodicus imminuatur Imperio, attamē noſtri ſubiecti incrementum maximum percipient, ſi indemnes à Iudicibus conſerventur, & Imperium & Fiſcus abundabit, utens ſubiectis locupletibus.*

Iuſt. Imp. in Auth. ut iud. ſine quoq. ſuffr. §. cogitatio, collat. 2.

7 Cuius dictum Rex Noſter Alfonſus in quadam ſuarum lege tran- L. 14. tit. 5. par. 2.

L.2. tit.10. par.2.

ſcripſit. Et in alia, poſtquam alios modos recenſuit, quibus Rex vaſ-
ſallos ſuos ab alijs tutari, & defendere debet, hunc, rei de qua agimus
appoſitiſsimum, ſubdit: *Otroſi los debe guardar en tres maneras: La pri-
mera, de ſi meſmo, non les faziendo coſa deſaguiſada, lo que non querria que
otros les fizieſſen. Ni tomando de ellos tanto en el tiempo que lo pudieſſe iſ-
cuſar, q̃ deſpues non ſe pudieſſe ayudar de ellos, quando los ovieſſe meneſter.*
Hinc quoque fluxit, & à Maximo Tyrio, & alijs, ſummè ſemper 8
commendata fuit Alexandri Magni ſententia: *O litorem ſe odio habere*

Maxim. Tyr. ſer. 13.

dicentis, qui herbas radicitus excideret, ſive extirparet. Et vulgatior il-
la, ſemperque bonorum Principum menti figenda, quam, Suetonio

Sueton. in Tiber. cap. 13.

teſtante, Tiberius Imperator, aut reperit, aut uſurpavit. Is enim ad-
monitus ab amicis, ut provincialibus augeret tributa: *Boni & pruden-
tis Paſtoris eſſe reſpondit, Tondere pecus non deglubere.* Quæ vox, ut E-
raſmus animadvertit, adeò poſteris placuit, ut iam in Adagium tran-

Eraſm. in Adag. pag. 79.

ſierit, hodieque vulgò celebrata duret: ubi quis durior, aut inſtantior
exactor exiſtit, quam conveniat lana contentum eſſe; eſt enim, *deglu-
bere*, detrahere pellem, tractum à ruſticis, qui deglubere vocant, ſili-
quam, aut folliculum excutere, & granum ſua nudare tunica. Ton-
dent igitur, qui ita ſpoliant, ut ſortem relinquant, unde res poſsit
creſcere: deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Nam lana detonſa re
naſcitur, cute verò detracta, nihil eſt, quod deinceps poſsis auferre.
Ex quo dicterio Petrus Coſtalius unum ex ſuis Pegmatis finxit, & 9

Coſtal. in Pegm. pag. 267.

ad rem, quam tractamus, applicuit, ſub pictura opilionis ovẽ tonden-
tis, cum lemmate, *Moderatio in ſubditos*, & his carminibus:

Cui dedit Vpilio Simas tondere capellas,
Ah cruciat miſeris terga cruenta modis.
Quem tenet Herculei mæſtum præſtatio voti,
Inque uno duplex iugere munus obit:
Parvo multa quærens inſtare tributa novali,
Sæpè grave immenſo deſerit ære ſolum.

Plura ſtatim in Principes & Magiſtratus obiiciens, qui cum cõm- 10
miſſam ſibi plebem ab aliorum iniurijs, inſidijs, cæde, concuſsione, &
vi armata liberare deberent, ius unicuique tribuere, & perditorum ci-
vium conatus nefarios à bonorum cervicibus depellere, poteſtatem
dignitatemque ſuam ad eorum perniciem convertũt, provincias ſpo-
liant, omnia habent vænalia, ſervorum dimiſsiones faciunt ad diripiẽ-
das villas, vicinos ſedibus expellũt, & denique nihil aliud agunt, quàm
ut rem ſuam pleniorem efficiant.
Nuperus etiam Noſter Symbolarius, eandem doctrinam ſuadere 11

Saaved. in id. Pol. ſymb. 67. pag. 505.

Principibus volens, arborem pingit, cui putatoria falx imminet, cum
hac Epigraphè, *Poda, No corta*, ſic indicans, non dilaniandos, aut dila-
cerandos pro tributis populos eſſe, ſed putandos, leviterque, ac leni-
ter in ſuperfluis, non in humanæ vitę prorſus neceſſarijs, ea imponi
oportere, & tandem concludens, quòd *La ſuavidad en la impoſicion, i
cobrança de un Tributo, obliga à la Conceſsion de otros.* Cui mirè Hora-

Horat. lib. 4. od 4.

tianum illud adridet, qui vim viti vitam eſſe ait,

Ab

---------------- Ab ipſo
Ducit opes, animumque ferro.

Et Noſtrorum Catholicorum Regum lex quædam, quæ iubet: *Que los arboles de los montes no ſe corten por pie, ſalvo por rama, i dexãdo en ellos horca i pendon, por donde puedan tornar à criar.* L.7 tit.7.lib.7. Recop.

12 Ego autem, ut novo alio ſymbolo, emblemate, ſive ſimilitudine, hoc idem oſtendam, & moneam, Apes, quas vides, varijs floribus, ac frugibus inſidentes, depingo, quarum eam eſſe naturam Plinius, & alij Scriptores teſtantur, ita ſuccum ad flavos ſuos, ac mellificos favos conficiendos, ex illis exugere, ut nihil ipſorum utilitati viriditativè detrahant, quin potius dominos cereis ſuis, ac melificis operis ditiores efficiant, & plerumque, ut Eraſmus in ſimilibus addit, etiam ex ſpinis aſperrimis mel ſuaviſsimum, ac clariſsimum colligant. Plin.lib.11.cap.8. Eraſm.in ſimilib.

13 Quam mirabilem tenuis huius animalculi proprietatem, Ioannes Boterus ita eleganter Italis rithmis expreſsit, & ad notandos malos Principes, & bonos ad ſimilem virtutem excitandos, accommodavit, ut piaculum eſſe duxerim eius carmina meis hiſce commentationibus non intexere, quæ ſic habent, Boter. in Primavera. cant.5.ſtanz.41 & ſeqq.

L' Ape è fornita di tal providenza,
E di circoſpettion ſi nobil piena,
Che ſi procaccia l' util proprio, ſenza
Ch' altri ne ſenta detrimento, ò pena:
Tragge dall' herbe, è fior la quinta eſſenza,
E reſta all' herbe è fior lor forza, è lena,
Succhia ella il mel; è à te riman, con tutto
Il ſuo vigor, e ſua bellezza, il frutto.

Imparin quinci quelli, che non ſanno
Coſa operar, che gravi altrui non ſia:
Ne par lor de far ben, ſe non fan danne,
Se non fanno al vicin lor traverſia;
Se col pie sù la pancia altrui non vanno,
Se non uſano è forza è tirannia.
Razza importuna, barbara, perverſa,
Degna d' eſſer da gli huomini diſperſa.

Imiti l' ape che fa lo dolce mele,
E la cera nudrice del bel lume,
Senza dannegiar punto le tue mele
O l' herbe, ò i fiori onde il buon ſucco aſſume;
Senza far coſa onde tu tiquerele,
Per che il giardin ò l' horto ſi conſume
Fa in ſomma agitamente il fatto ſuo,
Non però recca danno alcuno al tuo.

Marq. in gub. Chr. lib. 1. c. 16. §. 3. Bobadilla lib. 5. cap. 5 per tot. Velazq. de opt. Princ. lib. 3. à n. 12. & 13. & lib. 4. à n. 5. Villaroel in lib. Iudic. c. 13. n. 14. Saaved. dict. Empr. 67. Lopez Bravo de reg. rat. lib. 3. fol. 31.

Quod Monitum latè ornari poſſet ex ijs, quę doctè, ultra alios, Politiſsimi noſtri Politici Marquez, Bravus, Bobadilla, Ioan. Ant. Velazquez, Chilenſis Epiſcopus, & noviſsimus Saavedra litteris tradũt, animadvertentes, Optimum Principem, & ſuorum amantem, ſolùm æqua, & legitima tributa & vectigalia à ſuis vaſſallis exigere, eaque introducta eſſe, non ut ipſe augeatur, ſed ut Populus defendatur; putareque debere, tunc maximè ſuum negotium agere, cum publicum agit, & regnantem ditare, aut depauperare, quicquid cives ditat, vel depauperat. 14

Ierem. 23. 1.

Iob. 27. 16. & ſeq.

Proverb. 22. 16.

Quod, vel ipſis tacentibus, ſatis paſsim Pagina divina proclamat, apud Ieremiam Principes, deglubentes populos ſuos, his verbis comminans: *Væ Paſtoribus, qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus: ideò hæc dicit Dominus Deus Iſrael ad Paſtores, qui paſcunt populum meum.* Et apud Iobum inquiens, parum ipſis divitias, quas hoc modo comportaverint, pro futuras; & quòd *Cum aperierint oculos ſuos, nihil invenient, ſed iuſtus veſtietur illis; & argentum innocẽs dividet.* Quod etiam Salomon in Proverbijs edocuit, dum dixit: *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit.* 15

D. Baſil. in orat. de avarit. & homil. 7. in Hexam. vide integrum locũ ſup. Embl 65.
Abulẽſ. ſup. Matt. cap. 22.

In quæ loca reſpiciens D. Baſilius, eos qui ita ſe habent, piſcibus ſimilat, qui ſe invicem commedunt, & tandem maior ab ultimo victore abſorbetur. Et Abulenſis, poſt D. Chryſoſtomum, inquit, vocem illã Chriſti Domini: *Redde quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; de illis quidem Tributis accipienda eſſe, quæ in nullo Pietati nocent, *Quia ſi aliquid tale fuerit, non adhuc Cæſaris eſt, ſed diaboli.* 16

Xenoph in lib. de laud. Ageſil.
Philoſt. in vita Apoll. lib. 5. c. 13.

Xenophon etiam, licèt divinis præceptis non inſtitutus, Ageſilaum monentem inducit: *Vt plurimis eos bonis cumulet, qui ſub Imperio ſuo conſtituti ſunt.* Et Apollonius apud Philoſtratum, Veſpaſiano Auguſto conſuluit, ut eas divitias magni dumtaxat faceret: *Non quæ in occulto repoſitæ iacent, quid enim hæ ab arena cumulo differunt? Nec ea, quæ ex collatione tributorum à gementibus hominibus proveniunt. Atrum enim ſordidumquè putandum eſt aurum, quod ex lacbrymis oritur, divitijs autem optimè ſupra omnes Reges uteris, ſi eas egentibus communicaveris, divitibus autem permiſſeris, ut facultatibus ſuis tutò frui poſſint.* 17

Caſsiod. lib. 12. epiſt. 13.

Caſsiodorus quoque, ultra loca, quæ iam ex eo adducta relinquo, multus eſt in eodem documento præſtando, & Principibus ſuadendo, ut vel ob hoc ipſum, quòd divitiarum augmenta procurant, parcè illas à ſubditis colligant, ſic enim in quadam epiſtola inquit, Principes increpans, qui ſubditos, quos paſcere deberent, exhauriunt: *Pudeat* (inquit) *illis tollere, quibus iubentur offerre. Vltra omnes crudelitates eſt, divitem fieri velle de exiguitate mendici. Amentur honeſta lucra; horreantur damnoſa compendia: nullus audeat inde tollere, quod poſsit collecta diſpergere. Addendo perdidit, qui retinendo collegerit; & paupertatem potius ad ſe trahit, ſi exigentium pecunias non repellit*, ubi Ego *egentium* legi debere, contenderim, licèt Fornerius, & Broſſæus cum vulgari lectione pertranſeant. 18

19 Et rurſus in alia, ob eandem rationem incrementi, quod quærimur moderationem, de qua agimus, adhiberi debere, his verbis inſinuat: *Crementa fiſcalium Tributorum iuſtiſſimo ſunt penſanda iudicio: quia ſervientium imminutio eſt, huius illationis acceſſio, quantumque pars illa proficit, tantum ſe huic firmitati ſubducit, ideòque excludenda eſt a diſpendioſa ſemper enormitas. Nolumus enim tale aliquid indici, quod ſit neceſſe removeri.*

Idē lib. 4 epiſt. 38

20 Quod & ipſum Sanctus Epiphanius Theodorico Regi pro Ligurū Tributis imminuendis conſuluit, cuius verba, Ennodio referente, ſic habent: *Liguribus tuis largire, quod proferas, tribue, quod reponas: futurorum quæſtus eſt temporalis indulgentia. Boni Principis eſt, cum virtutibus amare famam, &c.*

Ennod. in vita S. Epiphan.

21 Relictiſque alijs, quæ in rem hanc expendi facilè poſſent, dignum eſt, ut ſilentio non involvatur, celebre illud Vlpiani I. C. reſponſum ubi conſulit, antiquitus conſtituta & conſueta munera, & onera, in provincijs ſervari debere: *Ne ſine diſcrimine, & frequenter his Provinciales oppreſſi, ſimul & viris, & viribus Reſpublica deſtituatur.* Quo loci verbum illud, *Viris*, non ſolùm eò tendit, quòd cives, tributis gravibus onerati, deficere vel aufugere ſolent, & quod multoties evenit, & Neapoli, atque alibi hiſce noſtris temporibus contigiſſe vidimus, in defectiones & ſeditiones prærumpere, ut multis ab omni ætate petitis exemplis Aſchaffus, & Beyerlinchius oſtendunt, & Monoſtichum inquiens: *Propter exactam Tributum plurima eſt rebellio.* Sed in illud etiam, quòd parentes à generandis, & procreandis liberis abſtinent, ubi ſe immoderatis tributis gravatos, vel gravandos eſſe conſpiciūt. Sic enim Seneca, de hac fœlicitate ſub bono Principe agens: *Tollere* (inquit) *fœminæ filios cupiunt, ut publicis malis indicta ſterilitas recludatur.*

Vlpian. in l. & qui originem, § Præſes, D. de muner. & honor.

Aſchaff. de ærar. in Indice, verb. *Seditiones*, Theat. vitæ human. lit. T. pag. 113.

Senec. epiſt.

22 Et Plinius Iunior, poſtquam ſæpè & valdè ſuum Trajanum laudavit, quòd non ſolùm in tributis ſuo tempore conſtituendis parciſſimus fuerit, verùm & ab alijs retrò Principibus conſtituta, remiſerit, nihil referre iniquitatis exiſtimans, exigi, quod deberi non oportuerit, an conſtituere ut in poſterum debeatur, hinc factum eſſe inquit: *Vt fœminas etiam tunc, fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiret, cum cernerent, cui Principi cives, cui Imperatori milites peperiſſent.*

Plin. Iun. in Paneg.

23 Et expreſsiùs adhuc Nazarius, de ſimili Conſtantini liberalitate, ſeu benignitate agens, & ita ſubijciens: *Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum. Remiſſione iſta viginti quinque millibus dediſti vires, dediſti opes, dediſti ſalutem. Nam tunc liberi parentes ſuos chariores habent, & mariti coniuges non gravatè tuētur, & parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera ſibi remiſſa lætantur.*

Nazar. in Paneg. Conſtant.

24 Similes laudationes ob eorundem Tributorū levamen apud Themiſtium de Theodoſio, Eumenium de Conſtantino, Mamertinum de Maximiano, Auſonium de Gratiano, & alios paſsim Panegyriſtas legere licet, & in omnium hiſtorijs hæc eadem lenitas in Alexandro Magno, Tiberio, Pericle, & alijs Principibus, quos Beyerlinchius

Beyerl. in Theat. lit. T. pag. 214.

con-

congeſſit, commendatur. Inter quos Nerva Coceius, ut recolit Petr Gregorius, Civibus Romanis cum magna laborarent egeſtate, non tantùm agros ad ſublevandam penuriam diſtribuit, ſed veſtes ſuas proprias, vaſa argentea, atque aurea, reliquamque ſupellectilem vendidit, atque alijs ſumma benevolentia erogavit. Et ſecundùm Sabellicum Marcus Antoninus Imperator, Philoſophus dictus, cum cōficiendo bello pecuniæ deficerent, omnia aurea vaſa, argentea, cryſtalina & Myrrhina, cum omni principali ſuppellectili, ornatuque cōiugis, publicè vendidit, ne tributa imperando, civitatibus, aut provincijs gravis eſſet.

Pet Greg. lib 3. de Rep. cap. 6. n. 35. & 36.

Sabellic. lib. 4. Enead. 6.

De Ioanne quoque Rege Noſtro, huius nominis Primo, eius narrat Hiſtoria, quòd cum a quibuſdam ex ſuis Miniſtris ſuaderetur, ut grave quoddam tributum, pro conficiendo bello, vaſſallis imungeret, iratus reſpondit: *No me aconſejeis tal, que lo que es bien de mis vaſſallos, es de mi ſervicio, i lo demas, mas en daño mio, que dellos.* Quæ verba ab Imperatore Iuſtiniano mutuata videntur, in quadam ex ſuis legibus edicente: *Sed quod communiter omnibus prodeſt, hoc rei privatæ noſtræ utilitati præferendum eſſe cenſemus, noſtrum eſſe proprium ſubiectorū commodum imperialiter exiſtimantes.* 25

Chron. Regis Ioã. Primo, cap. 4.

Iuſt. Imp. in l un. C. de cad toll.

Quibus verbis alia ſimilia paſsim Caſsiodorus in ſuis formulis refert, vaſſallorum quietem, & lucrum, propriam meſſem, ac gaudium Principum eſſe inquiens, eorumque gloriam in populorum ſalute cōſiſtere, & opinionem ex ſubiectorum ſecuritate diſſeminari. Et qui velit plura, Corraſium, & Gaillium legere poterit. Et memorabile factum Theodoſij Imperatoris apud Baronium, qui adverſus Eugenium bellum geſturus, anno Imperij ſui Vndecimo; non ſolùm ab inferendis novis tributis abſtinuit, ſed recens, indictum a Præfecto Prætorio Taciano ante biennium Conſule, novo dato reſcripto, omninò remiſsit, ut in quadam lege, quæ in eius Codice extat, habetur. Et, quod plus eſt, omnia proſcriptorum bona, quæ Fiſci nomine ſingulis quibuſque idem Tatianus eripuit, vel ipſis reis, vel ipſorum filijs, aut coniunctis reſtitui mandavit, gemino ea de re dato reſcripto, quod in eodem etiam Codice reperitur. Quibus ex factis magnam excitaſſe admirationē, laudemque ſibi paraſſe, Baronius ſcribit. Statim valdè in rem noſtram, hæc verba ſubiungens: *Hæc rogo, attendant, qui in bellico apparatu non largitionibus, & eleemoſynis preces pauperum ſibi conciliant, ſed eorum luctu, & acerbioribus exactionibus, & clamoribus Deum contra ſe provocant, & infenſum penitus reddunt, ſecundùm illud David dicentis, Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Cum interdum contingat, ea ipſos ſubditos pati à ſuis Principibus, quæ nec ab hoſtibus forent aliquando experturi. Vnde accidit, ut quantumlibet belli iuſta cauſa præceſſerit, illud tamen triſte Dominus effari cogatur, indignans Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis. Cū ſcilicet cogitur (ut ita dicam) Deus invitus in ſuos arma convertere, quæ in hoſtes exacuerat iuſtus zelus.* 26

Caſsiod. li 6. epiſ. 23. & 24. lib. 3. ep. 38. & 41.

Corraſ de iuris arte, 1. p c. 23. Gail. 2. pract. cap. 56. ex num. 3.

Baron to. 4. ann. 393. n. 37. & ſeqq.

L. 23. de annon & trib. in C. Theod.

L. 1. & 13. C. de bon. proſc in Theodoſ.

Baron. ubi ſup.

Pſalm. 11.

Iſaiæ 1.

Quò etiam tendit nobile illud Apophthegma Noſtri Regis Henrici III. meritò a Docto, & Pio Viro Ægidio Gundiſalvo Davila, 27

Ægid. Gonzal. in Chron Henr. III. c. 5. pag. 9 Bobad. in polit. lib. 5. c. 5. num. 10.

qui

qui nuper eius hiſtoriam edidit, commendatum, quatenus quibuſdam conſulentibus, ut ad Regios reditus augendos, & belli ſumtus faciendos, novum quoddam vectigal vaſſallis imponeret, Regiè egregièque reſpondit: *No me lo aconſejeis, que temo mas las lagrimas, i maldiciones de mis pueblos, que las armas de mis enemigos.*

28 Ac planè, qui ſe veros Reges, hoc eſt Populorum Patres, & Paſtores oſtendere volunt, illud etiam curare ſummopere debent, ut ſi fortè urgens aliqua cauſa, gravia & inſueta Tributa ſubditis imponi ſuaſerit, eadem cauſa ceſſante, tollantur, & quod bellorum calamitas introduxit, Pacis lenitas ſopiat, ut alibi Iuſtinianus Imperator, Caducarias leges abrogans, dixit, & latè proſequitur Tiraquellus, hanc neceſsitati legem imponens, licèt alioqui legibus carere dicatur, ut eius cauſa ceſſante, ceſſet quoque, quod ob eam ſtatutum, aut introductum eſt: quia ut præclarè Innocent. Papa, idem ipſum edocens, ſubiungit, *Quod pro remedio ſtatutum fuit, conſtat primitus non fuiſſe. Aliudque eſt ordo legitimus, aliud quod uſurpatio ad præſens fieri tempus impellit.* Et ut ait Dionyſius Halicarnaſeus: *Quicquid neceſsitas pro tempore, vel privatis, vel civitatibus affert, tantiſper duret, donec ceſſet ea neceſsitas.*

Iuſtin. in l unic. in princ. C. de caduc. toll.
Tiraq. de ceſ. cauſ. 1. p. n. 184.
Innoc. PP. in cap. quod pro remedio 1. q. 7.
Dion. Halicar. li. 8

29 Qua de re cum plura alia Vaſquius, Molina, Klock, Cochier, & alij, quos noviſsimus Aſchaffemburgius adducit, comminiſcantur, contentus ero laudabilem huius rei conſuetudinem Gallorum referre, quorum Reges, ut Cochier tradit, ſolemne iuramentum præſtare ſolent, quo diſertè cavent, ſe tributa ob neceſsitatem ingruentem impoſita, remiſſuros, ut primum hanc ceſſare compertum fuerit. Quod Philippum Longum, Philippum Valeſium, Henricum IV. & alios, re ipſa confirmaſſe, iidem Auctores teſtantur, licèt hoc ita malè à pluribus obſervari ſoleat, nunquam quod ſemel aſſumſerunt, remittentibus, ut benè ex Alcibiade Marquez dicere potuerit, eos ſpeluncis leonum ſimiles eſſe, alludens ad illud Horatij:

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit, referam, quia me veſtigia terrent,
Omnia in adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Vaſq de Mēchac. de ſucc. prog. in præf. n. 68 Molin. tom. 3. diſput. 68. Kloc. Cochier. & alij apud Aſcaff. de ærar. pag 208. & 823. Cabrer. de metu lib. 2. c. 23. n. 30
Cochier in Theſ. pol lib. 2 c. 10. fol. 95. Aſcaff. ubi ſup. & iterum pag. 586
Marq. lib. 1. c. 30. pag. 105.
Horat li. 1. epig. 1.

30 Et extat notabilis Novella Tiberij II. Imperatoris, qua ſuis Populis futurorum tributorum relevationem, & præteritorum indulgentia pro quarta parte concedens, ad hoc ſe in memoriam & honorem Paſſionis, ac Reſurrectionis Dominicæ, & exemplum Ægyptiacæ ſervitutis, motum fuiſſe reſcribit, & ex iuſtitia, & benignitate: *Quarum altera æquabiliter ſuum cuique tribuit, neque appetit aliena: altera ad miſericordiam recurrit, & debitorum incommoditate egentes ſubditos liberat.* Vnde ibidem benè Interpretes adnotant, hanc, de qua loquimur, relevationem Tributorum, ex Principum iuſtitia procedere, & vel hac deficiente, ex ſola Benignitate, ſive Philantrophia, hoc eſt, ſubditorū amore, ad illorum moderationem ſuaderi debere, ne nimium gravati deficiant. Nam ut vetus Monoſtichum monet,

Reges boni minuunt tributa, augent mali.

(*⁂*)

Tib. Imp. Novell. 163. de relevat. trib.
Cuiac. Ioachim. & Matth. Steph. in d. Novell.

In Principes inſueta Tributa imponentes.

EMBLEMA LXXXIII.



Crudelis Princeps, Sceptrum curtendis in umbram
Arboris? Et nummos cur Tibi ſolvit inops?
An iuvat, umbra fugax ſolvat nunc iſta tributum?
Cum ſit at ipſa nihil, quid dabit? Ecce nihil.
Vincit Avaritia imperium; quod ſi fugit umbra,
Non fugit, Imperij ſi ſit Avara manus.

COMMENTARIVS.

Plin. in Paneg. ad Trajan.

QVI moderatum in Tributis Principem cupimus, ſatis à multis, & præſertim gravibus, & inſolitis, abſtinere debere manifeſtamus. Sed quoniam, ut habet in ſuo Panegyrico Plinius, nunquam Principibus defuerũt, qui fronte gravi, & triſti ſupercilio, utilitatibus Fiſci contumaciter adſint, & omnia ſubditorum bona ipſis ſubiacere ſuſurrent, eò miſeros ſubditos adigentes, ut novis, iiſque graviſsimis indictionibus oppreſsi, veteres ſe perſolvere poſſe deſperent, & ad vetera tributa deficiant, non videbor oleum & operã perdere, ſi in prava hac doctrina convincenda, & compeſcenda, & improba eiuſmodi hominum fæce, aut verius face, à Palatijs eliminanda, aliquantiſper immorer. 1

Certò enim certius eſt, eos qui hoc audent, vel audiunt, non tam 2

Chri-

Chriſtianum ſæculum ſapere, quam illud Domitiani, de quo idem Plinius ſubiungit, exturbatis prioribus dominis, omne ſtagnum, omnem lacum, omnem etiam ſaltum, immenſa poſſeſsione circumveniſſe, & unius oculis flumina, fontes, maria deſerviſſe, nihilque eſſe, quod non ſuum videret; atque adeò iam ſpoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum effectum fuiſſe. Ita ut de eodem dicere potuerit Iuvenalis,

Iuven. ſatyr. 4.

Quicquid conſpicuum pulchrumque ex æquore toto
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

3 Bonis quippè, Chriſtianiſque Principibus, magis preces, quàm prædæ ſubditorum placere debēt, & ut D. Chryſoſtomus monuit, *Ob illorum magis, quàm ob proprias dolere calamitates.* Secumque ſemper illud Senecæ reputare: *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulchriuſque eſſe, quàm illa corona ob cives ſervatos.* Sciréque (ut cum Caſsiodoro loquar) ſe pro remedio datos eſſe cunctorum, proprium gaudium ducere ſubditorum quietem, ornatum, illorum ſecuritatem, ſuave lucrum, ſi neſciant incommodum, & hoc verè gratanter accipere, cum eos gaudia habere præſentiūt. Regiſque noſtri Alfonſi X. oraculum, non minùs iſtis, cordi defigere, *Debe otroſi guardar mas la pro comunal de ſu pueblo, que la ſuya miſma.*

D. Chryſoſt. epiſt. 23. ad Roman.
Senec. lib. 1. de Clem. cap. 26.
Caſsiod. li 6. epiſt. 24. lib. 10. epiſt. 27. & alibi paſsim.
L. 9. tit. 1. par. 2.

4 Et longè à ſe Commodianos iſtos amandare, qui illud purius ſplēdidiuſque credunt aurum, *Quod* (ut ait Pacatus) *dederint dolentes, quod hominum lacbrymæ, non amnium aquæ abiuerint*; etenim ſi capite plectitur, qui Principis Monetam vitiaverit, quanto dignior eſt eo ſupplicio, qui Principis ingenium in re adeò gravi ſeriaque corruperit.

Pacat. in Paneg. ad Theod.

5 Illa namque ſententia, quæ temerè, & per palpum, in contrarium obiici ſolet, ex quadam Imperatoris Iuſtiniani conſtitutione deſumta· *Quod omnia Principis eſſe intelligantur*; inter plures alias expoſitiones, quas eidem Pinelus, Covarruvias, Sarmentus, Antonius Roſcius, & alij paſsim Auctores aſsignant, illam, ab Accurſio ibidem traditā, veriſsimam recipit, ut quod ad Protectionem, vel Iuriſdictionem attinet, accipi debeat; nam in reliquo, non dedignantur Pij, Modeſtique Principes, iura ſua communia ſibi eſſe cum privatis, & unumquēque verum, & proprium rerum legitimè acquiſitarum dominum, liberumque moderatorem haberi.

L. benè à Zenone, C. de quad. præſcript.
Pinel. in rubr. de reſtit. 1. p. c. 2. n. 25. Covar. 3. var. c. 6. n. 8. Roſcius 1. mem. c. 3. n. 8. Sarm. 1. ſelect. c. 20. n. 8. & alij ap. Alfan coll. 4. & Aſcaff. ord. 814. Caſtill. 2. contr. cap. 28.

6 Quæ traditio pro ſe habet Ariſtotelem, qui huc omnia Principi reducenda eſſe, prudentiſsimè docuit, ut ijs, qui ſub Imperio ſunt, non Tyrannum, ſed Patremfamilias, aut Regem agere videatur, & Rempublicam, non quaſi Dominus, ſed quaſi procurator, & præfectus adminiſtret, moderatèque vivat, nec quod nimium eſt ſectetur.

L. in re mandata, C. mand. l. in tradition. D. de pact. cū ſimil.
Ariſt. 5. pol. c. 11.

7 Sed apertius adhuc eidem favet Seneca, meritò à Cuiacio laudatus, dum dixit: *Sub optimo Rege, omnia Rex Imperio poſsidet, ſinguli dominio. Nam cum Regio more cuncta conſcientia poſsideat, ſingularum autem rerum in unumquemque proprietas ſit ſparſa, & accipere munus, & debere, & emere, & conducere poteſt. Cæſar omnia habet, fiſcus eius privata tātùm, ac ſua. Et univerſa in Imperio eius ſunt, in patrimonio propria.*

Senec. lib. 7. de bene f. c. 5. & 6. Cuiac. lib 15. obſerv. cap. 30.

Quid

Quid eius ſit, quid non ſit, ſine diminutione Imperij quæritur: namque quod tanquam alienum abiudicatur, aliter illius eſt, &c.

Gunther. in Lygur. lib. 3.

8 Quo etiam tendens Guntherus, Fridericum Æneobarbum Imperatorem ſic loquentem inducit:

Invigilent opibus cupidi, mihi ſola poteſtas
Sufficit, & cunctis dare iura potentia terris.
Quicquid habet locuples, quicquid cuſtodit avarus,
Quicquid in occultis abſcondit terra cavernis,
Iure quidem noſtrum eſt, populo concedimus uſum,
Rege figuratam, Regis patet eſſe Monetam,
Cæſaris & domino, ſub Cæſare fulget imago.

Tertull. in lib. de idololatr. cap. 25.
D. Gregor. lib. 1. Reg. c. 10. in expoſ. 4.
Vvarem. in tract. de Feder. lib. 1. ex cap. 1.
Deuter. 17. 14.
Ego 1. to. lib. 3. c. 8 n. 22. & ſeqq. & ſup. Embl. 22.

9 Et ante eum Tertullianus, illam adulatorum ferocium, Cæſarem omnium dominum appellantium, ſic eludit, *Quid erit Dei, ſi omnia ſunt Cæſaris?* & D. Gregorius Regis deſcriptionem enarrans, quæ in Sacra Pagina legitur, eique plenum ius in perſonas, & bona ſubditorũ tribuere videtur, non ad hiſtoriam præcipi inquit (ut malè nuper malus quidam Auctor probare contendit) ſed ut oſtendatur, quid acturi ſint Reges reprobi, quid vitaturi ſint boni, de quibus ex adverſo in Deuteronomio plena extat narratio, ut Ego etiam pluribus relatis alio loco diſſerui.

Claud in 4. Conſ. Honor.
Plin lib. 12. cap.
Cuiac. lib. 10. obſ. c. 7. Pet. Greg. lib. 22. ſyntagm. c. 12. & de Rep. lib. 3. c. 4. & 5. & lib. 6. c. 13. n. 8. Helgius 2. par. q. 40. n. 155. Clapm. de arcan. c. 24. Eremberg. de ſub. Reg. pag. 61. Aſcaff. de ærar. ord. 17. 826. & 886. Cabrerus de metu lib. 2. c. 23. Cromerus de reb. Polon. lib. 23.
Eraſm. in Adag. *Homo Bulla*, pag. 712.
Spart. in Peſcen. Nig.
D. Chryſoſt.

10 Nunc eoſdem Reges, ut ab immoderatis & inſuetis tributis abſtineant, Honorij Patrem imitandum proponens, qui apud Claudianum filium hortatur,

Impia continui ceſſent augmenta tributi.

Et idem ipſum præſenti Emblemate admonens, ex Romanorum aliorumque exemplo, ac pictura deſumto, qui, ut poſt Plinium, Cuiacius, Petrus Gregorius, & alij Auctores dolenter enarrant, eò avaritiæ ſive crudelitatis proceſſerunt; ut ordinarijs præſtationibus non contenti, pro arborum umbra, pro aëre, pro fumo à ſuis ſubditis vectigal exegerint; cum tamen nihil in rebus humanis inanius fumo ac umbra reperiatur, quæ eſſe tantùm videntur, cum nihil ſint. Quare Eſchillus, & Pindarus apud Eraſmum, hominis vanitatem, ſive inanitatẽ exaggerare volentes, umbram, & quidem fumi, eſſe dixerunt. Et tyrannica illa vox Peſcenij Nigri ab Spartiano damnatur: *Vos terras veſtras levari cenſitione vultis, Ego verò etiam aerem veſtrum cenſere vellem.* Et D. Chryſoſtomus eandem plagam ſuo ſæculo taxans: *Vt pecunias* (inquit) *congeramus, elementa liberè vendimus, viæ vectigales ſunt, aer venalis eſt, Decumani Portitores orbem tenent.*

Dio & Xiph. & Suet. in Veſp.
Eraſm. in Adag. pag. 79.

11 Sed neque ex fumo ſolùm, verùm & ex fimo ſive ſtercore, ab alijs tributum exactum legimus, & notum eſt Veſpaſiani urinarium vectigal apud Dionem, & Xiphilinum. Qui etiam de ſtipibus, quas mendici corrogabant, partem habere voluit, & Adagio locum fecit: *Lucri bonus eſt odor ex re qualibet*; ut latiùs in eius explicatione tradit Eraſmus. Quinimò pro natis, pro denatis, pro baptiſterijs, pro coniugijs, aut divortijs, pro canibus, pro mulis, pro caudis iumentorum, pro le-

nominibus,pro proſtribulis,pro barba,& coma prolixiori ſinenda(quod ad eas,quas hodie,heu,videmus, & vocamus *Guedejas*, aptari poteſt) pro funeribus,pro comœdijs,alijſque ludis publicis, pro funambulis, pro litibus,pro tegulis, pro lateribus, pro ſingulis focis, aut feneſtris, pro ſugrundijs,& proiectis, pro arborum ramis in cœlum exurgentibus,vel in Regias vias propendētibus,& pro alijs ſimilibus rebus,quæ vix mente concipi, nedum verbis exprimi poſſunt,à varijs Occidētis, & Orientis Imperatoribus tributa imperata reperiuntur,ultra ea,quæ iam in ordinariam præſtationem tranſierunt. Inter quæ & illud ſigillatæ Papyri, quod nuper àBatavis renovatũ,ut Beyerlinchius obſervat, ad Hiſpaniam noſtram migravit, & olim Græcis etiam cognitum, ut Aſcaffus tradit,Chartiaticum dicebatur.

Beyerl. in Theatr. verb. *Vectigal*, pag.15.
Aſcaff. de ærar, pag.18.
Eraſ. in hoc Adag. pag.77.& 78.

12 Quò reſpiciēs Eraſmus,vetus illud Adagiũ illuſtrans, *A mortuo Tributum exigere*,quo notabantur,qui per fas,nefaſque divitias undecũque congerere ſatagunt,ſolita ſua dicendi libertate uſus: *Nunc eò proceſsiſſe*(inquit)*habendi rabiem,ut nihil ſit uſquam in rerum natura,neque ſacrum,neque prophanũ,unde non aliquid fœneris extundatur.* Et ſtatim variorum tributorum,exactionumque, & exactorũ ſpecies, ac damna commemorat. Quæ, & dolentius adhuc Maſsilienſis Epiſcopus Salvianus integro Commētario perſequitur,& Romanorũ Rempublicā, vel iam mortuā,vel certè ultimum agere ſpiritum,tributorumque vinculis,quaſi prædonũ manibus,ſtrangulari,pauperéſque necari, collachrymatur.Quod etiam ſuo tempore ingemuit Boëtius, ſic inquiens: *Provincialium fortunas publicis vectigalibus peſſundari,non aliter quàm qui patiebantur indolui.* Vbi benè Ioan. Bernartius in notis,advertit, non tam Boëtium ob tributorum impoſitionem ſtomachari,quæ ſcire debuit ad Reipublicæ quietem & tutamen,ut iā dixi,omninò requiri, ſed ſolùm provincialiũ fortunas publicis &inſolitis vectigalibus peſſundari,meritòque odio haberi debere,*Homines cũ ſenis manibus,genere Geryonacio*,qui ut Comicus iocatur,rem auferunt cum pulviſculo.

Salvian.de provid. Dei, lib.4.per tot.
Boët.lib.1.proſ.4.
L. illicitas, D. de off.Præſid. tot.tit. C.vectig.nov.inſt. non poſſe, Ego latè 2 tom.lib.1.cap.1 ex n.21.

13 Qua de cauſa nihil magis in iure cautum videmus, quàm ut novæ & illicitæ,graveſque præſtationes,& exactiones prohibeantur,ac reprimãtur,ut alibi fuſiùs oſtēdo.Et ſeveriſsimè, ſimulque ſanctiſsimè, Romani Pontifices, inter atrociſsimos caſus Sedi Apoſtolicæ reſervatos,illud ſemper numerandum, putarunt, cum Domini Chriſtiani, populorum ſibi ſubditorum cervices, vel novis penſionum oneribus premunt,vel auctioribus cumulant. Semperque Pij quilibet cordatique Principes, Imperatoris Iuſtiniani documentum ſequentes: *Illa agere, & quærere debent,quæ utilitatem ſuis ſubiectis introducendo,omni eos onere liberent, & omni damno extrinſecus illato, citra publicum cenſum, & iuſtam legitimamque collationem.*

Bulla Cœn. Dom. ann. 1568. caſ.4.
Sylveſt. verb. *Gabella*, Navar. in Manual. c.27. n.58.
Auth. ut iud. ſine quoq. ſuffr. in princip. l.unic. C. ne oper. a coll. lib.10.
Ego latè d. lib.1. cap.18. ex n.70.

14 Certè enim,ut Caſsiodorus addit,*Servientium imminutio eſt,novarum illationum acceſsio, quantumque pars nova proficit, tantum ſe vetus firmitate ſubducit.* Cui ſimilis Symmachus eandem attentionem Conſtantio Imperatori conſuluit, eam reddens rationem, *Quod ſi exigantur inſolita, conſueta fortè ceſſabunt.* Et Divus Gregorius: *Auditu intolerandũ* appellat, duplicium tributorum exactionē, quàm

Caſsiod.li.4.ep.38
Symmac.lib.10. epiſt.
D.Greg.lib 9.Regum cap.1.

Plutarch. in Ant.

Eraſm. de Reg. inſtit.

exigenti Antonio, libere Hybicam reſpondiſſe, tradit Plutarchus: *Si vis duas collectas, da duas meſſes.* Nec minori libertate, quàm veritate, 16
Eraſmus, de inſtituendis Regibus agens, ſic habet: *Qui ſuos tantùm curant, quatenus expedit proprijs commoditatibus, ij non alio loco cives ſuos habent, quàm vulgus hominum equos, & aſinos: nã hos quoque curant illi, ſed omnem curationem ſuis, non illorum uſibus metiuntur. Cæterùm, qui rapacitate deglubunt populum, aut crudelitate laniant, aut per ambitionem ſuam periculis omnibus obiiciunt, peiore loco cives habent liberos, quàm vulgus emta iumenta, aut laniſtæ ſua mancipia.* Quod, ubi civium capita cenſebantur, captivitatis genus quoddã ſapere, graviter Tertullianus his verbis oſtendit: *Sed enim agri tributo onuſti, viliores hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nam hæc ſunt notæ captivitatis.*

Tertul. in Apolog. lib. 2. cap. 13.

Ribaden. in Princ. Chriſt. lib. 2. c. 10. Marq. in gub. Chr. lib. 1. pag. 204.

Et hoc agnoſcẽs D. Ludovicus, verè inter Reges Gallos Chriſtia- 17
niſsimi appellatione dignus, teſtamento ſuo Philippũ hæredem, ac filiũ rectè hæc in verba monuiſſe, ultra illius Regni Scriptores, Ribadeneira noſter, & Marquez enarrãt: *Fili mi, ante omnia in eam curam incũbe, ut Deum cultu & amore proſequaris: Animoſis pio & humano erga mendicos, & ærumnoſos homines, illiſque pro viribus opẽ feras: iuſtas tui Regni leges obſerves, ne ſubditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, niſi neceſsitas urgeat, teque manifeſta utilitas Regni compellat, idque nõ ultrò, ſed gravi de cauſa facias, ſi ſecus faxis, non Rex, ſed Tyrannus habeberis.*

Bodin. de Repub. lib 6. c. 2. Polidor. Virg. in hiſt. Angl. Pet. Gregor. lib. 2. ſynt. c. 3. Theat. vitæ hum. verb. *Tributum*, pag. 214.

L 6. tit. 7. lib. 6. Recop. Corſet. de poteſt. Reg q. 49. n. 3 Marq. ubi ſup. & cap. 16. pag. 88. & ſeqq Bobad. lib. 1. c. 5. n. 3. qui alios adducit, Cabrerus de met. d. c. 23. n. 49. plenius cæteris Larrea alleg. Fiſc. 1. p. alleg. 59. ex n. 10. Aſcaff. de ærar. pag. 542.

Barclai. in Argen. lib. 4. Pont. P, Lipſ. Navarret. Diana, & alij ap. Cabrer. ſup n 49 pag. 361 Theatr. vitæ hum. verb. *Tributum*, pag. 214.

Indeque (pluribus alijs, quæ in rem hanc adduci poſſent, ad plures 18
alios, qui de ea ex profeſſo agunt, remiſsis) apud omnes iã ferè nationes invaluit, ne nova gravioraque Tributa, niſi ex totius Regni cõſenſu comitialiter congregati, a Regibus imponantur, ut de Gallis, Anglis, Germanis, Belgis, & alijs, Bodinus, & alij Auctores ſcribunt, & in noſtra Hiſpania iam diu moris fuiſſe lex Regia teſtatur, circa cuius illuſtrationem & praxim, multa Marquez, Bobadilla, D. Ioannes de
Larrea, & alij congeſſerunt. Quod licet an expediens ſit, in quæſtio- 19
nem vocet, & diſertè ad partes diſputet Ioan. Barclaius, ſuiſque Argenidis, & Poliarchi fabulis, ſive ludis, plura ſeria commiſcens, adulatoriè in Regiam inclinet, quaſi Solio repugnet, ei ſoli liberum in hoc arbitrium non dari, & imperij nervos, id eſt ærarium, in poteſtate populi eſſe, cum bellorum cauſæ, & momenta, in quæ diriguntur, à Regia tantùm dependeant, & ſæpè huiuſmodi convocationes, & comperendinationes pati non poſsint. Certius tamen & ſecurius eſt, Populorũ quoque aſſenſum requirere, qui nunquam ſolet Regibus iuſta petentibus denegari, & requiſitus, eoſdem populos ad quærenda & eroganda nova vectigalia promtiores reddit, ſecurioreſque, Regium animum non in privatum luxum, aut commodum, ſed in communem omnium utilitatem intendere. Alioqui (ut vel ipſe Barclaius conſiderat) quis diuturnam, & publicam pacem ſperet, ſi quæ Rex adimit civibus, facit ſua, quæ relinquit, adhuc habet cum illis communia? vel quid hoſte victore acerbius expectare populi poſſent, ſi in explebilem aliquorum Regum voraginem, pro ipſorum ſolo arbitrio explere cogantur, qui Eriſichonis famem habentes, ſemper vacui, erectiſque in nova, ac futura tributa votis, egere ſe dicunt.

Et

Et hoc nimirùm eſt, quod queritur Caſsiodorus, Tributa ſæpè ſub colore alicuius publicæ utilitatis, aut neceſsitatis Indici, cum tamē nulla exinde inſurgat promiſſa conſtructio, addens, *Nimis enim abſurdum eſt, ſpondere munitiones, & dare populis execrabiles vaſtitates.*

Caſsiod. li. 9. ep. 14

20 Pro qua ſententia, omiſsis alijs, quæ Noſtri Marquez, Bobadilla, Mendoça, Larrea, & Saavedra laxiori calamo tradunt, advocare quoque ad partes poſſumus clariſsimum, & morum Regionum, & Nationum omnium expertiſsimum Hiſtoricum Philippum Cominæū, à Mariana laudatum, qui ſeriò docet, *Principes iùs nullū habere onus aliquod imponendi invito populo.* Caroli VIII. Galliarum Regis, cui ipſe à ſecretis inſervijt, hac in parte exceſſum reprehendens, & ſubdens, ſe legiſſe exemplar teſtamenti Mahometi, eadem tempeſtate Turcarū Imperatoris potentiſsimi, & prudentiſsimi: *In quo, inter alia, dolebat ei plurimum, quòd extra ordinem ſuis provincijs imperaſſet pecuniam.*

Bobadill. ubi ſup. Marquez lib. 1. c. 16. & 29. Mēdoç. in lib. 1. Reg. c. 17. v. 4 Larrea ubi ſuprà, Saaved. in Id. Polit. pag. 508.

Cominæus lib. 10. pag. mihi 657. Marian. de mut. mon. cap. 2.

21 Et quidem, cum ubi de indicendis novis vectigalibus agitur, nō ſolùm eorum quantitas, ſed qualitas, atque æqualitas, & exactionis facilitas inſpici debeat, quia ut Caſsiodorus ait: *Idonei damna vix ſentiūt, tenues autē levi diſpendio vulnerantur: quando vel mediocri iniuria totū videtur amittere, qui exiguum cognoſcitur poſsidere.* Melius hæc omnia per plures Regni Proceres, aut Syndicos, quàm per ſolos Principis trutinantur, & quid admitti, quid reiici debeat, maturiori iudicio deliberatur: ut his proximis annis in Salaria per ſingulas domos diſtributione, & nuper in toties tentata, ſemperque ſuſpecta, & ampliata, ſuper farinam penſitatione, contigiſſe videmus.

Caſsiod. lib. 7. epiſtol. 14. in fin.

22 Et nunc cum hæc litteris mando, in repellenda cuiuſdā ex his, quos *Arbitriſtas* dicimus, & ad ſuggerenda nova tributa proſiliunt, propoſitione, legem rogari ſuadentis, qua ex omniū defunctorū hæreditatibus, pro patrimonij viribus, Fiſco Regio, neceſſariò, adinſtar legatorū, quæ vocamus *Las mandas forçoſas*, aliquid relinqui, vel præſtari deberet. Ea ratione addita, quòd hoc Tributi genus mortuis nihil detraheret, vel noceret, nec ſuperſtites valdè gravaret, quibus obveniens ſibi in reliquo lucrum, & multoties inſperatum, partis alterius detractionem tolerabilem reddere poterat. Cuius Propoſitionis examen cum mihi ab Auguſtiſsimo pariterque Pijſsimo Rege, ac Domino noſtro mandatum fuiſſet, minimè dignā eſſe conſului, ut à tali tantaque Maieſtate probari, & executioni mendari deberet.

Petr. Greg. 3. ſynt. c. 12. n. 7. Angel. in l omniū, D de uſu fr. Cyriac. lib. 1. cōtrov. c. 94. n. 30. & c. 95. & ſeqq. Beyerl in Thea. verb. *Vectigal*, pag. 14. Bornit. de redit. ærar. lib. 9. c. 1. & 2 Aſcaſſ. de ærar. pagin. 934.

23 Nam etſi de alijs ſimilibus ſtatutis apud Turcas mentionem faciat Petr. Greg. Apud Peruſiam, & Mantuā, aliaſque urbes, Angelus, Cyriacus, Aſcaſſus, & alij: & apud Batavos, Beyerlinc. addens, nihil nō ab ipſis molitum, ut inuſtæ ſuæ rebellionis molē ſuſtinere valeant. Nec lōgè ab eiſdē abeſſe videatur illud, quod Auguſtus Cęſar à Iulio excogitatū dixit, & exhauſto ærario Romanis indixit, lege illa lata, quæ *Iulia de viceſsima* dicta fuit, quoniā de omnibus hereditatibus, & donationibꝰ cauſa mortis, viceſima pars in ærariū deferri iubebatur, exceptis proximis cognatis, & pauperibꝰ perſonis, ut ex Dione, & alijs latiùs Ant. Auguſt. & alij paſsim Scriptores recēſent, & præcipuè Plin. Iun. qui de eadē latè in ſuo ad Trajan. Panegyr. agēs, ſic inquit: *His vigeſi-*

Dio lib. 55. Anton. Auguſt. de legib. ex pag. 208. Cuiac. 5. obſ. c. 16 & li. 9. c. 24. Pet. Greg. d. c. 12. n. 6. Lipſ. de adm. magnit. lib. 2. c. 4. & alij ap. Argellū de acq. poſſ. q. 1. art. 1.

ma reperta eſt, Tributum tolerabile, & facilè, hæredibus dumtaxat extraneis, domeſticis grave, &c.

Hanc tamen legem, ob plures, quæ in eius executione, atque exactione ingruebant difficultates & crudelitates, valdè poſteà Nerva Cocceius, Trajanus, Adrianus, Antoninus Philoſophus, & alij Imperatores reſtrinxerunt, & limitarunt, & tandem, ſi Alciato credimus, à Gratiano Imperatore in totum abolita fuit. Certè enim hoc indicare videntur Auſonij verba, eidem Imperatori ob hanc remiſsionem gratias agentis. Quæ quidem relatu mihi digna videntur, ut Pij quilibet Reges ad ſimiles graviorum tributorum indulgentias excitentur, ſi laudes ſimiles mereri, & audire deſiderant: *Neque verò* (inquit) *unū aliquod bonum uno die præſtas, ſed indulgentias ſeculares per ſingula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum cui ſimile eſt, de condonatis reſiduis tributorum? quod tu quidem cumulata bonitate feciſti. Quis unquam Imperatorum hoc provincijs ſuis, aut uberiore te indulgentia dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentia conſultiore munivit. Fecerat & Trajanus olim, ſed partibus retentis non habebat tantùm oblectationem conceſſi debiti portio, quāta ſuberat amaritudo ſervati. Et Antoninus indulſerat, ſed Imperij non beneficij ſucceſſor invidit, qui ex documentis tabuliſque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi, publicitus ardere iuſsiſti. Videre in ſuis quæque foris omnes civitates conflagrationem ſalubris incendij, ardebant prope fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Iam ſe cum pulvere favilla miſcuerat, iā nubibus fumus involverat, & adhuc obnoxij in paginis concrematis ductus apicum, & ſeſtertiorum notas cum lubentia de ratione cernebant, quod meminerant legi, legi poſſe verentes. Quid indulgentius te, quid poteſt eſſe conſultius? Quæ bona præſtas, efficis ne caduca ſint: quæ mala adimis, proſpicis ne poſſint eſſe recidiva, &c.*

Alciat. lib. 3. diſpunct. c. 6. vide etiam Rhodig. lib. 26. c. 14. in fin.

Auſon. Gall. in Paneg. ad Trajan.

Et ſive hic, ſive alius Imperator fuerit, qui huius legis omnimodā abrogationem, vel abolitionem induxerit, certè illud cōſtat, tempore Imperatoris Iuſtiniani, propter innumeras, quas pariebat lites, & difficultates, ab aula penitus receſsiſſe, ſic enim ipſe in quadam (ex ſuis celebrioribus) ſanctione præfatur: *Edicto D. Hadriani, quod ſub occaſione viceſsimæ partis hæreditatis introductum eſt, cum multis ambagibus, & difficultatibus, & indiſcretis narrationibus penitus quieſcēte, quia & viceſsima hæreditatis ex noſtra receſsit Republica, &c.* 25

Iuſtin. in l. ult. C. de edicto D. Hadrian. tollend.

Hocque apud omnes in confeſſo eſt, licèt Ioannes Bodinus, cuiuſdam legis authoritate motus, exiſtimet, viceſsimariam illam, à novioribus Imperatoribus, quamvis ſub diverſis nominibus renovatam, & Ioannes Sturmius tradat, non uſquequaque illud tributi genus damnari debere. Quod expreſsius adhuc cenſet Iuſtus Lipſius Plinij locum ſuprà adductum illuſtrans, ſic inquiens: *Tolerabile, quid ni? Cum gaudio enim ſemper fructuſque iunctum. Et ubi largiter, ſæpè inopinatò acquirebas, quid acerbi aliquid detrahi? Mihi ſanè mirum, hodie, cum tam multa quærantur, odioſa magis, fructuoſa minus, hoc tam promtum, & obvium uſque adhuc neglectum.* 26

Bodin. lib. 6. de Repub. c. 2. per l. unica, C. de imp. lucr. deſcript. lib. 10.

Sturm. ſerm. 3. de bell. Tur. ex fol. 147.

Lipſ. in notis ad Paneg. Plinij.

Pa-

27 Parum quidem animadvertentes, quantis litibus, & difficultatibus ſubiaceret, quamque, & morientibus; & ſuperſtitibus grave eſſet, ſub prætextu partis fiſco applicandæ, omnes ſuas facultates intercipi, ad diviſionem, & calculum revocari, exactorum, hoc eſt, prædatorum iniurijs exponi, plurimiſque alij tricis, contentionibus, & diſcordijs, quas, ut alibi Papinianus ſcripſit, materia communionis, ne dum cum fiſco, verùm & inter propinquos, & fratres excitare ſolet. Quæ quidem omnia efficiebant, ut non eſſet tanta in lucro delato voluptas, ſive oblectatio, quanta in parte, quæ ſubtrahebatur, amaritudo, ut Auſonius ſuprà relatus pupugiſſe videtur.

Papin. in l. cùm pater 79. D. de leg. 2. Savaro ad Sioon. pag 223. Tiraq. de primog. q. 4. n. 27. Bobad. in Polit. lib. 1. c. 1. n. 19.

28 Et apertiùs inſinuarunt Impp. Theodoſius, & Valentinianus, quatenus de alia ſimili lege tractantes, quæ ex Curialium bonis partem quartam à Curia percipi decernebat, ob prædictas, inquiunt, difficultates: *Ab hæredibus ſua quoque iura præcipitari, dum participibus relictarum opum nocere cupiunt, Naturale quippè vitium eſt negligi, quod communiter poſſidetur, utque ſe nihil habere, qui non totum habeat, arbitretur. Deniqueſuam quoque partem corrumpi patiatur, dum invidet alienæ.* Et ſtatim aliam rationem ſubiiciunt, quæ pariter rei, de qua agimus convenit, quòd ſcilicèt, ſub hac occaſione, neceſſarium erat, ſecreta patrimoniorum, & ſuſpectum æs alienum pandere, quod etiã iure cavendum eſſe docemur: *Quid enim* (inquiunt) *tam durum, tamque inhumanum eſt, quàm publicatione, pompaque rerum familiarium, & paupertatis detegi vilitatem, & invidiæ exponere divitias.*

L. 2. C. quando & quibus, lib. 10.

L. ult. C. de alim. pup. præſtand.

29 Accedit his, bonis, iuſtiſque Principibus, ſemper eiuſmodi leges exoſas fuiſſe, atque eſſe debere, quæ ex luctuoſis ſubditorum caſibus, aut morientium facultatibus lucrum ſectantur. Indeque Papiam etiam Popæam, & alias Caducarias, tandem ſublatas, ut latè Iuſtinianus enarrat, & docto, terſoque admodum commentario, quẽ in lucẽ de eiſdem edere parat, proſequitur Dom. D. Franciſcus Ramos del Manzano, noſtri temporis I. C. veteribus non inferior, & poſt Primariam in Salmanticenſi Licæo Iuris Civilis Anteceſsionem, & honorificas aliarum dignitatum infulas, nuper pro meritis, communi omnium plauſu, ad Supremum Caſtellæ Senatum evectus. Quo fit, ut à legibus abrogatis, & antiquatis, nec exemplum, nec argumentũ ſumerè liceat, & ut huc aptè tranferri poſsit. Iambus ille, qui monet:

Omiſſa ne Rex revocet vectigalia.

L. 1. C. de naufr. lib. 11.

L. unic. C. de caduc. tollend.

30 Cui iuſtè Regnanti, illud ſolum compendium placere debet, quod ſimul & licitum & honeſtum, ac decorum videri poſsit, non autẽ alienis bonis, aut hæreditatibus invidere, quas, etiã ultro oblatas, Auguſtus, & Domitianus antequàm pravus eſſe inciperet, ab ignotis hominibus, maximè liberos habentibus, ut Suetonius refert, accipere recuſarunt. Idemque de Adriano Imperatore memorat Spartianus; & de Ælio Pertinace Iulius Capitolinus, profeſſum fuiſſe, inquiens: *Se nullam hæreditatem, quæ aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes, & ſucceſſores privarentur admiſſurũ. Addidiſſeq; S. C. hæc verba: Sanctius eſt P. C in opem Remp. obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per diſcrimina, atque dedecoris faſtigia pervenire.*

L. filius 11. D. de condit. inſt. l. nepos, de verb. ſign. cum alijs.

Suet. in Auguſto, c. ult. & in Domit. cap 9.

Spartian. in Adriano.

Capitolin. in Pertin. cap. 7.

L. pen. D. de hær. inſt §. fin. Inſtit. quib. mod. teſt. infirm.

Bodin. d. lib. 6. de Rep. c. 2.

Ad quam orationem reſpicientes Paulus I.C. & Iuſtinianus Impe- 31
rator, contrarium facere invidioſum eſſe inquiunt, & contra bonorum Principum ſectam, qui licèt legibus ſoluti ſint, tamen legibus vivunt. Quibus in locis Dionyſ. Gothofredus, poſt Baldum, notavit: *Plura privatis permitti, quam Principi. Principem, magis quàm alium, abſtinere debere ab illicitis, & illa verba aureis litteris ſcribenda.* Et Ioannes Bodinus, ex eiſdem intelligi, inquit: *Principum non eſſe, quibus dignitas maximè chara eſſe debet, ab omnibus omnia legata capere.*

L. Cùm ratio, D. de bon. dam. l. in ſuis, de liber. & poſth cum ſimil. cap. fin. 17. q. 4. Text. optimus, & omnino videndus in l. unica, C. de impon. lucrat. deſcrip. lib. 10.

Valeat ergo, qui coacta, etiã liberis & domeſticis hæredibus exi- 32
ſtentibus, ſancienda, atque introducenda ſuadet, quibus Parẽtes omnia ex voto parant, & in quibus continuatio dominij, ut civilia iura teſtantur, eò rem perducit, ut nulla videatur hæreditas fuiſſe, & magis debiti ſolutio, quam muneris oblatio comprobatur.

L. 1. C. de ſacroſ. Eccleſ. l. verbis legis, D. de verb. ſignif. l. 3. D. de teſt.

Valeat iterum, qui in teſtamentis, quorum diſpoſitiones omni iu- 33
re liberæ eſſe iubentur, coactionem relinquendorum Principi legatorum, inducere tentat, & Catholicum Regem ſimilem deteſtando Caligulæ facere, qui, ut tradit Suetonius, eorum teſtamenta reſcindebat, nullavè eſſe dicebat, qui ſibi in eis aliquod legatum non reliquiſſent; aut Marco Antonio, quem Cicero graviter de eodem iuſſu, ac metu provincialibus illato, apud Populi Romani Senatum accuſat.

Suet. In Calig. c. 38 N. Betſius de pact. fam. c. ult. fol. 732

Cicer. Phil. 2.

L. qui duos, §. ult. D. de man. teſt. cũ alijs, apud Tiraq. de conſt. 3. p. lim. 2. n. 12. Altiat. 2. parerg. c. 44. & Coſta 1. ſelect. c. 14.

Nec præſtat, quòd hic ſuggeſtor, quaſi Moniti ſui baſim, aut fun- 34
damentum adducit, hoc nimirum tributi genus grave cenſeri non poſſe: *Pues carga en los muertos, i alivia à los vivos.* Nam qui moriens hæc legata relinquere cogitur, adhuc vivus eſt, cum etiam ultimus ille articulus moriendi, vitæ potius, quam morti a Iuris Conſultis tribuatur, & nihil fortè, cum huic oneri ſe tunc ſubiectum agnoverit, ingratius duriuſvè ei contingere poterit. Hæres quoque, qui ad ſolvẽdum adigitur, vivus eſt, & quàm amarè hanc præſtationem ſubeat, ſuprà retulimus.

Eraſm in his Adagijs pag. 77. & 738

Guth in tract. de iure maritum, per tot. præcipuè lib. 2. cap. 4.

Vt omittam abſurdum eſſe, ſub eo colore levia tributa dicere, aut 35
reputare, quòd à Mortuis exigantur, cum imò ad eorum duritiem, & crudelitatem exaggerandam, vel in Adagiũ tranſierit, *A mortuo Tributum exigere,* ſive *A defunctis; vectigal auferre.* Quod Eraſmus ibidem, illi cognatum eſſe inquit, quod *Farinas à ſtatuis quoque poſcere,* mandabat, & utrumque in Tyrannos dirigi, qui ne mortuis quidem parcebant, quorum magnam fuiſſe apud veteres Religionem, & immunitatem, apud omnes conſtat, & latè Iacobus Gutherus proſequitur. Ex quibus, & alijs rationibus, quas brevitati conſulens ſilentio prætereo, dicta Propoſitio huius novi Tributi à Potentiſsimo Rege noſtro admiſſa non fuit. Idem mecum, uno ore, Regio iuſtitiæ Senatu cenſente.

(*⁂*)

In

In Crudeles Exactores,

EMBLEMA LXXXIV.



Peſtifer ut pueris venas populetur, acutam
Caudam, blanditus, mittit in ora Draco.
Mammillam reputans, lentè deluditur infans,
Et tacitum blandè cernitur ire virus.
Dulcia Rex, animos demulcens, munera poſcat;
Diſplicet exactor: grata tributa placent.

COMMENTARIVS.

1 GLORIOSIS quidem Regibus, quales Noſtros optamus, gratioſiora debent eſſe præconia, quàm Tributa, ut præclarè Caſsiodorus admonuit: *Quia ſtipendium, & Tyrannis impenditur, laudis autem prædicatio, non niſi bonis Principibus indulgetur.* Vnde non ſolùm in illis imponendis, & moderandis, ea circumſpectione, & temperatione uti debent, quam in ſuperioribus inſinuavimus, verùm & in omninò neceſſarijs, & iuſtè indictis, à ſubditis exigendis, qua maiori poſsint cura, & ſtudio procedere. Caſsiod. lib. 9. epiſt. 25.

2 Certum quippè eſt, tributa alioqui per ſe gravia, Exactorum pluralitate, & immanitate graviora reddi, miſeramque plebem exinanire, & ſæpè ad deſperationem inducere, ac proinde fortè in Sacra lingua Tributum *Mas* appellatur, à verbo *Mahas*, quod, ut docent,

S. Alreus ſerm.10. in Iſai.

qui eam callent,liquefactum quem eſſe deſignant.Exugit enim tributum,& liquefacit tributarios, & non ſolùm pellem , verùm & ſanguinem extrahit, ut S.Alreus præſenſit,explicans illud Iſaiæ: *Tunc Luna convertetur in ſanguinem* , ſic inquiens : *Tunc Luna convertetur in ſanguinem,quando manus Principum plenæ fuerint exactionibus,& vectigalibus, populo quaſi præda abutentes.*

Mich.cap.7.

Chapetus, Gononius, Montoia, & alij.

Cui adſtipulatur illud Micheæ: *Malum manuum ſuarum dicunt bonū:* 3
Princeps poſtulat, & Iudex in reddendo eſt, & Magnus loquutus eſt deſiderium animæ ſuæ, & conturbaverunt eam. Et apertiùs,inſigne dictum, ac miraculum B. Franciſci de Paula, novi, parentum noſtrorum memoria, Thaumaturgi, quòd vitæ eius Auctores recenſent. Is enim, cum Neapolim veniens,honorificè à Ludovico XI. Galliarum Rege ſuſceptus eſſet, ab eodem rogatus fuit,ut permitteret conſtrui in civitate ſua Monaſterium Ordinis ſui. Cui reſpondit Sanctus: *Melius eſſet, ut pro ſalute tua reſtitueres bona aliena, quàm tam magnas faceres eleemoſynas.* Rex verba hæc ægrè & indignè accipiens,dixit:Et putas ne me poſsidere aliquid malè quæſitum? Reſpondit Sanctus, & dixit, quòd per alienum intelligebat,impoſitiones,& tributa, graveſque tributorum exactiones,quibus populum opprimebat, quòd ſanguinem ipſius ſugebat,qui clamabant,& poſtulabant vindictam à Domino. Et cum iuſsiſſet ſibi afferri aureum numum, illumque fregiſſet, ſtatim ex eo multæ guttæ ſanguinis proceſſerunt. Rex tam celebre miraculum videns,emendationem promiſsit.

Delr.in Adag.ſacr. 1.tom.Adag.718. pag.310.

Horat.in Arte Poetica.

Plin.lib.8.cap.10.

Saa in Prover. 30. 15.

Accedit his Docti pariter, ac Religioſi Patris Martini Delrij ſub- 4
notatio,qui in Sacra Pagina Tyranos aptè *Maſſoretas*,id eſt *Emunctores* vocari docet,qui plus æquo mulgendo,& emungendo, etiam ſanguinem ſubditorum eliciunt : veræ hirudines, cutem non miſſuræ , ut alibi inquit Horatius,donec ſanguine repleantur ; unde & hæ *Sanguiſugæ*, dici, vulgò (Plinio teſtante) cœperunt; & homines nimis cupidos denotare,ut Saa noſter ſcriptum reliquit,ſic exponens, quod de *Sanguiſugis filiabus* in Proverbijs Salomon tradit,& inquiens: *Sanguiſugæ ſunt duæ filiæ, quæ ſemper clamant, da, da, præbe, præbe, affer, affer, nec unquam,etſi multa dederis, exſatiantur.*

Pacat.in Paneg. ad Theodoſ.

Cuius Tyrannicæ inexplebiliſque aviditatis , ſeu profundi maris, 5
quod ingeſtas opes abſorbeat,nullam meliorem deſcriptionem reperiri poſſe arbitror,ea, quam Latinus Pacatus Maximi Tyranni hac in parte crudelitatem recenſens,his elegantiſsimis verbis deſignat, *Spes inter hæc nulla prædonis explendi,nec enim, ut natura fert , copiam ſatietas ſequebatur : creſcebat in dies habendi fames, & parandi rabiem, parta irritabant. Vt ægrorum ſitim potus accedit, ut ignis arentibus non obruitur,ſed augetur : ita coacta publica egeſtate divitiæ , aviditatem ieiunæ mentis acuebant. Stabat ipſe purpuratus ad lances , & momenta ponderū nutuſque trutinarum pallens , atque inhians exigebat . Comportabantur interim ſpolia provinciarum, exuviæ exulum,bona peremtorum. Hic aurum matronarum manibus ex tractum,illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ , iſthic dominorum cruore perfuſum appendebatur argentum. Numerari ubique pecuniæ , fiſci repleri, æra cumulari,vaſa concidi: cuivis ut*

in-

intuenti, non Imperatoris domicilium, ſed latronis receptaculum videretur, &c. & nullas horum reliquias, nulla fragmenta, vel ſero victa faſtidia, illa communis vorago redimebat.

6 Eandem quoque, quam Nos curam, lata, & eleganti oratione ſuadere intendit. D. Gregorius Nazianzenus, in cuius notis benè, & valdè ad rem, Elias Cretenſis ſic habet: *Tributa ſatis per ſe gravia, ne per avaritiam, & duritiem noſtram graviora reddamus: neque mœroris pœnã ob infractum Dei præceptum nobis conſtitutum augeamus; vitam ſcilicet hominum, qui nobis genere, & natura ſociati ſunt, inſatiabili noſtra cupiditate calamitoſam reddentes.*

Nazianz. orat. 9.

7 Caſsiodorus etiam, ſub nomine Theodorici Regis, abuſus, qui circa exactiones publicas in Hiſpania noſtra fiebant, ſingillatim refert, ſummumque inter mortales crimen eſſe agnoſcit, *Vitas hominum vaga præſumtione populari, & levium occaſione cauſarum, ſubire multos interitum; ſicque mala pace, quaſi ludo corruere, quanti vix potuiſſent cadere ſub neceſsitate bellorum. Genuſque evidentis eſſe prædæ, pro illius voluntate dare, qui ad ſuum commodum amplius feſtinat exigere. Nihilque tam nefarium, quàm præſumtoribus licere, in ipſa etiam trutinæ qualitate peccare, ut quod eſt iuſtitiæ propriè datum, hoc per fraudes noſcatur eſſe corruptum.* Et rurſus, Vniverſos Provinciales Iudices monens, ut tributarios ab exactorum venalitate, & iniurijs ſecuros efficiant, ſic habet: *In bonorum eſt enim omne quod cogitur: nec offerentis habet gratiam, qui damnis ſuis perducitur ad tributum. Ille ſolus ager delectabilis eſt domino, in quo ſupervenire non timetur exactor. Abſit à noſtris temporibus deteſtabilis, & fugienda verſutia. Poſſeſſor nihil aliud, niſi quod publico debetur exſolvat. Semper metuat iniuſta præſumtio. Quid enim acquiri putatur, ubi bona conſcientia perditur? aut in qua parte poſsit homo proficere, ſi innocentiam probatus fuerit amiſiſſe? Maius commodum non quæratis, quàm ſi nihil venditis. Illa tantùm ſequenda ſunt lucra, quæ poteſt lætus poſſeſſor offerre, & miles ſolenniter ſecurus accipere.* Et denique alijs in locis, non minori prudentia, ſcriptum reliquit: *Tributa non debere à triſtibus exigi, per quos, Tributarios, ipſi Principes acquiſierunt, & ſine querela ſuſcipi debere onus impoſitum, quod longis temporibus conſtat eſſe portandum. Illumque verè cenſum Principum eſſe, quem lætus gratoque animo poſſeſſor exſolvit.* Quod ſumere potuit ex Pindaro, qui pariter: *Illud lucrum gratiſsimum dixit, ſi quis ex volentis ædibus ferat.*

Caſsiod. lib. 5. epiſt. 39.

Idem lib. 11. epiſt. 7.

Idem lib. 4 epiſt. 36. & lib. 1. ep. 15. & 16.

Pind. in Pythijs hymno.

8 Ad quam item Doctrinam indicandam, & ſuadendam, noſtrũ hoc Nos Emblema dirigimus, pupum, ut vides, ſive infantulũ depingẽtes, quem ſimul ſerpens ambit, & lambit, & dum eius emungit ſanguinem, caudam ſugendam ipſius ori admovet, ut Plinius, & alij teſtantur. Sic virus pro viribus temperans, & crudeles morſus leniores efficiens. Ac velut Principes admonens, ut ubi tributis parcere nequeant, ſic ſaltẽ ſubditorum ſubſtantiam exugant, ut, quibus fieri modis poſsit, minus illis incommodent, ac mutuatis ab Ovidio verbis precantes exaudiat,

Plin. & alii ap. Conerũ lib. 5. de angue.

Ovid. 5. Triſt. eleg. 3.

Quod petimus pœna eſt, nec enim miſer eſſe recuſo;
Sed precor ut poſsim tutior eſſe miſer.

Chilenſ. Epiſc. D. Gaſp. Villaroel in lib. Iudic. c. 28. v. 29. pag. 628.

Nam ut Chilenſis Epiſcopus, eodem ſimili uſus, ſcribit: *Infœlices ij admodum ſunt, quibus negatur, mori dulciter, & perire ſuaviter.*

9 Quod ſanè tunc demum conſequi poterunt, cum ſedulò curaverint, & nullum non lapidem moverint, ut in eiſdem tributis exigendis omnes exceſſus fraudeſque reprimantur, vexationes & concuſsiones vitentur, & reliqua damna caveantur, quæ durius graviuſque, quàm ipſa tributa vaſſallos exulcerant, & depauperant, & ſæpè ad fugiendum, vel rebellandum inducunt; ut iam olim agnovit M. Tullius ſic ad Atticum amicum ſcribens: *Provinciæ in perpetuum redduntur deſertæ, miſeri homines, & efferati, ne dicam deſperati, exhauſtis facultatibus per nimias exactiones.*

Cicer. lib. 5. ad Attic. ep. 16.

10 Certum eſt quippè, & plurimis locis Divinarum, & humanarum litterarum, quæ alibi congeſsi, teſtatum, nihil Exactorum, ac Publicanorum crudelitatibus durius, fraudibus, & concuſsionibus impudentius, reperiri ſolere, qui, ut quidam ex noſtris benè conſiderat, ſimul ac huic ſe miniſterio præpoſitos vident, prædę ſe præponi arbitrantur. Vnde gravis illa Domini apud Iſaiam querela, *Populum meum exactores ſui ſpoliaverunt, quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapina pauperis in domo veſtra.*

Ego 2. tom. lib. 1. c. 2. ex n. 48. & lib. 5. c. unico, Exod. 12. Iob. 3. & 39. Iſai. 3. & Luc. 12.

Brav. de Reg. Vat. lib. 3. fol. 35. Iſai. 3. 12. & 15.

11 Et nobilis iuxta ac pia Imperatoris Conſtantini Pragmatica ſanctio, qua neceſſe habuit, eorundem vexationes compeſcere, quoniam pro tributis exigendis, non ſolùm carcere, ſed plumbatis etiam verberibus, ac ponderibus utebantur, alijſque ſupplicijs, quæ ab inſolentia huiuſmodi iratorum perverſorum, & raptorum hominum procedebant: ſtatuens, ut deinceps, qui ſolutionem indictorum Canonum detrectarēt, libera tantùm cuſtodia detineri, & in bonis exigi poſſent, ſignanterque hæc verba ſubiungens: *Qua facultate præbita, omnes fore credimus proniores ad ſolvenda ea, quæ ad noſtri uſum exercitus, pro communi ſalute poſcuntur.*

L. nemo, C. de exact. trib. lib. 10. ubi alia tradit noſter Amaia, & Ægid. c. 20. ex n. 63.

12 Divus etiam Auguſtinus, ſuo tempore has crudelitates durare, & veluti legibus permitti ſic docet, & dolet: *Publicanorum autem ſtudia & exercitatio, impudentiæ, ac crudelitatis plena ſunt: quæſtus nota illiberalis, turpis quadam mercatura, imò rapina lege ſeculari conceſſa.* Indeque eorum Telonia, ſive *Aduanas*, *Portas Mortis*, dici poſſe Pontanus noſter ſcripſit: *Porque alli perece la vida del paſſagero, con las moleſtias que recibe, i el Alma del Aduanero con las injuſticias que haze.* Et D. Chryſoſtomus, in eaſdem inſolentias reſpiciens, & in exceſsivum iuxta, ac nocivum horum hominum numerum, qui his exactionibus præpoſiti erant, ab eiſdem orbem teneri ſic dixit: *Decumani & Portitores Orbem tenent.*

D. Aug. ſerm. 50. de tempore.

Puēte in Monarc. Hiſp. lib. 2. cap. 29. pag. 291.

D. Chryſoſt. hom. 31. in Matth.

13 Quod noſtris (heu) temporibus Hiſpania noſtra ſatis indoluit, dum conſtitit ſexaginta mille, & plures homines in tributorum exactionibus occupari, eorumque manibus ſpoliari, & ſtrangulari ſe ſenſit, & à Pijſsimo Rege noſtro tanti mali remedium expoſtulavit. Cum Salviano identidem ingemiſcens: *Rempublicam, vel iam mortuam, vel certè extremū agere ſpiritum, ea parte, qua adhuc vivere videbatur, ſub his*

Salvian. de provid. Dei, lib. 4. & 5.

tri-

tributorum vinculis, & deprædatoribus mori, ab eiſdemque pauperes enecari. Quid enim poſſunt aliud velle miſeri, qui aſsiduum, imò continuum exactionum patiuntur excidium, domos ſuas deſerunt, ne in ipſis torqueantur; exilia petunt, ne ſupplicia ſuſtineant, ad hoſtes fugiunt, ut vim exactionis evadant. Et cum Petro Ravenate: *Miniſterialium ſiquidem tanta eſt multitudo, quanta eſt locuſtarum, ut iſtis recedentibus, alij ſuccedant, quod ex parte fuerit devoratum, alij devorent exitialiter, & conſumant, &c.*

Raven. in quadam epiſtola.

14 Et has extorſiones locum feciſſe Adagio *Tributis potiora*, Eraſmus, poſt Suidam, & Zenodotum ſcribit, inde natum opinans, *Quòd, qui Principum nomine tributum exigunt, ferè plus extorquēt, quàm par eſt: & Principes ſic petunt, ut ab invitis rapiant, ni dent, quod petitur.* Parum animadvertentes, quanto latiora & lætiora compendia conſequi poſſent, ſi eadem a latis, & lætis (ut diximus) vaſſallis expoſcerent, ut Caſsiodorus elegantiſsimè dixit, Tyberini urbis Romæ Portitoris Formulam tradens, eumque, qualiter ſe cum mercatoribus illuc adventantibus habere deberet, his verbis erudiens: *Eximia ergo res tibi committitur, ſi moderatè peragatur. Tu copiam facies, dum ingredientes iuſtè tractaveris. Avara manus portum claudit, meritò enim illa mercatores cuncti refugiunt, quæ ſibi diſpendioſa eſſe cognoſcunt. Quapropter adverſus ibi ventus eſt, immoderata præſumtio; nam placidum mare damnat, qui undas cupiditatis exaggerat. Vnuſquiſque pro ſolennitate cōmonitus, offerat voluntarium munus, xenia ſunt enim iſta, non debita. A paucis accipit, qui nimium quærit, & ſibi ipſi mittit vitæ munera, qui moderatur oblata.*

Eraſ. in hoc Adag. pag. 457.

Caſsiod. lib. 7. form. 9.

15 Et rurſus, ſiliquatici præſtationem indulgens, & hanc exactorum duritiem exhorrens, qui etiam à naufragis illam extorquere non deſinunt: *Portus* (inquiens) *noſtros navis veniēns non paveſcat, ut certum nautis poſsit eſſe refugium, ſi manus non incurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quàm ſolent nudare naufragia: Quia crudelitatis genus eſt, ultra naufragium velle deſævire, & illos ad diſpendia cogere, quibus probantur inopem vitā immania pericula ceſsiſſe.* Et in alia epiſtola ſub Theodorici Regis nomine iubens, ut illicitæ quædā exactiones ceſſarent, quæ in Apulia, & Calabria contra negotiatores publicos fieri attentabantur, ſic habet: *Nullius compendijs delectamur iniuſtis: nec ad animum noſtræ Pietatis perveniunt, quæ probitatis gratia deſeruntur. Reſpublica ſiquidem iure ſemper æquitatis augetur, & cū temperantia diligitur, velociter profutura ſuccedunt. Quapropter beneficia noſtra erga negotiatores, qui noſtris titulis neceſſarij comprobantur, facite cuſtodiri, ne genus hominum, quod vivit lucris, ad necem poſsit pervenire diſpendijs.*

Idem lib. 4. epiſt. 7. & 19.

Idē lib. 2. epiſt. 26.

16 Quæ loca Ego ſæpè in ſupremo Indiarum Senatu, dum ibi Conſiliarij munere fungerer, pro ſuadendis levioribus à negotiantibus Indicis exactionibus, allegavi, non dubitans hoc pacto longè maius incrementum Fiſci viribus annis ſingulis acceſſurum; Indicoſque hos piſces, ut ille Evangelicus apud Matthæum, ſtaterem in ore allaturos, merceſque omnes, aurum, argentum, & facultates ſuas, abſque ullo

Matth. 17. 26.

do-

dolo,ac fraude in actis, ſive regeſtis publicis profeſſuros,quas quia ſe
eviſcerari ſentiunt,abſcondunt, & ſæpè (quod magis dolendum eſt)
ad Nationes hoſticas transferunt.

D.Chryſ de pœn. Achab, S.Laurẽt. ap. Iuret. in Sym. li.5 epiſt 62. Amaia in d.l.nemo, n. 7.Bullẽg.lib.9. de Imp.c 3.pag 693.

D.Frãc.Ramos in noviſs.analect. ad l. deprecatio, ex pag.31.

Tacit.13.Annal. ad finem.

Barclai. in Argen. lib.3.

Et poſſem quidem plura de violentijs, & inſolentijs Exactorum, 17
& Publicanorum referre,niſi iam eos,caſque vivis coloribus depin-
xiſſet.D.Chryſoſtom.& Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, quo-
rum verba,poſt Iuretum,& Bullengerum, Amaia noſter recenſet, &
noviſsimè Dom.Ioannes Franciſcus Ramos del Manzano,Regij Fiſ-
ci in Senatu Mediolanenſi Patronus dignisſimus, & Paternæ erudi
tionis imitator acerrimus. Tacitus quoque de Neronis temporibus
loquens,ſatis illas expreſsit,dum dixit:*Temperandas planè Publicano-
rum cupidines, ne per tot annos ſine querela toleratæ,novis acerbitatibus
ad invidiam verterent.*

Et Ioannes Barclaius, poſtquàm plura de Tributis,& Portorijs 18
diſſeruit,& qualiter eorum Redemtores vitari,& pauperes ab eorun-
dem exactione liberari deberent, tandem prudentiſsimè conſuluit:
*Ne illi Quæſtores exigendis à populo tributis præficiantur,neve ipſi pri-
vatorum limina circumeant, nec miſsis lictoribus pignora capiant, & op-
pidanos divexent; ſed ipſorum concivium hoc munus ſit, qui ex ſuo cor-
pore eligant, per quos ea pecunia cogatur, & ſic humaniùs exacta, per
ſingula oppida ad Prætorem ſuum, vel in Regium ærarium feratur.*

Lipſ in not.ad Tacit.1.Ann. litt.K. Amaia in Rubr.de exact. trib. n. fin. Villar.in Iud pag. 488. ubi Me allegat.

L. omnes, C. de an. & trib. l 1. & ſeqq. C.de exact. trib.l.1. C.de diſcuſt. li.10.Novel. Maiorian.titul. 4. de indulg. reliq Tiberij 161.de prę ſid.provinc.l.5.& ſeqq.tit.14. lib.6. Recop.Pet.Greg. de Rep.lib.3. c.9. Contz. lib.8. c.7. n.4.& alij ap. Med.lib 1. c. 20. per tot.& c.18 ex n. 59.Bobad. d.li.5. c.5.ex n.

Certum eſt enim,& rectè à Iuſto Lipſio,Amaya,& Epiſcopi Chi- 19
lenſi notatum, hoc munus quondam apud Romanos valdè nobile
fuiſſe,nec niſi nobilibus, probis,ac probatis hominibus dari ſolitum.
Quod quia ſine delectu in infimæ conditionis homines poſteà per-
tranſijt, non ſolùm minùs nobile,ſed & inviſum & exoſum omnibus
factum fuit,cum omnis Reipublicæ ſuccus, qui ferè totus in tributa
convertitur,per iniquas ipſorum exactiones, & deprædationes radi
citus ſuccidatur.

Quas etiam referunt, & ſummo ſtudio optimi quique Imperato- 20
res,& glorioſi pariter,ac Catholici Hiſpaniæ noſtræ Reges, plurimis
in id legibus latis,compeſci curarunt, & Politici omnes, & Iuridici
Auctores ſingulis propè paginis execrantur, benevolentiam Darij,
Cyri, Alexandri Magni, Tiberij, Periclis, & aliorum Principum ob
hanc curam eximiè laudantes, & ex adversò divinã Manuelis Com-
neni, Baſilisci, & aliorum punitionem referentes, qui per ſe, vel per
ſuos ingravandis,vexandis,& deglubendis ſubditis exceſſerunt,illos,
ut ſuos,ut expilent, habentes, & tanquam alienos, ut perdant, exi-
ſtimantes, ut ſcitè Othonem Imperatorem de æmulo ſuo dixiſſe,
Tacitus memorat: *Et ſubiectos nos habuit tanquàm ſuos, & viles tan-
quàm alienos.*

Tacit.1.hiſtor.

Herod.lib.8.Plut. in vita Temiſt. Ego d.c.20.n.52.

Neque enim interdum ſufficit,quòd Rex revera, & ad iuſtam cau- 21
ſam,tributis indigeat,niſi & ſubditi in ea ſorte & ſtatu ſe habeant, ut
ad illa exſolvenda ſufficiant. Quod Andronicos Temiſtocli reſpon-
diſſe, Herodotus & Plutarchus ſcribunt. Nam cum hic ab eis ingen-
tem auri quantitatem expoſceret, diceretque ad eam exigendam,
duos ſe deos ſecum afferre, nempè ſuaſionem,& violentiam. Reſpon-

de-

derunt, ſe quoque duos ſummos Deos in ſui favorem habere, qui il-
los defenderent, nimirùm ſummam paupertatem, & ſummam ei ob
temperandi impoſsibilitatem.

22 Et de Tryzo tyranno narrat Ælianus, quòd cum ſuos, varijs one- Ælian.lib.14.c.22
ribus prægravatos, nec loqui, nec mutire permitteret, tandem in
lachrymas proruperunt, quas etiam cum cohibere tentaret, & ocu-
lis à natura tributam libertatem eripere, tandem ab eiſdem, ex la
chrymis in iram accenſis, diſcerptus fuit. Miſeris enim, ut benè di
xit Ovidius, Ovid.4.Triſt.

------ ------ Eſt quædam flere voluptas,
Expletur lachrymis, egeritur que dolor.

23 Cui conſonans Latinus Pacatus, & ſimilem crudelitatem Maxi- Pacat.in Panegyr.
mi, alterius Tyranni, recenſens, ſic ait: *Serenos ergo nubilis mentibus* ad Theodoſ.
vultus induebamus, & ad illorum vices, qui deguſtato Sardorum grami-
num ſucco, feruntur in morte ridere, imitabamur læta mærentes. Eſt a-
liquod calamitatum delinimentum, dediſſe lachrymas malis, & pectus
laxaſſe ſuſpirijs; & nulla maior eſt pœna, quàm eſſe miſerum, nec vide-
ri, &c.

24 Quàmvis Dionyſius Senior, magis riſum, quàm lachrymas popu Plut. in Apophth.
li timuiſſe hac in parte videatur. De eo quippe narrat Plutarchus, à
Syracuſanis pecunias exegiſſe: deinde cum videret illos lamentan-
tes, obſecrantes, ac negantes ſe habere quod darent, indixiſſe alte-
ram exactionem, idque iterum, ac tertio feciſſe. At poſtquam ma-
iorem ſummam imperaſſet, audivit illos in foro ambulantes ridere,
& ſcommata in Regem iacere, iuſsit præfectos ab exigendo quieſ-
cere. Iam enim, inquiens, nihil habent, cum nos contemnunt.

25 Caveant igitur Principes, ne dum nimium emungunt fortiter, Eraſm.in Adag.
ſanguinem eliciant, ut ſcito Hebræorum circumfertur adagio, & pag 510.
vel monente Seneca diſcant, ægram vitam non ſubſtinere, cum li-
ceat innoxium, atque ob hoc ſecurum, ſalutare potentiæ ius, læ-
tis omnibus, tractare. *Errat enim, ſi quis exiſtimat tutum eſſe ibi Re-* Senec.lib 1.de
gem, ubi nihil à Rege tutum eſt. Securitas ſecuritate mutua paciſcenda Clem.cap.19.
eſt. Et recta imperandi diſciplina eſt, ut Coſsiodorus ait: *Amare quod*
multis expedit. Quoniam Reſpublica multum ſoliditatis accipit, ſi Tr.bu- Caſsiod. lib. 9 ep.
tariorum facultas illæſa conſtiterit; quæ dum iuſto redeunte cenſu refici- 9. & lib.12.ep.16.
tur, ſtatus ſui firmiſsimo robore continetur.

26 Vnde ſignanter Eraſmus inter varias illius Adagij expoſitio Eraſm.pag.509.
nes, quod *Dimidium plus toto* eſſe docet, in Reges quoque applica-
ri poſſe tradit, qui ſi iuſtè & prudenter regnare deſiderant; ſci-
re debent, dimidium totius ſibi ſatis eſſe, totum autem auferre Ty
rannicum. In huius ſententiæ comprobationem elegantia quædam
Heſiodi carmina referens, & Darij apud Plutarchum hiſtoriam, qui Heſiod.in oper.
cum Præfectos provinciarum ad ſe acceſitos, percontatus eſſet lib.1.
num gravia eſſent tributa? Atque illi reſpondiſſent, eſſe mediocria:
iuſsit de ſingulis dimidium pendi; iudicans eſſe ſatius, dimidium ac
cipere cum benevolentia provincialium, quàm totum cum odio ſuo

Claudian. Seſſel. de Gall. rep. lib. 1.

Theat. verb. *Tributum*, pag. 213.

Virg. Eglog. 3.

rum. Quod valdè etiam commendat Claudius Seſſelius, omninò legendus, & multis bellorum, ſeditionum, defectionumque caſibus relatis, qui hoc ex fonte derivati fluxerunt, & magnas clades in varia Regna, & populos induxerunt, Beyerlinchius, & alij. Quibus adiici poſſunt ea, quæ contra immoderata, & inuſitata tributa imponentes, & exigentes, ſive exſugentes in ſuperioribus diximus, & illud Virgilij,

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

D. Sebaſt. Covarr. cent. 1. Embl. 14.

Ex quo, hoc relatu quidem dignum Emblema, in eandem rem, de qua agimus, Noſter D. Sebaſtianus Covarruvias deduxit:

Goza el Paſtor la lana, leche, i queſo
De la ovejuela manſa, i aunque cria
Su tierno corderito, no por eſſo
La dexa de ordeñar lo que ſolia:
Suele à vezes perderſe en el exceſſo
Quien pudo conſervarſe en medianía:
Dexe à la madre el jugo, al hijo leche,
Si quiere que el eſquilmo le aproveche.

Eraſm. in Adag. pag. 510.

Qui enim nimium emungunt, vel emulgent, ſanguinem eliciunt, ut iam etiam ſuprà tetigi, & in Hebræorum proverbijs habetur, & in Hiſpano, *Ordeñar haſta el Tabeſe*, id eſt, uſque ad ſanguinis, lactis loco, ex ovibus extractionem. Sub quo nomine tempore D. Fernandi V. Regis Catholici, Paſtoriciæ quædam næniæ, ſimilia tributa dolentes, ac deplorantes, editæ fuerunt, vulgò dictæ *Las Coplas del Tabeſe*, quæ licèt paucis innotuerint, poſſunt quidem cum illis, quæ vulgò circumferuntur, & de *Mingo Revulgo* appellantur, non immeritò decertare. Fuit enim Tributum res omni ſeculo deplorata, nec tam populi illorum communes cauſas, quàm propria damna attendere ſolent. Quod efficere debet, ut Principes vigilantius curare debeant nè fiat vexatio, cui eſt impoſita contributio, ut piè pariter, ac prudenter Chilenſis Epiſcopus monet, inter alia illud Chriſti Domini expendens, qui pro ſe, & ſuis tributum Cæſari ſoluturus non ex ventre, ſed ex ore piſcis ſtaterem detrahi iuſsit.

Chilenſ. Epiſc. in Iudic, pag. 620.

Matth. 17. 26.



Re-

Regum verus Theſaurus.

EMBLEMA LXXXV.



Dum vectigali parcit Conſtantius auro,
Vacabat impolita dote Regia:
Ille tamen multis humilem exprobrantibus Aulam,
Opes videre præcepit clientium.
Scilicèt in tumida Populi eſt ſecurius arca
Pij repoſita ſæpè Gaza Principis.
Non inopum dives Sapiens vult eſſe; ſed optat
Ægenus urbis Rector eſſe divitis.

COMMENTARIVS.

1 ETSI ex ſuprà dictis ſatis liquere poſsit, quid de Regum, ac Principum munere circa imperanda, & exigenda tributa, & vectigalia cenſeamus. Adhuc eoſdē monitos volumus, tunc ſe maiori divitiarum cumulo potituros, cum minùs ex ſuis à vaſſallis emunxerint, & intelligere cœperint, nullum eſſe arctius firmandi, & augendi Principatus vinculum, quàm Amor ſubditorum, Regiæque dignitati non expedire, imperium in mendicos exercere, ſed in opulentos potius, atque fœlices.

Valer. Max. lib. 4. c. 3. §. 4. & 5. Cic. in Caton. Athen. lib. 1. Plutar. in Apoph Gellius lib. 1 cap 14.

2 Quod ipſum ſenſiſſe magni & erecti animi viros M. Curium, & Q. Fabricium, Valerius Maximus, & alij Hiſtorici produnt, dum devi-

ctis

ctis Samnitibus, eorumque pedibus magnum auri pondus ſuppliciter obvolventibus, nihil inde auferre volentes, hilariter, & liberaliter reſponderunt: *Malleſe imperare divitibus, quàm divites eſſe; ſeque ipſos locupletes facere, non multa poſſidere, ſed pauca deſiderare.* Ad quod reſpiciens Guntherus, ſuum Fridericum Primum ita commendat:

Gunther. in Ligur. lib. 3.

Non turget loculis inferta pecunia noſtris:
Nec multis opibus, ſed laude venimus onuſti:
Non eſt Theutonico cumulata pecunia cordi,
Nec ſibi quærit opes; ſed pulchræ laudis honores
Non habet ille ſuum, ſed habentibus imperat, aurum.

Morus in Vtopia, lib. 1. ex pag. 40.

Ex quorum exemplo Thomas Morus æquè piè, ac prudenter in 3
ſua Vtopia conſuluit, Regum non modò honorem, ſed ſecuritatem quoque, & opulentiam, in populi magis opibus ſitam eſſe, quàm ſuis; conſiliaque contraria omnia, Regibus, & inhoneſta eſſe, & pernicioſa. Cum profectò unum aliquem voluptate, ac delicijs fluere, gementibus undique, ac lamentantibus alijs, hoc non ſit Regni, ſed carceris eſſe cuſtodem.

D. Th. lib. 2. de regim. Princ. Bobad. lib. 2. c. 12. n. 70. & lib. 5. c. 5. ex n. 8. Pet. Greg. de Rep. lib. 2. c. 9 Marq. in gub. Chriſt. lib. 1. c. 3. Perez in Laur. Salmant. pag 277. & 284. Maucl. de Monarc. Gall. lib. 2. 3. p. c. 11. Ego 2. tom. lib. 1. c. 13. n. 29. & 30. Saaved. in Id. Polit. ex pag. 522.

Et Nos etiam, eidem hærẽtes Doctrinæ, pariter profitemur, quòd 4
etſi in Regibus damnari non poſsit, iuſtis, ac permiſsis modis, ac medijs, patrimonia ſua, & Fiſcales reditus adaugere, & Theſauros pro virili congerere, unde & expeditionibus bellicis, & alijs Regni neceſsitatibus, & utilitatibus conſulant, in quo, poſt D. Thomam, omnes ferè Theologi, & Politici Auctores conveniunt, quos latè Petr. Gregorius, Bobadilla, Marquez, Antonius Perez, Mauclerus, & alij recenſent, quorum Ego alibi plenè commemini, quibus nunc noviſſimum Noſtrum Saavedra adiicio.

L. 2. C. de om. agr. deſert. lib. 11. l. cũ ratio, §. ſi verò, de bon. dam. Auth. ut iud. ſine quib. ſuff. §. cogitatio, collat. 2.

Adhuc tamen gnaros eoſdem Reges eſſe oportere, veras ipſorum 5
divitias, certoſque & ſecuros theſauros, in ſubditorum levamine, & hilaritate conſiſtere, illiſque benè ſe habentibus, & divitibus exiſtentibus, Reges, Regiumque Fiſcum, omnes eorum opes promtas & cumulatas habere: expilatis autem, vel ſpoliatis, quaſi ſuccisis quarundam virium nervis, reliqua labi, ut multorum iurium auctoritate docemur; & præcipuè in illa Iuſtiniani Novella, qua *Abundare Fiſcum ſcripſit, ubi vaſſallis locupletibus utitur.*

Bald. conſ. 410. n. 5 lib. 5. & Ego latè 2. tom. lib. 1. c. 15. n. 53. & ſeqq.

L. 14. tit. 5. par. 2.

In quæ reſpicit celebre illud axioma Baldi, dum dixit: *Nam Theſaurus Principum non eſt Fiſcus, ſed ſubditi benè ſe habentes.* Quod prius 6
Alfonſus Rex noſter, Ariſtotelis, & Iuſtiniani veſtigia premens, his extulit verbis: *El mejor teſoro que el Rei ha, è el que mas tarde ſe pierde, es el pueblo, quando bien es guardado; è entonces ſen el Reino, i la Camara del Emperador, i del Rei, ricos, i abondados, quando ſus vaſſallos ſon ricos, i ſu tierra abondada.*

Ælian. lib. 13. var. hiſt. cap. 13.

Iſocr. ad Nicocl.

Vnde laudatum, & illud, quod quidam longimano Artaxerxi, Æ- 7
lianus autem Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Regi conſignat: *Magis Regium eſſe addere, quàm auferre, & ditare, quàm diteſcere.* Et præclarum Iſocratis monitum ad Nicoclem, dum dixit: *Argumentum tibi ſit Imperij rectè beneſiciq; adminiſtrati, cũ videris eos, quibus præes,*

ſua

ſua diligentia curaque, locupletiores, & ditiores factos; nã pecus pingue paſtori prodeſt, ut pluribus Admiratus illuſtrat.

Scip. Admirat. in diſc. ad Tacit. pag. 85.

8 Quibus etiam adridens Conſtantius Chlorus Magni Conſtantini Pater, ut ab Eutropio, & alijs refertur, utilitati, ac commodis provincialium, & privatorum ſemper ſtuduit, ac ſicut quondam Cyrus dixit, ſe theſauros ſibi parare, dum amicos divites redderet; ita ille ſemper habuit in ore: *Melius eſſe opes publicas à privatis haberi, quàm intra unum ærarium ocioſè, & abſque ullo reditu poſſideri.* Quod apophthegma, licèt nunquam ſibi probari potuiſſe, Rithershuſius ſcribat, benè tamen intellectum, ſatis probabile, & laudabile eſt. Et cum eo conſonat aliud Alfonſi Regis Neapolitani apud Antonium Panormitanum, qui factis & verbis oſtendere, & dicere ſolitus erat: *Regum in primis officium, & ſtudium eſſe, populos ſuos locupletes efficere; Popularibus enim ditioribus factis, nec utique Reges futuros pauperes.*

Eutrop. lib. 10. c. 1. Polid. Virg. hiſtor. Angl. lib. 1. Ribadeneira, qui alia tradit de Princip. Chr. lib. 2. c. 10.

Ritershuſ. ad Salvian. pag. 21.

Panor. lib. 4. c. 42.

9 Eòque (idem ſentiens) procedit Thomas Morus, ut Macarenſium legem fingat, & probet, apud quos Rex, nunquam ſe uno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habere, iurare cogebatur. Addatque, *quòd ſi aliquis Rex, adeò aut contemtus eſſet, aut inviſus ſuis, ut aliter eos continere in officio non poſſit, niſi contumelijs, compilatione, & ſectione graſſetur, eoſque redigat ad mendicitatem: præſtiterit illi profectò Regno abdicare, quàm his retinere artibus, quibus quamquam imperij nomen retineat, certè amittit Maieſtatem, &c.*

Morus in Vtop. pag. 41. & 42.

10 Certum eſt enim, & pluribus locis, & exemplis à Maiolo, Contzen, & alijs conteſtatum, modicas divitias iuſtè quæſitas, multis iniuſtè partis præferri debere, & lucra iuſta ubique tuta eſſe, etiam in naufragio, iniuſta verò, neque domi, quod Catſius aptiſsimè in ſuo Emblemate dixit,

Maiol. to. 1. coll. 19. pag. 430. Cõtzen lib. 8. polit. c. 6.

Catſius Embl. 49.

Per ſcelus immenſas, quid opes cumulare iuvabit?
Turpiter è manibus res malè parta fluit.

Et melius Iob, uno in loco, ſic inquiens: *Divitias, quas devoravit, evomet; & de ventre eius extrahet eas Deus.* Et in alio: *Si comportaverit quaſi terram argentum, & ſicut lutum præparaverit veſtimenta, præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & argentum innocens dividet.* Iũctis alijs, quæ Ego alibi retuli.

Iob. cap. 20.

Idem cap. 27.

Ego 2. tom. lib. 1. c. 5. n. 10. & ſeqq.

11 Indeque Caſsiodorus, ex Principum in ſubditos beneficentia, illorum incrementum deduxit: *Beneficia* (inquiens) *ſunt, quæ Regna ſublimant, & libertatis dominus iugiter poteſt creſcere, ſi ſubiectos ſibi ſtudeat ampliare. Et rarò utrumque, & ſub admiratione perfectum, ut fiſcus creſceret, & privata utilitas nulla damna perferret.*

Caſsiod. lib. 3. epiſt. 11.

12 Prout & Trajanus agnovit, dum Eutropio, & Sexto Aurelio tradentibus, Fiſcum lienem, ſive ſplenem appellabat, quòd eo creſcente, reliqua membra tabeſcerent. Hanc enim eſſe lienis naturam, ut ſi auctior & tumidior ſit, tabem & maciem cæteris partibus humani corporis inferat, Ariſtoteles, & Galenus animadvertunt, & egregio in rem noſtram Emblemate, ex eadem ſimilitudine deducto, Altiatus ſic inquiens:

Eutrop. & Aurel. in vita Conſtantij, ſeu Iuliani.

Ariſt. in Probl. Galen. lib. 4. de uſu par. cap. 15.

Altiat. Embl. 146. & lib. 8. parerg. cap. 6.

Humani quod ſplen eſt corporis, in Populi re
Hoc Cæſar Fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto, reliqui tabeſcunt corporis artus.
Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Ego autem dum ſubditorum opulentiam verum Theſaurum Principum eſſe, eiſdem oſtēdere cupio, nullum aptius exemplum invenio, quàm quòd præſens Emblema deſignat, Principibus quotidie ob oculos ponendum, velut quandam optimi Principatus ideam, ex Conſtantij Imperatoris hiſtoria deſumtum, qui inter Bonos cenſeri meruiſſet, niſi Regno ſuo, alioqui minimè malo, malum faſtigium impoſuiſſet, orthodoxorū perſecutor exiſtens, & Gregorij Capadocis contra D. Athanaſium defenſor, & confirmator. 13

Is igitur, qui ſuos, veri patris amore imperans, non ut ſubditos, ſed ut filios in omnibus habuit, Euſebio latè in eius vita narrante, cum Diocletianus illi per Legatos ſuos paupertatem exprobraret, eique obiiceret, quod cum ſubditis parceret, nihil in theſauris reconditum haberet, eoſdem Legatos apud ſe commorari iuſsit, locupletioribuſq; ſuæ ditionis civibus cōvocatis, ipſis inopiæ ſuæ causā expoſuit, quod maluerit benevolentiā benignitate ſua collectam, & firmatam, quàm ipſorum theſauros, imperio ſeveriore extortos, poſsidere. Nunc verò illorum ſibi opus eſſe ſtudio, gratia, opibus, & fide. Quibus exceptis, illi, ſine cunctatione, lætis animis, hilarique vultu, ærarium eius auro & argento compleverunt, & amore, erga Principem clementiſsimum mirifico, magnoque inter ſe ardore concertaverunt. Conſtantius itaque, cum Legatis opes ſuas inſpiciendas oſtendiſſet, Diocletiano renuntiari quod viderant, iuſsit, & qua ratione tantus theſaurus, tam ſubitò collectus eſſet. Subindicans, Principis ærarium tutiſsimum eſſe, & firmiſsimum, ſubditorum animos benevolos, & Regi nunquam defuturos eorum theſauros, modò ei ſtudium, amor, & fides populi ſui non deſit. Benignus autem Imperator, poſt diſceſſum Legatorum pecunias allatas civibus ſuis reſtituit, obſequio illorum multis verbis collaudato. Magnoque in poſterum reliquis Principibus exemplari relicto, illum verè, ut Syneſius dixit, Regem vocari poſſe, qui magis ſubditorum animis, quàm corporibus imperat, & tunc ditiorem eſſe, iuxta aliam Caſsiodori ſententiam: *Cum tributa dimittit, & acquirit nobiles theſauros famæ, neglecta vilitate pecuniæ.* 14

Euſeb. in vita Cōſtantij.

Syneſ. in orat. de Regn. Caſsiod. lib. 1. epiſt. 16. Admirat. in Tacit. lib. 15. diſc. 7. Pet. Greg. lib. 3. de Repub. c. 6. n. 35. & 36. Velazq. de opt. Princ. pag. 365. & ſeqq. Marquez lib. 1. cap. 16. pag. 94. Contz. lib. 8. cap. 9 & 13. Saa pag. 522.

Quod & ipſum, & ſi paſsim multis, multi ex Politicis proſequantur ornari adhuc magis, ultra ab eiſdem tradita, & à Nobis ſuprà relata, ex illo Mæcenatis conſilio ad Auguſtum Cæſarē poterit, quod his verbis Dion Caſsius recenſuit: *Statuas tibi neque aureas, neque argenteas fieri unquam ſine; nam non modò magnis ſumtibus eæ conſtant, ſed inſidijs etiam oportunæ, ac parum diuturnæ ſunt. Benefaciendo autem tibi ſtatuas in ipſis hominum animis, nulli interitui obnoxias, effice.* 15

Dion Caſs. lib. 52. pag 489.

Et ex quadā Tiberij Novella, quæ de tollendis ſuffragijs iudicum agens, licèt ex hoc Fiſcus non parū utilitatis amitteret, eius rationem 16

Tiber. Imp. Novel. 161. c. 2.

ciuſ-

eiuſmodi ſanciendæ legis adducit: *Quod pluris à Nobis ſit, ſubditorum opulentia & medela, quàm reditus, qui ex inde infertur imperio, &c.* Sic indicans, optimum quẽlibet Principem debere commoda ſubditorum ſuis commodis anteponere, prout Capitolinus Marcum Antoninũ Imperatorem feciſſe recenſet, ſcribens, eum, *In cauſis compendij ſiſco nunquam faviſſe.*

Iul. Capitol. in vita Anton.

17 Quò & ſpectat nobile illud Modeſtini reſpõſum à Doctoribus varijs interpretationibus illuſtratum: *Non puto delinquere eum, qui in dubijs quæſtionibus contra fiſcũ facilè reſponderit.* Et laus illa Plinij de ſuo Trajano: *Quæ præcipuè tua gloria eſt, ſæpè vincitur Fiſcus, cuius nunquã mala cauſa eſt, niſi ſub bono Principe.* Quem imitans Caſsiodorus, ita ſub nomine Theodorici Regis ad Marcellum fiſci ſui advocatum ſcripſit: *Non quoties ſuperes, ſed quemadmodũ vincas inquiremus. Illa enim vera lucra iudicamus, quæ integritate ſuffragante percipimus. Æquitatẽ nobis placiturus intende. Non quæras de poteſtate noſtra, ſed de iure victorias, quando laudabilius à parte Fiſci perditur, cùm iuſtitia non habetur. Nam ſi dominus vincat, oppreſsionis invidia eſt; æquitas verò creditur, ſi ſupplicem ſuperare contingit. Non ergo parvo periculo cauſas dicimus; quando tunc fama noſtra proficit, cum ſe commoditas, iniuſta ſubducit.*

L. non puto, D. de iure fiſci, Covarr.

Plin in Panegir. ad Trajan.

Caſsiod. lib. 1. epiſt. 22.

18 Neque eſt omittendus Salvianus, qui antiquã ſub pauperibus Magiſtratibus fœlicitatem Reipublicæ recolens, aperto ore inſaniã appellat, putare, illis qui ei præſunt ſuprà modũ auctis, privatorum ſtatũ non intercidere. Eius verba hæc ſunt: *Itaque tunc illi paupères Magiſtratus opulẽtam Rempublicam habebant: nunc autẽ divitis poteſtas pauperem facit eſſe Rempublicam. Et quæ rogo inſania eſt, aut quæ cæcitas, ut egeſtuoſa, aut mendicante Republica, divitias poſſe credant ſtare privatas.*

Salvian. de guber. Dei, lib. 1 poſt princip.

19 Divinus quoque Plato abſque Temperantia & Iuſtitia portus, navalia, mœnia, tributaque & vectigalia Principum, nugas appellat. Et qui eis verè, ac benè conſultum volunt, optimum vectigal, certoſque Theſauros in ipſorum parſimonia conſtituunt, ut præclarè Cicero ſcriptum reliquit, cuius ſentẽtia iam à Cognato inter Adagia refertur. Similemque habet illam Dionis Caſsij Mæcenatem ita Auguſtum monuiſſe, dicentis: *Divitiæ magnæ, non tam multa accipiendo, quàm non multos ſumtus faciendo, colliguntur*; & Senecæ, qui ſine hac virtute nullas opes ſufficere docet, ea autem media, omnes ſatis patere, & poſſe ipſam paupertatem, in divitias ſe, advocata frugalitate, convertere. Statim ſic prudentiſsimè addens: *Aſſueſcamus à nobis removere pompã, & uſu rerum ornamenta metiri. Cibus famem domet, potio ſitim: libido, quà neceſſe eſt fluat. Diſcamus membris noſtris inniti, cultum victumque non ad nova exempla componere, ſed ut Maiorum ſuadent mores: diſcamus continentiam augere, luxuriam coercere, gulam temperare, iracundiam lenire, paupertatem æquis oculis aſpicere, frugalitatem colere, etiã ſi nos pudebit deſiderijs naturalibus parvo parata remedia adhibere; ſpes effrænatus, & animum in futura eminentem, velut ſub vinculis habere, id agere, ut divitias à nobis potiùs, quàm à fortuna petamus.*

Plato in Gorgia.

Lipſ. in Polit. lib. 4 cap. 11. Contz. lib. 1. cap. 9. & 13. Bobad. lib. 5. c. 5. n. 10 Saavedra ex pag. 534 Navarret diſcur. pol. fol. 160.

Cicer. lib. 4. de Repub. & in Parad.

Adag. Eraſm. pag. 269.

Dion Caſs. lib. 52.

Senec. de trãquil. vit. c. 9.

Ego, 1. tom. lib. 2. cap 23. n. 144 & 2. to. cap. 15 n. 56. & ſeqq. & c. 16. ex num. 72.

Et ultra alia quę Ego in rem eandem alibi adduxi, digna ſunt ut ſi-

> Lamprid. in Alex. Sever.
>
> Freher. de re numar. lib. 1. ad fin. Beſſold. de ærario cap. 2. n. 1.
>
> L. 18. tit. 5. par. 2.

lentio non involvantur verba, quæ de Alexandro Severo Imp. in eius vita Lampridius commemorat: *Malus pupillus eſt Imperator, qui ex viſceribus provinciarum homines Reip. inutiles aleret.* Et extat apud Marquardum Freherum, & Chriſtophorum Beſſoldum cuiuſdam veteris Philoſophi Anonymi ad Theodoſium Auguſtum eiuſque filios monitio, qua expeditiſsimam augendi cenſus rationem, in detrahendis ſumtibus; & inhibendis largitionibus conſiſtere docet: *Nam ſi largitio immoderata ſervanda profuderit, opum defectibilitas nullo vetuſtatis more poterit iam neceſsitatibus ſubvenire, & afflicta paupertas, in varios ſcelerum conatus accenſa; nullam reverentiam Iuris, aut Pietatis, effectum præoculis habens, vindictam ſuam malis artibus commendabit.* Quæ verba tranſtuliſſe in ſermonem Hiſpanum videtur Rex Noſter Alfonſus X. in quadam ex ſuis legibus inquiens: *El Principe q̃ es derramador, viene comunmente á ſer Robador, i Vſurpador violento de las haziendas agenas, derramandolas tal vez en mercedes deſmeſuradas, i por ventura non por virtud, ſino por aficion, ó vicioſos ſervicios merecidas.*

> Marian. de Reg. inſt. lib. 3. c. 7. Bobad. d. cap. 5. n. 10. Navarr. fol. 160. Saavedr. pag. 534. Bravo de Rege & Regen. rat lib. 2. Barclai. in Argen. lib. 4. verſ. *Hæc gaza.* Cicer. lib. 4. de Repub. Senec. de cõſol. ad Helv. c. 9. in fine. Sup. Embl. 35. Dio & Xiphil. in Carac.

Idemque propemodum noſter Mariana, Bobadilla, Navarretus, 21
Bravus, Barclaius, Saavedra, & alij conſiderant, Principes, qui neque modum, neque finem expenſarum habent, dolijs perforatis æquiparantes, quæ nihil retinent, licèt in ea multum liquoris infundas. Vt in Caligula contigit, qui paucis ſui Imperij annis ſeptuaginta ſeptem. Milliones in rebus ſuperfluis abſumſit, & in Nerone, qui quinquaginta quinque in paraſitos, lenones, & delatores diſtribuit, & in Iulio Cæſare, de quo Cicero, & latiùs Seneca referunt, in ſola una cœna plus pecuniarum prodigaliter expendiſſe, quàm totum Romanum Imperium multis annis ex tributis pendere poſſet. Vt interim Heliogabalum, & alios prætercam, de quibus iam ſuprà mentionẽ me feciſſe recordor, & infandam illam Caracallæ vocem, qui, ut Dion Nizæus, & Xiphilinus in eius vita commemorant, à Iulia matre graviter obiurgatus, quòd in gentem illam pecuniam, quam per fas, & nefas à ſubditis exegerat, profunderet, gladium evaginatum oſtendens: *Bono* (inquit) *animo eſto mater; Nobis, quamdiu hunc habebimus, nulla unquam deerit pecunia.*

> Richt. in œcon. axiom. 78. 83. 122 & ſeqq. Guiciard. lib. 12. hiſt. Caſtell. de off. Reg. lib. 3. c. 10. Aſcaff. de ærario, pag. 195. Tacit. 2. annal. ibi: *Ac velut perfrangere ærariũ; quod ſi ambitione exhauſerimus, per ſcelera ſupplendum erit.*
>
> Suet. in Calig. cap. 37. & ſeqq. Rhodig. lib. 2. c. 24.

Semper quippè Principẽ prodigum ſequitur egeſtas, egeſtatemq; 22
extrema tyrannis, cui eſt adnexa rapacitas, & iniuſtorum tributorum excogitatio, ut ſic per ſcelera ſuppleãt, quod ambitione & largitionibus exhauſerunt, ut benè, poſt Tacitũ, Richterus, Guiciardinus, & alij conſiderant, & ille idem peſtis mundi Caligula demonſtravit, cui perſuaſum erat, aut frugi hominem, aut Cæſarem eſſe oportere; & tandẽ exhauſtus, atque egens, ad rapinas animum convertit, vario, exquiſitiſsimoque calumniarum, & auctionum, vectigaliumque genere, ut Suetonius, & Rhodiginus tradunt, excogitato.

> Sueton. in Neron. cap. 30.

Et ſimiliter Nero, qui, eodem Suetonio teſte, divitiarum, & pecu- 23
niæ fructum, non alium reputabat, quàm profuſionem: ſordidos, & deparcos eſſe, quibus ratio expenſarum conſtaret, prælautos, verèque magnificos, qui abuterentur, & perderent; & ubi nec largiendi, nec abſumendi modum tenuit, primùm quidem theſauros antiquiſsimæ

gazæ,

gazæ, cuius ſibi ſpem, ſed vanam, fecerat eques Romanus, inveſtigavit; poſt, ſtipendia militum, & commoda veteranorum protrahi, ac differri neceſſe fuit, mox calumnijs rapiniſque animum adtendit: tandem nulli officium delegavit, ut non adiiceret: *Scis quid mihi opus ſit; & hoc agamus; nè quis quicquam habeat.*

24 Huc Vitellij, Domitiani, Commodi, Baſsiani, Heliogabali, aliorumque Romanorum Principum exempla coniicere poſſem, & ex Græcis, Monomachi, Michaëlis, aliaque recentiorum Principum, quæ alij Auctores adducunt. Sed hæc tetigiſſe ſufficiat, ut aſſertioni Emblematis noſtri ſua conſtet auctoritas, & Boni, ac Chriſtiani Principes tandem intelligant, nō in decore, ac pompa, & profuſionibus Imperium eſſe, ut olim dixit Alexander Severus apud Lampridium. Sed in eo potius, ut his ſemper ſervatis, quæ ipſorum Maieſtatem apud exteros, & ſubditos venerabilem reddant, eò omnes ſuas referant curas, ut ſupervacuis ſumtibus detractis, modus vectigalibus ſit, & privatæ publicæque expenſæ Regijs cenſibus admetiantur, ut in qualibet œconomia obſervari debere Ariſtoteles conſulit, & in Regia, gravibus verbis Mariana noſter admonuit. Ne dum ſuperfluis ſtudent, in neceſſarijs deficiant, & Reſpublica maioribus malis implicetur, quæ nimiæ deliciæ, & immoderatus luxus progenerant, ut iam ſatis in ſuperioribus docui.

25 Et hoc tunc quidē maiori nota dignū videri debere, cum Regna, vel Imperia eò redacta ſunt, ut eiuſmodi ſuperfluos ſumtus pati non poſſint, æquè prudenter, ac dolenter inſinuavit Salvianus, ita de ſui ſæculi calamitatibus queſtus: *Calamitas enim ſiſci, & mendicitas iam Romani ærarij non ſinit, ut ubique in res nugatorias perditè profundantur expenſæ. Pereant adhuc quamlibet multa, & quaſi in cœnum proiiciantur; ſed tamen perire iam tanta non poterunt, quia non ſunt tanta quæ pereāt. Et res probat, quanta prodigere vellemus, ſi opulenti eſſemus, & ſplendidi, cum prodigamus tanta mendici.*

26 Eaque propter communis eſt Theologorum poſt D. Thomam traditio, qui peccare Principes docent, dum pecunias, præſertim ex tributis congeſtas, & in publicos alios belli togævè uſus neceſſarias, in alios voluptarios abſumunt; aut in operū ex ædificatione, quæ potius aliquam vanitatis habent oſtentationem, quàm Reipublicæ aliquam adferant utilitatem, aut commoditatem. Quæ omnia prudenter ſenſiſſe videtur Rex Neapolitanus Alfonſus, qui, Panormitano teſtante, dicere ſolitus erat: *Regibus, qui pro reditu ſumtus metiuntur, omnia cedere bona, amari à civibus, non metui. Cives ipſos à ſuſpicione novorum munerum levatos, agere alacres, ſuaque bona oſtentare, ac denique Principum vitam expetere votis ſupplicijſque.* Et in idem tendit illud Horatij:

Si rectè frueris, non eſt ut copia maior
Ab Iove donari poſsit tibi.

Quod ſic vulgari apud Nos proverbio transferri videtur,

A deſpenſa concertada,
Non puede faltarle nada.

Bobad. d. c. 5. n. 10 Aſcaſt pag. 195. & ſeq. Theat. vit. human. verb. *Prodigalitas.*

Lamprid. in vita Alex Sever.

Ariſt. lib. 3. œcon. à princip.

Marian. d. lib. 2. c. 7. Beſſold. de ærar. cap. 2. Sup. Embl. 35. & ſeqq.

Salvian. lib. 6. de provid. Dei.

D. Thom. de reg. Princ. lib. 1. cap. 7. & 1. 2. q. 105. art. 3 ad 2. & plures alij apud Med. c. 15. n. 52. Aſcaſt qui alios citat, de ærar. ordin. 478. & ſeq.

Panorm. de dict. Alfonſ. lib. 3. c. 16.

Horat. lib. 1. ep. 12

Fluunt,& refluunt.

EMBLEMA LXXXVI.



Dat Neptunus aquas,remeantes accipit ipſas:
Nunquam dona premunt,urna dat,urna capit.
Non ſit Avara Manus Regis, ſed munera fundat;
Altera nam capiet,quæ dedit una Manus.

COMMENTARIVS.

BEneficiales in ſuos, eſſe Principes oportere, nec eorum liberalitatē anguſtis terminis circumſcribi, quos decet ſine fine laudari,rectè Caſsiodorus admonuit. (Caſsiod.li.2.epiſ. 30.) Et alij paſsim Auctores adeò in eiſdem liberalitatem (etiam cum exceſſu) commendant, ut hanc virtutem potiſsimam ipſorum dotem,propriè que,ac verè Regiamappellent. (Sup.Embl.78.) De qua tamen,cum iam ſuprà aliqua dixerimus, & plura congerere velle, ubi ſuppetunt tanta ſuperfluat, eò dumtaxat nunc Noſtrum ſermonem intendimus,ut illis magis ac magis ſuadeamus,ut ſe in tributis moderandis,atque etiam,ubi res tulerit, dimittēdis,ſubiectiſque ſibi populis,omnibus quibus poſsint modis, iuvādis, & confovendis, largiter habeant, & in ſuum animum inducant,illud amplius proprijs utilitatibus applicari, quod hac in parte miſericordi humanitate conceſſerint. 1

(Iuſtin. Novell. collat.4.) Et auream illam Iuſtiniani Imperatoris Novellā oraculi loco memoriæ conſcribant, qua ſignanter edixit: *Principi aurum contemnere præſtat Fortunæ faſtigium, & licèt ipſum, divinis effigiandum typis,* 2

Bonitas, Prudentia, Poteſtas deceant; ultra has duas Bonitas ſit. Benè velit vltra quàm ſit; ultra quàm poteſt, ipſam Potentiam, & omnes Regias dotes miſericordia ſupergreſſus.

3 Quibus verbis ſimilia ſunt illa, Dionis Chryſoſtomus, ſic loquentis: *Regnare ſe putat, non ſui unius magis, quàm omnium hominum gratia: hinc eſt, quod beneficia conferens, magis lætatur, quàm quibus collata ſunt, & unius huius voluptatis eſt inſatiabilis. Nam cætera quidem Regni officia exiſtimat neceſſaria, unum verò Beneficentiæ facinus, eſſe voluntariũ & fœlix.* Dio Chryſoſt. in orat. 1. de Regn.

4 Et meritò Fœlix, cum, Cicerone teſte, qui liberalitate utuntur, benevolentiam ſibi concilient, &, quod aptiſsimum eſt ad quietè vivendum, charitatem. Meliuſque, ex ſententia Senecæ, Beneficentia imperium cuſtodiatur, quam armis, ſintque hæc dona Principum, ut etiam Demoſthenes dixit, *Servitutis ſubditorum autoramenta*; decumanumque fœnus, quod in eoſdem ipſos cumulatiſsimè refert, quicquid in ſuos plena, & benigna manu diſſeminarint. Cic. 2. de finib. Senec. & alij apud Me ſup. Emb. 78. pag. 658. Demoſthenes.

5 Quod Publius Syrus benè agnovit, dum dixit: Syrus in Mimis. Philoſoph.

Beneficium ſæpè dare, docere eſt reddere.

Et Planudes inquiens: *Benefacere plenum eſt bonarum expectationum*; nec ſequius Gabriel Pachymerus, ob eandem conſiderationem, Beneficentiam, in exhauſtam opulentiam appellans; & Theodoricus Rex apud Caſsiodorũ, dum dixit: *Quis neſciat noſtrũ eſſe Commodum ſupplicantis acquæſitum? & illud Bonis Principibus creſcere, quod benigna poſſunt largitate præſtare? Optamus ergo munera multis collata dividere, ut poſsint ubique noſtra beneficia pullulare*. Et idem ipſum documentum premens Themiſthius apud Stobæum: *Vir* (inquit) *bonus, qui gentis alicuius, aut civitatis Imperium ſuſcepit; non propter fiſcum, & dona capiẽdi, aut à divitibus comparãdi cauſa, ſimilis eſt homini, qui pretioſum aliquod depoſitum accepit. Nam ut hic, quod datur non retinendi, aut ſibi vindicandi, gratia ſumit, ſed ut cuſtodiat, & integrum reddat ei, qui depoſuit, quandocumque repetierit: ita Principem quoque, non ob quæſtum privatum, ſed ob ſalutem cuſtodiamque ſubditorum omnia facere oportet, ut ipſos, quoad efficere poteſt, illæſos, & in fœlici ſtatu ei, qui credidit, reſtituat.* Planud. in dict. Pachym. 4. hiſt. Caſsiod. lib. 3. epiſ. 29. Themiſt. ap. Stob. ſerm. 46.

6 Sed nullus adhuc melius hoc, & luculentius, quàm Latinus Pacatus edocuit; qui poſtquàm dixit, nullam cauſam aliena concupiſcendi, in Principibus excuſabilem eſſe, cum quantum ubique eſt habeant, ſic ſubiungit: *Quin ego, ſi fas piumque mortalibus æſtimare cœleſtia, nullam maiorem crediderim eſſe Principum ſœlicitatem, quàm feciſſe fœlicem, & intercesſiſſe inopiæ, & fortunam viciſſe, & dediſſe homini novum fatum. Itaque Imperatori propriam Maieſtatem æſtimanti, non tam id ſuum videri debet, quod abſtulit, quàm quod dedit. Nam cum intra ipſum volvantur omnia, & ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit aquas terris, recipit è terris: ita quicquid in cives manat à Principe, redundat in Principem. Et rei, & Famæ benè conſulit munificus Imperator: lucratur enim gloriam, cum det pecuniam reverſuram.* Latin. Pacat. in Paneg. ad Theodoſ.

Eccleſ. 1. 7.

Qui ſanè locus illum Eccleſiaſtes reſpicit: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur.* 7
Quod non ineleganter Arias Montanus ſic extulit,

Flumina cuncta mare extenſum, campoſque liquenteis,
Vnde exorta prius, repetunt, laticeſque repenunt.

Et anſam mihi prębuit præſentis Emblematis effigiandi; quod etiam 8
ſola ipſius relatione ſatis illuſtrari videtur, niſi mavis cum alijs illud etiam aliud ſimile addere, ex terra deductum, quæ vapores, quos nubibus præſtat, largiori imbre ab eiſdem reſtitutos, imbibit, aut lucernæ, quę etiam ſi alijs ſuum lumen impertiat, nihil ex proprio diminuit. Quo ſymbolo, poſt Ennium, noviſsimè in rem noſtram Noſter Saavedra Reges ad munera, & honores in ſuos diſtribuendos accendit, adiiciens: *Que los manantiales naturales, ſiempre dan, i ſiempre tienẽ que dar, i que es inexauſto el dote del honor en los Principes, por mas liberales que ſean.* Sic vel ipſis elementis, hæc, prima veluti elementa benè moratorum Regum eſſe debere, ſuo exemplo docentibus.

Saaved. ſymb. 58. ex pag. 425. vide etiã eundẽ ſymb. 40. ex pag. 266. ſub lemmate, *Quæ tribuunt, tribuit.*

In quæ tendunt etiam carmina Guntheri, ſic ſub perſona Imperatoris Friderici I. loquentis, 9

Gunther. in Ligur. lib. 3. pag. 81.

Quò mihi divitias? Cuiquæque potiſsima Reges,
Ac Populi crebris non ceſſant mittere donis.
Semper habet veteres, ſemper videt aula recentes
Vndique legatos, & ab omni Principe miſſos;
Semper ab ignotis veniunt nova munera terris.
Munera magnorum læta, atque ultronea Regum,
Vt dans plus gaudeat accipiente, &c.

Alex. 2. gen. c. 11.

Et Cleomenis, ac Ptolemæi Ægyptiorum Regum exemplum, qui, 10
ut ait Alexander ab Alexandro, adeò benefici erga ſuos populos extiterunt, ut inde ſibi Beneficorum nomen comparaverint, Evergeteſque ab hac virtute (quod idem valet) dici meruerint. Parem quoque laudem ob Tributorum moderationem, aut remiſsionem Cyrus, Darius, Alexander Magnus, Mithridates, Periander, Vitellius, Titus, Antonius, & alij plures Reges acquiſierunt, quorum longum Catalogum Beyerlinchius exhibuit. Necnon & aliorum, qui eximia liberalitate ſubditos ſibi populos largo commeatu, re frumentaria, miſsilijs, congiarijs, varijſque alijs donis, & muneribus refecerunt, & devinxerunt, ex quibus ſæpè, ut Seneca ait, tantum homines ferre ſolebant, quantum in capita promiſſum eſſet.

Beyerlin. in Theat. verb. *Tributum*, pag 214. & verb. *Liberalitas*, pag. 84. 121. 126. 129. & litt. C. pag. 482.

Senec.

Inter quos Adrianus Imperator ita excelluit, ut ei à Populo Ro- 11
mano ob hanc cauſam Numiſmata cuderentur, in quibus una ex parte liberalitas effigiatur, largiter è cornucopiæ numos effundens, cum inſcriptione, *Liberalitas Auguſta*; & ex altera, eadem liberalitas, ſtans ante Imperatorem in ſuggeſtu ſedentem, ex eodemque cornu rivos aureos in ſinum civium pariter effundens, cum inſcriptione, *Locupletator orbis terrarum.*

Spartian. in Adria. Adolphus Ovo de numiſm. pag. 155. & 158.

Sed præſtat in eiuſdem virtutis exemplum, & commendationem 12

Claudiani carmina recenſere, quibus cum Probum in pluribus, in hoc tamē præcipuè collaudat, quòd nihil ſuis negare, & ſe ſe ac ſua ultro, vel non poſcentibus, offerre ſoleret, ſic inquiens: Claudian. in Probi Panegyr.

Hìc non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes, ſed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas;
Quippè velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat Populis; undare Penates,
Aſsiduos intrare inopes, remeare beatos
Præceps illa manus fluvios ſuperabat Iberos.
Aurea dona vomens.

13 Cui Imperatori ſimilis, aut ſuperior extitit Cimon Miltiadis filius Athenienſis, qui ut præter Ariſtotelem, Plutarchum, Theophraſtrum, & Æmilium Probum, ex Theopompo Athenæus enarrat, in agris & hortis ſuis, qui fructus cuſtodirent, nullos eſſe permiſit: ut è civibus, qui vellent, ingreſsi, fructus legerent: & ſi quid egerent, quod in ſuis poſſeſsionibus proveniret, aſportarent ut collibuiſſet. Prætereà domum ſuam omnibus ille communem exhibebat, parata ſemper frugali cœna, quæ multis hominibus ſatis eſſet; ut tenuis fortunæ cives, & inopes accederent, & ingreſsi cœnarent. Illis etiam favebat, qui quotidie ab eo quicquam poſcerent, & cum per civitatem ambularet, duo vel tres adoleſcentuli eum comitari ſolebant cum minutulis nummulis, quibus imperabat, ſi quis obvius egeret, ei ſtipem erogarent. Athenæ. lib. 12.

14 Eum quoque tradunt, mortuis ſepeliendis pecuniam contuliſſe; ac ſæpè cum è civibus aliquem malè veſtitum aſpiceret, adoleſcentum cuipiam ex ijs, qui ſequebantur mandaviſſe, ut ſuam cum eo veſtem commutaret. Quod Probus his verbis recenſet: *Sæpè cum aliquem offenſum fortuna, videret minùs benè veſtitum, ſuum amiculum dedit. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletavit.* Æmil. Prob. in Cimone.

15 Piſiſtratum quoque, ſcribit idem Athenæus, Cimonem ſibi in prædictis exemplum poſuiſſe, verùm magnitudine virtutis multis eum partibus ſuperaſſe. Et Iovianus Pontanus, poſt Xenophontem, memoriæ mandavit, Cyrum Perſarum Regem, Regno potitum, nullum in ſuos liberalitatis genus prætermiſiſſe, non pecunias, ſed amicos, quibus ipſe plurimum contuliſſet divitiarum, ſuos eſſe theſauros dicere ſolitum. Athenæus. Pōtan. de Princip.

16 Cui ſimilis Dionyſius Senior apud Plutarchum, cum ad filium ingreſſus, conſpexiſſet vaſculorum aureorum, & argenteorum magnam vim, exclamans: *Non eſt* (inquit) *in te Regius animus, qui his poculis, quæ à me tam multa accepiſti, neminem tibi amicum feceris*; ſentiens abſque civium benevolentia Regnum, nec parari, nec retineri, benevolentiam verò maximè liberalitate conciliari, per quam ut ait Patricius, multa plerunque Reges agunt, quæ vi, & armis nequaquam aſſe- Plutarc. in Apoph. Patric. lib. 2. de Regn.

que-

Proverb. 22 9. querentur. Quod cum illo Proverbiorum mirificè convenit: *Victoriã, & honorem adquiret, qui dat munera: animam autem aufert accipientiũ.*
Caſsiod. lib. 1. epiſ. 45. Caſsiodori dum inquit: *Pleramque res parvæ plus prævalent præſtare, quàm magnæ poſſunt obtinere divitiæ.* Et non minùs eleganter Ennodius, his verbis:
Ennod. lib. 4. epiſt. 10. *Eſt hæc claritas dominorum inſerta natalibus, ut culmina ſua dignatione ſubliment. Vultis quaſi æquales tractare famulos, ut ab ipſa vobis per amorem conditione plus debeant.*

In quo tamen, ut & in alijs liberalibus largitionibus, quæ à Principibus ſolent in ſuos Aulicos, vel alios homines privatos conferri, de 17
Sup. Embl. 78. quibus iam ſuprà meminimus, illud ſemper obſervandum eſſe cenſemus, ne hæc in populares Beneficentia, temerariæ prodigalitatis nomen incurrat, & luxuriantes Caligulas, Nerones, & alios ſimiles ſapiat, qui totas Imperij vires aliquando in ludis, & congiarijs civibus exhibendis abſumebant, quos deinde pluribus rapinis, & vix excogitatis fraudibus, atque exactionibus excoriabant. Monente quippè
Caſsiod. li. 9. epiſt. 19. Caſsiodoro: *Commodum debet eſſe cum modo. Nam ſi menſuram æqualitatis exceſſerit, vim ſui nominis non habebit.* Et ſapienter, ut ſolet, Seneca:
Senec. epiſt. 120. *Sunt* (inquit) *virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus, recti ſimilitudo eſt. Sic mentitur prodigus liberalem; cum plurimum interſit, utrum quis dare ſciat, an ſervare neſciat. Multi ſunt, qui non donant, ſed proiiciunt. Non ego voco liberalem, pecuniæ ſuæ iratum.*

Circa quas tamen tam in publicum, quàm in privatum commodũ 18
Principum largitiones, illud tandem coronidis loco ipſos admonitos velim, ut earundem hilaritatem, celeritate præſtandi, auctiorem reddere curent, & hoc pacto, recipientes, ſibi magis gratos, & devinctos
Xenoph. in Cyropæd. lib. 7. efficiant. Nam etſi non ignorem Xenophontis doctrinam ſuo Cyro ſuadentis, tanto plus ſubditis ad ferre lætitiæ eiuſmodi dona, quãto maiore labore præcedente ad ea conſequenda pervenerint. Quod
Caſsiod. lib. 9. epiſt. 24. & fortè ſentit Athalaricus Rex, dum apud Caſsiodorum ſcripſit: *Habet hoc enim humana conditio, ut celerius adepta faſtidio ſint: dum omne pretioſum vileſcit oblatum, & contrà dulcius accipitur, quod ſub aliqua dilatione præſtatur.* Certiùs tamen eſt, ſemper atque rerum ſtatus, perſonarumve conditio ſimiles præſtationes expoſtulat, haud
Idem lib. 3. ep. 40. & lib. 11. epiſt. 21. & lib. 12. epiſt. 8. quaquàm comperendinari debere, quod vel idem Caſsiodorus agnovit, dum dixit: *Omne ſiquidem datum celeritatis cauſa tranſit ad beneficium, & quod debitò redditur, tali gratia munus putatur.* Et iterùm:
Ego 2. tom. de Ind. iur. lib. 7. c. 7. n. 81. & ſeqq. *Apud conſcientiam noſtram læſionis genus eſt pro futura tardare: nec poſſumus æſtimare iucundum, quod ingrata fuerit dilatione ſuſpenſum: Differri nõ patimur merita ſedentium, ut ad ſtudia bonorum actuum provocemus vota cunctorum. Hoc eſt enim bona deſideria ſuſpendere, quod illicita perpetrare, &c.* Cu loco conſonant alia, quæ Ego alibi adduxi, præſertim Auſonianum illud,
Auſon. epig. 82.

Si benè quid facias, facias citò: nam citò factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Ovid. 3. Pont. 4. Quem prævit Ovidius ſimiliter inquiens:

Gratiaque officio, quod mora tardat, abeſt.

Et Seneca, qui in pluriſque Aulicis hoc vitium notat, & reprehendit, Senec. lib. 2. de benefic. cap. 5. quem omnino vide.
ambitione prava differendi promiſſa, ne minor ſit rogantium turba, non benè exiſtimantes illud eſſe veriſsimum, quod ille Comicus dixit: *Tantum te gratiæ demere, quantum moræ adiicis.* Quod argumentum latè, ſuum Trajanum commendans, proſequitur Plinius, ſuum Plin. Iun. in Paneg. cap. 91.
Iulianum Mamertinus, ſuum Gratianum Auſonius, ſuum Theodoſium Pacatus, & pluribus ſimilibus locis ex Martiali, Apuleio, Symmacho, & alijs, petitis, eruditè illuſtravit Ianus Gruterus, inde lique- Gauter. in Florilog to 3. ex pag. 756. ad 769.
re deducens, quàm iuſtè Libertus Tiberij inſtet apud neſcio quem in aula potentem, his verſibus:

Brevitatis noſtræ præmium ut reddas peto
Quod es pollicitus: exhibe votis fidem:
Nam vita morti propior eſt cotidie:
Et hoc minus veniet ad me muneris
Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, uſus fiet longior,
Fruar diutius, ſi celeriùs cæpero.
Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adiuvare bonitas nitetur tua.
Cum iam deſierit eſſe beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum.

Quod adhuc magis premens D. Gregorius Nazianzenus: *Nemo quidem* (inquit) *miſericordiæ officium interrumpat. Ne dixeris, rediens redi, & craſtino die dabo tibi: ne quid inter propoſitum beneficium intercedat. Vna enim Beneficentia eſt, quæ moram non admittit, &c.* Nazanz. orat. 16.

In Reges pro Terræ puncto certantes.

EMBLEMA LXXXVII.



O quota eſt Mundi Globus iſte terræ
Pars! O brevis ſanè mica mundialis
Machinæ! Claudens patula invidendo
Corpora puncto.
Quid face, & ferro rapitis Tyranni
Tam levem prædam: Petite altiorem
Cœlum habet terras; Homines habemus
Æthera centrum.

COMMENTARIVS.

NON ſatis eſt Principes in his quæ Domi, Paciſque tẽpore agere debent, ut in ſuperioribus fecimus, admonuiſſe; niſi & eoſdem qualiter ſe in bellicis rebus, & quod dicunt in ſago, gerere debeant, pari cura, & diſciplina ex graviſſimorum quoque Scriptorum penetralibus commoneamus. Hoc etenim eſt, quod Imperatoriam Maieſtatem utroque tempore laudabilem reddit, ut iam ſuprà ex Iuſtiniani, & aliorum verbis fusè probavimus. 1

Sup.Embl.26.

Et quamvis ſint plures, qui poſt Auſonium Gallum, hanc togæ, ac ſagi æquè valentem, ac ſcientem copulam raram appellent, 2

Auſon.Gall. epiſt. 7.

Conſilijs, belloq́ue bonus, quæ copula rara eſt.

Qui-

Quibus adſentiens Salluſtius, ſcripſit, *Difficillimum in primis eſt, & prælio ſtrenuum eſſe, & bonum conſilio.* Et Claudianus poſt Homerum:

Salluſt.in Iugurt.

-------- Nunquam ſincera bonorum
Sors ulli conceſſa viro. Quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: Animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit. Bellis inſignior ille;
Sed pacem fœdat vitiis. Hic publicâ fœlix,
Sed privata minùs. Partitim ſingula quemque
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis;
Hunc rigor, hunc pietas, illum ſolertia iuris,
Hunc ſoboles caſtique tori, &c.

Claud.de laud.Stilicon.lib.1.

3 Reges tamen, qui ad ſumma naſcuntur, in ſumma quæque, & rara etiam, contendere debent, &, ut idem Claudianus ſubdit, pro virili curare, ut quæ *Sparguntur in omnes,*

Idem eod. lib. 1.

In ſe mixta fluant, & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta teneant.

Alcibiadem Mecænati iungentes, quorum ille malus pace, bello bonus, hic ex adverſo, bello malus, pace & conſilio bonus fuiſſe perhibetur, aut verius Malium Thedorum imitantes, de quo idem ipſe Claudianus ſic cecinit,

Plut.in Alcib.& in Mecæn.

Claud.de Mallii Theod.Conſ.

------- Similem, quem pertulit ætas,
Conſilio vel Marte virum.

Et laudatiſsimum Trajanum, quem Plinius Iunior, ab eadem copula, his verbis extollit: *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace. Alius toga, quem non & arma honeſtarunt. Illi quæſita domi gloria, non in publico; hic in publico partam, domi perdidit. At Principi noſtro quanta concordia, quantuſque concentus omnium laudum, omniſque gloriæ contigit? &c.*

Plin Iun. in Panegyr.ad Trajan.

4 Lucanus quoque, ſive quiſquis ille eſt, qui Panegyricum ad Piſonẽ ſcripſit, ita ipſum ab eadem coniunctione collaudat:

Lucan.ad Piſon.

Nos quoque pacata Piſonem laude nitentem
Exæquamus avis: Nec enim ſi bella quierunt,
Occidit & virtus; licet exercere togatæ
Munera militiæ.

Et quidem rectiſsimè omnes. Nam ut verbis Horatii utar,

Horat.in Art.Poetica.

Alterius ſic, altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Et qui utramque coniungere deſpexerit Princeps, licèt cœlo partarũ rerum cumulum æquet, ſedem adhuc ſtabilem, ut Valerius inquit Maximus, non habebit.

Valer.lib.2 cap.9. de Conſ.Sever.

5 Sed illum tamen, ſi Prudens, ſi Chriſtianus, ſi laudabilis eſſe velit, bella quidem ſcientem, non ſitientem optamus, & hanc primam bellandi rationem diſcere, & altè animo ſuo figere cupimus, ut, quo fieri maximè poſsit, bellum excuſet, neque inani levivè famæ gloria,

aut

aut famis ſuos limites protendendi, ut Raptor ille quondã orbis terrarum Alexander Macedo, ambitioſè ad illud inferendum procedat, ſed ubi res popoſcerit protegendi, & maturo conſilio graves iniurias, quibus ſe laceſsitum ſenſerit, vindicandi, ut Iſocrates Nicoclem monet his verbis: *Bellicoſus eſto ſcientia rei militaris, ſed apparatu pacificus, nihil præter ius & æquum vindicando.*

Tull. lib. 1. offic.

Certè enim certum eſt, quòd præclarè M. Tullius ſcripſit in id tantùm ſuſcipienda eſſe bella, ut ſine iniuria in pace vivatur, & ſecundùm D. Auguſtini ſententiam: *Apud veros Dei cultores illa tantùm bella pacata eſſe, quæ non cupiditate, aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, ut mali coerceantur, & boni ſubleventur, & non eſſe delictum militare, ſed propter prædam militarè peccatum eſſe. Pacem habere, voluntatis eſt, Bellum autem debet eſſe neceſsitatis. Non enim Pax quæritur, ut bellum exerceatur, ſed bellum geritur ut pax acquiratur.* 6

D. Aug. in lib. de verb. Dom. ſerm. 19. relatus in cap. apud veros, & in c. militare noli 23. q. 1.

Terẽt. in Comœd.

Quò etiam tendit Terentianum illud, 7

Omnia prius experiri verbis, quàm Armis ſapientem decet.

Cicer. ubi ſup.

Ciceronis: *Nam cum duo ſint genera diſceptandi unum per diſceptationẽ, alterum per vim: cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiori.* Et Altiati Emblema hoc Diſticho clauſum:

Altiat. Emb. 177.

Arma procul iaceant: fas ſit tunc ſumere bellum
Quando aliter Pacis non potes arte frui.

Caſsiod. lib. 3. epiſt. 1.

Et Caſsiodori præclarum documentum; quo monuit, *Tunc utile ſolùm eſſe ad arma concurrere, cum locum apud adverſarium iuſtitia non poteſt invenire.* Quod ex Ariſtotele ſumtum videtur, aiente: *Neceſſe eſſe arma domi neceſſario poſita in armentario iis, qui Reipublicæ præſunt, tum propter eos, qui detrectant Imperium, tum propter exteros, qui iniuriam conantur inferre.* Atverò, ſecundum eundem D. Auguſtinum: *Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, & populos ſibi non moleſtos, ſola Regni cupiditate conterere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt?*

Ariſt 7. pol. 9.

D. Aug. de civit. Dei, lib. 4. c. 6.

Morus in lib. Epigram.

Ac proinde ſemper celebratum fuit nobile illud Thomæ Mori Angli Martyris Epigramma, quo veſanam iſtam omnium ferè Regum in pluribus Regnis appetendis, & invadendis ambitionem, meritò carpit; cum vix, aut ne vix quidem ullus repertus fuerit, qui vel unum tãtum rectè gubernare valuerit. Adeò ut verè ſcurra ille apud Vopiſcũ dicere viſus ſit: *Omnes bonos Principes uno annullo perſcribi depingivè poſſe.* Mori carmen ſic habet: 8

Vopiſc. in Aurel.

Regibus è multis Regnum cui ſufficit unum,
Vix quidem unus erit, ſi tamen unus erit.
Regibus è multis Regnum benè qui regat unum,
Vix quidem unus erit, ſi tamen unus erit.

Eraſ. in hoc Adag. pag. 638.

Similem querelam latè proſequitur Eraſmus, eiſdem Principibus conſulens, ut Spartam, quam nacti fuerint, ornare ac meliorem reddere curent, & hanc ſententiã paſsim in eorum aulis inſcribi oportere. 9

Do-

Dolenſque, quod cum eorum munus ſit, & eſſe debeat, Reip. commodis providere, publicam tueri libertatem, alere pacem, excludere, quàm minimo ſuorum exitio, maleficia, dare operam ut integros & ſanctos habeant Magiſtratus, Regnumque, quod ſortiti fuerint, parvum licèt, ſplendidum citra aliorum detrimẽtum, & ſine Finitimorum vexatione, ſua ſapientia, virtute, ac diligentia ornatius reddere, celebrius, & locupletius. In id tamen omnes ferè iam devenerunt, ut neglecta, quæ contigit ditione, foris agant, alijs inhient imperijs, ſuos in ſummum adducant diſcrimen, funditusque exhauriant, ſeque pariter, & univerſam fortunam, aleæ belli ſubiiciant, ut unum, aut alterum oppidulum ſuis finibus addant.

10 Idem, non minùs verè, quam diſſertè alio repetit loco, inquiens: *Se arbitrari, fœlices fore Reſpublicas, ſi Principes ſanè Chriſtianèque inſtituti, ſimul atque ſuſceperint Regnum, pariter & animum Regno dignum ſuſcipiant, publicis commodis metiantur conſilia omnia, ab omni tyrannidis ſpecie velut à peſte quadam abhorreant, ac pro ſe quiſque certet, quod ſortitus eſt Regni, non amplius, ſed melius ſucceſſori tradere. Omneſque pariter adnitantur; ne bellum ullum ſit, potius quàm ut bello vincant, neque ſit ullis opus copijs, magis quàm ut his rebus ſint inſtructi: pacis artibus magni videri ſtudeant, quæ conſilij animique viribus conſtant.*

Idem in præfat. ad Sueton.

11 Et herclè, hanc fuiſſe, eſſeque debere præcipuam Regum curam, prima quoque & antiqua ipſorum creandorum ratio ſatis oſtendit, quæ ſecundùm Iuſtinum in id tendebat, ut fines imperij tueri magis, quàm proferre ſatagerent, & intra ſuam cuique patriam Regna finiebantur. Quouſque primus omnium Ninus Rex Aſsyriorum, veterem, & quaſi avitum morem, nova Imperij cupidine mutavit, inutilitque bella finitimis: & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad Lybiæ terminos uſque perdomuit.

Iuſtin. lib. 1. hiſt.

12 Quod etiam D. Iſidorus in ſuis originibus repetit, licèt Caſsiodorus, ad Belum, huius Nini patrem, belli initium, & nomen, & ferri inventionem reducat, cui tantùm ſequentia ſæcula detulerunt, ut Sceptra tenentes, iuxta Livium, Tacitum, & Salluſtium, omnia virorum fortium, id æquius, quod validius exiſtiment, maximam gloriam in maximo Imperio, & in profunda eius, & divitiarum libidine, ponere cœperint, ſuaque retinere, privatæ domus, de alienis certare Regiam laudem eſſe cenſuerint.

D. Iſid. lib. 18. etymol. cap. 1.

Caſsiod. lib. 1. epiſt. 30.

Tacit. 15 Annal. c. 1. Salluſt. in Catil.

13 Superbia nimirùm tumentes, quam, ut ait D. Thomas, Regnantiũ opulentia produxit. Cui ſecundùm D. Bernardum, invidia comes eſt, quæ dum ſola aliquid eſſe, ſola regnare appetit, rivalem ferre nõ poteſt, & foras charitatem, & iuſtitiam expellens, in bella prorumpit, & ut Ovidius ait, elegantiſsimam eius proſopographiam ſcribens:

D. Tho. 2. 2. q. 36.

D. Bernar. ſerm. 13 in Pſalm. 15.

Ovid. 2. Metam.

Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum; carpitque & carpitur unà,
Suppliciumque ſuum eſt.

14 Cui malo magis in dies magiſque ſerpenti, ultra ea, quæ poſt plu

Berneg. ad Tacit. democ. Germ. q. 2

res alios ex Politicis, noviſsimus Bernegerus expendit, dum Ego cupio, ut capio, medelam aliquam exhibere, nihil proprius habui, quàm hoc Emblemate duos iſtos, quos vides, Reges, pro terreſtris globi imperio dimicantes, eiſdem Regibus ob oculos ponere, qui eundem ipſum, quem poſsidere tantopere cupiunt, mutuo mucrone tranſverberant, nihil penſi habentes, quod etiam ſi toto illo potiri poſſent, quod nulli unquam contigit, nec contingere poterit, adhuc tamen agnoſcere deberent, nihil planè, vel ut plurimum granum ſynapis, adeptos ſe eſſe, reſpectu ætherei, ac cœleſtis, in quem tutius latiuſque eſſet, ut totis corporis, atque animi viribus, & indeſinentibus cogitationibus niterentur.

Plin. lib. 2. c. 68.

Quod ex Plinio deſumſi, qui poſtquàm terreni globi dimenſionem graphicè delineavit, eiuſque exiguitatem exiguiorem eſſe oſtendit, illis detractis partibus, quæ mari, fluminibus, incultiſque montibus, aut paludibus, & varijs alijs de cauſis deſertæ inhabitabileſque redduntur, ita concludit: *Hæ tot portiones terræ, imò verò, ut plures tradidere, Mundi punctus (neque enim eſt aliud terra in univerſo) hæc eſt materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes; hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hìc opes capimus, hìc tumultuatur humanum genus, hic inſtauramus bella, etiam civilia, mutuiſque cædibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium furores tranſeam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini ceſpitem noſtro ſolo affodimus, ut qui latiſsimè rura metatus fuerit, ultraque fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? Vel cum ad menſuram avaritiæ ſuæ propagaverit, quàm tandem portionẽ eius defunctus obtineat?* 15

Senec. in præf. ad lib. nat. quæſt.

Plinium in eadem cõſideratione præijſſe videtur Seneca, inde animos à terreſtribus & caducis, nobiſque ad tempus tantùm conceſsi, ad cœleſtia æternaque erigens, & ſtatim in rem noſtram ita ſubiiciẽs: *Hoc eſt illud Punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur. O quàm ridiculi ſunt mortalium termini: ultra Iſtrum Dacus non exeat, Strimo Thracas includat. Punctum eſt iſtud in quo navigatis, in quo bellatis, in quo Regna diſponitis: minima, etiam, cum illis utrinque Oceanus occurrit. Surſum ingentia ſpatia ſunt, in quorum poſſeſsionem animus admittitur, &c.* 16

Idem lib. 6. de benef. cap. 3.

Qui & ipſe alibi, vel ob id etiam, ita partam potentiam, & opulentiam, parũ appetendũ eſſe, quòd fortunæ imperio ſubiaceat, & in perpetuo penè fluxu ſit, his elegantiſsimis verbis oſtendit: *Omnia iſta, quæ vos tumidos, & ſupra humana elatos, oblivíſci cogunt noſtræ fragilitatis; quæ ferreis clauſtris armati, quæ ex alieno ſanguine rapta, veſtro defenditis; propter quæ claſſes cruentaturas maria deducitis, propter quæ quaſſatis urbes, ignari quantum telorum in adverſos fortuna comparet: propter quæ ruptis toties affinitatis, amicitiæ, collegij fœderibus, inter contendentes duos terrarum orbis eliſus eſt. Non ſunt veſtra, in depoſiti cauſa ſunt, iam iamque ad alium Dominum ſpectantia, aut hoſtis illa, aut hoſtilis animi ſucceſſor invadet.* 17

Macrob. in ſomn. Scip.

Cum Plinio quoque, & Seneca ſentit Macrobius, omnem habitabilem terram extentæ chlamydi ſimilem faciens, quò eius exiguitatẽ 18

ma-

manifeſtaret, cum chlamys, ſecundum Budæum, & alios, proprie veſtem militarem, pallio breviorem, ſignificet. Et meliùs ac pius Boetius, ex eadem exiguitate Reges alioſque privatos irridens, qui toto, quod aiunt, cœlo aberrantes, cœli ſpecioſa, ſpacioſaque culmina non attendunt, & deviam à recto cynoſuram imaginantes, adminutula hæc, & caduca Mundi Regna, ſuam aciem, vel acum, tãtis laboribus, ac conatibus dirigunt; & familiare habent, ut quarum rerum minor eſt fructus, earum & cupiditas, & delectatio ſit maior. Bud. Baiſig. Boet.

19 Sed nemo melius Plinij mentem, & Emblematis noſtri intentum expreſsit, quàm ille, vtinam ita pius atque elegans, vates, qui dixit:

Percipias rerum ſit quantula portio, verbis
Quam Nos magnificis in Regna ſuperba ſecamus.
Partimur ferro, & mercamur ſanguine fuſo,
Ducimus exiguæ glebæ de parte triumphos.
Illa etenim moles, per ſe ſpectata ſeorſim,
Magna quidem: ſi cum ſtellati tegmine cœli
Componas, puncti inſtar erit, vel ſeminis, unde
Condidit innumeros Senior Gargetius Orbes, &c.
O Pudor, o ſtolidi præceps veſania voti:
Quantula pars rerum eſt, in qua ſe gloria tollit;
Ira fremit, metus exanimat, dolor urit, egeſtas
Cogit opes ferro, inſidijs, flamma, atque veneno?
Scilicèt & trepido fervent humana tumultu.

20 Vnde anſam quoque ſumpſit vetus Socratis apophthegma, quo rideri ſemper à dijs homines dixit, cum vana hæc cupiditatum inſpiciunt. Et meritò Schoonhovius in quodam Emblemate de eiſdem ob hæc crepundia rixantibus, ita dicere potuit. Plut. in apoph. Schoondov. Embl. 27.

Rixantur pueri, ſi quis lapides nuces ve
Auferat, & ſemper obvia quæque ſtupent;
Nos etiam pueri, qui donec vita ſuperſtes,
Propter opes lutteas digladiamur humi.

21 Quos etiam Talpis, non ineptiùs, ſimiles facere poſſumus, non ſolùm ob cœcitatem huic animali connaturalem, quæ Adagio *Talpa cæcior*, locum fecit. Verùm ea etiam de cauſa, ut hiſtoriæ naturalis Auctores obſervant, quòd terræ ſemper inhians, præ dolore eius, quod ſibi excavandum, vel occupandum reſtat, emori ſolet. Prout his quoque Regibus accidit, qui nihil ſe poſsidere putant, niſi quod alij poſſident, ſuum quomodolibet faciant, nulla iuſti, vel iniuſti ratione habita, ſui cordis aviditatem, vel toto ipſo orbe minimè ſatiantes, cum tamen ipſum ipſorum cor (ut benè quidam Politicus dixit) vel ad falconem ſatiandum ſufficiens non ſit. Eraſm. in hoc Ad. pag. 111. ex Plin. & alijs. Anton. Perez epiſtol. 38.

22 Cuius inexplebilis aviditatis exemplum Alexander ſatis exhibuit, qui puer adhuc cum plures eſſe mundos, Anaxagoram differen-

tem, audiret & ſe nondum unius Dominum, ſeu prædonem factum videret, illachrimavit, & cauſam Iuvenali præbuit, ut ſic de eo dicere potuerit.

Iuven. Satyr. 10. Ego. 1. tom. de Indiar. Iur. lib. 1. c. 4 n. 4.

Vnus Pellæo Iuveni non ſufficit Orbis,
Aeſtuat infelix anguſto limite mundi,
Vt Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.

Oven. lib. 2. Epig. 78.

Et alteri.

Vnus Pellæo Iuveni non ſufficit Orbis,
O Iuvenis, mundo mens tibi maior erat.
Vni Pellæus Iuvenis non ſufficit Orbi,
Magnus Alexander; ſed tamen Orbe minor.

Tacit. in Agricol. & ibi Lipſius in notis.
Petr. in Satyr. ibi *Orbem iam totũ, &c.*
Sup. Emb. 39.
Guevar. in horol. Princ. lib. 3. c. 3. & 14. & 31. Auguſt. de civit. Dei lib. 4. c. 6. Cypr. epiſt. ad donatum.

Aliud quoque non minùs nobile, in Romanis, eiuſdem Alexandri in orbis direptione, & vaſtatione imitatoribus, & ſucceſſoribus, Cornelius Tacitus, ſub Brittanni Ducis perſona, adeò eleganti oratione commemorat, ut IuſtusLipſius, illam ſuis notis illuſtrans, dicere audeat, ſenſu ſuo, nullam aliam pulchriorem, prudẽtiorem, diſertiorem, argutiorem in omni Romana lingua reperiri poſſe, quæ in id tandem tendit, ut nihil illorum aviditati tutum, inviumve fuiſſe, iure, vel iniuria, demonſtret. 30

Prout & inſigni carmine oſtẽdit Petronius, quod iam ſupra in alio Emblemate rituli, & in hoc aptius transferri poteſt, notans tot bella, ad ſolam gulam, & exitialem luxum profeciſſe, & poſt D. Auguſtinũ, & Cyprianum, Noſter D. Antonius de Guevara, ingentia damna, & ſcelera huius Tyrannicæ direptionis graviter queſtus, & omnibus, qui eis utuntur, divinum iudicium miratus, quod nũquam multas, aut durabiles eiuſmodi occupationes eſſe permittit, & talionis legem ſeverè in alienorum raptores exercet, ut in mutatione, & lapſu quatuor Antiquarum Monarchiarum vidimus contigiſſe. Etenim ut præter alios habet Claudianus. 31

Claudia. in Stilic. lib. 3.

Sic malè ſublimes fregit ſpartanus Athenas,
Atque idem Thebis cecidit. Sic Medus ademit
Aſſyrio; Medoque tulit moderamina Perſes
Subiecit Perſen Macedo, ceſſurus, & ipſe
Romanis, &c.

D. Tho. de regim. Princ. lib. 2. c. fin. Pelagia. de planct. eccle art. 62. conc. 2. Caſſan. in Catal. 5. p. conſid. 37. Soto de iuſt. & iur. lib. 4. q. 4. artic 2. Boter. de rat. ſtat. lib. 1. Richterus in Axiom. hiſt. 128. & in econo. 203. Grut. Bocalin. Admiratus, Parut. & plures alij apud Beſold. in diſ. de increm. Imper. c. 3. noviſ. N. Saav. Emp. ex pag. 435. Livius lib. 23. Strabon. lib. 7.

Qua de cauſa Politici omnes Auctores, & qui piè, ac prudenter Principibus cõſulunt, mediocrem Imperij magnitudinem magis optabilem, & durabilem monent, nec tam eos inſpicere debere, quouſque ſuos fines extendere poſſint, quàm utrùm, & qualiter, tum antiquos, tum noviter partos, iuſtè gubernare valeant. 32

Teſte enim Lucano, ſuorum Romanorum exemplo per docto.

Lucan. 1. Phar.

In ſe magna ruunt, lætiſque hunc Numina rebus,
Creſcendi poſuere modum.

Et

Et ut Albucius apud Senecam Rhetorem, inquit, *Aliquis etiam magnitudinis modus eſſe debet. Non procedit ultra ſpacia ſua cœlum, Maria intra terminos ſuos nõ agitantur, quicquid ad ſummum venit, incremento non relinquit locum.* Alter etiam Seneca, melius adhuc, alio loco ſic habet. *O quàm magnis homines erroribus tenentur, qui ius dominandi transmare cupiunt mittere? feliciſsimoſque ſe iudicant, ſi multas Provincias obtinent, & novas veteribus adiungant ignari, quod ſit illud ingens, paratumque Regnum. Imperare ſibi, maximum imperium eſt, &c.*

Seneca in Suaſor.

Idem Senec. epiſt. 113. in fine.

34 Quod conſilium, Valerio, & Iuſtino tradẽtibus, ita Scipionis Africani Iunioris animo ſedit, ut Romæ cenſorem agens, ſolenne carmen ex publicis tabulis emẽdari præceperit, quo Dij inmortales rogari ſolebãt, ut populi Romani res meliores, amplioreſque facerent; ſatis eſſe inquiens, quòd precarẽtur, ut bonas, ac magnas, qnas iam poſsidebat, perpetuò incolumes conſervarent. Prudenterque ſentiens, ut ſubdit Valerius, *Tunc incrementum Romano Imperio petendum fuiſſe, cum intra ſeptimum lapidem triumphi quærebantur: maiorem autem totius orbis terrarum partem poſsidenti, ut avidum eſſet quicquam ultrò appetere, ita abundè felix, ſi nihil ex eo, quod obtinebat, amitteret.*

Valer. lib. 4. c. 1. §. 10. Iuſtin. lib. 25.

Valer. Maxim. ubi ſup.

35 Idem quoque ſenſiſſe, & exẽplo ſuo docuiſſe videtur Alcadas Duodecimus Rex Babyloniorum, qui (ut Beroſus, & alij teſtantur) otium, & tranquillitatem vitæ ſequutus, ſtultum eſſe dicebat, multis fatigari laboribus, & varijs implicari curis, amplificãdi Regni cauſa; quoniam ea res, ad nullam hominum ſalutem, & utilitatem, ſed ad detrimẽtum potius, ſervitutemque pertineret. Et de Philippo Macedonum Rege Plutarchus commemorat, quòd in palæſtra prolapſus, quum ſurgens in pulvere vidiſſet corporis veſtigiũ, *Pape*, inquit, *ut minimã terræ partem natura ſortiti, orbẽ appetimus univerſum.* Quod dictũ, ſi animo filij eius hæſiſſet, anguſtias eiuſdem Orbis, ut modò diximus, nõ doleret.

Beroſ. Methaſt. Caſiodor. Iorn. & alij

Plut. in apopt.

36 Digna etiam relatu eſt Antiochi hac in parte animi moderatio, cuius poſt Ciceronem, Valerius Maxim. meminit, qui ultra Taurũ montẽ Imperij finibus ſummotus, cum Aſiam Provinciã, vicinaſque ei gẽtes amiſiſſet, gratias agére Pop. Rom. nõ diſsimulãter tulit, quòd nimis magna procuratione liberatus, modicis Regni terminis uteretur.

Cicer. in orat. pro Deiot. Valer. dict. lib. 4. c. 1. in fine, Plut. in vit. Scip.

37 Habemus etiam eiuſdem doctrinæ locupletiſsimum aſſertorẽ. D. Auguſtinum, qui conſideratis iniuſtitijs, & iniquitatibus, quæ in acquirendis novis ditionibus interueniunt, & difficultatibus, expenſis, ac laboribus, qui in eis conſervandis, & gubernandis ſe ſe offerunt, dubitat. *Ne fortè non pertineat ad bonos viros, gaudere de Regni latitudine, felicioreſque res humanas fore futuras, ſi omnia regna parva eſſint, concordi vicinitate lætantia.* Idẽ in ſua Vtopia Thomas Morus, & in ſua Argenide Ioannes Barclaius, fictis quidem, ſed prudenter adſtructis hiſtorijs, & exemplis oſtendunt, damna, quæ ex pluriũ Regnorum cumulatione ſequi ſolẽt, conſiderãtes, nõ ſolùm ubi per bella, verùm, & ubi per matrimonia, aut alijs legitimis titulis acquirũtur. Et Eraſmus, optimo ſimili uſus, *ut naues*, inquit, *quædã maiores sũt, quã ut gubernari poſsint; ita difficillimũ eſt, ditionẽ ultra modũ latã, feliciter gubernare. Id verò multò difficilius, ſi ditionis portiones lõgis interuallis diſtinctæ ſint.*

D. Aug. lib. 4. de ciuit. Dei c. 15.

Thomas Morus in Vtop. lib. 1. fo. 36.

Barcla. in Argen. lib. 4. pag. 979.

Eraſm. cent. 9. ep. 95.

Panorm. dedict. & fact. Reg. Alf. li. 4. cap. 30.

Alphonſus quoque Primus Neap. Rex, apud Antonium Panormitanum aiebat, olim (ut fabulantur Poetæ) inter Iouem, Neptunum, & Plutonem omnium rerum partitonem trifariam eſſe factam, & horum unumquemque ſua ſorte contentum eſſe, nec occupare aliena: Inter homines, neminem ſua portione contentum, nec ullam partitionem eſſe ſtabilem, ſed omniū Principū ambitionem, & regnandi nūquam ſatiandam libidinem, ſemper, quo iure quave in iniuria, novas ditiones ante partis adijciat, ſedulò cogitare. 38

Paruta in diſcurſ. Politicis.

Livius.

Lucius Florus.

Plut. in apoph. Rom.

Et Paulus Paruta de ſua Veneta Republica agens, unam hanc aſſignat cauſam, cur diu ea ſalva, ac florens ſteterit, nempe quia ditioni potiùs ſuæ conſervandæ ſtuduit, quàm ampliandæ. In quo omnes qui benè ſentiunt, ut maiorem difficultatem, ita quoque maiorem laudem conſtituunt, illud, quod alicubi dixit Livius, ſequentes, *Excellentibus ingenijs citius defuerit ars, qua civem regant, quàm quâ ſuperent hoſtes,* & Lucius Florus, *difficilius eſt provincias retinere, quam facere.* Et Auguſtus Cæſar apud Plutarchum, qui audiens, quòd Alexander natus annos triginta duos, poſtquàm pleraſque mundi regiones peragrarat, dubitaſſet, quid in reliquum vitę tempus eſſet facturus, demirabatur, ſi Alexander non iudicaſſet, maius opus benè gubernare partum Imperium, quàm amplam ditionem comparaſſe. 39

Reuſner. in Rodulph.

Ovid. & alij plur. ap. Me 2. tom. lib. 2. c. 30. n. 78. & ſequent.

Planè Rodulphus I. Imperator Auſtriacæ Auguſtiſsimæ Familiæ digniſsimus Plaſtes, Nicolao Reuſnero teſtante, cuidā monenti Regni pomœria ampliaret, prudenter reſpondit: *Melius eſt benè imperare, quàm Imperium ampliare,* quia iuxta illud vulgatum Ovidij, 40

Non minor eſt virtus quàm quærere, parta tueri.
Caſus ineſt illic, hìc ſubeſt artis opus.

Salluſt. in Iugurt.

Caſsiod. lib. 5. ep. 25.

Et ut ait Salluſtius, *Maius dedecus eſt parta amittere, quàm omninò non paraviſſe.* Quibus adſentiens Caſsiodorus, ſic habet: *Non minor in conſervandis rebus, quàm in inveniendis adhibenda cautela eſt, quia ae Initijs prædicatio debetur invēto, de cuſtoditis autē acquiritur laudata perfectio.*

La Nove diſcurſ. Pol. 7.

Traj. Boccalin. cētur. 2. Rag. 6.

Et in noſtris terminis inſignis quidam Politicus, benè Principes docet, quòd ambitio laudibilis & optima eſt, benè gubernare provincias ſuas, non cum ſanguine & periculo occupare ea, quæ ſunt aliorū. Et alter Italo ſermone, ſic eiſdem ſuadet: *Che la ſoverchia ambition loro, Sfogaſſero nel far acquiſto da la ſegnalata gioria di ben governar, i popoli che Dio ha conceduti loro, non con lo empio mezzo de gl' incendij, delle rapine, & del' effuſion di copia grande di ſanguine humano, affectar gli ſtati altrui.* 41

Livius lib. 23.

Strab. lib. 7.

Curtius lib. 7. c. 8.

Vt omittam punitionem Divinam, quàm non rarò, qui ſecus faciunt, perpeti ſolent, nempe, ut dum alienis invident, propria perditum eant. Quod ſatis Cures Piezeningorum Princeps apud Livium, & Strabonem admonuit, dum in cranio Suetislai à ſe ob hāc cauſam interfecti, quo ad potandum uti conſuevit, has litteras poſuit: *Hic quærendo aliena, propria amiſit.* Et in idem tendit ſapiens illa Oratio Demoſthenis contra Ariſtogitonem, & cuiuſdam Scythæ apud Quintum Curtium; quibus oſtenditur, multos ſæpè numero dum ma- 42

io-

iora concupiverunt, ea quoque, quæ iam obtinebant, amiſiſſe, & ex culmine ad quod contendebant, unà cum ipſis ramis, quos apprehenderant, decidiſſe. Quibus conveniens Dioniſ. Halicarnaſ. turpe eſſe ducebat: *Viro Principi, ob rerum alienarum cupiditatem bellum non neceſſarium ſuſtinere, in quo ſe & ſuas fortunas in periculum ſit adducturus.* Et Procopius: *Id longè eſſe præſtantius, ſua ut quiſque ſecurè poſsideat, quàm dum aliena nimium appetit, de neceſſarijs admodum rebus periclitetur.* Certè enim certum eſt, quod à Valerio Maximo docemur, eam demum potentiam tutam eſſe, quæ viribus ſuis modum imponit; & à Cornelio Tacito, quanto plus aliquis adeptus ſit, tanto magis in lubrico eſſe. Quam in rem plura alia adijcere ſuperſedeo, quæ hanc noſtram aſſertionem illuſtrare poſſent, quoniam apud magnum illũ Lipſium, Amiratum, Bodinum, Boterum, Keckermanum, & noviſsimum Nicolaum Bernegerum, videri poterunt.

Dion. Halic. lib. 8.

Procop. lib. 2. de bello Goth.

Valer. Max. lib. 4. c. 1.

Tacit. 1. an. c. 72.

Berneg. ex Lipſ. & alijs, q. 189.

43 . Ergo, ut verbis Sapientiæ concludam, *Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis Nationum*; Et quibus Dei munere datum eſt, plura ſimul Regna & ditiones iuſtis & legitimis titulis obtinere, ut in glorioſis Hiſpaniæ noſtræ Regibus contigiſſe videmus, & Phil. Mainoldus, Borrellus, Zipæus, & alij latius oſtendunt, eas maiori cura, prudentia & dexteritate gubernare co nentur, ita ut conſervari, & coaleſcere, & ſi fieri poſsit eiſdem linguis, legibus, ac moribus temperari, mutuiſque inter ſe nexibus copulari, atque ubi res popoſcerit, aliæ alijs auxilium præbere.

Sap. 6. 3.

Mainol. de ti. Reg. Phil. Borrel. de præſt. Reg. Cath. Zipæus de Magiſt. pag. 428.

44 Quod per unionis medium conſequi ſolet, cuius latam utilemque materiam plures Auctores doctè pertractant, ſimul notantes, in noſtra Hiſpaniæ Monarchia diverſis temporibus diverſos tractatus interveniſſe circa unionem Comitatus Flandriæ, Regni Aragoniæ, Luſitaniæ, & aliorum, quæ in ipſam incorporata ſunt. Quod ſi (ut oportuit) peractum fuiſſet, aliquibus difficultatibus, quæ hanc utiliſsimam reſolutionem retardarunt, ſpretis, vel ſuperatis, fortè damna & defectiones, quas hodie patimur, non lugeremus. Etenim ut benè poſt Polybium & alios, de ſimili unione agens, tradit Alber. Gentilis, impoſsibilia quæ videntur, tempore facillima reddũtur: nec ulla re utili abſtinendum eſt, propter apparentem difficultatem, & quàm multa fieri non poſſe, priuſquam facta ſunt, iudicantur.

Bod. Gaſp. Facius, Harniſ. & alij, apud Beſoldum de increm. Imp. c. 5. per tot. Zipæus contra Caſsan. libr. 1. c. 8. & ſeqq. Conneſtagius in hiſt. Regn. Portug.

Alb. Gent. in diſp. de vnione Britan. & Scotiæ, Polyb. lib. 11. Plin. libr. 7. c. 1. Senec. ep. 104 Ego 2. t. lib. 1. c. 16. n. 55. & 56.

Inglorium, pro ſola Gloria Certamen.

EMBLEMA LXXXIIX.



In Faſtum criſtata micat gens murice caro
Tincta, nec in plumas, lex iubet, arma ruant.
Sic tumidi Reges, Maieſtatisque ſuperbæ,
Prælia conglomerant, bellaque faſtus agit.
Iura vetant, fovet ira globos: eſt criſta corona,
Rexque refert Gallum, dum furor arma regit.

COMMENTARIVS,

Tacit.4.an.

Bodin. in meth. hiſt.cap.6.

ET Si verum ſit Taciti documentum, *Principibus inſatiabiliter parandam proſperam ſui memoriam, & præcipua rerum ad famam dirigenda*: Rectèque Bodinus, ex ſententia Ariſtotelis, Principem inſtituendum putet, ut ſolida veraque laude paſcatur, in eaque ſenſim adoleſcat, *qui ſi gloria* (inquit) *non erit contentus, in tyrannum evadet*. Hancque ipſam famam & gloriam multi ex eiſdem Regibus & Principibus ſibi ſolam ex bellis, quæ fortiter feliciterque geſſerunt, ſumere & reſervare voluerint, ut Dentati, Æmilij, Catonis, Themiſtoclis, & aliorum inſignium Ducum, ſeu Imperatorum exemplis Philippus Camerarius & Beierlinchius obſervant, inter quos Regẽ noſtrũ Alfonſum.IX. enumerãt, qui nihil præter victoriæ gloriã in partitionẽ immẽſę prædæ celebris belli, quod vocant *de las Navas de Toloſa*, ſumere voluit. 1

Camer.1.ſubceſ.c. 78.Beierlinc.verb. Bellum, pag.115. & verb. Præda, pag.567. & ſeq.

Hoc

2 Hoc tamen de fama & gloria, quæ ex prælijs iuſtè legitimeque initis, aut ſuſceptis, & fortiter debellatis, comparari ſolet, accipi debet: Nam ſi ſuperbè atque ambitiosè, ob ſolam levem hanc gloriæ auram & cupiditatem, Princeps in bellum erumpat, ſeque ac ſuos tumidè, ac temerè incertæ Martis aleæ committat, & ſi ſuis votis Fortuna reſpondeat, totumque orbem ſuo Imperio ſubijciat, inglorius potiùs; quam glorioſus evadet, & non tam victoris, quàm raptoris, prædonis, vel latronis nomine vivus & mortuus donandus exiſtet, ut omiſsis Creſsi, Milriadis, Themiſtoclis, Syllæ, ac Marij, Pompei ac Cæſaris, Tamberlanis, & aliorum exemplis, quibus *ſtimulos dedit æmula virtus*, & ſola ſua ambitione inanique gloria ducti, tot bellis univerſum Orbem proprio, & alieno ſanguine cruentarunt, Alexander Magnus omniũ vice ac voce teſtari poterit, qui multis alioqui virtutibus clarus, ob hoc vitiũ à Demetrio Pyrata latro vocatus fuit, ut poſt alios D. Auguſtinus enarrat, & benè ſenſit Poeta, qui de eo ſic dixit:

Lucan. 1. Pharſ.

D. Auguſt. li. 4. de Civ. Dei, cap. 5.

Illic Pellæi proles veſana Philippi
Fœlix prædo iacet, totum ſpargenda per orbem
Membra viri poſuere adytis.

À Seneca: *Furioſus iuvenis*, & à Lucano: *Terrarum fatale malum: fulmenq; quod ipſum percuteret populos pariter, & Sydus iniquũ gẽtibus*, Et recentior Alter, ipſius famę famem hoc Epigrãmate ridens, ſic canat?

Senec. 1. de beneſ. c. 13. & Epiſt. 94. Lucan. libr. 10. v. 21.

Magnus Alexander, Prædo clariſsimus Orbis,
Exitio vivens, ludibrio moriens:
Perdere quem nequijt Mars armis, Bacchus inermis
Perdidit, immixto cum Stygis amne mero.
Famæ dira fames extingui hac fine, cruoris
Hoc fine extingui debuit atra ſitis.

3 Quòd adeò eſt verum, ut etiam Ieſus Nave, dum mandato domini Cananæos, Amalechitas, alioſque populos Paleſtinæ debellabat, ab ijs, qui Domini præceptũ ignorarunt, eodẽ latronis nomine donatus extiterit, ſi Procopio fidem habemus, qui teſtatur ſe in Mauritania, Africæ regione vidiſſe quaſdam columnas hiſce litteris inſculptas, *Nos Mauruſij, qui fugimus à facie Ieſus Latronis, filij Nave, &c.*

Procop. in vita Beliſarij, & ex eo Beſold. de increm. Imper. cap. 3. pag. 20. & 21.

4 Eſt enim certũ, benè moratos cordatoſque Reges, non tam ab armis, quàm ab animis & virtutibus, & ab omniũ rerum, quas gerere parant, ac præcipuè bellorũ, iuſtificatione, & moderatione, gloriæ lauream, & poſteritati commendabilem ſui nominis memoriam expetere debere, & ut Tacitus, inquit, *Modeſtiæ famam, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & a dijs æſtimatur.*

Tacit. 5. an.
Senec. in Octav.
Sup. Emb. 76. pag. 632.

5 Vnde Tragicus præclare, ut ſolet, admonuit, per has tantum Scanſiones ad gloriæ famęq; Templũ eundũ eſſe, cuius Carmen iam ſupra produxi. Idemque poſt Salluſtium, effrænem hanc cupidinem in Alexandro, Cyro, Dario atque adeò in Romanis ipſis vituperat, & Iacobus Fontanus barbaram illam, barbari Solimani Turcæ orationem, qui poſt Rhodum inſulam debellatam, & Hieroſolymitanos

Salluſt. in fracm.
Sen. ep. 94. ad fin.

Equites, qui ea potiebantur, eiſdem liberis, & intactis fortunis abire iuſsis, hæc in verba prorupit: *Haud enim bella gero, ut divitias & opes comparem: ſed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationem Imperij tendo. Eſt enim Regis, ſanguine Regum orti, proprium, rapere atq; invadere aliena, non quidem avaritia, ſed glorioſa cupidine dominandi, cui cum obſtat vicinus, armis, & vi eum tollere ſatis habeo.*

Iacob. Pontan. de bello Rhod. lib. 2. in fin.

L. 3. tit. 3. p. 2.

Et Alfonſus quoque Rex Noſter, ita in quadam ex ſuis legibus habet: *Sobejanas bonras, è ſin pro, non debe el Rey codiciar en ſu coraçon, antes ſe debe mucho guardar de ellas, porque lo que es ademàs, non puede durar, è perdiendoſe, è menguando, torna en desbonra. E la bonra, que es deſta guiſa, ſiempre viene daño de ella al que la ſigue, naſciendole ende trabajos, è coſtas grandes, è ſin razon, menoſcabandole lo que tiene, por lo al que codicia aver.* 6

D. Bernar. in ſerm. ad milit temp. c. 1. D. Aug. epiſt. 194. Ego plures adducens to. 1. de Ind. Iur. lib. 2 c. 4. n. 42 & lib. 3. c. 2. n. 23. Luc. 7. Pharſ. Proper. lib. 5. Eleg. 6.

Et omnes, qui de Bellorum materia pertractant, non aliter in ea prorũpendũ edocent, quàm ſi prius legitimè diſcuſa fuerit cauſa pugnandi, quæ, ut D. Bernardus, inquit, ubi bona eſt, pugnæ exitus malus eſſe non poteſt. Cum quo convenit illud Lucani, 7

Cauſa iubet ſuperos melior ſperare ſecundos.

Propertij.

Frangit & attollit vires in milite cauſa,
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Livius lib. 21.

Et melius Livij, ſic appoſitè commonentis: *Plerumque eventus belli, velut æquus Iudex, unde ius ſtabat, ei victoriam dedit: quamvis iuſtitia Belli, non ab exitu, ſed à cauſa venanda eſt.*

Claud. in 4. conſ. Honor.

Digna quoque relatu ſunt Claudiani in eandem rem Carmina, quæ ſic habent. 8

Exſtruite immanes ſcopulos, attollite turres,
Cingite vos fluvijs, vaſtas opponite ſylvas.
Non dabitis murum ſceleri: qui vindicat, ibit.
Omnia ſubſident meliori pervia cauſæ.

L. 2. tit. 23. p. 2.

Et verba planè aurea Regis Noſtri Alfonſi X. ſic in una ex ſuis legibus perorantis: *Mover guerra es coſa en que deben mucho parar mientes los que la quieren fazer, ante que la comiencen, porque la fagan con razon, è con derecho, cà deſto vienen grandes tres bienes. El primero, que ayuda Dios mas por ende à los que aſsi la fazen. El ſegundo, porque ellos ſe esfuerçan mas en ſi miſmos, por el derecho que tienen. El tercero, porque los que lo oyen, ſi ſon amigos, ayudanlos de mejor voluntad, y ſi enemigos, rezelanſe mas de ellos, &c.* 9

Plin. lib. 10. c. 21.

Quod conſilium, iniuſtorumque, & ob ſolam inanis gloriæ aucupationem, ſuſceptorum Bellorum deteſtationem, Nos pariter Principibus ſuadere cupientes, & aliquo Emblemate ſpectandum proponere, hoc, Lector, quod vides, commenti ſumus, ex duorum gallorum gallinaceorum, inter ſe acriter decertantium, repreſentatione deductum, quos Plinius, & alij plures Auctores ſcribunt, natura ſua pugnaciſsimos, ac ferociſsimos eſſe, proximeque gloriam ſentire, & ea ſola per- 10

ci-

citos,dimicatione inter ſe ſe Imperium, & Regnum uniuſcuiuſque domus acquirere;veluti ideò agnata tela cruribus ſuis intelligentes. Neque finem ſæpè commorientibus;quod ſi Palma contigerit,ſtatim in victoria canere,ſeque ipſos Principes teſtari,victos,occultari ſilentes,ægrèquè ſervitium pati.Qua de cauſa, idem Plinius, Tanagræos, Medicos,& Calcidicos Gallos extollit,quòd ad bella tãtùm, & aſsidua prælia nati videantur; & Pergami omnibus annis ſpectaculum Gallorum,ceu Gladiatorum,publicè edi affirmat.

Plin.ubi ſup.

11 Quin & Athenieſes etiam,legem poſuiſſe,ut Galli gallinacei quot annis in theatro certamen inirent,ex Æliano & alijs didicimus,eam huius legis cauſam reddentibus, quòd cum Themiſtocles exercitum adverſus Barbaros educeret,ſumta ex Gallis,quos pugnantes vidit, occaſione,militum ſuorum animis virtutis incitamentum adiecit,cum oſtenderet,eos,non pro Patria,neque pro Penatibus,neque pro Maiorum Sepulchris, uxoribusve, aut liberis, id incommodi aggreſſos, ſed ea tantùm de cauſa,ne vincerentur, nolle alterum alteri cedere, ſolamque victoriæ gloriam,pro maximo acris,& cruentæ pugnæ præmio reputare.

Ælian.de var. hiſt. li.2.c.31.Alex.lib. 9. gen. c.13. Rhodig.lib.17.c.32 & lib.9.c.3. Pier.lib. 24. pag. 223. Eraſ. in Adag. Gallus inſultat.pag. 692.

12 Ita etiam ferunt, Soſiadem Iphicrati Duci animos adieciſſe, cum gallinaceos coram gallinis, pennis, & roſtro dimicantes, ei præmonſtraſſet. Romæ quoque olim idem ſpectaculum moris fuiſſe, & inde veluti origine ducta,hodie quoq; in pluribus Italiæ locis,& in Gallia, Flandria,Anglia,Hiſpaniaque noſtra, ſæpe, ſed præcipuè Bachanalium tempore,exhiberi,poſt Lucianum,& Herodianum, Beroaldus, Boerius,& noviſsimus Daniel Souterus recenſent,& qualiter in Anglia,magna pecunia ſponſiones per Gallorum dominos ſuper ipſorum concertationibus fiant,Doctor Láguna oculatus teſtis ſcribit.

Beroald. ad Suet. in Oct.c.64.Boer. deciſ. 30.n 6. Ego de parricid. lib. 1. c.16.p. 71. Souter in Palam.ſive de Ludis lib.3. c.6. Lagun.ad Dioſcorid lib.2.c.43.

13 Quibus accedens, magis adhuc in rem noſtram Iacobus Brukius ſub eadem Gallorum pugnantium figura ob leves cauſas incertam bellorum aleam,& certa damna,quæ ſecum ſemper portant, tentanda non eſſe,hoc carmine,ſive Emblemate monuit:

Bruch Emb. bellico 2.

Sæpius ex parvis oritur contentio rebus.
Magna ſolet cædes hinc quoque cruda ſequi,
O fædas hominum mentes quæ vilia propter,
Infecta æternam pectora felle gerunt.

Pierius ubi ſup.

Et Pierius Valerianus hinc colligit, gallum, pugnantium pro gloria antiquiſsimum hieroglyphicum eſſe,& omnium pugnaciſsimos Rhodon inſulam habuiſſe:ſeque multoties his pugnis oblectatum. Quod reperens Camerarius, lepidam narrationem cuiuſdam pugnæ duorum gallinaceorum ex Petro Quenquerano recenſet, & cum eodem Valeriano ſubiungit ex Iulio Africano,hanc pugnacitatem ex lapide in eorumdem gallorum ventre reperiri ſolito,ſatis oſtendi,quem qui in ore,aut brachio geſtant, maius robur virtutemque ad pugnandum recipere,creditum eſt.

Camer. 2. ſubceſſ. c.89. Quenquer. de laud. provinc. lib.2.

14 In eademque reſpicientes Spartani, ut ex Plutarcho, doctè Nicolaus Cragius obſervat, pro cruentis victorijs Gallum immolabant,

Plutarc. de inſtit. Lacon.Cragius de Rep. Laudem.lib. 3 inſt, 15. p.216.

bo-

bovem autem pro conſilio induſtriave partis. Et Samotrachæ in bellum ituri, ut Horoſcius commemorat, vexilla ſua duobus gallis decertantibus inſignibant, ſic indicare volentes, quem ipſi in eodem bello vigorem, ac virtutem habituri eſſent.

Horoſc. lib. 1. Emb. ſoi 48.

Ijdemque Romani, ſecundùm Pierium & alios, licèt priſco religioſoque more, poſt Feciales ad hoſtes, pro ſuis rebus repetendis, legatos, & non exauditos, haſtã, belli ſignum, in hoſtium fines conijcere ſolerent; poſterioribus tamen ſæculis, non haſtam, ſed gallinaceum proiecerunt.

Pier. & Camer. ubi ſup.

Quod & ipſum in cauſa eſſe videtur, ut & olim & hodie, ad imitationem criſtarum, quæ in eiſdem gallis, ipſum muricem colore vincentes, in Coronæ formam ſplendent (quos hac de cauſa *Criſtatam cohortem* Apuleius appellat) militum galleæ in cono criſtatæ, plumiſque ornatæ, geſtari cœperint, ut paſsim, vel ex antiquis numiſmatibus conſtat, & ex militum Perſarum exemplo, qui Galli nuncupabantur à Caribus, ob conos quibus galeas ornatas habebant, latè Virgilij Expoſitores in illud eiuſdem obſervant: 15

Apul. lib. 2.

Virg. 9. Æneid.

Tum galeam Meſſapi habilem, criſtiſque decoram
Induit &c.

Cedren. libr. hiſt. Aimoin. lib. 4. c. 18 Balth. de Vias in Syl. Regia. pag. 38.

Qui mos, ita Gallorum Regibus placuit, ut Cedreno, Aimoino, & alijs teſtantibus, Criſtati appellati fuerint, propterea quòd cũ prælio decertarent, nodatum capillitium in galeam, quaſi criſtam, erigerent, idque inſigne in prælijs haberent. 16

Pet. Beloius in ſuis origin. cap. 11. Miræus, de orig ordin milit 2. p. ubi de Symbol. pag. 58. & 59.

Pollux in Onomaſt.

Quibus & ipſis, ita hæc gallorum Pugnacitas placuiſſe videtur, ut Petrus Beloius, Aubertus Myræus, & alij teſtentur, Equeſtrem ordinem inſtituiſſe, ſub titulo Galli gallinacei, quòd eum Martis pullum Ariſtophanes, & Eucherius, Imperij ſymbolum eſſe doceat, & in Augurali diſciplina victoriæ ſignum ſit; ex rationibus & exemplis ſupra relatis. Dardanique ſecundùm Pollucem, in magnum Pugnacitatis decus, ut & Gallo Franci, ſibi pro inſigni ſuorum numiſmatum antiquitus uſurpaverint.

Eraſm. in Adagiis. pag 650. §. eſt & aliud, inſt. de donation.

Quæ omnia notare volui, ut faciliùs omnes intelligant, quàm ſit certum illud vulgatum, 17

Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis:

Cum hæc gallorum gallinaceorum natura, pro ſola gloria pugnandi, rivalemve non ferendi, Gallis etiam Regibus, & gentibus cum ipſo nomine veluti connata, & antiquiſsima ſit, & à Maioribus in poſteros efferaciori ſemper rabie pertranſiens, magiſque ei deferre ſoleant, quàm titulis Chriſtianiſsimorum, aut Iuſtiſsimorum, quibus ſimul gloriantur, & re ipſa magis gaudere & ſplendere deberent.

D. Paulin. in pœm. pag. mihi 471. Ego ſup. Emblem. 10. in princip

De titulo Iuſti, quod ſibi ſumſit Lud XIII. vide Vias in Sylva Regia prima.

Quo enim modo Chriſtianiſsimi dici poterunt, qui Chriſtum non imitantur? qui ut iam ſupra cum Divo Paulino dixi: 18

Ipſa Pietas eſt, ipſa iuſtitia,
Sol æquitatis, Fons bonorum, Flos Dei.

Herod. lib. 3.

Aut Iuſti? qui alienas Regiones ambiunt, & inani gloria augendi nominis ducti, nihil eis ad aliud egentes, invadunt, & [illegible] ferociter deprædantur; cum iuxta celebre illud Herodoti apopthegma: *Qui iuſtus eſt,* 19

non

Non alienam regionem affectat, ſed ſua eſt contentus; nec homines à quibus nihil laceſſitus eſt, in ſervitutem redigit.

19 Cui adridet illud aliud Antigoni Macedonum Ducis à Plutarcho Plut. in apoph.
relatum, qui Sophiſtæ cuidam, librum de iuſtitia ſcriptum, eidem offerenti, *Deſipis*, inquit, *qui cum me videas alienas urbes armis vexantem, tamen apud me de iuſtitia diſſeris.* Eſt quippe iuſtitiæ proprium, ut ex
Carneade tradit Lactantius, *alienum non attingere*, & ut Plato ait, Lactan. lib. 5. c. 15.
non poteſt opus iuſtitiæ cenſeri, nocere amico, vel alteri cuiquam, ſed contrarij eius iniuſti. Plato de Rep. dial. 1.

20 Et hunc quidem morem, ſive, ut proprius loquar, humorem, tumoremve Gallorum, omnes ſanè Auctores, qui de moribus, ſive iconi- Salv. de gubernat.
bus Nationum ſcripſerunt, apertè notarunt, hiſque antiquior, & ipſe Dei, lib 5. ad fin.
Gallus, Salvianus, his verbis ſuccēſet: *Penè iuxta te nullus intrepidus,*
nullus poteſt eſſe ſecurus, Exturbas poſſeſſionibus ſuis vicinos tuos, habi- Eſaiæ, cap. 5.
tatione, ac facultate proximos tuos: Numquid, ut ſcriptum eſt, ſuper terram ſolus habitabis? Hoc quippe eſt, quod non poteris obtinere, quamlibet enim cuncta pervadas, vicinum ſemper invenies. Reſpice quæſo alios, quos velis nolis & ipſe ſuſpicis. Reſpice alios, quos velis nolis ipſe miraris, &c.

21 Alijſque teſtimonijs & exemplis omiſsis, pro multis Ludovici XI. eorundem Francorum Regis ſufficere poterit, qui etiam ſi agnoſce
ret, & frequenter, ut Camerarius tradit, iactare ſoleret, *Dedecus, &* Camer. 1. ſubceſſ.
detrimentum eſſe comites, ac velut pediſequias bellorum ſuperbè temere- c. 55. pag. 246.
que ſuſceptorum, animo tamen elatus & inquies, totam vitam, ſub infelici fortuna, in eiſdem tranſegit, & occaſionem præſtitit Philippo
Cominæo, prudentiſsimo eiuſdem hiſtoriographo, ut de ipſo ſic dice- Comin. lib. 5. pag.
re potuerit, *Statuendum eſt igitur, fortunam, qua nihil eſt mutabilius, ei* mihi 509. & ſeq.
fuiſſe planè adverſariam. Sed re vera nihil aliud eſt fortuna, quam figmentum Poëticum, quin potius ita iudicandum eſt, iratum ei fuiſſe Deum, & graviter offenſum. Et ſi de conſilijs arcanis fas eſſet ulli homini pronuntiare, dicerem, illum excitaſſe iram Dei adverſum ſe, hac una re potiſsimum, quòd per omnem vitam mente & animo totus in hoc fuerat, ut perpetuum bellum aleret. Nam in eo poſitam eſſe putabat ſuæ dignitatis materiam, ac veluti ſegetem.

22 Eundem gloriæ avidum, & æque bellicoſum ſpiritum, Patrum noſtrorum memoria, in Franciſco I. experientia monſtravit, ipſumque tandem ad Ticinum, victum & captũ die XXV. Feb. anni MDXXV. atque in Hiſpaniam deductum, Invictiſsimi, ac glorioſiſsimi Caroli V. Imp. Regiſque noſtri, cuius æmulatione ſemper exarſit, mancipem fecit, & proprio exemplo perdocuit, quanto damno, ac diſcrimini eiuſmodi bella ſubiaceant. De quo caſu, quoniam etſi notiſsimo, ab
aliquibus Scriptoribus Gallis (quæ ipſorum eſt calliditas) in dubium D. Ioan. Quignon.
vocatur, qui plura teſtimonia voluerit, Quignonium noſtrum legere in tract. de hac cap
poterit, & Beierlinchium, qui addit, captivitatis annum, hoc tunc nu- tivit.
merali verſu comprehenſum fuiſſe. Theat. vit. human.
lit. H. pag. 188.

CaptVs erat GaLLVs CoeVnt CVM rVre Cohortes.

23 Noſtrum quoque ſæculum eadem lues, ne dicam rabies, veluti in Gallis criſtæ Regiæ adnexa, & à Patribus in Filios cum ſanguine derivata, graviter vexat, & labefactat, Galliamque ipſam, & Hiſpaniam noſtram (heu dolor) in ſolitudinem redigit, nullo iuſti, vel iniuſti, decori, vel indecori diſcrimine habito, ſed ſola naturali inter has Nationes antipathia, de qua integrum librum Modernus quidam Auctor ſcripſit, vel ob antiqnam creſcentis Hiſpanicæ Monarchiæ invidiam, & æmulationem, quàm Galli quoquo poſsint modo extenuare, ac comprimere tentant, non ſolùm aperto Marte belligerantes, ſed bellum etiam, quod dicitur, cauponantes, & ei ſubiectas provincias varijs dolis, & artibus in defectionem & rebellionem Noſtri Regis glorioſiſsimi pellicientes, ſtatimque ſub Protectionis titulo in earundem occupationem, ſive aucupationem advolantes, & verè Galli, Gallorum more, ubi tale quidpiam pro voto (etiam ſub longè maiori ipſorum damno & ſtrage) contigerit, quaſi iam de tota Hiſpania triumphum egerint, magnis cantibus intonantes, & ſibi invicem gratulantes.

D. Carol. Garcia de oppoſit. Gall. & Hiſp.

24 Ecce enim quidam ex illis, Portogalliæ defectionem, & Ruſcinonis acquiſitionem, ut Gallorum triumphum extollit, & iam per partes ad ipſos deveniſſe, inquit: *Quod olim, aut amicum, aut ſubditum Gallis veteribus fuit, reliqua Hiſpania nutante.* Et Alter, rerum vices, & fortunæ ludos expendens, glebamque hodie eſſe, ubi quondam Troia fuit, ſic clangit, aut crocitatur: *Cùm hæc ſcribo, en Poteſtas Hiſpanica, quæ ab ævo de Orbis Imperio certabat, modò de ſalute deſperat, hinc Luſitaniam, inde Catalaniam avulſam ingemit, nutantem Italiam, reſerata clauſtra Iberiæ, æternos naturæ obices perruptos.*

Mariſotus in hiſt. Mariſ. pag. 379. & ſeqq.

Ant. Dadin. Alte. Serra. de ducib. & comitib. Gall. lib. 3. c. 19. pag. 270.

25 In quibus planè mihi videntur in muſtaceo laureolã quærere, cũ ingloria ſit gloria eiuſmodi artibus acquiſita, nec, ut aliud agens Caſſiodorus ſcripſit: *Quoties, quis ſuperet, ſed quemadmodũ vincat inquiramus*, iuxta ilud Taciti: *Non fraude, neque occultos, ſed palam & armatũ Pop. Romanum hoſtes ſuos ulciſci.* Cuius loci in rem de qua agimus, noſter nuper meminit Saavedra, ſic ſubdens: *Indignacion de un Principe, vencer al otro con el veneno, i no con la eſpada. Por infamia lo tuvieron los Romanos, como oy los Eſpañoles, no auiendo jamas uſado de tales artes cõtra ſus enemigos, antes los hã aſsiſtido, &c.* Quibus ſignãter prudens illa Oratio Camilli, apud Plutarchum adijci poteſt. Qui cum Faliſcorum pueri à ſuo magiſtro, mira fraude, in caſtra ipſius pertracti eſſent, *gravis* (inquit) *res Bellum, & quæ multis iniuſtis, multiſque violentis factis conficitur. Et tamen apud bonos viros habentur etiam belli quædam leges, neque tantopere victoria expetenda eſt, ut non fugienda ſint officia, quæ per ſcelus & maliciam offeruntur. Magnum enim Imperatorem ſuæ virtutis, non alienæ improbitatis fiducia convenit bellum gerere.*

Caſsiod. libr. 1. ep. 22.

Tacit. 2. ann. vide Eraſm. cent. 4. ep. 92.

26 Præterquàmquòd, imperia ita parta, non poſſunt eſſe diuturna, quin potius ante deſcendere, quàm conſcendere ſoleant, & ipſos qui nunc proſperis (ut ſibi videtur) rerum ſuarum ſucceſsibus tument, vice verſa in adverſos, quos alijs cupiunt, vel inferunt, deturbare, ut iam ſupra aliud agens pluribus dixi, & benè proſequitur Iuſtus Lipſius,

Saaved. emp. 90. pag. 668.

Sup. Emb. 5.

ap-

apriſsimè colligens, *in ſecundis nemo confidat, in adverſis, nec diffidat, alternæ vices ſunt rerum &* Lipſ. in Polit. libr. 5. c. 18. & in manud. ad Stoic. Philoſ. lib. 3.

Sic vagans aliàs ad alium tranſit infortunium:

27 Hocque iam Galli in ſe ipſis experiuntur & dolent, graviſsima damna, quæ inanium horum bellorum occaſione paſsi ſunt, integro & ſatis docto, pioque libello collachrymantes, cui titulus *La Francia llorosa*, & internas atque inteſtinas ſubditorum ſuorum defectiones, & ſeditiones, quas in noſtros ſeminare, & fovere curarunt, iuſto Dei iudicio, nunc cum hæc prælo committimus, graviter patientes, quamque ſit verum illud Ovidij tandem recognoſcentes, Ovid. 13. Metam.

--------Vtque reliquit,
Sic linquendus erit, legem enim ſibi dixerat ipſe.

Et Caſsiodori, *Pœna iuſta peccati eſt, ut unuſquiſque in ſe recipere poſſit, quod in alterum protervus exercuit.* Caſsiod. lib. 9. ep. 2.

28 Re enim vera, Reges, qui aliorum perduellibus favent, ſubditos ſibi homines ad idem facinus provocant; & inter nullos magis, quàm inter eos obſervari oporteret, ut quòd in uniuſcuiuſque Maieſtatem admittitur crimen, quaſi in omnium iniuriam factum, ab omnibus vindicetur, illudque Menandri præ oculis, & præ manibus habeatur. Menād. in comæd.

Iniuriarum ſi improbis auctoribus
Reponeremus ultionem ſinguli;
Nobis putantes fieri, quod fit alteri,
Inter nos iuncti conſpiratis viribus;
Non prævaleret innocentiæ impetus
Audax malorum, qui cuſtoditi undique,
Iuſsique pœnas quas merentur pendere,
Aut nulli penitus eſſent, aut pauci admodum.

29 Vnde meritò Saavedra noſter, in noſtris terminis dicere potuit: *Su cauſa haze el Principe, que no conſiente en la Dignidad del otro la deſeſtimacion, ò inobediencia, ni en ſu perſona la traicion.* Cognatio quippe illa, quam, Vlpiano docente, inter omnes homines Natura conſtituit, & alterum alteri inſidiari nefas eſſe ſuadet, longè fortiori vinculo Reges adſtringit, qui vel ex formulis iam inde ab heroicis temporibus ductis, ſe invicem, *Fratres* appellare ſolebant, ut pluribus Bignonius oſtendit, & apertè Caſsiodorus, ita appoſitè, ad rem de qua agimus, loquens, & vivis veluti coloribus Reges, & tempora noſtra depingens, eoſdemque ad Pacem adhortans, ut piaculum duxerim, eius verba hic ad litteram non inſerere, quæ ſic habent: *Adeò inter Reges affinitatis iura, Divina coaleſcere voluerunt, ut per eorum placabilem animum, proveniat quies optata populorum. Hoc enim ſacrum eſt, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obſidibus habeatur fides, ſi non credatur affectibus? Sociantur proximitate Domini, ut Nationes diviſæ ſimili debeant voluntate gloriari, & quaſi per alveos quoſdam con*

Saaved. Emp. 90. pag. 668.

L. ut vim. D. de iuſt. & iure, l. non tantùm, D. de appel.

Bignon. in not. ad Marculfum, pag. 464:

Caſsiod. lib. 3. ep. 4.

cor-

cordiæ adunata ſe poſsint gentium vota coniungere. Quæ cum ita ſint; miramur animos veſtros ſic cauſis mediocribus excitatos, ut cum filio noſtro Alarico Rege duriſsimum ſubire velitis conflictum; ut multi qui vos metuunt, de veſtra concertatione lætentur. Ambo eſtis ſummarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leviter Regna veſtra quaſſatis, ſi datis partibus libertate confligitis. Virtus veſtra Patriæ non fiat inopinata calamitas, quia grandis invidia eſt Regum in cauſis levibus gravis ruina populorum. Dicam liberè, dicam affectuosè, quod ſentio, impatiens ſenſus eſt ad primam legationem protinus arma movere. A parentibus, quod quæritur, electis iudicibus expetatur. Nam inter tales viros, & illos gratum eſt dare, quos medios volueritis efficere, &c.

Sen. lib. 2. contr. 1.

Neque minùs in eandem rem illa alia Senecæ conducunt: *Quæ tanta vos fert ira, cum una ſtirps, idemque ſanguis ſitis? Vel quæ furiæ in mutuum ſanguinem egere? Nam neque feris inter ſe bella ſunt, nec ſi forent, eadem homines decerent, placidum proximumque Diuino genus.* 30

Elzivirius in epiſt. præfixa ad Monarch. Thom. Campan. Arroius, & Caſſanus.
Anon. in vind. Gallic. cap. 19. ex pag. 169.
Saaved. Empr. 75. ex pag. 573.

Quod verò ſupra tetigimus, nimirùm ex invidia, vel zelotypia creſcentis Hiſpanæ potentiæ, ac Monarchiæ, hæc Gallorum bella procedere, quam ipſi, Reges Noſtros glorioſiſsimos univerſalem facere velle, queruntur, ſeque ſolos & unicos totius mundi Arbitros conſtituere, ut plures Auctores prætercam, qui id apertè teſtantur, & præſertim Anonimum illum, qui vindicias Gallicas adverſus Armacanum vulgavit. Et Noſtrum Politiſsimum Saavedram, qui de his Francorum æmulationibus, & tecnis optimè agit. Satis ipſe idem Chriſtianiſſ. Rex Ludovicus XIII. in eo proclamate manifeſtum effecit, quod anno 1635. ad excuſanda eadem bella, per totum Orbem ſparſit, ubi hanc veluti primam & præcipuam cauſam proponit: *Que la Eſpaña no ha ceſſado del injuſto deſeo, que ha cõſervado ſiempre, de uſurpar los eſtados de ſus vezinos, para eſtablecer eſta univerſal Monarchia, à que ella aſpira.* 31

Zipæus adverſ. Caſſan. lib. 3. c. 7. & ſeqq.
Marſ. Gallic. lib. 1. 1. c. 39. & ſeqq.

Quod tamen, ſalva tantæ Maieſtatis reverentia, quàm ſe aliter habeat, plenè plures Auctores oſtendunt, qui dicto Proclamati reſponderunt, & præcipuè Franciſcus Zipæus, multis teſtimonijs, & exemplis, antiquis, & recentibus probans, nihil multis ab annis à Noſtris Regibus poſsideri, quòd ad ipſos hæreditario iure, vel alijs legitimis titulis non pervenerit, ſemperque ſummo ſtudio pacem optaſſe, filijſque à parentibus commendatam fuiſſe, eiuſque conſequendæ, aut cõſervandæ cauſa, plures urbes & ditiones, iuſto bello occupatas, veteribus Dominis reſtituiſſe, propriarumque iniuſtas occupationes, & dētationes toleraſſe. Cum Franci, ex adverſo, nihil non moliantur, ut undequaque, quo iure, quave iniuria, ſuos fines extendant, &, ut ſupra dixi, quod proprijs viribus conſequi nequeunt, ſecretis vel apertis Suecorum, Batavorum, aliorumque hæreticorum, perduelliumve ſubſidijs, mutuiſque fœderibus obtinere conentur. Quod & pueri ſciũt, & qui nondum ære lavantur, ipſiſque Francis, ita graviter exprobrat Francus, & ipſe Auctor Armacanus, ſive quis quis ille eſt, qui de Gallico Marte librum ſcripſit, ut ſuperfluum planè videri poſsit, in his iniurijs dolendis, vel recenſendis immorari. 32

33 Tantùmque à veritate abeſt ille alter, qui de affectata univerſali Monarchia prætexitur titulus, ut potius Prudentes pariter, ac Potentes Hiſpaniæ noſtræ Reges, ſæpè ſæpius oblatam, ſibi occaſionem illius Indipiſcendæ, & Galliæ Regnum ſubvertendi, vel in plures rivulos divertendi, quod vulgò dicimus *Acantonarle*, eam, proprio imperio contenti, ſi verint ac ſciverint prætérlabi. Quamvis Nicephori, & aliorum Politicorum Dogma non ignoraverint, qui rerum gerẽdarum occaſionem ſumma cum diligentia aucupandam monent, quæ ſi aufugiat, aquilæ inſtar in altum aërem advolat, eoſque, qui ſe perſequuntur, deridet, neque ut ad eos redeat, in animum inducit.

Niceph. lib. 16. c. 12. latè Canonher. in aph. pol. tom. 1. pag. 249. Lipſ. lib. 5 pol. cap. 16. Pat. David in integ. tractat. de occaſ. arrep. & neglect. D. Valenz. in diſcurſ. ſtat. & bell. part. 1. conſider. 3 ex n. 8.

34 De qua Regum Hiſpaniæ hac in parte continẽtia, & mirabili temperantia, pluribus etiam agit Franciſcus Zipæus, addens, quòd ſicubi partes ſuas pro Romani Imperij iuribus defendendis, vel Auguſtiſsimæ domus Auſtriacæ dignitate tuenda, alijsve Dynaſtis protegendis, interpoſuerunt, id utique Iuſtis de cauſis, & ab omni prorſus ambitione, affectatove in totum Orbem arbitrio remotis, operati ſunt.

Zipæus ubi ſup.

35 Thomas etiam Campanella, cuius libellus *de Monarchia Hiſpaniæ*, hanc zelotypiam exteris indidit, idem latius oſtendit, & invictum illum, & Magnanimum Imperatorem Regemque Noſtrum Carolum V. reprehendit, quòd Mundi Dominus eſſe deſierit, quia oblatis ſibi à Fortuna occaſionibus, uti noluit, vel neſcivit, cui tamen benè Fr. Ioannes Salazarius reſpondet.

Thom. Camp. in Monarch. Hiſpan. c. 2 & ſeqq.

Salaz. in Pol. Hiſp. propoſ. 11. §. 5.

36 Et noviſsimè Nicolaus Vernuleius, in certamine Oratorum ſuper illa quæſtione, utri de Eccleſia Romana magis meriti ſint, Franciæ, an Hiſpaniæ Reges? ſic Oratorem Pontificium, poſt alia, in horum favorem, & defenſionem loquentem inducit. *Video invidiam, & metum inanem animadverto. Invidia eſt Hiſpanicæ potentiæ incrementum non ferre, quòd aut natura iure hæreditatis adfert, aut affinitas conciliat. Nihil enim hodie Catholicus Rex in tanta tot Regnorum amplitudine poſsidet, quod ipſe, aut eius maiores Auſtriaci, armis uſurparint. Illi, iura ſequuti hæreditates adierunt, & ſucceſſoribus ſuis reliquerunt. Illi, oblatas per affinitatem regiones occupaverunt, & in illis hodie ius dicit, qui legitimus eſt hæres. Metus eſt, & inanis ſanè metus, iniuriam ab eo formidare, qui neminem iniuria laceſsit, nullius Regni pacem perturbat, ſuos fines tantùm tuetur, & hoſtem, præter Religionis Catholicæ hoſtes, non habet. Nullius provincias invadit, & ſi quæ illi in manibus ſunt arma, in hæreticos convertit, qui aut imperium impiè perturbant, aut in Belgio avitum eius patrimonium, & receptam à maioribus Religionem evertere contendunt, &c.*

Vernul. in cert. oratorum, orat. 3.

37 Hoc per ſe ſe adeò certum, & conteſtatum, certius adhuc, & conteſtatius redditur, ſi Henrici Regis Noſtri huius nominis IIII. dictum & factum recolamus, qui Ioanne Bapt. Lambertino præter alios teſtante, cum Catalani, qui Ioanni Aragonum Regi rebellaverant, eum exorarent, ut eos ſubditos acceptaret, recuſavit, & incredibili temperantia regnandi, aviditati modum adhibuit, tam opportuna Regni ſui amplificandi facultate ſpreta, à multis Regibus magnopere exoptata.

Lamber. in Thea. Reg. Hiſp. pag. 91.

Viper. in oratio. fun. Carol. V. Chytræus in Chronic. Sax. lib. 19.

De invicto quoque Carolo V. Max. Viperanus, Chytreus, & alij commemorant, vivum, & morientem ſemper in ore habuiſſe, nũquàm niſi invitum coactumque bella ſe ſuſcepiſſe, illata verò ſibi fortiter propulſaſſe, & quòd ſi vel univerſam Galliam occupare, ſibi contingeret, eandem tamen ultro Franciſco I. rivali ſuo reſtitueret, modò id exiguum, quod ſuam erat, tutò ſibi per ipſum poſsidere liceret. Quod evidentius adhuc oſtendit, cum inter ipſum, & eundem Franciſcum Madridij de pacis conditionibus, ipſoque Franciſco liberè dimittendo, tranſigeretur. Is enim, ut Sandovalius recenſet, Imperatori, tanquam iam amico, & conſocero propoſuit, ut communi Marte Romanum Pontificem, & Rempublicam Venetum adorirentur, & compilarent, neminemque in Mundo reſtare, qui adverſus duos, ita Potentes Reges arma ſumere poſſet. Cui propoſitioni Cæſar Noſter, ſemper Magnus, aut Maximus, & tũc ſeipſo Maior, & Auguſtior, hæc in verba reſpondit: *Ya Hermano aveis viſto, quan niño era yo, quando Nueſtro Señor me hizo merced de tantos, y tan grandes eſtados, i como deſpues acà me ha dado vitoria de mis enemigos. I ſiendo eſto aſsi, ſed cierto, que no tengo voluntad de buſcar enemigos, ni alçarme con lo ageno I en lo que dezis, que el Papa es bullicioſo, i los Venecianos amigos de Turcos, bien ſabeis quan poco les debo, i que en nada ſe han moſtrado aficionados a mis coſas, i como han ſido mas vueſtros, que mios. Mas eſto no obſtante, me parece, que ſi en algo ellos ſe atrevieren contra la Fee, i contra Noſotros, ſerà bien aviſarlos, mas no deſtruirlos. I ſi no quiſieren reformarſe, ni vos, ni yo nacimos para ſer verdugos del Papa, i Venecianos, &c.* 38

Fr. Prud. Sand. in vita Car. V. lib. 14 §. 6. pag. mihi 728.

Porrinus de dict. & fact. Philip. II.

Haud ab ſimilis vox, & naturæ conditio in Prudentiſsimo eiuſdem Caroli Filio, Philippo II. reſplenduit, cum inter inſignia alia eiuſdem apophthegmata, illud narretur, quod ad Georgium de Baeza i Haro, Taurinenſem Prætorem ſcripſit, *Pongo a Dios por teſtigo, que nunca movi guerra para ganar mas Reinos, ſino para conſeruar eſtos en Religion.* 39

Livius lib. 4.

Grotius de iure belli lib. 2. c. 1. & 22. Zipæus ſup. lib. 3. c. 7. & 9. & in tractat. de Magiſt. lib. 4. c. 7.

Tacit. 15. an.

Valeant ergo, qui affectatam à Regibus Noſtris univerſalem Monarchiam, in tantorum bellorum, ac malorum prætextum aſſumunt. Videantque ſimul, quàm iniuſtus ſit metus, aut verius invidia, quæ ex nimia eorundem Potentia deſcendit, & ut ait Livius ſuadere ſolet, *Ne magna imperia diuturna eſſe ſinantur.* Cum hæc Potentia nulli uſquam nocuerit, & quamvis aliquem colorem habere poſſet, adhuc tamen, ut Hugo Grotius inquit (licèt rebus noſtris parum affectus) ad inferenda adeò gravia, & damnoſa bella ſufficiens non eſſet. Faxitque tandem Miſericors Deus, in cuius manu Regum cor eſt, ut duo lii, tot vicinitatis, affinitatis, & Chriſtianitatis titulis iuncti, iunctis quoque animis, & armis in communem hoſtem illa cõvertant, & inter ſe ad pacatiora conſilia ſuaſi, inconditos hos rerum tumultus in lætiorem exitum transferant, & à Tacito diſcant, quòd etſi 40

Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior
ſit: at quæſita ferro, per brevis
poſſeſsio eſt.

Belli Damna.

EMBLEMA LXXXIX.



Dario quadruplex eſt miſſum munus ab hoſte,
Rana, Sagitta ſimul Caſpia, Mus, & Avis.
Rana ſitim, Cuſpiſque palàm fera prælia ſignat,
Fames muri inerat, Bellicus aſtus avi.
Sanguineum Reges procul hinc heu ſiſtite Martem,
Fraudibus en geritur, vi quoque, Fame, Siti.

COMMENTARIVS.

1 TOT Sunt quidem, & talia damna, & pericula, quæ bella ſemper ſecum aſportant, ut non ſolùm à præſumptuoſis, & voluntarijs, de quibus in ſuperioribus egimus, verùm & à iuſtis, & neceſſarijs abſtinere Pij, & Cordati quique Principes debeant, ſi aliæ ſint viæ, quibus, de cauſis, quæ bella indici ſuadent, tranſigi poſsit. Nam ut cum Tacito, & alijs Politicis alibi dixi, remedia non debent ipſis morbis, quorum medicina prætenditur, aſperiora periculoſiorave eſſe, & ſecundùm Senecam, *Abominandum remedij genus eſt, ſanitatem debere morbo.*

Tacit. 3. annal. ego poſt alios 2. tom. lib. 1. c. 30. n. 110. & ſeqq. Admixtus ad Tacit. lib. 3. diſcurſ. 2.

Senec. lib. 1. de ira c. 12. in fine.

Samuel.11. verſ. *Intep.*
Fung.in etym.lit. B.pag.125.chavaſ. de perſ.prud. lib. 2.c.8.§.1.
Feſtus verb.Bellū.
Cic.1.offic.
Caſsiod. lib.1.ep. 30.

Huicque præſertim Bellorum, qui in ſe nullum, non morbum, nul- 2
lam non luem clademque continet. Vnde in ſacris literis bellum vocatur, *Milebemeth*, quaſi ubi homines ſe invicem cedendo, devorant, & abſumunt, & in Latinis, ſecundùm communem Grammaticorum opinionem à Fungero relatam, per antiphraſim, quaſi minimè bellum, nuncupatur, ſicuti & Parcæ, quia nemini parcunt, ſive ut Feſtus ait, à belluis, quòd belluarum perpetua diſſenſio ſit, cui adridet Cicero inquiens. *Temerè in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum ſimile eſt.* Et Caſsiodorus, qui licèt Etymon à Belo Rege deducat, qui ferreum gladium primus produxit, illud tamen appellat. *Conſilium atrox, crudele præſidium, & ferinam certationem. Nam etſi datum eſt illi prius inermem facilè vincere, tamen crimini applicandum eſt, quòd inde poſteritas potuit interire. Non enim erant prius armata certamina: ſed pugnis ſe quamlibet fervida laceſſebat intentio, unde & Pugna nomen accepit.*

In idemque ipſum reſpiciens Tibullus, ſic inquit. 3

Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quàm ferus, ac verè ferreus ille fuit,
Tunc cædes hominum, generi, tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via eſt, &c.
At nihil ille miſer meruit, nos ad mala noſtra
Vertimus in ſævas, quod dedit ille, feras,
Quis furor eſt atram bellis accerſere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Petron. in Satyr. in carm. de bello civili.

Et Petronius Arbiter, ita belli damna depingit, ut dum illud geri- 4
tur, Deos, Pacem, Iuſtitiam, & Concordiam terras deſerere dicat, & quod illarum loco.

------------ *Sedes Erebi, quà rupta dehiſcit,*
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erynnis,
Et Bellona minax, facibuſque armata Megæra,
Letumque, inſidiæque, & lurida mortis imago,
Quas inter Furor abruptis, ceu liber, habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille
Vulneribus confoſſa, cruenta caſſide velat,
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis; atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

Mich.Hoſp. lib.5. poem. in epiſt.ad Card.Lotharen.

Michael etiam Hoſpitalius multus eſt in eorundem damnorum de- 5
clamatione, ſed ita verus, & elegans, ut carmina eius præterire non poſsim, quæ ſic habent.

Bella docent homines peccare, metumque Deorum
Excutiunt, pœnas, infernaque Tartara rident,
Hi quorum ſolis fiducia nititur armis,
Propoſita eſſe bonis in cœlo præmia rident,
Tolle metum legum, rigidi legumque Miniſtri,
Emicat, & nullo retinetur ſica pudore,
Imbellem, timidumque valentior exuit armis,
Et vita, zonaque: fugit diſperſa, relictis
Ruſtica plebs Laribus, denſæ, quæ proxima ſylvæ,
In cæcas penitus latebras, altoſque receſſus:
Adde colonorum ſubiecta incendia tectis,
Adde etiam captas everſis mœnibus urbes,
Templa Deum deiecta ſolo, cæſoſque parentes
Natorum ante oculos; natos ante ora parentum:
Abductas matrum gremio, ſine more puellas,
Stupra maritarum, divos, hominesque vocantum
Nequicquam auxilio, ſed inanes lenta querelas
Sæpius ira Deum longinquos reicit in annos,
At neque victorem ſexus, nec commovet ætas,
Supplicis, aut lachrymæ genua ante ſuperba voluti,
Nullos ille Deos, nulla aut delubra veretur;
Quem verò fortuna ducem, non proſpera vertit?
Quem non ante bonum, quamvis animique potentem
Altius evexit rapidis victoria pennis?
Vt ſe contineat dextro Iovenatus: At illi
Sunt tamen arbitrio comitum facienda ſuorum,
Multa cupit ſervus, quæ diſsimulare Magiſter
Cogitur: & tandem ſiet dux milite peior,
Hos addunt animos victoribus arma, &c.
Quid noſtros homines templis, ariſque Deorum
Abſtinuiſſe manus argento credis, & auro?
At mihi de noſtris ſermo eſt, nam ſcimus, & illos
Templa Sacerdotum calido fœdaſſe cruore,
Oſſaque iam vita functorum exacta ſepulchris
Proieciſſe ſolo plumbi liventis amore.

6 Hac quoque de cauſa, his antiquior Homerus, auſus eſt ita in Martem invehere. Hom. Iliad. 5. Idem Iliad. 22.

Tu Divos inter longè es teterrimus omnes,
Nam tibi rixa placet, bellumque, & prælia dirà.

Alioque in loco ſic habet,

Occiſos gladio natos,nataſque nefandis
Abreptas manibus,violata cubilia,raptos,
Illiſoſque ſolo pueros,ſtupra impia paſſas,
Abductaſque nurus,aut damna illata ſceleſtis.
Argivum manibus.

Pindar. in Hiporthem.

Eraſm. in hoc Adagio,pag.295.

Canonh.in aphor. Polit. 1.tom.pag. 555. & ſeqq. Ego 1.tom.lib.3.c.6.n. 42. noviſsimè Nathen iniuſtitia vulnerat ex pag.35.

Et Pindarus,*Dulce bellum inexpertis*, duntaxat eſſe poſſe meritò cecinit.Cuius ſententia iam in Adagium tranſivit,in cuius illuſtratione Eraſmus,& in Pacis querimonia,ita plenè,ac diſſertè hanc materiam proſequitur,ut ne ſpicilegium, quidem alijs reliquiſſe videatur, quamvis plures alij ſint etiam,qui eandem retractant, quorum fragmenta Petrus Andræas Canonherius congeſsit,& Ego alio loco copioſam nomenclaturam. 7

Ego d.1.tom. lib. 2.c.6.n 49.& cap. 19.n.36.& 37.noviſsimè Berneger. in quæſt. ad Tacit. de morib.Germa. q.78.ubi poſt alios Politicos diſputat, an bellũ, cum honeſtate conveniat?

Vbi etiam plures allego,qui his fortè rationibus ducti,Manichæorum antiquam hæreſim renovarunt,& dicere,ac docere auſi ſunt,nullam ob cauſam Principibus Chriſtianis licere, etiam adverſus Turcas,Hæreticos,& alios Fidei Hoſtes,bellum inferre. Quod licèt ab alijs pluribus meritò reiectum,& damnatum exiſtat,verius,& rectius exiſtimantibus,eiuſmodi hoſtes bello,etiam nulla monitione præcedente,impeti poſſe,& alios(quamvis Chriſtiani ſint)ſi legitimę cauſæ ad illud indicendum exiſtant;ſatis tamen detegit,quãta cum ratione,& cautione vires,aut virus belli tentari diffundique debeãt,quod in ſe adeò exitialia,& periculoſa continet damna, ut melius ſit ſæpè ægritudinem pati,quàm adeò amarum pharmacum experiri. 8

Ovid.3.de Ponto. eleg.7.

Nam ut Ovidianum Diſtichum monet,

Curando fieri quædam maiora videmus
Vulnera,quæ melius non tetigiſſe fuit.

Tacit. 1.hiſt.

Et ſecundùm Tacitum,

Nonnullis morbis unicum remedium eſt,remedia omittere.

Oræus Icon.5. & 6.

Quæ damna Henricus Oræus duabus Iconibus denotat, currum Martis depingens,quem Furiæ præcipitem agunt, & univerſa mala ſequuntur,ſub hoc lemmate.

Cuncta vorat Bellum vaſtoque abſumit hiatu.

Et his carminibus,

Heu mala quot bellum comitantur,quanta ſequuntur
Currum,ubi vindictæ flagra furoris agunt,
Perditio certa eſt:agitur crudelibus armis
Rixæ, blaſphemans lingua,Fameſque Comes.

Ego verò,ut eadem Regum,ac Principum oculis aliquo Emblemate obſervanda,ſimulque averſanda proponam,nullum pręſenti aptius efficaciusve excogitari poſſe exiſtimavi, quod ex nobili illa Darij

Per-

Perſarum Regis hiſtoria deſumitur, ab Herodoto, & alijs late relata, Cui, bellum Scytharum Regibus Scopaſi, Taxaci, & Indathyrſo facienti, rerumque omnium inopia, cum ſuo exercitu laboranti, tres illi Reges Caduceatores, munerum loco Avem, Murem, Ranam, & quinque Sagittas afferentes, miſſerunt. Quorum ſignificationem Perſæ, in varias coniectiones ſententiaſque diviſi, ſatis non percepere, quouſque infelici belli eventu perdocti, tandem intellexerunt, Scytas non tam dona, quàm damna, mixtaſque illo munere minas, Perſis mandaſſe. Ac ſi apertius dicerent (ut Petrus de la Seine eruditè proſequitur) Inſidijs, Fame, & Siti, hoc eſt omnium rerum penuria, ſe ſe illos debellaturos. Hæcque, ſi ad eoſdem conflictandos non ſatis eſſent, apertò Marte, & Sagittarum copia facilè confecturos.

Herod. lib. 4. Athenæus lib. 8 Clem. Alex. lib. 5. Strom.

Pet. de la Seine in Nepenthe. 1. part. pag. 6. & ſeqq.

10 Nam ut idem Auctor pluribus ex pluribus probat, per Aues Ægyptij, & alij Hieroglyphicorum Scriptores, aſtus, inſidias, ſeu bellorum ſtratagemata denotabant. Per Murem, famem domuumque, & urbium ſubverſionem. Per Ranam, ſitim, quia Amphibium hoc animal, licèt frequentius in aquis degat; ſemper aquas ſitiat, nec vel maximè potis, ſatiari poſsit. Vnde proverbio locus, *Ranæ aquam infundere.* Et denique per Sagittas, cruorem ſtragemque hominum, quæ per has in prælijs, non minùs quàm per gladios, atque haſtas, infligi ſolet, quarum loco Scythis ſagittas in uſu fuiſſe ſcitiſsimum eſt. His aptiſsimis ſymbolis omnia planè damna, omneſque plagas, quas bella ſecum ſemper adducunt, ſignificantes, Famem nimirùm, Sitim, & Mortem ſtragemque hominum, quibus Peſtis quoque frequenter ſociari ſolet, ac pediſequa eſſe, iuxta illud Heſiodi.

Eraſm. in Adag. pag. 12. & 97.

Plut. in apoph.

Heſiod. in oper. lib. 1.

Iuppiter his cœlo clades immiſit ab alto
Famem Peſtemque,

Et bracteactum nos Monoſtichum Moderni Epigrammatarij,

Ovenus lib. 1. Epigram. 118.

Bella famem, peſtemque fames mortalibus affert:
Eſt igitur bellum peius utroque malum.

11 Quas plagas, ſanguineum Bellonæ flagellum appellat Lucanus,

Lucan. lib. 7.

Sanguineum velut quatiens Bellona flagellum.

Et eleganti carmine deſcripſit Virgilius, ſic inquiens.

Virg. 1. Georg.

Quippe ubi fas verſum, atque nefas: tot bella per Orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honos, ſquallent abductis arva colonis,
Et curvæ rigidos falces conflantur in enſes.

12 Et ad eas fortè alludere voluerunt Carthaginenſes, qui cum viderent Romanos, Dracones, & ſerpentes pro inſignibus militarium vexillorum geſtare ſolitos, quaſi omnia eſſent devoraturi: Ipſi, in ſuis, locuſtas poſuerunt, quæ pariter ac mures, ſegetes vaſtant, famem inducunt, atque etiam, ut Plinius ait, cum ſerpentibus pugnant, ipſoſque interficere ſolent.

Plin. lib. 11. c. 89.

Salluſt. in Catilin. relatus à D. Aug. lib. 1. de civit. Dei c. 5.

13 Salluſtius etiam, quem ad hoc tranſcribens, nobilitatæ veritatis hiſtoricum D. Auguſtinus appellat, Cæſarem inducit, in oratione, quam in ſenatu de Catilinę coniuratione habuit, ita de damnis belli loquentem. *Rapi Virgines, pueros, divelli liberos parentum complexu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibuiſſet, fana, atque domos ſpoliari, cædem & incendia fieri. Poſtremò armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri.*

Eraſm. in d. Adagio dulce bellum inexpertis, & in pacis querimonia.

14 Et pluribus alijs relictis, quę de Bellorum damnis, & calamitatibus obvia apud omnes ferè Auctores habentur, ſufficiat pro multis, Eraſmum adire, qui poſtquàm ea, non minùs verè, quàm eleganter, & dolēter oſtendit, finem, exitum, aut eventū belli, quātumvis feliciter geſti, tandem eſſe inquit, perditionem, vaſtitatem, inopiam famem, & turpiſsimam malorum Leærnam, ut victus fleat, & victor doleat. Abacta armenta, protritas ſegetes, trucidatos colonos, exuſtas villas, exciſas urbes, adempta bona omnia, omnia adhuc plena metu, omnia ſanguine tepētiā, omnia plena conſternationis, luctus, querelarū, lamentorū, conſtupratas Virgines, vim paſſas honeſtas Matronas, iuventutem ad ſervitutē abreptā, factos orphanos, ac viduas. Nihil enim tam turpe nihil tàm crudele, nihil tam horrendum, aut immane, quod non effrenis militum petulantia dedignare auſit. Quippe quia, ut Lucanus ait,

Lucan. lib. 10.

Nulla fides pietas-ve viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaliſque manus, ibi fas ubi plurima merces.

Anu. Fran. in Lud. XII. paſcua.

15 Vnde Ludovicus XII. Galliæ Rex, ut eius Annales referunt, dicere ſolebat, *Plebem & ruſticos eſſe paſcua tyrannorum, & militum: tyrannos autē, et milites paſcua eſſe diabolorum.* Et Ferdinādus Davalos Piſcariæ Marchio, ut refert Paulus Iovius, *Nihil ijs, qui in bello verſantur eſſe difficilius, quàm Martem ſimul & Chriſtum pari diſciplina coluiſſe, quando mos bellicus, in hac corruptela militiæ, à iuſtitia, & Religione penitus averſus eſſe videretur.*

Paul. Iovius in vita March. de Peſc. lib. 2.

Caſsiod. lib. 1. ep. 12.

16 Quod etiam prius docuiſſe videtur Caſsiodorus, ſic elegantiſsimè inquiens. *Militaribus officijs aſſueti, civilitatē premere dicuntur armati, & ob hoc iuſtitiæ parere deſpiciunt, quoniam ad bella Martia ſemper intendunt: dum neſcio quo pacto aſsiduè dimicantibus difficilè eſt morum cuſtodire menſuram.*

17 Videant ergo Principes, quorum munus eſt iuſtitiam diligere, leges ſervare, delicta compeſcere, ſicarios, homicidas, latrones ſacrilegos, adulteros, & ſceleratos alios homines procul à ſuis Regnis eliminare, præcipuamque ſuam felicitatem in felici, ac pacata imperij ſui gubernatione conſtituere, quomodo hæc conſequi poterunt, ubi bellis deſęviunt, aut deſerviunt, quæ omnium prædictorum ſcelerum genera docent, & ex quibus omnis impietatis ſentina dimanat?

Sup. Emb. 66.

18 Quòd, ſi piè iuſtèque regnantibus, nulla melior maiorve corona optari debet, quàm illa, quæ ob civem ſervatum contingit, ut in ſuperioribus dixi, videant iterum, quàm longè ab ea conſequenda conſiſtant, qui ſe ſuoſque cives tot mortibus, tot ſtragibus, cladibus, & calamitatibus, pro levibus ſæpe rebus, exponunt.

19 Certè Antoninus Pius Imperator apud Capitolinum, *Malle ſe*, dixit, *unum civem ſeruare, quàm mille hoſtes perdere*, quod alij prius à Scipione Africano dictum ſcribunt, & de Michaele Græcorum Imperatore Cedrenus enarrat, quòd cum à Leone Armenio, Orientalium Copiarum Duce, Imperio ſpoliatus fuiſſet, licèt illud armis recuperare poſſet, ut erat pacis ſtudioſus, ſuorum quendam ad Leonem cum diademate, purpura, & calceis coccineis (qui imperij inſignia erant) miſit, Imperio ſe ei cedere indicans, *Quid vel vitam amittere, quàm guttulam unam Chriſtiani ſanguinis effundere mallet.* Quæ etiam ratio, Surio, & alijs narrantibus, alium Hiberniæ Regem permovit, fratri ſpolianti faſces remittere, quamvis à Sancto Malachia Epiſcopo inſtigaretur, Regnum, quo per iniuriam pulſus erat, per vim recipere, reſpondens, *Nolle ſe pro terreno ſuo bonore, humanum ſanguinem effundere, qui contra ipſum de terra ad Dominum proclamaret.*

Cedren. in Mich.

Sur. in vita S. Malachiæ, Beyer. in apophth. Chriſtia.

20 Accedit his, valdè ſemper in bellorum initijs cunctandum, & conſulendum, vel ex eo, quòd iuxta Salluſtij celebre documentum, à Paulo etiam Æmilio uſurpatum, *Omne bellum ſumitur facilè, cæterùm egerrimè deſinit, nec cuius poteſtate initium, eius & finis eſt, incipere cuivis, etiam ignaro, licet, deponi, cum victores velint.* Multotieſque contingat, ut nec ipſe Princeps, qui bellum cœpit, ab eius damnis, & iniurijs, nedum alienos, verùm ne ſuos quidem poſsit milites cohibere. Nam Seneca Tragædo teſtante.

Salluſt. in Iugurt. Paul. Æmil. de geſtis Fran. lib. 1.

Sen. in Herc. fur.

Arma non ſervant modum,
Nec temperari facilè, nec reprimi poteſt,
Strictus enſis ira, Bella delectat cruor.

21 Ac quemadmodum, Polybio dicente, qui igne immiſſo Sylvam incenderit, eventum reliquum arbitrio ſuò moderari non poteſt; ſed ignis quocunque impetus fert, pabulum quærit, & in ipſum incendij auctorem ſæpè convertitur: ita exorta bellorum incendia, non facilè reſtringuntur, & ferè ſemper ex uno malo conſilio inito, longi temporis bella, & Orbis mutationes ſequuntur, & qui patriam incendit, cum illa conflagrante conflagrat, pereunteque perit.

Polyb. lib. 10. hiſt.

22 Vt omittam, adeò Martis aleam ancipitem eſſe, ut qui ſe victorem ſperat, ſæpè victus evadat, fortuna ſemper, ſed in bellis præcipuè (quidquid Onoſander contrarium ſentire videatur) dominante, ſuoſque Euripos ſive acceſſus, & receſſus indeſinenter agente, adeò ut nullam quis maiorem vincendi ſpem habere poſsit, quàm quia victus, iam fuerit, & alter perdendi, quia iam nuper victor evaſerit. Quod argumentum benè quidam Modernus Emblematarius illuſtrat, puerulos talis ludentes depingens, cum lemmate *Anceps alea Martis*, & ſatis expreſſit Virgilius dum dixit.

Onoſander in præfat. ſui ſtrategetici quem refert Berneger. in q. 150. ad Tacit. An in bello ſit aliquod fortunæ momentum?

Buxhorn. Zuerius Emb. 1.

---------- Non me quicunque es inulto
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Proſpectant paria, atque eadem mox arva tenebis.

Virg. Æneid. 10.

Homer.in Iliad.

Homerus.

Communis Mars eſt,& interfectorem interficit.

Pacat.in Paneg.ad Theod.

Et Latinus Pacatus ſic inquiens, *Victoria non alia ratione pennata fingitur,niſi quia indicat,quòd hominum eum fortuna euntium,non curſus ſit,ſed volatus.* 23

Ægeſip. lib.5. de excid. Hier.c.30.

Agathias de bello gothorum.

Nicetus in an.Balduin.pag.661.

Nec ſequius Ægeſippus his verbis: *O varia, atque incerta bellorum alea, quæ ſicut tactu quodam,potius quàm virtute, plerumque inopinatis ludit eventibus,ſufficiens novos exitus. Namque & hic iactus ſunt,non teſſerarum quidem, ſed ſagittarum telorumque plurium, lapidum quoque,quibus ſæpè victor ſternitur alieno vulnere, & cum aliena ſpolia rapit, ipſe deſpoliatur.* Et Agathias, *quis ignorat belli viciſsitudines,non certa neceſsitate accidere,nec eos,qui nunc fortè falluntur,eandem ſemper ſortiri fortunam? ſed aliter longè, ut pleraque evenire, ſiquidem compertum eſt, ad victos ſæpè redire victoriam,& calamitoſos plerumque fortuna iuvari.* Et Nicetas Coniates. *Multæ ſunt belli vices, teſſeræ inſtar voluuntur res mortalium: nunc his nunc illis favet victoria.* 24

Diod.lib.17. Pauſan.in Lacon.

Iun.Embl.11.

Quòd intelligentes Athenienſes,eandem victoriam,quam ut deam colebant,involucrem, aliſquè orbam,& fano, & ſtatua decorarunt ſic exiſtimantes,perennem ipſis forè deæ præſentiam,negatis illi alis, quibus avolare ſolebat,quemadmodum Tyrij Apollinem,& Lacedæmonij Martem,quos ſibi tutelares optabant, ſimili de cauſa,ut Diodorus Siculus,& Pauſanias referunt,aureis catenulis alligabant. Vnde Adrianus Iunius anſam ſumpſit huius Emblematis confingendi. 25

Latoidem Cadmea Tyros devinxerat auro;
Gradivum tenuit compede Sparta gravem,
Præpete privarunt penna Victoriam Athenæ,
Quiſque ſuis votis cogit ad eſſe Deum.

Onoſand.c.4.Strateg.Leo Imper.in Tactic.

Pſalm.146.

D.Auguſt. ep.194

Salvian. lib.1.de provid.

Vanè quidem, & ridicule omnes, cum nulla ex his catenulis ſperari victoriæ permanſio,aut ſecuritas poſsit; & ut aliquam aliquando belligerantes ſibi promittere valeant, ea,ut Onoſander,& Leo Imperator prudenter ſcribunt,ex iuſta bellandi cauſa,maturoque prius conſilio perpenſa,& ex Dei Auxilio,ſupplicibus votis,& orationibus præcedentibus (ut infra latius dicemus) auſpicanda ſit.Hic enim ſolus,ut Regius vates cecinit, *Rex magnus ſuper omnem terram,ſubiecit populos nobis,& gentes ſub pedibus noſtris.* Et ſecundùm D. Auguſtin. *quando pugnatur ſpectat,& partem,quam inſpicit iuſtam, ibi dat palmam.* Vnde & Salvianus dicere potuit: *Ideò Deus infirmiſsimis hoſtibus cuncta tradidit, ut oſtenderet ſcilicet, non vires valere,ſed cauſam.* 26

Quòd vel ipſi Athenienſes, licèt victoriæ alas ad emerint,ſæpè ſepius experti ſunt,magno ſuo malo cæteris Nationibus indicantes,nullam Rempublicam inſtabiliorem eſſe,quam quæ ſepius arma tentaverit.Quoties enim in extremum diſcrimen Athenæ venerunt? à Perſis exuſtæ,à Lacedæmonijs oppreſſæ,ac mænibus ſpoliatæ. A Philippo 27

fra-

fractæ, ab altero Philippo afflictæ: à Mitridatæ occiſæ, & à Sylla tandem prope modum deletæ. Quin & Bellatrix illa Roma, quæ ſe Gentium omnium domitricem, & triumphatricem iactavit, à Tatio capta eſt, à Porſena obſeſſa, à Gallis incenſa, à Pyrrho territa, ab Annibale concuſſa, ſuis denique civilibus armis dilacerata.

28 Vnde Iacobus Bruck, armatam manum pingens, quæ armatum ſuis ſpinis hyſtricem tangit, & angit, quo ſymbolo, Bruchio non viſo, vel non citato Saavedra Noſter in alium finem uſus fuit, hoc Emblema compoſuit.

Bruch. in Emb. 2. p. Emb. 19.

Saaved. Emp. 59.

Nulla potens armis Reſpublica floruit unquam,
Armis alterius quin ſuperata foret.
Armatum Armatus timeat, nec robore ferri,
Se efferat, in tuta ſorte pericla latent.

29 Maneat ergo, bellum non eſſe facilè ſuſcipiendum, nec certam pacem ſperata victoria permutandam. Et de nulla re magis, aut crebrius deliberandum eſſe, quàm de bello, in quo bis peccare non licet, & ad quod Princeps vix deſcendere debet, etiam inevitabili neceſsitate permotus, niſi omnibus alijs primò remedijs tentatis, & fruſtra conſumpris. Cum nullum ſit tam felix bellum, quo non potior iniqua pax ſit, ſi ſumptus, ſi diſcrimina, & reliqua damna, quæ ex illo provenire oſtendimus, perpendamus, quæ verè ſatis hoc Monaſtico clauſit ille qui dixit:

Tot mala ſunt Bello, rutilo quot ſydera cœlo.

30 Et prudentem quemque Principem monent, ut de iure ſuo citius decedat, quàm de ſumma periclitetur, & ut tantam fortunæ plagam levi lateris inflexione declinet.

31 Vtrùm autem, quo caſu bellum excuſari non poteſt, magis expediat, illud intra proprias provincias ſuſcipere, vel in alienis, & hoſtilibus exercere? latè ad utramque partem ab omnibus ferè Politicis diſputatur, & elegantem de hac quæſtione diſſertationem Nicolaus Vernuleius ſcripſit. Frequentiuſque in hanc vltimam iri ſolet, cui & Ego cum Noſtro Saavedra calculum fero, ſi id occaſio permiſſerit, & in bellum indicentis vel ſuſcipientis voluntate conſiſtat; Hac enim ratione, damna ipſius belli, quæ adeò lato ſermone retulimus, in hoſtica, ut plurimum, transferuntur, & bellum inferens, ſuos milites ad vigilandum, & fortiter dimicandum magis adſtringit. Quam in rem cum plura teſtimonia, & divinarum, atque humanarum Hiſtoriarum exempla, ſupra citati Auctores adducant, contentus ero illud Romanorum expendere. De quibus Cicero ſic ſcripſit. *Fuit proprium Populi Romani, longè à domo bellare, & propugnaculis Imperij, ſociorum fortunas, non ſua tecta defendere.* Vnde & Polybij monitum fluxit,

Bellum in hoſtile ſolum transferre, quantum poſſumus, debemus. Nam ea ratione magis terretur hoſtis, & ad ſua tutanda revocatur.

Paul Ferret. Agric. Sadolet. filiarc. Iunius Scrib Ayala. Menochius Marquez, & alij apud Quignoniū in addit ad diſſert 5. Vernul. fol. 141. & ſeqq.

Saaved emp. 92. pag 675.

Cicer. pro lege manilia.

Polyb. lib. 1. hiſt.

(§ * §)

Regum bella populos quaſſant.

EMBLEMA XC.



Ecce Notus, Boreaſque furunt: Gravis imminet ira,
Iamque in bella ruunt: Iſte flat, ille reflat.
Quid faciat pelagus, ventis quatientibus undas?
Turbatur præceps: hinc furor, inde pavor.
Rex Aura imperij: Populus mare: prælia ſævi
Dum Reges miſcent, Plebs furit, audet, hiat:

COMMENTARIVS.

ET ſi de Belli damnis Lernæiſque faucibus, aut faci- 1
bus, ſatis dixiſſe videri poſsim, & pauciora dicere conveniret, ſi Deus pacata Nobis tempora largiretur: cum tamen, proh dolor, per tot annorum curricula inter Chriſtianos, et affines Principes unum bellum alterum trahat, & illorum finis, nec dum appareat, non verebor pluſcula adhuc alia in eorum deteſtationem ſubnectere, & cum Poëta canente concinere.

Bella necant homines, faciunt ſine honoribus Aras;
Vrbis & agrorum depopulantur opes.
Ah pereat tanti fuerit; qui criminis auctor,
Triſtiaque humanas miſit ad arma manus.

Deum-

2 Deumque, & ipſos ſimul Principes exorare, ut inter eos ceſſet Dominandi libido, nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellãdi, et ſi quæ ſimilia his ſunt, quæ in bellis iure culpantur, & ad pacatiorem mentem, & ſaniora conſilia redacti, cognoſcere incipiant, quietem ſuaviſsimam Populi, & tranquillam diſpoſitionem regionum, ut benè Caſsiodorus admonuit, præcipuam gloriam, & eximium præconium eſſe Regnantium. Seque pro remedio, ſalute, & conſervatione, non pro ſtrage, & internecione datos eſſe cunctorum.

D.Aug.epiſt.207. in c.quid culpatur 23.q 1.

Caſsiod lib.5.ep. 39.& lib.2.ep.29. & lib.6.ep.23.

3 Indeque Herculem, & præclaros olim Heroas, atque Imperatores *Callinici* cognomento, quòd *Servatorem* ſignificat, ut Plutarchus, & alij tradunt, eſſe gloriatos. Cuius ſe nullatenus dignos reddere poterunt, qui, ut cum Seneca loquar, *Vbi ſe tam Magnos, quàm audiunt, credunt, attrahunt ſupervacua, & in diſcrimen omnium perventura bella*, & ſe ipſos, ac ſuos pariter, tot damnis, periculis, atque ærumnis exponunt. Scientes, vel ſcire debentes, quòd (ſecundùm antiquum Homeri carmen, ab Ariſtophane, & Polybio laudatum) prorſus eſt.

Indignus legum auxilio, Laribuſque, Tribuque,
Qui Populos inter civilia ſuſcitat arma.

Plutarch. in Coriol. Pindar. Od 20.ubi de Hercule Iuſtin. lib 38. ubi de Seleuco Procop.lib 11.debell. Perſ. ubi de Iuſtiniano.

Senec lib.6.de benef.c.30.

4 Et ſecundùm Ciceronem, *Nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt, quem diſcordia, quem cædes civium, quem bellum cruentum delectat, eumque ex numero hominum eijciendum, & ex finibus humanæ naturæ exterminandum.* Nec ſine cauſa Poetas finxiſſe, bellum ab inferis per Furias immitti, quod tantum malorum agmen ſecum trahit, & quicquid eſt veræ Religionis, quicquid bonarum legum, quicquid civilis diſciplinæ, quicquid proborum morum, quicquid honeſtarum artium, militari licentia corrumpit, & Chriſtianorum vires opeſque, plaudentibus, è diverſo, noſtræ Fidei hoſtibus, labefactat.

Hom 9 Iliad. Ariſtoph in dramate de pace Polyb. lib. 12.

Cicer. Philip 13.

5 Vnde hos Aulæ Martis aſſeclas, & ſævientis diſcordiæ effectus, atque flagella, pulchrè deſcribit poſt Virgilium Statius Papinius, ſic inquiens.

----------- Primis ſalit impetus ardens.
E foribus, cæcumque nefas: occultiſque enſibus adſtant,
Inſidiæ, geminumque tenens diſcordia ferrum.
Innumeris ſtrepit Aula minis. Triſtiſsima virtus,
Stat medio, lætuſque furor, vultuque cruento
Mors armata ſedet.

Virgil 1 6.7 & 8. Æneid. ſtat. Theb. 7.

6 Et pulchrius Petronius Arbiter in Satyrico, Bellonæ, flagellum, & Diſcordiæ facem attribuens, quibus Orbem, dum bellis concutitur, direxant, veſtant, & populantur, his verbis.

Intremuere tubæ, ac ſciſſo diſcordia crine,
Extulit ad ſuperos ſtigium caput, huius in ore,

Petron. in Satyr. in carm. de bel. civil.

Con-

Concretus ſanguis contuſaque lumina flebant:
Stabant irati ſcabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obſeſſa Draconibus ora,
Atque intertorto laceratam pectore veſtem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra,&c.
Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.

Ariſtid. apud Gyrald. de dijs gent. pag.32.

Niceph. lib. 9. c.42.& alij in vita Theodoſ.Mag.

Ariſtides etiam à Lilio Giraldo relatus, eiſdem fermè verbis diſ- 7
cordiam,& ſeditionem deſcribit.Et ſi qua eſt fides hiſtorijs,ſub Theo
doſio Imperatore,Antiochiæ,nocte,præcedente diem,quo ibi ſeditio
mota fuit,populo concitato contra Imperatorem, ſpectrum mulieris
viſum eſt,magnitudine inuſitatum,& aſpectu horrendũ,quod quidẽ in
ſublimi per civitatis plateas diſcurrens,aërem flagello horriſono ver-
berabat,*vt quemadmodum ad iram feras incitant ij,qui operam ſuam ad
huiuſmodi ſpectacula navant,ita hanc ſeditionem, dæmonum inſidijs, Ge-
nius aliquis malus commoviſſe videri poſſet.*

Ioachim. Camer. cent.1.Embl.33.

Plin.lib.16. c.40. Sen. lib.2. nat. q. c.22.Lucret.lib.5

Quæ ſanè mala cum frequentius ob Principum diſsidia, & conflic- 8
tationes, in ſuos populos deriventur, ſæpeque accidat, ut maxima
illorum pars ad eos redeat,ad quos nihil pertinet bellum, quibuſque
invitis, & abominantibus illud geritur, præclara mihi ad hoc deno-
tandum,ac dehortandum ſimilitudo viſa eſt ea,quam Ioachimus Ca-
merarius excogitavit, & in Emblema deduxit, ex duobus lignis, ſive
bacilis lauri,vel hederæ quorum,iuxta Plinium,& alios,hæc eſt natu-
ra,ut inter ſe colliſis,ignis eliciatur,& ſe mutuò ſuccendant,cum lem-
mate,*vim ex vi*.Et hoc Diſticho.

Damna dat,atque facit vis vi colliſa Potentum,
Ramorum attritu,ut flamma reſultat edax.

D.Chryſ. hom.2. oper.imperf.

Oſeas 8.7.

Sed nec minùs hæc,quàm præſens hoc noſtrum Emblema figurat, ex
contrarijs ventis,ſuis furioſis,ac vehementibus flatibus,mare, aliàs
quietum,& placidum perturbantibus,eiuſque undas,maleſidaſque ca
rinas, nihil tale commeritas, surſum ac deorſum diris tempeſtatibus
agitantibus.Cui facem D.Chryſoſtomus præbuit,qui in quadam ho-
melia ſic habet. *Quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, ſic
Regibus adverſantibus ſibi, populus Regni vexatur,* & Oſeas dum di-
xit:*Ventum ſeminabunt,& turbinem metent.*

Horat.lib.1.ep.1. ad Col.

Etenim,ut in corpore humano capitis morbi, & dolores reliqua 9
membra conturbant,ſic in mixto Reipublicæ,Principum commotio-
nes,& contentiones,totum Regnum afficiunt,&quàm verum ſit illud
Carmen oſtendunt.

Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi.

Eraſm. in Adag. pag.730.

Reg 2 24.Paralip. 1.c.21. Ioſeph.7. antiq.c.13.

Sup.in Com.Emblem.25.

Quod Horatius ex Homeri Odiſſea deſumpſit,& iam in Adagium 10
verſum,pluribus illuſtrat Eraſmus, inquiens, cuiuslibet peccati, vel
erroris à Regibus admiſsi,eorum ſubditos pœnas pati,luere,ac ſuſti-
nere,& exemplum Davidis,& Agamenonis adducens de quibus ſu-
pra mentionem feci.

Hu-

11 Huiuſque rei rationem elegantem tradit Iuſtinus Martyr à P.Franciſco de Mendoça,& à me ſuprà alio in loco relatus, & memorabile exemplum Rodericus Archiepiſcopus Toletanus,in miſerabili totius Hiſpaniæ noſtræ calamitate,quam ob Ruderici Regis ſui in conſultas actiones,& enormia alia ſcelera paſſa fuit, ipſamque, *Bello miſerabiliter conſumato, fletu madidam, ululatu clamoſam, advenis hoſpitam, civibus peregrinam, nudatam incolis, orbatam filijs, confuſam barbaris, infectam ſanguine, ſtupidam vulnere, & ſuorum ſolatio deſolatam effecit.*

D.Iuſtin. orat. 128 ad Orthod. Mend. in annot. proœm. ad 1.lib Reg.an. 7.ſect. 7 in fin. ego d. Emb.23.

Rod. Tol. lib.3.c. 21.

12 Et in hoc ipſum reſpiciens Caſsiodorus. Duos Reges inter ſe certare geſtientes,hac ratione,inter alias,ad Pacem hortatur. *Non leviter Regna veſtra quaſſatis, ſi data partibus libertate confligitis. Virtus veſtra patriæ non fiat inopinata calamitas: quia grandis invidia eſt Regum in cauſis levibus gravis ruina populorum.*

Caſsiod.lib.3. ep. 4.

13 Et Andræas Canonherius, poſt plures alios Auctores relatos, qui has Bellorum clades, & ſubditorum damna ob Regum diſsidia, & conflictationes referunt, & exaggerant, prudenter conſiderat, quòd quemadmodum peſtis, quàm Deus (vt Eraſmus ait) noſtris offenſus criminibus, noxio ſyderum influxu,& temporum alteratione,ſub concavo Orbis Lunæ excitat, eſt omnium morborum teterrimus, quia latius graſſatur,civitates, & provincias depopulatur, in univerſo orbe, hominum atque armentorum ſtragem miſerabilem edit, ac graviſsima vitæ politicæ incommoda affert: nam à Sacerdotibus ſacra munia deſeruntur, ab artificibus artes, opera, ac gymnaſia puerorum intermittuntur; parentibus, affinibus, ac propinquis mutua auxilia denegantur, matrimoniorum acceſſus, congreſſus, collocutiones interdicuntur, civitates à civibus relinquuntur, commercia conquieſcunt, ſuppellex à latronibus diripitur, rerum convectiones tolluntur, vetera nec venduntur, nec emuntur, carceres recluduntur, omniaque metu, timore, mœrore conturbantur. Sic bellum eſt omnium morborum Politicorum pernitioſiſsimum: nihilque crudelius, truculentius, ac moleſtius eſt in rerum natura impio,ac ſceleſto bello. Nam furioſi, ac truculenti milites templa expilant, nobiliſsimas familias ad miſerandam deducunt egeſtatem, proterunt ſegetes, vina ac cerviſias ſpargunt, ruſticorum ſuppellectilem flammis abſumunt, divina inexpiabili ſcelere polluunt, familiares iugulant, & in eos, quos tueri, ac tegere deberent, quovis immaniſsimo hoſte crudelius debacchantur, agros depopulantur, in armenta, ac pecudes ſæviunt, arbores ſuccidunt, vineas proculcant, puellas vitiant, domos libidinibus, contumelijs, opprobrijs, ac iniurijs implent, mulieres rapiunt, vel contaminant, pavimenta puerorum, ac innocentium ſanguine natant, parietibus, ac columnis non parcunt, urbes ſuffocant, vaſtant, diripiunt, ac funditus evertunt, civitates tectis denudant, terrores, minas denuntiant, ac omnibus pericula intendunt, res humanas ſurſum, ac deorſum miſcent, omnibuſque rebus igne,& ferro vaſtitatem inferunt. Tandem Bellum univerſum ſtatum politicum corrumpit, perturbat, ac omnium ſcelerum, flagitio

Canonher. 1.tom. pag.553.

Eraſm. d. Adag. pag.730.

rum

rum maleficiorum , ac delictorum genera homines docet. 1.

His addi poſſunt ſimilia ferè verba, quæ de eorundem bellorum 14
damnis,& deteſtatione Noſter Saavedra noviſsimè cōgerit,inquiens,
quòd,*Con ellas ſe deſcompone el orden, i armonia de la Republica : la Religion ſe muda: la Iuſticia ſe perturba: las leyes obedecen: la amiſtad, i parenteſco ſe confunden: las artes ſe olvidan: la cultura ſe pierde: el comercio ſe retira: las ciudades ſe deſtruyen, i los dominios ſe alteran. I que por eſto el Rey don Alonſo llamò a la guerra, eſtrañamiento de paz, è movimiento de las coſas quedas, è deſtruimiento de las compueſtas.*

Saaved. Emp.74. pag.568.

L.1. tit.23.p.2.

Atque hoc planè eſt, quod apud Plutarchum dixit Archidamus, 15
Bellum non quærit diffinita, & Recentior alter, *Bellum ſtatuta non habet*, quippe quia, ut Quintus Curtius inquit, etiam *naturæ iura in contrarium mutat*, & ſecundùm vulgatum illud, ſed ſemper memoria tenendum, Ciceronis, *Silent leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare velit, antè injuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda.* Quem ſequutus Valerius Maximus, eandem ſententiam his verbis expreſsit. *Inter armorum, namque ſtrepitum, verba iuris civilis exaudiri non poſſunt*, & Tacitus his. *In pace cauſæ, & merita ſpectantur: ubi bellum ingruit, innocentes, ac innoxij, iuxta cadunt.* Ennodius quoque ſic.
Prælijs temperantiam nullus annectit, ſtatuta ſunt dimicātium, quidquid 16
non licet, nunc licere.

Plut. in apoph.
Strad. de bell. Belg. lib. 1.
Curt. lib. 9.
Cic. pro Milon.
Valer. Max. lib. 5. c. 2.
Tacit. 1. Annal.
Ennod in vita Epiphan. c. 48.

Quodque peius eſt, & magis dolendum, huiuſmodi calamitates nō ſolùm per incurſum, exceſſumve hoſtium, verùm & ab ipſis noſtris militibus generantur, quorum petulantiæ, effrenatæque libidini, & rapacitati, nihil non ſubiacet, ubi ſemel in numeros ſunt relati, Sive iter agant, ſive in ruſticorum vicis, & oppidis hoſpitentur, vel inſtati vis caſtra metentur, ut Vlpianus I.C. inſinuat, de hac laſcivia mentionem faciens, & latè Rævardus, & Radulphus Fornerius proſequuntur, & ante eos Ioan. Nevizanus, plura de his damnis, & ſumpta, eorum cauſa, aliquoties ab oppidanis vindicta, recenſens, Aurelianique, Tamberlani, & aliorum Imperatorum ſeveritatem, ad hanc licentiam cohibendam, renovari deſiderans, & laxatam, luxatamque valdè, in hoc, ut in
alijs, militarem diſciplinam, quæ ſecundùm Valerium Maximum. *Aſ-* 17
pero, & abſciſſo caſtigationis genere indiget. In uſum reduci percupiens.

Vlp. in l. ex cōducto 16. verſ. *Si vero*. D. locat.
Rævar. 3. conect. c. 6. Forn. 1. quot. c. 29.
Nevizan. in ſylv. nup. lib. 4. ex nu. 136. Damhoud. in prax. crimin. pag. 105. in fin. & pag. 137. & ſeqq. ubi adducit carmina de laude bonorū militum, & deteſtatione malorum.
Valer. Max. lib. 2. c. 2.

Quibus accedit, Ruſticanos, his quotidie damnis, & iniurijs oppreſſos, & facultatibus, ſæpè etiam filiabus, & uxoribus ſpoliatos, ſuis relictis paupertinis domunculis, peiores ipſis militibus fieri, & ira percitos, ad ſimilia, vel maiora ſcelera perpetranda, deſperatos accendi, ut benè oboluit, & eleganti carmine doluit Michael Hoſpitalius, ſic inquiens.

——— Quid autem
Quid miſer ille bonis prorſus ſpoliatus, avito
Pulſus agro? Miſeros unà cum coniunge natos,
Exilij ſecum comites agit, utque Leæna,
Cui ſub rupe cava parvi ſtabulantur alumni
Fertur acerba minans pecori, pecoriſque magiſtris,

Hoſpital. lib. 5. poem. in epiſt. ad Ducem Loth.

Haud

Haud ſecus ille ſuos cernens periſſe labores,
Exhauſtam cellam, vacua horrea frugibus, omne
Inſtrumentum agri, & villæ cum bobus ademptum,
Nihil adeò ſupereſſe, famem quo pellere poſsit:
Nec tam mente ſuum reputans, quàm coniugis, atque
Natorum exitium, ſubito capit arma furore,
Non aſſueta prius. Quicunque fit obvius illi,
Notus, an ignotus refert nihil, hoſtis, amicus,
Sternit, & in ſontem ſpoliat, nudumque relinquit,
Agreſti ingenio, nihil importunius uſquam eſt.

17 Vt omittam, incertum, ſæpeque, aut ſemper potiùs, ex utraque parte cruentum, & lachrymoſum bellorum exitum, à Regibus conflictantibus initorum, qui tandem docet, magno omnium malo in illa prorumpi, cum victi, & victores æqualem Martem mortemque perpeti ſoleant, & in pari fermè, damno, & calamitate manere, ut Græcum illud veri verbium oſtendit. *Qui viuit periјt, plorant qui ſuccubuere.* Quod inter ſua Adagia repoſuit Eraſmus, exemplum in pugna apud Cheroneam inter Athenienſes, & Thebanos commiſſa, proponens, in qua omnes pariter perierunt, & in bello Troiano, per tot annos, pro quadam mala muliercula geſto, quod non minùs exitioſum Grȩcis victoribus, quàm Troianis victis fuiſſe, illius Scriptores poſt Homerum enarrant. Quod & ipſum, pluribus alijs relictis, in memorabili illo prælio Ravenatenſi, tempore Iulij II. Roman. Pontificis anno 1512. contigiſſe, ultra alios refert Iulius Ferretus, ſe eius oculatum teſtem fuiſſe inquiens, & triginta, aut plura hominum millia utrimque ſuccubuiſſe, ita ut licèt Galli ſe victores manſiſſe iactaverint, gravem, quàm paſsi fuerunt, iacturam huculque ſentire, & dolere non deſinant. Additque, quod magis mirere, occiſorum corpora, qui pro Eccleſiæ parte pugnarunt, ſurſum verſa, & cœlum veluti apertis oculis ſpectantia, reperta fuiſſe, Gallorum autem, & aliorum adverſæ factionis, deorſum iacentia, & miſerando aſpectu, æternas, quas iam patiebantur pœnas, veluti denotantia.

Eraſm. in Adag. pag. 706.

Ferret. de bello, pag. 151. refert etiam hoc excidiũ Saaved. Emp. pag.

18 Eſt & aliud Proverbiũ, *Teſta colliſa teſtæ*, quod idem Eraſmus uſurpari ſolere inquit, cum duo utriuſque malo conflictantur, ut inter belligerantes cõtingit. Cum non nunquam pereat uterque: aut certè neuter, abſque graviſsimo damno diſcedat. Ex quo ſimili, eo non relato, Dionyſius Batillius hoc, valdè ad noſtrum conducens, Emblema confecit, pictis duabus teſtaceis ollis in flumine nantibus, & ſe ſe mutuo impetu collidentibus.

Eraſm. dicta pag. 706.

Batill. Emb. 25.

Dum paribus luteæ, concurrunt viribus ollæ,
In varias partes utraque quaſſa perit.
Hunc finem inveniunt belli ſæpiſsimè Reges,
Cum victo victor ſorte caditque pari.

19 Neque abeſt optimum, etiam ſimile ex Plinij pœnu deſumtum, di- Plin. lib. 8. c. 12.

micationis inter Draconem,& Elephantem,cum eſſe finem tradentis, ut ille hunc circumflexus cruribus ambiat,& venenatis morſibus perimat;hic autem victus,corruens,ſuo immani pondere complexum draconem elidat,ſic utroque æqualiter pereunte,nobiſque exemplũ præſtante,eundem exitum ſæpè numero has,de quibus agimus,Regum inter ſe belligerantium conflictationes habere ſolere,dum alijs in alios furentibus,ſeque invicem laceſſentibus,victis ac victoribus finis æquè maturus contingat,utraque parte perimente,& intereunte,damnũque mutuis ſtragibus dante,ac pariter accipiẽte.Quod etiam Batillius in Emblema,Plinio non laudato,deduxit,& his verſibus concinavit.

Batil.Embl.16.Tacit.1.an. *Pernitiẽ alijs,ac poſtremùm ſibi invenere.*

Qualis ubi caudæ ſpatioſi corporis hoſtem eſt
Complexus,nodis implicuitque Draco:
Iam ſe victorem credit,ſimul ipſe ruentis
Mole feræ preſſus terga caputque perit:
Sic pereunt Noſtri per mutua vulnera cives,
Victoreſque ſimul victi,& utrique cadunt.

Oroſius lib.1.c.1

Tertullian. in lib. de anima.

Et in eiſdem bellorum damnis referẽdis, & deplorandis multus eſt 20
quoque Paulus Oroſius,ea,Dei flagella ob peccata hominum vocans. Multus etiã Tertullianus,qui tamẽ conſiderat,aliquãdo à Deo tanquã ſcopas,& quidem aſperrimas ad purgandũ mundum immitti,cui multoties homines oneroſi ſumus,& vix nobis elementa ſufficiũt, & hęc in verba concludens. *Re vera lues,& fames,& bella,& voragines civitatũ, pro remedio deputanda,tãquàm tonſura inſoleſcentis generis humani,&c.*

Caſsiodor. lib.3. epiſt.1.

D. Thom. Sotus, Vict.Valenc.Molin.Cynus, Bellin. Greg.Lop. Cova. & alij apud Me. 2.tom.nu.1.c.15. n.61.& ſeqq.

Brigit. lib 8.c.56. Euſeb.inTheopol. pag.338.

Quæ omnia eò tendunt,ut Chriſtiani Principes,quantum fieri poſſit,à bellis abſtineant,quæ in ſe tot damna,& incommoda,tum ipſorũ, tum præcipuè populorum ſuorum continent,ſciantque, iuxta Caſsiodori conſilium. *Moderationem providam eſſe,quæ gentes ſervat, & tunc ſolùm utile ad arma concurrere, cum locum apud adverſarium iuſtitia, non poteſt invenire.* Deoque rationem de ſubditis reddituros,quos bellis non neceſſarijs diripendos,concutiendos,vel perimendos obiecerint,ut pluribus omnes utriuſque Scholę,quos latè alibi citavi demonſtrant,& notandis,ac tremendis planè verbis in revelatione quadam Divæ Brigittæ,omninò legenda,& iam à Noſtro pio,& docto Euſebio Noriembergio relata,continetur,ubi Reges comminatur, qui tot dãnis, & malis ſubditos vexant, *quia non curant quot millia moriantur, dum tamen ipſi poſſint ſuperbiam ſuam dilatare,&c.* 21

Ego 2.tom. lib.1. c.13.n.62.&ſeqq. ubi plures adduco & Thom.Morum in utop.lib.2.& vide etiã Pet.Greg. lib.11.deRep.c.3. Lipſ.5.Polit. c.9. Berneg. ad Tacit. q.72.

An autem,& quando,poſsit Princeps ſubditos ſibi homines(etiam invitos)ad bella compellere,& periculo mortis exponere?alibi pluribus relatis,expoſui,& Vtopienſium morem,peregrinos cõducentium, ex Thoma Moro recolui. Pluraque de hoc argumento dicere ſuperſedeo,quoniam de illo integrum ſatiſque dolatum,& multò pumice expolitum librum edere parat D.D. Ioan.Suarius de Mendoza Indici, apud Hiſpalenſes Pretorij meritiſsimus Conſul,& mihi multis ab hinc annis ob omnigenam eruditionem,& auidam ſelectorum librorum exquirendorum,& legendorum curam,plurimi habitus. 22

Belli

Belli inter finitimos Reges periculum.

EMBLEMA XCI.



Ecce hìc Cybindum pugnans Iovis implicat ales;
Complicat ille ſinus: pulſat uterque ſolum.
Intereà venator adeſt, ac preſsit, & illi,
Cernunt, quando minùs pertimuere, necem.
Sic vicina duo miſcent cum prælia Reges,
Hoſtibus externis illicò præda cadent.

COMMENTARIVS.

1 NON Solùm hæc, quæ diximus mala, bella progenerant, verùm, & Reges inter quos exercentur, præſertim Chriſtianos, & finitimos, attritis invicem viribus, externis, & infidelibus in prædam exponunt, eoſque ſibi formidabiles reddunt, quibus ipſi, mutuò ſe iuvantes, formidini eſſent. Nulla enim quamvis minima Natio citò poteſt ab adverſarijs deleri, niſi prius proprijs ſe ipſam ſimultatibus extenuaverit, nihilque ciuilibus, & inteſtinis odijs, & prælijs ad invitandos ditandoſque hoſtes efficacius exiſtit.

2 Sunt quippe multi, qui, ut Ariſtophanes ait, dum quieta ſunt ſtagna, nullas anguilas venari, piſcarive poſſunt, ſed cœnũ vbi hac, & illac ſubverterint, magnam faciunt capturam; vel vulturum inſtar, alienas ſimultates, & calamitates expectant, & ſpectant, & ex occiſorum Ariſtoph. in equit.

Schoond. Embl. 4. pag. 13.

cadaveribus ſuum uterum implent. Quo ſimili uſus Florentius Schoonhovius hoc Emblema compoſuit.

In ſua victrici dum ſævit viſcera ferro
Patria, & innocuo terra cruore rubet,
Vultur adeſt ſubitò, defuncta cadavera paſcens,
Quodque alijs damno eſt, hinc ſibi lucra petit:
Graſſari quò tuta queat ad munia opeſque,
Civica depoſcit prælia ſeditio.

Tacit. de mor. Germin. — Veget. de re milit. lib. 3. c. 10. — Salluſt. in Catilin. — Eraſm. in Adag. p. 124.

Satiſque hoc novit, & docuit Tacitus, omnium Politicorum anteſignanus, inquiens, *Nihil hoſtibus præſtare maius fortunam poſſe, quàm adverſariorum diſcordiam*; & Vegetius monens, *ſapientis Ducis eſſe, diſcordiarum cauſas inter hoſtes diſſeminare.* Neque idem ipſum latuit Salluſtium, qui non contentus celebrem, illam ſententiam protuliſſe, quæ iam loco Adagij uſurpatur, *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*, de ſua Romana Repub. veluti vaticinans, dixit, tunc exteris in prædam ceſſuram, cum ipſa in ſe ipſam inteſtinis bellis ſævierit, ſic inquiens. *Ego ſic exiſtimo, quoniam omnia orta intereunt, qua tempeſtate urbi Romanæ fatum excidij adventarit, cives cum civibus manus conſerturos. Ita defeſſos, atque exangues, Regi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere, aut contundere queant hoc imperium.* 3

Lucan. 1. Pharſ.

Quod cum poſteà reipſa contigerit, & Romani, relictis hoſtibus, in ſua viſcera ferrum convertere cœpiſſent, & ut Lucanus canit, vel luget. 4

Cognatas acies, infeſtiſque obvia ſignis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Statim præcipiti curſu imperium in improperium mutarunt, & gentibus, quibus anteà dominabantur, patere, & parere, ſæpèque ſæpius, victrici olim lauro depoſito, herbam manuſque dare coacti fuerunt.

Iſai. 19.

Apud Iſaiam quoque, hac via, ſive plaga, ſe Egyptios percuſſurum, & deleturum Dominus comminatur, *Et concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, civitas adverſus civitatem, Regnum adverſus Regnum. Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo.* 5

Alciat. Emb. 125.

Extantque plura alia antiqua recentioraque exempla apud plures alios, qui de hoc argumento pertractant. Quod Alciatus, ex Gobriæ apologo, depicta colluctatione leæne, & apri, quàm vultur arbori insidens, ſpectat, hoc Emblemate deſignavit. 6

Cum ſævis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue Leæna ferox, dente timendus aper;
Occurrit vultur ſpectatum, & prandia captat;
Gloria victoris, præda futura ſua eſt.

Schoon-

7 Schoonhovius etiam, ultra illud, quod ſupra retulimus, & in hoc Alciati recidit, aliud addidit, ad eiuſdem diſcordiæ effectum ſignificandum, quod ſic habet. Schoonh. Emble. 69.

Præda duos inter fuit olim ſplendida ſturnos,
Hanc erat auxilio nactus uterque ſuo.
Dividere hanc tentant, oritur diſcordia præceps,
Quæ ſocios trahit ad bella gerenda animos:
Miluus hæc ſpectans, trepidantibus advolat alis,
Cumque ſua præda victor utrumque rapit:
Scilicet eſt hoſti facilis victoria, quando
Diſcordes populi civica bella movent.

8 Ego verò, ex Eraſmi ſimilibus, & Adagijs, hoc, quod vides Lector, deduxi, Cybindum cum Aquila pugnantem depingens, qua in pugna, dum ſe invicem alis, & unguibus validè implicāt, volandi facultatem amittūt, & in terram lapſi, paſtoribus, vel aucupibus facilem, & gratam exhibēt prædam. Eſt autem Cybindus, quem alij Cymum, alij Cymindum, vel Cymendem appellant, ut poſt Ariſtotelem, & alios Geſnerus ſcribit, avis, interdiu rarò apparens, quia non clarè videt, nigro colore, accipitris magnitudine, forma longa ac tenui, quæ noctu venatur, ut aquila, & cum ea bellum gerit internecinum, eoque modo, quo dixi, cohærentes, ſæpè numero prendi ſolent. Vnde Eraſmus aptè ſubnectit. *Ita fit aliquoties, ut dum mutuum inter ſe odium exercent Principes, utrique ſubvertantur, tertio quopiam invadente.* Eraſm. in ſimil. fol. 66 & in Adag. Scaral. Aquil. p. 719. Ariſtot. de hiſt. anim. lib. 9. cap. 12. Geſner. de avib. p. 48.

Quod Claudius Minoes, magno ſuo malo Chriſtianos Principes ex-
9 pertos fuiſſe, tradit, cum inter ſe decertantes, Solimanum Turcam, quaſi ſpectatorem habuerunt, qui ſtatim in Germaniam irrumpens, ingenti totius Chriſtianæ Reip. calamitate, ſuam non parum ditionem adauxit. Eòque reſpexiſſe putat Alciatum in Emblemate ſupra relato, licèt illius cudendi cauſam non aperuerit. Quam tamen Georgius Sabinus, qui eodem tempore vixit, ſub ſimili alio Emblemate, hoc hexaſticho proſequutus eſt. Minoes ad Alciat. d. Emb. 125. Georg. Sabi. apud Min. ubi ſup.

Mutua diſcordes faciebant prælia turdi,
Acris, & alitibus pugna duobus erat.
Vidit ut amborum prædo certamina niſus,
Vnguibus, & roſtro dilaniavit aves.
Sic modò dum faciunt diſcordes prælia Reges,
Turcicus Europæ diripit hoſtis opes.

10 Et eſt valdè communis, & frequens apud varios Auctores hic idem dolor, & de Chriſtianis Principibus querimonia, quibus inter ſe, ut cum Lucano loquar. Lucan. 1. Pharſ. in princ.

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Quæ quidem, ſi iunctis viribus in Turcas, & alios infideles, hæreticoſve converterent.

Vnde venit Titan, & nox ubi ſidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus æſtuat horis,
Et quà Bruma rigens, & neſcia vere remitti,
Aſtringit Scythicum glaciali frigore pontum:
Subiuga iam Seres, iam barbarus iſſet Araxes,
Et gens ſi qua iacet naſcentis conſcia Nili.

Bart. facius lib. 10. hiſtor. Indeque, ut piè, & prudenter inquit Bartholomæus Facius, triumphos, ac nomen ſempiternum, veramque, ſolidam, & conſtantem omnium opinione gloriam cõſequi poſſent, quàm in ſe habet bellũ, quod contra Barbaras gentes, contra Religionis noſtræ hoſtes atrociſsimos ſuſcipitur, ac geritur; in quo qui interficitur, magnum pietatis locum apud Deum immortalem ſibi vindicat. 11

Alia ſimilia monita habentur in pluribus orationibus ſuaſorijs ad bellum contra Turcas ſuſcipiendum, quas in unum volumen redegit Groſsianus Typographus anno 1603. ubi inter alias emicat illa Baptiſtæ Mantuani, carminibus ſcripta, quæ ſic exorditur. 12

O malè conſultæ gentes, cognomine tantùm
Chriſtianæ, ſcelerum altrices, fraudumque magiſtræ:
Oblitæ commune bonum: fremit undique Mavors,
Et coniurati Reges Orientis, & Auſtri,
Ac Boreæ, contra veſtrum Regemque Deumque,
Et vos arma magis tentare domeſtica vultis,
Baccharique intra veſtros, ſine fine, Penates?
O Chriſti concuſſa domus: iam plurima in iſto
Secula agis barathro, &c.

Cui concinens alter, qui idem argumentum tractavit, Chriſtũ precatur, ut in Chriſtianis Principibus nova pectora fingat, atq; refingat.

Cum vitijs quæ bella gerant iuſtiſsima, quæque
A recto caveant deflectere tramite vitæ,
Heu, quàm miſeros denſiſsima turba malorum
Circunſtat, quàm Turca ferox, atque efferus hoſtis,
Vſque ab Hiperboreis progreſſus milite campis
Imminet (heu) noſtris cervicibus, omnia bello
Infeſtans triſti, & furiali concitus æſtro,
Chriſtiadum rabidè iugulum, per viſcera paſcens.

Sed, & melius adhuc Franciſcus Franchinus homo Italus, nominatim de Chriſtianiſsimis, & Catholicis Galliæ, & Hiſpaniæ noſtræ Regibus agens, ad quos præcipuè Nos noſtra hæc commenta dirigimus, ſequentibus carminibus in eandem confederationem hortatur, quæ apud Claudium Minoem habentur, cæterùm quia valdè ad noſtram theſim conducunt, hic omitti non poſſunt. 13

Minoës ad Embl. Alciat. 125.

Gallia cui paret, cui paret bellica tellus,
Iam conferre manum Marte furente parant.
Tamque animis, & tam concurrunt fortibus armis,
Turbidus, ut iam iam ſanguine Sabis eat.
Et tamen amborum cervicibus imminet hoſtis
Thracius, in pharetris acer, & acer equis,
Qui maius nil mente petit, nil voce precatur,
Quàm ſimul ut pugnent hi duo Marte pari,
Sperat enim noſtris confractis viribus, omnem
Europam parvo poſſe labore premi,
Ne, Reges, ne tantæ animis diſcordibus iræ,
Ne gerite hoſtili bella petita prece,
Illius in vires, & pectora vertite ferrum,
Sternere qui telis audet utrumque ſuis.
Roma rogat, Pauluſque rogat, datque arma, dat aurum
Paulus, & ad tantæ præmia laudis opem,
Tu Deus, ex alto qui proſpicis omnia cœlo,
Quique vides maneat quanta ruina tuos.
Conſule militibus ſacris, & conſule templis:
His ducibus prohibe bella cruenta geri,
Hi pietate graves, duo ſunt lumina pacis,
Hi duo ſunt belli fulmina magne Pater,
Infer te medium, liquidis da nubibus Imbres,
Fac rapidum tumidis flumen inundet aquis:
E caſtris amboſque iube diſcedere ab armis,
Coge domum armipotens alter & alter eat:
Seque putet neuter victum, ſed iactet uterque
Victorem Populis ſe rediiſſe ſuis.

Orationes pro hoc à Turcis quotidie fieri refert Carolus Garſias in lib. de oppoſit. Gall. & Hiſp. in præfat. & vide alia de utilit. huius cõfederationis apud Honor. in Treat. Politic. 2. p. fol. 26. & 27. & Vvaremun. in tractat. de fœderibus pag. 55.

15 Quod ſi adhuc Gallia externis monitoribus non acquieſcit, audiat precor Gallum Petrum Coſtalium, qui in uno ex ſuis Pegmatis, ſub felici Noctuæ auſpicio, cum Turcis bellandum ab eiſdem Regibus, ita in carmine inquit.

Coſtal. in Pegmat. pag. 225.

Oppida collatis invadite Turcica ſignis
Reges: vos etenim ſumma trophæa manent:
Cernite ſperati præſagia certa triumphi.
Vobis à dextra Noctua venit avis,

16 Et poſteà in commentario ſubiungit. *Non eſſe ferendum vetus illud, & iuſtum Chriſtianæ Fidei patrimonium, nobiſque à Maioribus hæreditarium, hominum nefariorum audacia violari, & diripi, quibus non*

tantùm cum Religione noſtra (hanc enim, vel ipſa natura oderunt) ſed cum reliquis virtutibus perpetua ſemper aimicatio fuit: qui veterem illam Græciam, ſapientiæ, & humanitatis omnis theatrum, qui florentiſsimas Aſiæ civitates; in quibus primùm clara voce, & incredibili conſtantia de Religione Chriſti decreta præſcripta ſunt, tanto ſtudio, & admirabili conſenſione bonorum omnium, qui Chriſtianorum Conventus frequentes Oriente toto funditus deleverunt, hi tandiu noſtrorum hominum patientia abuti poſsint, horum ſcelus, & impietas in oculis, in auribus, in lateribus Regum, & Principum verſari permittatur.

Ac planè cum tam Hiſpaniæ, quàm Franciæ Reges ſe Hieroſolymitani Regni legitimos ſucceſſores, iam dudum eſſe contendant, ut ex traditis à Borrello, Caſſano, & alijs colligi poteſt, præclarè quoque monet Franciſcus Zipæus, longè melius futurum fore, de eo recuperando, & glorioſo Chriſti Domini Sepulchro nobis aſſerendo, quàm devacuo, & nudo nomine decertare. 17

Borrel. de præſtāt. Reg. Cathol. n. 46. ex n. 23. Caſſān. de iurib. Sall. lib. 2. c. 5.
Zip. contra Caſſan. pag. 360.
Caſſan. ſup. p. 263.
Bzovius ann. 1495

Quibus accedit, Chriſtianiſsimos etiam Galliæ Reges gloriari ſolere, ſe Imperij Conſtantinopolitani titulo ab Alexandro VI. Roman. Pontif. fuiſſe donatos, ut Caſſanus tradit, & Bzovius inſinuat, quod ſi verum eſt, longè etiam utilius, & glorioſius ipſis exiſteret, in eoſdem Turcas arma movere, ibique, invidente, impedienteve nemine, ſed potius plaudentibus omnibus, ampliſsimum illud imperium iniuſtè Chriſtianis ereptum, Chriſtianiſsimæ Coronæ ſuæ non ſolùm verbo, ſed reipſa, ingenitis ſibi bellicis ardoribus, aggregare. 18

Ioach. Abbas ſup. Iſai. c. 3.

Vias in Sylva ult. pag. 419 in gloſſā. & in carm. p 381.

Maximè cum ex traditione Ioachimi Abbatis, & aliorum, ſibi promiſſum ſupra Lunam Imperium Liliorumque ſuorum effloreſcentiam augurentur, indeque omen ſumere ſoleant, ſe Turcas, & Hottomanos ſubiugaturos, ut feriò Balthaſar de Vias ſcriptum reliquit, & in una ex ſuis Sylvis his carminibus innuit. 19

Ac niſi me fallant, quæ pendent omina fuſis,
Iam feſſa caſura manu, vix Thracia Phebæ,
Bis quater in Turcas oſtendet cornua luſtris,
Cum bellum furiæque truces, & triſtis Erynnis
Auferet Hottomanæ Byzantia nomina genti.

Sed vereor ne ſe hac, quàm iactant, divina promiſsione indignos reddiderint, eive obicem oppoſuerint, dum peſsimum Franciſci I. exemplum ſequuti, cum ipſis Turcis, quos delere debuerant, dexteras iungunt, execrandiſque fœderibus adverſus glorioſos Hiſpaniæ noſtræ Reges, & alios Chriſtianos Principes mutuam fidem, atque opem obſtringunt, ſub tremendo, & nefario illo iureiurando, cuius turpiſsimam formulam Buſquerius, Surius, Colluraffus, & alij ad litteram referunt, & Ego hic tranſcribere nolo, quia vel ad ſolam eius lectionem, vel auditionem cœli (ut ijdem Auctores piè referunt) obſtupeſcunt, ſubdentes, plures eiuſdem Franciſci ſubditos, eo intelle- 20

Philip. Buſquerius Franciſc. in orat. de terra Sancta, Surius an 544. Colluraffi in Dilagan nis politicis.

cto, exhorruiſſe, ac rebellaſſe, & Antonium Pratum, Magnum eius Cancellarium, illud ſigillare noluiſſe, apertè profeſſum, ſigillum in hanc uſum ſibi concreditum non eſſe, & ſe prius mortuum fuiſſe optare, quam infandam hanc actionem videre, & in tempora adeò infelicia, & deplorata vitam protrahere. Quod tandem idem ipſe Franciſcus ſerio, ſerò licèt, agnovit, dum in extremis agens, ut ipſius Galliæ Scriptores, & alij paſsim litteris produnt, ob impium hoc ſcelus altum ingemuit, & ferè divinæ miſerationis deſperatus, occubuit.

21 Eſt enim, & eſſe debet apud omnes Catholicos, & Orthodoxos Principes, hæc Regula cum primis ſervanda, Chriſtianiſque pectoribus inſculpenda, ne ſe ullo modo Turcarum, infidelium, hæreticorum, aliorumve Fidei hoſtium actionibus, vel communicationibus miſceant, aut eorum ope, & auxilio in ſuis bellis utantur, maximè ubi contra alios Chriſtianos præliandum eſt, niſi id iuſtitia belli, & præciſſæ defenſionis neceſsitas velut ab invitis extorqueat, ut poſt Oldradum, & Speculatorem, omnes utriuſque cenſuræ Auctores ſtatuunt, quos Ego alibi latè congeſsi; poſt Oſaſcum, qui de hoc articulo peculiarem diſputationem ſcripſit; quàm poſt ſuas decisſiones Pedemontanas attexuit, & idem, ex Politicis Cochierus; Brancalaſſus, Beſſoldus, Marquez, Armacanus, & alij ſentiunt, & pluribus rationibus, exemplis, & teſtimonijs Sacræ Scripturæ, & Piorum Auctorum comprobant.

Sleidan. lib. 15. Scomb.4. Polit.c. 36. Mager.de advocat.arm. c.7.n. 122. Vvumſc.exercit.8.c.6. pag.350 Saaved. Emp.93. pag.683.

Ego 1.tom. lib.3. c.4. n.20. & ſeqq.

Coch. in theſ.Polit.lib.2. Brãcalaſſus in arte regnam lib.3.pag.52. Beſſol.de fœder. c.4. Marq. in Gubern. Chriſt. lib.2. pag. 311. Armac.in Marte Gallico lib. 2. per tot. Mager & Vvumſer.ubi ſup.

22 Quicquid Hugo Grottius, Ioannes Vvurmſerus, & alij hæretici, aliquas in hoc extenſiones admittant, quos, ut deficerent alia, vel illud Anaxandridis apud Athenæum convincere poſſet, qui Ægyptiorum ſocietatem, & commilitium, ob hanc ſolam diverſæ Religionis, diverſorumque Deorum cauſam, cultumque, his carminibus detrectavit, ex traductione Caſauboni.

Grot. de iure belli lib.2. Vvumſ.ſup.

Athen. lib.7.c.17.

Vobis cum Ego militare nequeo:
Nec concordes mores noſtri ſunt,
Nec leges, ſed ab invicem diſsident plurimum,
Tu bovem adoras, illum Ego dijs ſacrifico:
Maximum eſſe numen anguillam putas,
Obſonium verò nos multò lautiſsimum:
A ſuilla tu abſtines, ego verò præcipuè
Illam appeto, Canem veneraris, ego verbero
Sicubi offendam vorantem obſonium,
Sacerdotes hìc omnibus eſſe partibus integros
Leges ſciverunt: apud vos, ut conſtat, omnes ſunt delibati,
Tu felem ſi malè habentem videris,
Ploras: Ego autem occiſum maxima cùm voluptate excorio,
Araneo, muri apud vos maxima dignitas eſt, apud me nulla.

Saaved. Emp.93. ex pag.681.

Machab.2.

His alia etiam adijci poterunt, quæ doctè in eandem rem noviſ- 23
ſimus Saavedra Noſter animadvertit, pluribus probans, irritos ſemper, & infauſtos exitus eos omnes habuiſſe, qui fœdera cum in fidelibus ineunt, illorumve ſuppetias ad bellandum expetunt, & aſciſcunt: & ſæpè contingere, ut vel à paucioribus ſuperentur, vel ab infidelibus ipſis, quos in auxilium vocarunt, miſerabiliter opprimantur, Vt in Conſtantinopolitanis Paleologis vidimus, & in Iuda Machabeo ſacra illius hiſtoria teſtatur.

Idem Emp.90.ex pag 665.

Tacit. in vita Agricol.

Idem, ipſe idem Auctor, integro alio Emblemate de illis oſten- 24
dit, qui cum iunctis viribus inexpugnabiles eſſent, invicem inter ſe debellantes, vel mutuum ſibi auxilium contra validiorem hoſtem non exhibentes, ei tandem in prædam cedunt, quod Tacitus optimo exemplo de Brittanis agens, demonſtrat, quibus rarum fuiſſe inquit, duabus tribusve civitatibus conventum, ad commune periculum propulſandum, *Atque ita, dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur*.

Idem Saav. Emp. 92.ex pag.676.

Lipſ.5. Polit.c.9. Mager. de advoc. armata, c.7.n.144 & ſeqq. Bernegar. ad Tacit.q.73. & 206.

Sigon. de Reg.it. lib.8.

Eandem etiam calamitatem eos experiri ſolere, qui ſe Potentio- 25
ribus, & præſertim infidelibus, protegendos committunt, ab eodem Auctore diſſertè tractatur, & pluribus illuſtratur, & plenius adhuc a Iuſto Lipſio, Martino Magero, & Nicolao Bernegero, qui omnia aliorum dicta, & exempla, circa hanc propoſitionem recolverunt, nihil antiquis, & recentioribus ſæculis frequentius fuiſſe concludentes, quàm clientes occaſione ſuſceptæ alienæ protectionis, libertatem amittere, ex liberis clientes, ex clientibus ſervos effectos fuiſſe, & in peiorem ſæpè, ac duriorem conditionem, & ſtatum deductos. Et ad hanc periculorum plenam Protectionis aleam reſpicere venuſtum illum Aeſopæum apologum, de quo pulchrè Sigonius, ſic inquiens.

Accipitrem milui pulſurum bella, columbæ
Accipiunt Regem, Rex magis hoſte nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia ſanius eſſet,
Milui bella pati, quàm ſine Marte mori.

Ariſtophanes in veſp.ad fin.

In idem quelendit proverbialis Ariſtophanis verſiculus, *Fefellit ridica vitem*, ſive, *Decepit ipſe vineã palus ſuam*, quem plenius intelliges, ſi quæ iam ſupra in alio Embl. diximus, conſulueris.

Mindan. de mandat. Cameral.lib. 2.c.20.

Et hæc etiam conſiderans Fridericus Mindanus, prudenter ſtatuit, 26
tutiſsimum cuiuſque Reipub. patrocinium eſſe, rectè agere, ius & iuſtitiam adminiſtrare, cum vicinis, cuiuſcunque illi conditionis ſint, pacem, & amicitiam colere, & ſi quæ contentiones moveantur, placidè eas citiſsimèque æquiſsimis medijs componere.

Quod ipſum eſt, quod & Ego ipſe, Catholicos, & Chriſtianiſsimos 27
Reges, qui pro tempore regnant, iterum atque iterum hortor (quando mihi nihil aliud præter vota nunc ſupereſt) ut maturis conſilijs ancipitem tot bellorum fortunam excuſent, & quos Deus in æquali potentia reliquorum in tota Europa Principum Arbitros fecit, omniumque debitores eſſe voluit, divulſos adhuc animos paulatim coaleſcere ſi-

nant,

nant, *Coeant in fœdera dextræ*, iunctiſque viribus, contra Turcas, alios ve infideles, aut hæreticos, arma convertant, & vel exemplo noſtri Emblematis moniti, eis in prædam cedere caveant; antiquiſque diſsidijs, ſimultatibus æmulationibusve depoſitis, aut compoſitis, ferocientes inter ſe ſe motus, atque ſpiritus comprimant, quos

Seu calidus ſanguis, ſeu rerum inſcitia vexat.

28 Quam etiam precationem, æquali pietate, ac verborum elegantia Mapheus Cardinalis Barbarinus, poſteà Vrbanus VIII. Pontif. Maxim. ad Divum Ludovicum Galliæ Regem emiſit, ſic inquiens; Maphæus Cardin. Od. in D. Ludov. pag. 86.

Nunc, o verticis incola
Cæleſtis, audi quas preces decorum
Pallida vultum
Relligio mærens lacrymis tibi fundit obortis.
Invicte Rex, en Gallia,
Iuncta eſt rurſus Iberiæ
Sanguinis vinclis: Animos & Arma
Fac iungant arctum fœdus. Heu. quot conficit
Europa ſe diſcors in oris?
Squalet Punica tellus:
Te devincta vocat Græcia compede,
Iordanes vocat, & ſacrum
Chriſti ſepulchrum vindicem moratur.

Neque quiſpiam miretur, quod toties hoc votum inculcem, cum eius, nec dum impleti damna ſentiamus, & ut Salvianus, inquit: *Melius ſit plus probare aliquid, quàm neceſſe eſt, quàm minus forſitan, quàm negotio debeatur.* Salvian. de Gub. Dei lib. 1. pag. 37.

Rex

Rex Bellis interſit.

EMBLEMA XCII.



Arma cient Regès debellatūra Tyrānnos,
Sed populus tectis, Rege manente, manet:
Vt longè à tectis Apis ingenioſa recedat,
Ipſe prior Princeps cerea caſtra movet.

Onoſand. in Strategi c.4. Ferret. de re mil. pag. 15. n.30. Canonh. in Tacit. lib.1. pag. 199. Caſtella. de ofic. Reg. lib.2. c.32. Iunius q.72. Pet. Greg. de Rep. lib.2. c.4. nu. 3. Ricth. axiom. Pol. 424. Stephan. Menoch. lib.3. c. 11. Boter. de rat. ſtat. lib.3. pag.57. Velazq. de optim. Princip. pag. 508. Contzen. lib. 10. c. 23. Vernul. differt. 4. Saaved. Emp. 86 ex pag. 644. Conning. in Theat. Polit. 3. p. c. 12. Bernegger. ad Tacit. q. 70.

COMMENTARIVS.

SAT Scio inter Politicos diſceptatum, an expediens convenìens veſit, Reges, & Principes penes quos rerum ſumma verſatur, bellis offenſivis, vel defenſivis, quæ extra, vel intra Regnum inferri, ſuſcipive contigerit, perſonaliter intereſſe? Et inutramque partem, tot rationibus, teſtimonijs, & exemplis certari, ut Theſis hæc poſsit inter problematicas recenſeri. 1

Cæterùm ſiquid in me eſt iudicij (quod exiguum eſſe cognoſco) ut nec ſemper, nec facilè, nec temerè ſe huic diſcrimini debere exponere cenſeo, præſertim hoc tempore, ubi tot ſulfureis ad prælìandum machinis, & tormẽtis excogitatis, vigor virtuſque militaris, etiam Heroicis pectoribus inſita, glandis ictu proſternitur, & Regius qui vis ardor à gregario quovis milite ſolet extingui, ut nuper in Adolpho Suecorum Principe vidimus, quem in orbis imperium, ſive flagellum, ut Alexander, & Attila, natum, plures augurabantur. Ita verecundandum, 2

atque erubeſcendum in Regibus ipſis exiſtimo, ſi hoc onus, & munus; quod eſt veluti Regali dignitati connatum, ſemper abſque gravi, & urgenti cauſa alienis humeris ſuperponant, & ingruentibus bellis; maximè ubi intra proprias proximaſve provincias geruntur, ſe acriter, & alacriter non accingant, Duceſque, & Imperatores ſuis ſe exercitibus præſtent, diademateque depoſito, galea ornati, qua manu ſceptrum domi, eadem gladium bello ſuſtineant.

3 Reges enim olim Duces in bellis fuiſſe, & ob hanc cauſam creari cœpiſſe, præclarè Ariſtoteles docet, & Regum Sacer liber nobis oſtendit, ubi cum Iſraeliticus Populus Regem, ſibi à Deo per Samuelem præfici poſtulavit, his verbis voti ſui rationem expoſuit. ***Rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque, ſicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noſter, & egredietur ante nos, & pugnabit bella noſtra pro nobis.*** Quorum deſiderio cum Deus annuiſſet, Samueli præcepit, ut Saulem in Regem eligeret, inquiens, *Unges eum Ducem ſuper Iſrael*, ſic indicans, hoc præcipuum eius officium, & exercitium eſſe debere, quo quidem cum utitur, & ut Divus Chryſoſtomus inquit, quando in campis iens, vultu & honore ultimus, periculis primus, onuſtus ferro, gravis armis, pro patria, pro civibus, pro libertate, pro vita omnium premit hoſtem, diſcrimina diſpicit, contemnit vulnera; Glorioſior eſt, quàm quando indutus purpura, diademate decoratus, aſperſus auro, in ſublime ſolium conſcendit, & togatæ pompæ deſervit.

Ariſt. 3. Politic. c. 11.
1. Reg. 8. 20.
1. Reg. 9. 16.
D. Chryſoſt. hom. 5. de feria 6. Paſsio. apud Velazq. ſup. pag. 510.

4 Et in hanc ſententiam, ſub prędictis cautionibus, & ea etiam, ut Rex pugnæ periculis ſe non exponat, ſed pugnantibus proximus, tutum ſeligat locum, ex quo eos ſua præſentia, & calore ad prælіandum accendere, & conſilio iuvare poſsit, omnes ferè Auctores conveniunt. Inter quos Dionyſius Carthuſianus, totum hoc prudentium conſiliariorum iudicio relinquendum concludit, & dato, quòd expedire reſolvant, oportere Principem bello perſonaliter intereſſe. *A Duce exercitus, & fortioribus, fidelioribus, ac peritioribus militibus, ac pugnatoribus tantò diligentius, ac robuſtius eſſe cuſtodiendum, ac protegendum, quantò eius ruina eſſet communitati nocentior. Ipſumque etiam Principem debere, ſui animi altitudinem temperare, atque ab immoderata ſe refrenare audacia, ne periculis ſe ingerat incautè, maximè propter bonum commune attendens, quòd pellis ſua non ſit durior aliorum, aut ſpiſsior, ſed frequenter tenerior.*

Dion. Carthuſ. de vita & regim. Princip. lib. 3. cap. 50. pag. 733.

5 Petrus autem Gregorius, poſt longam eiuſdem quæſtionis examinationem, ſic habet. *Arbitraret tamen conducere Reipublicæ in prælijs in quibus de univerſo Principatu contenditur, non longè ab exercitu Principes eſſe debere, ut omnia quæ ad bellum neceſſaria ſunt, & ad imperandum facilius exequi poſsint: & unde poſsint, ſi malè cum exercitu agatur, tuto in ſecuriora, iterum pugnaturi, ſe recipere.* Et noviſsimus Alexander Caſſaneus, poſtquàm pluribus docuit, multum honori, multum dignitati ſuæ detrahere Principem, qui omnia per alios agit, & abdicata cura rerum ſuarum, apud alios ius poteſtatis ſuæ ſequeſtrò ponit, inani tantùm nomine retento, ita de eiuſdem cura, & intereſſentia in rebus bellicis habet. *Ut non decet Principem inſtar gregarij mili*

Petr. Greg. de Repub. lib. 11. c. 15. nu. 5. Berneger. d. q. 193. quem vide.
Alexan. Caſſan. in axiom. Polit. cap. 10. pag. 71.

tis manu ſemper decertare cum hoſte, ſi bellum immineat: ita procul ab exercitu ſuo degere non expedit. Ne quantum ſecuritati ſuæ concedit, tantum famæ, & exiſtimationi ſuæ detrahat. Et ſtatim ſuum Regem Ludovicum XIII. valdè, etiam in tenera ætate, hoc documentum obſervantem, collaudans, addit ex Poeta.

---------- Sic cunctos vera iuvabit
Gloria, nec duri tanto ſub teſte labores.

Polid. Virgil. de invent. rer. lib. 2. c. 13. Proc. apud Souteriū de ludis lib. 1. c. 22. Covarr. in Theat. ling. Hiſpa. verb. *Axedrez.*

Eraſm. in hoc adagio pag. 383. Souter. d. c. 22.

6 Egoque dum cupio Emblemate aliquo hanc doctrinam adumbrare, mente, Scacorum ſive latrunculorum tabulam, Palamedæ amolim dictam, conceperam, in qua, ut Polidorus Virgilius, & alij conſiderant, tota militaris diſciplina deſcribitur, Regeſque ad pugnā, bene à ſuis munitos, & conſtipatos exire videmus, eumque Imperatoris nomine condonari, qui ſuperior evaſit, Regemque adverſæ partis omnibus ſuis militibus ſpoliavit, ipſumque ad incitas redegit, hoc eſt ad eum locum, ut amplius cieri, moverique nequeat, quem nos *Scaccum mattum* vocamus. Vnde & Proverbio locus, *Ad incitas*, vel *ad incita* redigere, pro ad extremas metas compellere, & aliquem in ſummam deſperationem adducere.

Plin. lib. capit. 17. Ælian. lib. 5. c. 11. Varr. lib. 3. Xenophon. in Cyr. pæd. lib. 5.

7 Sed poſteà magis placuit hoc, quod nunc figuratum exhibeo, ab Apibus ſumptum, quarum ea eſt natura, ut nunquam in bellum prodeant, niſi ſuo Rege præcedente, vt Plinius, Ælianus, M. Varro, Xenophon, & alij plures Auctores teſtantur, & pulchrè Virgilius, qui hunc morem, & amorem Apum in ſuo Rege ſequendo, & tutando, ſic celebrat.

Virg. 4. Georg.

Tum trepidæ, inter ſe coeunt, penniſque coruſcant,
Spiculaque exaccunt roſtris, aptantque lacertos,
Et circa Regem, atque ipſa prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem,
Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes,
Obſervant. Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo, rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum:
Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circunſtant fremitu denſæ, ſtipantque frequentes,
Et ſæpè attollunt humeris, & corpora bello
Obiectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

D. Baſil. in homil. de S. Gord. Martyre.

Pier. lib. 26. fol. mihi 185.

8 Divus quoque Baſilius, adhuc cæteris Clarius, ſic habet, *Naturæ lex eſt apibus innata, Fratres dilectiſsimi, ut niſi Rex prius agmen præcedat, ab alvearibus nuſquam diſcedant.* Et Pierius Valerianus inquit, eos, qui populos Regi ſuo obſequentes, illumve ſequentes, oſtendere volunt, examen apum proponere conſueviſſe, *Siquidem is foras non procedit, niſi migraturo examine, cumque procedit, totum examen*

circa

circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur reliquo tempore.

9 Et quidem, licèt Iſraelitæ periculo Davidis commoniti, ne Rex deinceps ad bellum exiret peculiari lege ſanciverint, ut in libro Regum habetur, & præter alios Sabellicus memorat. Idemque, ut Cedrenus narrat, Chaganus Perſarum Rex ſuis ſucceſſoribus ſtatuerit, dedecoris impatiens, dum ſe à Tiberio ſuperatum, & malè habitum vidit, quibus exemplis alia Beyerlinchius adiungit, negari tamen non poteſt, Regum præſentiam plurimum in bellis conducere, tum ad accendendum militum animos, tum ad alia multa, quæ eis præſentibus facilius conſuluntur, & reſolvuntur, & ad pudorem cæteris incutiendum, qui ipſos ſe eiuſmodi periculis offerentes, non comitantur. Reg 2.21.17. Sabell.lib 9.Enead.1 Theat.vit.human. lit.B.pag.77.

10 Vnde adeò frequens apud varios Auctores Alexandri, Cæſaris, Catonis, Trajani, Titi, Conſtantini, Theodoſij, & aliorum Imperatorum ob ſimilem ardorem bellicum commendatio, (ut noſtros Reges Ferdinandos, Alfonſos, Sanctios, Caroloſque prætersam) & ſuaſio Xenophontis in Hipparchico ad Reges, *Videant equitantem Principem, & foſſas tranſilientem.* Claudianus etiam Honorij Imperatoris patrem inducens, filio præcepta dantem, qualiter ſe ad bella parare deberet, poſt alia, hanc in illis præſentiam, cæteriſque militibus exemplarem virtutem, & tolerantiam, his carminibus perſuadet. Claud.in 4. Conſul.Hon.

Inventis utere cibis, ſolabere partes
Æquali ſudore tuas, ſi collis iniquus;
Primus ini, Sylvam ſi cedere provocat uſus,
Ne pudeat ſumpta quercum ſtraviſſe bipenni,
Calcatur ſi pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet ſonipes; fluvios tu protere curru,
Hærentes glacie, liquidos tu ſcinde natatu,
Nunc eques in medias equitum te conſere turmas,
Nunc pedes aſſiſtas pediti, tum protinus ibunt
Te ſocio: tum conſpicuus gratuſque geretur,
Sub te teſte labor.

11 Claudiano ſimilis Sidonius Apollinaris, idem in Maioriano Imperatore commendat, inquiens. Sidon.in Panegyr. Maioriani.

---------- *Sic agmina voce*
Erigis, exemploque levas, primuſque labores
Aggrederis quoſcunque iubes: Tum cætera paret
Turba libens, ſervit proprijs, cum legibus auctor.

12 Eſtque ita vera, ut communis, apud varios Auctores hæc ſententia, tam in militaribus, quàm in reliquis miniſterijs, officijs, & exercitijs, ſubditos ſui Regis præſentia, ac conſpectu mirum in modum excitari. Quintus enim Calaber ſic habet, *Longè melius viri in opus incum-* Q.Calab.lib.12.

bunt,

P.in.Iun.in Paneg. *bunt, cum Reges in conſpectu habent.* Et Plinius Iunior in ſubditis ſui Trajani hãc felicitatem commendat, his verbis. *Felices illos, quorum fides, & induſtria non per internuntios, & interpretes, ſed ab ipſo te, nec auribus tuis, ſed oculis probantur.*

Livius dec.2.lib. Annibal quoque apud Tit. Livium, hac conſideratione, ita ſuos milites adhortatur. *Nemo veſtrum eſt, cuius non idem Ego virtutis ſpectator, & teſtis, notata temporibus locisque referre poſsim decora.* Et apud 13
Ammian. lib.26. Ammianum Marcellinum ſignifer quidam Iulianum Imperatorem alloquens, idem oſtendit, dum dixit. *I prævius, ut fauſtus Anteſignanus, & fortis experieris, quid miles ſub conſpectu bellico ſuiductoris, teſtiſque individui gerendorum, modo adſit ſupremum Numen, his rebus efficiet excitatus*

Ioſeph. de Bell. Iud.lib.7.c.15. Flavius item Ioſephus, valdè in rem noſtram, Imperatórem etiam 14
Idem lib.6.c.8. non militantem, ſed solùm ſpectantem, ſuos milites animoſiores reddere, de Tito in obſidione Hieroſolymitana loquens, ſi docet. *Cum autem ipſe quoque in armis eſſet, unàque deſcendere ſtatuiſſet, amici eum propter periculi magnitudinem, ducumque dicta continuerunt: plus enim operis eum, in Antoniana præſidentem, militum certamini facturum eſſe dixerunt, quàm ſi periculum ſubijſſet: Omnes enim fore ſub oculis Imperatoris optimos bellatores,* & iterum melius. *Romanos hortabatur conſuetudo vincendi, & quia vinci non aſſueverant. Ante omnia verò Titus, ſemper, ubique præſens. Nam & inertia, ſpectante atque opitulante Cæſare, graviſsimum facinus videbatur, & ei qui benè decertaſſet, teſtis aderat, qui rependeret premium. Præterea fructus erat, vel cognoſci ſolùm Principi virum fortem: idcircò multorum maior viribus alacritas demonſtrata eſt.*

Caſsiod. lib.10. epiſt.31. Et Caſsiodorus, Vitigem Regem ſuos Gothos, hac conſideratione 15
hortantem, ſic inducit. *Amare novimus viros fortes, qui ſæpè bella peregimus. Additur, quòd unicuique virtutum veſtrarum teſtis aſsiſto. Ab alio enim mihi non eſt opus facta veſtra narrari, quia omnia vobiſcum laboribus ſociatus agnovi.*

Sineſ. in orat. de Regno pag.13. & 14. Meliuſque adhuc Syneſius Cyrenenſis Epiſcopus, Homerum allegat, qui quèndam ex dijs, Græcorum certamini præſentem inducens, 16
ſceptri percuſsione implebat militantes Iuvenes, eorùmque accendebat animos.

------------- *Robore forti*
Maiori pugnæ furerent, & Martis amore
Pes infra, ſupraque manus, iam ſponte cientur.

Et ſubdit, hoc planè facturum Imperatorem, ſi nominatim ſuos appellet, & vel eum qui claſsici clangore non movebitur, ad gloriæ ſtudium inflammaturum. *Nemo enim* (inquit) *eſt, qui non coram Rege ſtrenuè laborem velit ſuſcipere, & quis nam ſanguini pepercerit, qui ſe à Rege audierit commendatum?*

Quibus accedit, ex Regis in bellis præſentia, non ſolùm ſuorum mi- 17
litum animos inſtigari, verùm & hoſtium, ex adverſo, ita conſternari ſolere, ut ſolus hic nuntius ad eos debellandos ſufficiet, ita enim

apud

apud Arrianum, Memnon Rhodius monuit, *Non eſſe cum periculo confligendum cum Macedonibus, qui & peditatu ſuperiores eſſent, & præſentem haberent Alexandrum, ipſi verò Darium abſentem.* Et Conſtantini Panegyriſtes, *ad primum* (inquit) *aſpectum Maieſtatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus, hoſtes territi, fugatique.* Quem ſequutus Conſtantius apud Ammianum, in ſimili ait, *Ita pavore torpeſcent, ut nec oculorum veſtrorum vibratæ lucis ardorem, nec barricum ſonum perferant primum.*

Arrian.lib.1.
Nazar.in Panegir. conſt.
Ammia.lib.21.

18 Et Latinus Pacatus, de ſuo Theodoſio agens, adverſus Maximum Tyrannum ſibi rebellem caſtra mouente, ſic habet. *Et quidem Imperator Auguſte, ad aſſerendam Rempublicam, uſurpandamque victoriam ſuffeciſſet, in bella, vel ſolùm, venire. Nam ſi olim domini adverſus rebelles ſervos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conſcientiæ fuit, ut ab inermibus verterentur armati, & qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus: nonne tu quoque, legionibus ocioſis, rem totam viſus egiſſes? An ſuſtinere te coram, & ſolum oculorum tuorum ferre coniectum, ille quondam domus tuæ negligentiſſimus vernula, menſularumque ſervilium ſtatarius lixa potuiſſet? &c.*

Pacat.in Panegir. ad Theod.

19 Vnde, referente Plutarcho, Antigonus, hos, & alios effectus, quos præſentia Principum in bellis operatur, agnoſcens, cum Navale olim prælium contra Ptolemæi duces pararet, Gubernatori claſsis ſuæ trepidanti, & multitudinem hoſtilium nauium cauſanti, reſpondit, *Me verò ipſum præſentem, cum quot comparas?*

Plutarc in apoph. Antigon.

20 Et Petrus Andræas Canonherius rectiſsimè animadvertit, quòd quemadmodum medici ſuo aſpectu vires ægrotis adaugent, omnemque timorem, quem illi ex morbo conceperant, excutiunt: ſic Principum aſpectu, milites, & tribuni metum exuunt, vireſque hoſtium maximas contemnunt. Adducitque in huius Aphoriſmi comprobationem Natalis Comitis verba, qui referens hiſtoriam belli Germanici anno 1546. ab invictiſsimo Cæſare Noſtro Carolo V. Maxim. contra Saxoniæ Ducem, Lantgravium Aſsiæ, & alios Proteſtantes feliciter acti, ſic habet. *Cæſar intereà recognoſcit, ut Albanus copias inſtruxerat, ipſe armatus in equo, nunc ante ſuam turmã conſiſtit, nũc Germanos, nũc Italos, nunc Hiſpanos, ut ſint forti animo hortatur, qui mira virtute hoſtium conatus, cum viderent adeſſe Cæſarem contemnebant. Plurimi enim refert in difficultatibus ſummi Imperatoris præſentia, qui verè eſt Anima exercitus, & robur militum: neque aliud eſt, quod poſsit tantopere ad gloriam, & ad honoris deſiderium milites excitare, quàm ſi cognoverint, non in obſcuro loco rem agi, ſed in conſpectu ipſius Principis, & univerſi exercitus, inque multorum populorum præſentia.*

Canon. in aphor. Pol.1.tom.p.275.
Boecl. in tract. de auſp.Reg.

21 Et verè, cum Deus, quos ad Solij Maieſtatem evexit, peculiaribus auſpicijs, & auxilijs proſequi ſoleat, ut latè noviſsimus Ioannes Henricus Boeclerus integro de his auſpicijs edito tractatu demonſtrat, quò & reſpiciens Tacitus dixit, *Solere populos adverſum fortuita aſpectu Principum refoveri*, & Criſpinus apud Stobæum, *Regis vel ſolus ſæpè aſpectus ſufficit.* In auſpicata quodammodo ea prælia cenſeri poterunt, quæ ipſis abſentibus committuntur, ut idem Boeclerus ex Mace-

Tacit.15. ann quẽ illuſtrat latè [illegible]. Gruterus.
Stob.ſerm.146.
Boecl.ſup. pag.30 ex Iuſtin.lib.7.c.2

donum

donum exemplo, à Iuſtino relato, deducit, qui cum ab Illyrijs prælio pulſi fuiſſent, Rege ſuo in cunis prolato, & ponè aciem poſito, acrius certamen repetivere; tanquam ideò anteà victi fuiſſent, quòd bellantibus, ſibi Regis ſui auſpicia defuiſſent. *Conſerto itaque prælio* (dicam verbis Iuſtini) *magna cæde Illyrios fudere, oſtenderuntque hoſtibus ſuis, priore bello Regem Macedonibus, non virtutem defuiſſe.*

Plutarch. in Eumene.

Patric. de Rep. lib. 9. tit. 2. pag. 570. Aymon. de geſt. Franc. c. 82. Æmil. lib. 3.

Tripart. 3. p. lib. 5. c. 8. pag 672.

22 Cui exemplo, ſimile aliud de Eumene ægrotante, à ſuis lectica in prælium deducto, Plutarchus enarrat, & poſt Aymonium Franciſcus Patricius, Clotharium Francorum Regem recens natum, Fredegundis matris ubera ſugentem, ipſa hortante, in bello contra Childebertum in exercitus fronte delatum, & glorioſa obinde victoria potitum. Et in hiſtoria Tripartita, de quodam Rege Angliæ refertur, quòd cum anno 467. contra Saxones, ipſo graviter ægrotante, pugnandum eſſet, ſuoſque ob id valdè animo conſternatos audiret, ſemi mortuum ſe in prælium deferri iuſsit, inſignique victoria potitus, Regium honorem ſaluti poſtponi debere iactavit.

L. 6. tit. 19. part. 2.

Gregor. Lop. d. l. verb. *Non fueſſe.*

23 Quod peculiari animadverſione mihi dignum videtur, pro lege quadam Noſtri Regis Alfonſi X. quæ Reges bellis inter eſſe debere decidit, *Excepto ſi acaecieſſe, que el Rey non fueſſe en aquella batalla, por ſer niño, ò por enfermedad manifieſta que oviesse, ò porque ſus vaſſallos nō ſe lo conſintieſſen por ninguna guiſa, por guardarle de peligro.* Quo loci, eiuſdem legis Gloſſographus, poſt Egeſipum, cohærenter ijs, quæ iam diximus, adnotavit, *quòd licèt interſit Regem adeſſe bello, ut eo præſente pugnatorum audacia magis augeatur, non tamen certamini ſe faciliter ingerat, nam in milite unius ſors eſt, in Imperatore periculum univerſorum.*

Herod. lib. 6.

24 Quod & iterum Nos admonemus; nam licèt de Spartanis Herodotus ſcribat, Reges eorum primos in expeditionibus, & poſtremos in reditu fuiſſe, ſemper quidem rem magnam eſſe fatemur, & Reipub. periculoſam, caput obiectare periculis, quo ſalus omnium ſtat, aut cadit, temperamentumque fortitudinis in Principibus cupimus, & ut ita modum impetus teneant, ut nihil acrius, quàm conſideratius prætendent. Nam ſæpè honeſtæ rerum cauſæ temeritate nimia pernicioſos exitus conſequuntur. Vnde meritò Alexander Magnus à Curtio, & alijs notatur, dum ſe in Oxidracarum oppidum ſaltu coniecit, à quo multis vulneribus ſaucius, vix eripi potuit. Et Polienus narrat, Clearchum Cyro conſilium dediſſe, ne ipſe ſe in periculum offerret, ſed inſpectorem ſe pugnæ gereret. Pugnantem enim, manibus nihil magnum effecturum, ſi verò quid damni acciperet, omnia relicturum ijs, quos ſecum haberet.

Curt. lib. 9. c. 10. Arrian. lib. 12. Plutarc. in Alex. Diodor. pag 566. Galterus, qui hanc hiſtoria heroico Carmine proſequitur. apud Rader. pag. 592.

Poliæn. lib. 2.

Iovius lib. 34. hiſt.

25 Extatque, relictis alijs, nobilis Hiſtoria Maximi Noſtri Regis, & Imperatoris Caroli V. qui, ut Iovius refert, cum Tunetum obſidens, ſe primum ſcãſioni urbis offerre pararet, ab Alfonſo Vaſtio, penes quem eius factionis militare imperium eſſe voluerat, ad mediam aciem, ubi erant vexilla, retrocedere iuſſus fuit, ne fortuitò incidentis pilæ caſu, ipſius ſalus, ex qua omnium fortuna pendebat, inexpiabile diſcrimen ſubiret. Cui Cæſar paruit, confeſtim ſe ad ſigna recipiens, & ne id ti-

me-

merer, ſubdens, *Quando Auguſtorum Cæſarum nemo unquam tormenti violentia concidiſſet*, & adijcere potuit illud Salluſtij, *In bello, quantò ſibi quiſque minùs parcit: tantò magis tutus eſt*, & Q. Curtij, ſub perſona Alexandri dicentis, & docentis, plures Reges à ſuis domi, quàm in bello ab hoſtibus interemtos. Saluſt. in Iugurt. Curt. lib. 9. c. 12.

26 Pluraque alia, quæ in hanc rem congerere poteram, ſilentio prætereo, lectorem tamen admonens, ut ubi hæc quæſtio, occaſione oblata, rerumque & temporum ſerie exigente, agitanda fuerit, præclaras duas orationes præ oculis habeat, quæ de eadem, ad utramque partem, apud Noſtrum Ioannem Marianam habentur, dum memorat, qualiter de ea diſceptatum fuit, tempore D. Ferdinandi V. Regis Catholici, dum, an ipſum in Italiam traijcere oporteret, ad Neapolitanum bellum conficiendum, conſulebatur. Vbi, licèt negantem opinionem prævaluiſſe recenſeat, pleriſque tamen magis placuiſſe inquit, liberam cuiuſdam Epiſcopi conſultationem, qui vivis rationibus, *Regum præcipuum munus in bellis ducendis conſiſtere per oravit, difficultateſque & periculæ, quæ ex adverſo obijciebantur, ſperni debere, cum nihil pulchrum, vel arduum natura his care voluerit. Commodius bella à Regibus, quàm à Ducibus (ſint illi quicunque) geri. Regem ad bellum euntem, cives quoslibet, ſummos, medios, infimos comitari. Pecuniam in ſtipendium, bellicos commeatus, ac cætera neceſſaria, Rege præſente promtius expediri. Enatis difficultatibus facilius, ac prudentius occurri. Benevolentiam, & ardorem militum ſub Regis oculis potentius conciliari, & inflammari. Hac via Romanos, eadem egregios alios Reges, & Imperatores ſibi gloriam paraſſe, orbique Imperij iugum impoſuiſſe, quod haud quaquam conſequerentur, ſi domi, delicijs indulgentes, res bellicas per vicarios adminiſtraſſent. Quòd ſi durum tamen videretur, Regem intereſſe bello, incertæ præliorum ſorti caput, & ſalutem obijcere, proximum ſaltem bello locum incubare debere, ex quo, Regio aſpectu, gentem recreare, & belli apparatum diligentius diſponere poſſet.* Mariana de rebus Hiſpan. lib. 27. c. 15.

27 Quæ ſanè rationes eædem propè ſunt, ac illæ, quas in hac commentatione retulimus, & ſimilem conſultationem, & reſolutionem ſub Prudentiſsimo Noſtro Rege Philippi II. ubi ſe ad Luſitani Regni expugnationem accinxit, Conneſtagius, & Cabrera latè commemorant, eandemque modo gloriofiſsimum Regem Noſtrum Philippum IV. quem Deus perennet, ſequutum vidimus, dum ad Cataloniæ expeditiones, & debellationes nunc Cæſarauguſtæ, nunc apud Fragam, vel Leriadam, ut occaſio poſtulat, commoratur, & caloris ſui effectus præſtantiſsimos experitur. Conneſt. de obt. Portug. lib. 5. Cabrera in hiſtor. Philip. II. lib. 12. p. 1098.

Parcere ſubiectis.

EMBLEMA XCIII.



Cernis,ut Hellei rutilet nitor aureus agni,
Vt comes horriſono fulguret ore leo?
Sic eſt. Audaces contundere, parcere victis,
Hæc ſunt quæ Regum pectora ſigna decent.

COMMENTARIVS.

Thucid.lib.1. PRÆCLARE Mihi dixiſſe videtur Thucydides, dum 1
modeſtiam conſtituit,in bellis non inferendis,ubi nul
la iniuria afficimur,iuſtitiam,in eis paci anteferendis,
cum iniuria afficimur:hac autem repreſſa,poſt bellum
pacem faciendam eſſe,nec aut ſucceſſu in bellis elatos
plures appetere , nec pati iniurias mollitie, & amore
Sup.Emb. ocij. Nam cum bella, ut diximus, eò dirigi debeant, ut in Pace eſſe
poſsimus,qui hanc,ſuperato iam adverſario,cōſequi poteſt, quidquid
ulterius in eum ſævierit,à iuſto,licito,& neceſſario,in iniuſtum,crudele,voluntariumque deflectet.

Quod in cuiuslibet, etiam hoſtis, cæde, vitari debere,ſatis indica- 2
vit Cyrus,Chryſantam collaudans,quòd hoſtem interfecturus,iā elatum in cædem gladium revocaſſet. Eo quòd receptui canere audiſſet. Et Romani, caventes, ne vel ipſum hoſtem alij laceſſerent,quàm qui

Sacramento tenerentur, ſic, ut Rhodiginus tradit, præmonſtrare volentes, ne hoſtem, quidem interfici oportere, ni ſumma, & ea legitima, neceſsitas adigat.

Rhodig. lib 11.c. 18. Ego de Parric. lib.2.c.2.p.110.

3 Idemque ipſum ſentiens Ageſilaus, hoc potiſsimum Principibus ediſcendum docebat, *Imperatoris officium eſſe, erga rebellantes, audacia, erga ſubiectos, benevolentia uti*, quod referens Plutarchus, addit, *Neque enim verè victor eſt, qui iracundiæ, vindictam flagitanti, frenum neſcit imponere*, & egregiè Timoleon, apud Æmilium Probum, eam ducendam eſſe præclaram victoriam prædicabat, ex qua plus ſit clementiæ, quàm crudelitatis, ſic indicans, clementiam propriam victoris virtutem eſſe debere, fallique, & errare graviter eos, qui, ut cum Seneca loquar, *Potentiam putant, in exilia gentium ſerpere, & inijcere tectis ignem, aratrum vetuſtis urbibus inducere. Felicitas illa, multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipſa morte revocare, & mereri clementia civicam. Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſque eſt, quàm illa Corona ob cives ſervatos. Non hoſtilia arma detracta victis, nō currus Barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc divina potentia eſt, gregatim ac publicè ſervare: multos autem occidere, & indiſcretos, incendij, ac ruinæ potentia eſt.*

Plut. in apoph. Arceſil.

Æmil. Prob. in Timol.

Senec. lib. 1. de clement. c. vlt.

4 Hocque adeò verum eſt, ut ipſi etiam Romani, alioqui bellicoſiſſimi, & quorum aviditati totus orbis ſufficiens non videbatur, hanc ſibi artem, hocve Encomium, *Parcendi ſubiectis*, præ alijs omnibus uſurpaverint, & in maximam ſuam laudem cedere duxerint, ut de eis prædicat Poëta dum dixit. Virg. 6. Æneid.

Excudent alij ſpirantia mollius æra,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt cauſas melius: cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia Sydera dicent:
Tu Regere Imperio populos Romane memento;
Hæ tibi erunt artes, Pacique imponere nomen,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

5 Quo & alludens Sulpicia illa, quæ Domitiani temporibus floruit, in ſuo Satyrico dixit.

--------- *Duo ſunt, quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus Belli, & ſapientia Pacis.

Et apud Livium, legati Carthaginenſes, de eodem populo Romano loquentes, *Plus penè parcendo victis, quàm vincendo, imperium auxiſſe.* Livius lib.30.

Propertius quoque, eandem in eiſdem Romanis virtutem commendans, ſic canit. Prop. lib. 3. eleg. 21.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat illa manus,

Sic enim legendum eſt, non *Ira*, ut in vulgatis codicibus, ſicuti docti eiuſdem Propertij Commentatores advertunt.

Plin.lib.15.c.29. Et teſtante Plinio,hæc eadem virtus effecit,ut Poſthumius Tuber- 6
tus,qui de Sabinis triumphans,primus omnium ovans urbem ingreſſus eſt,quoniã rem leniter,ſine cruore geſſerat,myrto victricis Veneris coronatus incederet. Caius quoque Cęſar apud Senecam commẽdatur,quòd bellum,aliorũ pace mollius, geſiſſet,& à Cicerone,quòd in eius victorijs,nemo niſi armatus occiderit: illaſque præliorum exitu terminaverit,& quos cives necavit,eos vis Martis perculit,non ira victoris. Et de eius ſucceſſore Auguſto, idem prædicat Horatius, ſic inquiens.

Senec.lib.de Clement.
Cicer. pro ſig. & pro Marcello.
Horat.in Carn.ſecul.

Imperat,bellans prior, iacentem
Lenis in hoſtem.

Quo ſignificare voluit,illum ſuperiorem pugnaciſsimis fuiſſe,&lenem in humiles,& iacentes. Trajanus quoque de ſe ipſo,in ſermone Cæſarum,ita dixit, *Subiectis manſuetus,hoſtibus formidoloſus præ cæteris extiti.*

Quod altiores, etiam radices habere videtur: nam Romani, origi- 7
nis,& imperij ſui primordia ad Venerem referebant. Vnde, & hanc præcipuis honoribus proſequebantur,& Victricis nomine colere gaudebant;peculiaribuſque numiſmatibus ſub hoc titulo ornabant, quoties ita bellum contigerat,ut inſani Martis furores, eius interventione lenirentur,quod ſe maximè ſemper optare ſignificabant. Eaque propter Rutilius Numatianus vir Conſularis,in ſuo Itinerario,ſic Romam affatur.

Numatian.in Itinerario.

Auctores generis Venerem Martemque fatemur,
Æneadum Matrem,Romulidumque Patrem.
Mitigat armatas victrix clementia vires:
Convenit n mores nomen utrumque tuos.
Hinc tibi certandi bona,parcendique voluptas,
Quos timuit,ſuperat,quos ſuperavit,amat.

Tacit.4.an. Curt. lib.4.c.15. Et à Tacito,& Curtio *Romana clementia*,Romana *Manſuetudo*,qua- 8
ſi propria,& peculiaris virtus,ipſorum Romanorum indigetatur, eandemque eximium Deorum munus eſſe Seneca inquit,& valdè ad rem de qua agimus ſubijcit,ea animosè uti debere, qui dandi auferendique vitam potens eſt,in his præſertim,quos ſcit ſuo faſtigio aliquando obſtitiſſe, & vel ſolo hoc arbitrio ultionem impleſſe, perfeciſſeque quantum veræ pœnæ ſatis erat. *Perdidit enim vitam, qui dedit:& quiſquis ex alto ad inimici pedes abiectus, alienam de capite ſuo Regiamque ſententiam expectavit,in ſervatoris ſui gloriam vivet, pluſque eius nomini conferet incolumis,quàm ſi ex oculis ablatus eſſet. Aſſiduum enim ſpectaculum alienæ virtutis eſt, in triumpho citò tranſiſſet. Si verò Regnum quoque ſuum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo,unde deciderat,ingenti incremento ſurgit laus eius, qui contentus fuit ex Rege victo,nihil præter gloriam quærere.* Quod etiam in cauſa fuiſſe,cur Ro-

Sen.de clem. lib. 1.c.21.

ma-

mani ſpolia hoſtium,templis dicata,non renovarent, Plutarchus ſcribit, hanc rationem inter alias adducens, *Quòd licitum illis viſum non fuiſſet, memoriam contentionum cum hoſtibus iam victis renovare.* Plutarc.in quæſt. Rom.q.36.

9 Hanc porrò virtutem, quam in omnibus Regibus eminere cupimus,eiſdem inſinuare,præſentis Emblematis inſpectione conamur, ex ipſis noſtrorum Hiſpano Auſtriacorum Regum inſignibus,ſtemmatibuſque deprompti.Qui,& ſi vetus aliorum mos fuerit, ſuis in clypeis, ad ſuam potentiam, vel ferociam denotandam,dracones, leones, tygres,urſos,aquilas,& quæ vis alia terrifica animalia depingere, ut de ſcuto Agamenonis poſt Homerum tradit Alciatus, & vel de illo Palladis,Ægida vocato,magnus vates,his verbis. Alcia. Emb.57.

Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma, Virg.8.Æneid.
Certatim ſerpentum ſquamis auroque polibant,
Connexoſque angues,ipſamque in pectore Divæ
Gorgonam,deſecto vertentem lumina collo.

Ipſi tamen, Torque,ut vides,aureo,ſcintillantibus ſilicibus compacto, ex quo Aureus Agnus dependet,ſuum leonem circundant.

10 Hac coniunctione (ut credibile eſt,& iam alij ſub olfecerunt) veluti deſignantes, ſuis ſe hoſtibus duris, & rebellibus, bella, ungues, flammaſque comminari,ſimul autem in Agno,manſuetudinem,& placabilitatem,quam præ ſe ferre in eoſdem,etiam iuſto bello ſubactos, ſi reſipuerint,in votis,& animis habent. Et,ut omnes ſciant deſiderantes,ſibi,non minùs,quàm Romanis,illud elogium convenire. Caramuel de inſign. Hiſpan.p.85. & 233.

Parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos.

11 Veroſque,& legitimos hæredes ſucceſſoreſque eſſe,non ſolùm ſtatuum,& ditionum, ſed & manſuetudinis, & benignitatis Magni, illius quondam Herois Philippi, cognomento, Boni, Ducis Burgundiæ, & imperij Belgici Códitoris,qui ut Cominæus,Hervetus Miræus,& alij plures ſcribunt,equeſtrem militarem Ordinem,ſub nomine, & inſigni huius Aurei Velleris inſtituit anno 1439.ad vellus illud aliud Gedeonis reſpiciens, de quo Sacra Pagina meminit,ut piè Saavedra Noſter contendit,vel,ut cæteri Auctores communius exiſtimãt,ad fabuloſum Colchide abſconditum, circa Pontum Helleum, quod Iaſon, & ſocij eius,Argonautæ dicti, poſt varios labores, navigationeſque repererunt,de quibus eleganti carmine Valerius Flaccus ſcripſit, & veluti in vaticinium,quod glorioſiſsimi Reges Noſtri, tanti Ducis progenies, & poſthuma proles,velut novi Iaſones, ſuperato invictis claſsibus Oceano,ditiſsimas Novi Orbis Regiones detecturi, & ſubacturi eſſent, unde non unicum,& tantoperè à Priſcis expetitũ,deauratum vellus reportaretur;ſed quot annis in exhauſtæ opulentiæ theſauri in Iberiam adveherentur,iuxta illud Virgilij. Comin.lib.7.Hervet.lib.4. rer.Burgund. Minæus de ord. equeſt. pag. 134. Iud.6. 37. Saav.Emp.35.p. 259. Virg.Eclog.4.

Alter erit tunc Typhis,& altera quæ vehat Argos
Delectos Heroas.

Senec. in Medæa act.2.verſ.374.

Et Senecæ Tragici.

---------- Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus. Typhiſque novos
Detegat orbeis, nec ſit terris
Vltima Thule.

Oven.lib.2.Epig. 64.pag.39.

Quod vaticinium Ioannes Ovenus Anglus hoc elegantiſsimo Epi- 12
grammate clauſit, valdè ad rem noſtram accommodato.

Dux Burgundorum, vetus ut fert fama, Philippus,
Ordinis Aurati velleris Autor erat,
Auriferos cuius nunc hæres poſsidet Indos:
Non igitur fuit hic Ordo, ſed Augurium.

Et non minùs diſertè Ioannes Iacobus Chiffletius Eques, Regis 13
Noſtri, ac Sereniſsimi Principis Ferdinandi Archiatrus, qui connumeratis ducibus, qui in detectione, & ſubiectione Orbis Novi emicuerunt, ſic dixit.

Ecce alios Proceres: en altera quæ vehit Argo
Heroas, gentis ſydera clara ſuæ,
Queis ducibus ſubnixa domus Burgunda ſuperbas
Orbe novo domito, retulit exuvias.

Quibus addere licèt, nō ſolùm in Agno, verùm & in Leone, candem 14
lenitudinem, & clementiam in humiles, & proſtratos ſignificari: nam ut de eo Plinius, & alij paſsim ſcribunt. *Illi tantùm ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit, & ubi ſævit, in viros prius, quàm in fœminas fremit: in infantes non niſi magna fame.* Vnde Lucanus nobilem leonis iram appellat, & elegantiſsimè, & prudentiſsimè Seneca, ad leniendos Regum animos in iam victos, & debellatos (circa quod noſter etiam ſermo verſatur) eadem leonis ſimilitudine utitur, inquiens. *Ferarum nec generoſarum quidem præmordere, & urgere proiectos. Elephantes leonéſque tranſeunt quem impulerunt; ignobilis beſtiæ pertinacia eſt: non decet Regem ſæva, nec inexorabilis ira,* & Heliodorus ſupplices hoſtes, hanc clementiā, vel abinvitis extorquere, ſic ait. *Indicit enim quodammodò, & imperat præſtantibus viris clementiam ſubiectus hoſtis.*

Plin.lib.8.c.16.

Senec.lib.1.de clement.

Heliodor. lib.9. Ætiop.hiſt.Æth.

Et pariter Ovidius, dum intendit probare, quò quis nobilior eſt, eo 15
clemētiorem, manſuetiorem, & placabiliorem in victos, imbelles, proſtratoſque, aut profligatos inimicos eſſe debere; ita ut ſecundùm Tiraquellum, non aliunde magis, quàm ex hac virtute nobilitas hominum cognoſcatur, aut ex contraria natura ignobilitas. Ovidij carmina hæc ſunt.

Ovid.lib.3.de triſtib.eleg.5.

Tiraq. de nobil.c. 37.n.127.

Quò quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.

Cor-

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm cadit hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcumque minor nobilitate fera eſt.

16 Ovidio ſimilis Claudianus, eodem leonis exemplo utens, poſtquàm clementiæ laudem, & præſtantiam expoſuit, hanc in Stiliconis pectore ſedem poſuiſſe, hoſque qui ſequũtur effectus producere, ei lenocinans, dixit. Claud. lib. 2. de laud. Stilicon.

Hæc docet ut pœnis hominum, vel ſanguine paſci
Turpe ferumque putes: ut ferrum Marte cruentum,
Sic cum pace premas, ut non infenſus alendis
Materiam præſtes odijs: ut ſontibus ultrò
Ignoviſſe velis: deponas ocius iram,
Quàm moveas; precibus nunquam implacabilis obſtes,
Obvia proſternas, proſtrataque more leonum
Deſpicias; alacres ardent qui frangere tauros,
Tranſiliunt prædas humiles. Hac ipſe magiſtra,
Das veniam victis: hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus ſolo terrore, coerces.

Ex quibus noſter Don Sebaſtianus Covarruvias hoc Emblema deduxit, cum lemmate, *ſatis eſt proſtraſſe.* D lib. Covar. cent. 1. Emb. 99.

El Leon generoſo nunca daña
Al hombre, que en el ſuelo ſe ha tendido,
I anſi uſa con el de aqueſta maña
Quien por pies eſcaparſe no ha podido.
El fuerte vencedor pierde ſu ſaña,
Si ſe dà ſu enemigo por vencido,
I el perdonar aumenta fama, i gloria;
I haze iluſtre, i clara la vitoria.

17 Quæ quidem omnia ſatis noſtri Emblematis proprietatem, & moniti, quò dirigitur, veritatem oſtendunt. Quam ipſe idem Claudianus non minori elegantia proſequitur, Honorij Imperatoris Patrem, ob hanc parcendi hoſtibus virtutem, ita collaudans. Idem Claud. in 4. conſ. Honorij.

----------- *Non inſultare iacenti*
Malebat, mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat: Paci non intulit iram
Poſt acies, odijs idem qui terminus armis,
Profuit hoc vincente capi, multoſque ſubactos
Aſpera laturæ commendavere catenæ.

Proper.lib.2.eleg. 16.

Et Propertius de Auguſto Cæſare,qui debellato Antonio,& Cleo 18
patra,bello finem impoſuit,& arma recondidit,& Iani templũ clauſit, pace terra,marique parta,ſic inquiens.

Cæſaris hæc virtus,& gloria Cæſaris hæc eſt,
Illa,qua vicit,condidit arma manu.

Stat. lib.8.Theb.

Et Statius generaliter monens.

------------ Si decidit hoſtis,
Ire ſuper ſatis eſt,vitamque relinquere victo.

Tacit.12.an. relatus à Saav. Emp. 96.pag.708.

Caſsiodor.lib.1.2. ep.41. quem etiã vide lib.3. ep.43. in fine.

Cui illud Taciti adſtipulatur, *Quanta per vicacia in hoſtem,tanta beneficentia adverſus ſupplices utendum.* Et Caſsiodori,qui poſtquàm Theodoricum Regem induxit, Francorum Regi de victoria gratulantem, eundem eidem ſic,ut ea moderatè utatur ſuadentem proponit. *In talibus cauſis accipe frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella proveniunt,quæ moderato fine peracta ſunt. Is enim vincit aſsiduè, qui novit omnia temperare:dum iucunda proſperitas illis potius blanditur,qui auſteritate nimia,non rigeſcunt,&c.*

Eſt enim ſæpè victoria Fortunæ potius munus, quàm virtutis, aut 19
ſapientiæ,ea verò moderatè temperanterque uti, non niſi ex propria virtute,ac ſapientia procedit.Ideòque Seneca Tragicus dixit:

Senec.in Troad.

Noſcere hoc primum decet,
Quid facere victor debeat,victus pati.

D.Valer.hom.13. de bono pace.

Ælian. de var.hiſt. lib.8. c. 15. Iuſtin. lib.7.

Et Divus Valerianus, *Vera felicitatem eſſe victoriæ, inimicum ſalvum feciſſe,& iniuriam vindicaſſe,neſcireque ſine dubio iraſci,qui dubitat miſereri.* Meritòque Ælianus Philippum Macedonem laudat,quòd cum in Chæronea fudiſſet Athenienſes,licèt fortuna evectus,tamen appetitũ rationi ſubdidit,neq;cõtumelioſè,aut intẽperanter aliquid fecit

Bayerlinc. eos refert in Theat.verb. Crudelitas,p.122 Schoonhorn.lib.6 Pol.c.35. latè Camerarius tom.3.c. 26.

Vopiſc.in Aurelia.

Et pari commendatione à varijs Auctoribus donatur Alexander, 20
eiuſdem Philippi filius,quòd ſe,cum devictis Dario,& Poro,humaniter habuit,Cyrus quòd ſuperatum Craſſum clementer tractavit,Paulus Æmilius,quòd Perſem benignè ſuſcepit, & Aurelianus, qui, narrante Vopiſco,cum urbem Tyrum obſideret,iuravit,nec canem quidem militares gladios evaſurum,ſi urbem expugnaret:illa autem capta,cũ ad crudelitatem improbi exacuerent,canes ad unum mactari iuſsit,& ita iusiurandum exſolvit.

Nazar.in Panegir. Conſt.

Sigon.lib.5.Imp. Occid.

D.Amb.in orat.fu neb. de Theod.D. Aug. lib.5.de civ. Dei, c.26. Baron. an.388.n.65.& 66 & an.394.n.18.& 19.

Nazarius etiam Conſtantini Magni manſuetudinem prędicat,quòd 21
Victoriæ licentiam fine prælij terminavit. Gladios,ne in eorum quidem ſanguine diſtringi paſſus eſt,quos ad ſupplicia poſcebat. Et de Conſtantio tradit Sigonius,quod magna ſtrage victo ad Merſam Pannoniæ Magnentio tyranno,& xxxm.cæſis,cum prima luce,tumulo conſcenſo,ſubiectam planitiem,& præter fluẽtem amnem refertũ cadaveribus conſpexiſſet, illacrymavit, non tam victoriæ lætitia, quàm cæſorum dolore permotus:atque univerſos ſine diſcrimine ſepeliri, qui verò ſpirabãt, curari præcepit. Et Magnus Theodoſius eximiè à Divo Ambroſio, Auguſtino,& Baronio ob eandem virtutem extollitur, qua ita eminuit,ut in neminem poſt victorias,privatas inimicitias valere permiſ-

ſerit,

ſerit, & Pacatus de eo hæc verba proferre potuerit. *Victoriæ victor, omnem cum armis iram depoſuiſti, ut ceciderit nemo poſt bellum. Vide Imperator, quid hac clementia conſequutus ſis: feciſti, ut nemo ſibi victus, te victore videatur.* Quibus verbis ſimilia ſunt alia Caſsiodori, qui ſub Theodorici Regis perſona ſic habet. *Aliorum fortè Regũ prælia, captarũ civitatum, aut prædas appetunt, aut ruinas: Nobis propoſitum eſt, Deo iuvante, ſic vincere, ut ſubiecti ſe doleant, noſtrum dominium tardius acquiſiſſe.* Et Claudiani ab eadem virtute ſic Honorij Patrem laudantis, — Pacat in Panegir. Theo. — Caſsiod. lib. 3. cp. 43.

---------- *Paci non intulit iram*
Poſt aciem, odijs idem qui terminus armis.

22 Alia quoque in eandem rem exempla copiosè Iuſtus Lipſius adducit, & præſertim illa Alfonſi Regis Aragonum I. cuius & facta, & dicta, ſecundùm Bartholomæum Facium, & Antonium Panormitanum, eò præcipuè tendebant, ut doceret, *Victoriam fortunæ munus eſſe, clementiam ſuum ipſius, qui clemens eſſe deberet. Itaque unumquemque malle ex clementia, quàm ex victoria laudem adipiſci. Nec ſe aliud datæ pacis pretium exiſtimaſſe, quàm hoſtes genibus advolutos, à ſe pacem petiiſſe, & ſe pacem dediſſe. Præſtantis Regis eſſe victis ignoſcere, & ſapientis, integræ, quàm everſæ civitati dominari velle, pluresque ſe huius benignitatis opinione, potius quàm armis in ſuam poteſtatem adduxiſſe, ut in Caietæ obſidione monſtravit.* — Lipſ. in mon. & exem. lib. 2. c. 12. — Facius lib. 4. & 7. hiſt. Panormit. de dict. & fact. Alf. lib. 1. c. 28 lib. 3. c. 29. lib. 2. c. 57.

23 Quæ præclara axiomata ſuis notis illuſtrans Æneas Sylvius, addit, Federicum Imperatorem, victis in Hungaria Guncienſibus dixiſſe. *Magnum actum eſt opus, nunc autem maius reſtat, ut ſcilicèt vincamus nos metipſos, atque avaritiæ, & ulciſcendi cupiditati frænos imponamus.* Et de Segiſmundo, quòd obiurgatus, cur fugatos hoſtes non inſequeretur, & comprehenſos occideret? *Satis* (inquit) *vicit, qui hoſtes fugavit, Tibi utile videtur inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: at ego, & inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.* — Æne. Sylv. in notis ad Panorm. lib. 3. c. 36.

24 Sed quoniam omnia exempla, quæ ſe ſe ad huius virtutis commendationem Nobis offerunt, recenſere, nec licet, nec vacat, ſufficiat pro multis inclitum Noſtrum Cæſarem Carolum V. Principibus cæteris ſpectandum, & imitandum proponere, qui cùm à nullo ferè, bello provocatus fuerit, quem non modò victum, ſed, quod raro legitur, etiam vinctum, captivumque non viderit, eadem tamen felicitate, qua hoſtes ſuos in poteſtatem redegerat, ea clementia ijs ignovit: ut in venia conceſſa Ioanni Friderico Saxoniæ Duci à ſe debellato, & ad mortem damnato, ad ſuaſionem Ducis Brandemburgici, Camerarius, poſt alios Auctores, recoluit, & potentius patentiuſque, in dimittendo Franciſco I. Chriſtianiſsimo Galliarum Rege, poſtquàm illum Madridij captivum deduxerat, licèt non defuiſſent multi, qui contrarium ſuaderent, & in gloriam Hiſpaniæ cedere dicerent, ipſiuſque Imperatoris æviternam memoriam, tanti Regis cineres intra ipſam manere, & honorificentiſsimo ſepulchro reconditos poſteris conſpiciendos proponere. Quibus ipſe conſtanter reſpondit, tanti facti memoriam, nullo tem- — Camer. 3. ſub c. 20 ad finem Theran. lib. 3. par. 3 Strada lib. 1 belli Belg. — Sandov. in hiſt. Carol. V. Ant. de Guevara in epiſtol vbi Carol Imper. hortat, ut ſecum Franciſco benigniter habeat.

poris

poris curſu poſſe deleri, ſicut nec ſuæ, in eo laxando, clementiæ, & liberalitatis commendationem.

Thuan.lib.21.hiſt. Quam agnoſcens Iacobus Thuanus, Gallus licèt Scriptor, huic pietati, & manſuetudini, quæ in hoc Principe ſemper enituit, omnia fermè, quæ bello, vel pace fecit, referri debere fatetur. Et in eandem hoc nobile Epigramma Iuliani in Flandria in adventum D. Philippi, eius Filij, poſitum fuiſſe, ex Ioanne Calvero Stella Camerarius tranſcribit. 25

Camera.1. ſucceſ. c.79.pag.364.

Quis te victorem dicat, qui vinceris ipſe,
Invictus victo Cæſar ab hoſte tuo?
Si veniam victus petit hoſtis, protinus illi
Parcis, & errati te meminiſſe piget.
Non te hoſtis Cæſar, ſed te clementia vincit,
Et ratio, cum ſis victor, & ipſe tui.
Vincere laus ingens hoſtes, & parcere victis,
Gloria ſed ſe ſe vincere maior erit.

Iud.7. Quod ſi ijs exẽplis illa ſacræ Paginæ obiecerit quiſpiã, quibus Gedeon, ſuperatos Madianitas perſequitur, & quinque Regũ capita, non trũcata ſolùm, verum & pedibus populi calcari, legũtur, ſciat id ſpeciali Dei præcepto fuiſſe peractum, propter rationes quas huius hiſtoriæ Expoſitores advertunt. Vel fortè tales hos fuiſſe hoſtes, de quibus nihil melius in poſterum, eis parcẽdo, cõſequi poſſet. Quo caſu licitũ, & decens eſſe in illos ſævire, Politici docẽt, quia ſecundum eorũ Principem Tacitum. *Is fovere bellum meritò creditur, qui hoſtẽ, quem ſemel delere potuit, ſæpius velut è manibus dimiſsit.* Quod etiam Livius his elegantiſsimis verbis edocuit, *Sunt quippe belli, ſicut pacis iura, & iuſtum eſt bellũ, & in bello vindicta, quibus neceſſaria: & pia arma, quibus nulla, niſi in armis relinquitur ſpes, qui enim cum poteſt belli ſemina non extinguit, rurſus ſe in anceps ipſorum periculum revocat.* 26

Tacit.4.an.

Livius lib.5.

Gunth. lib.2. ver. 476.& ſeqq. Idemque licere Guntherus oſtendit, quoties oblata ſępius hoſtibus venia, vel illam admittere nolunt, vel admiſſa abutuntur, & peiores evadunt, ſic enim de Federico I. Imperatore adverſus Ligures ob hanc cauſam ſæviente, ſcriptum reliquit. 27

Tum verò, ut iuſtam ſe ſe collegit in iram,
Regia Nobilitas, & tandem ſæva coactus
Venit in arma furor: non iam ſervare laborat
Ingratos, veniamve ultra ſpernentibus offert:
Iam toties revocaſſe pudet, monituque ſalubri
Invitaſſe reos ad dulcia munera cives,
Vt leo qui dudum placido manſueverat uſu,
At ſi perſtiterit damnatus, & improbus hoſtis
Involat, & laceros frangit crudeliter artus,
Sic ſuppreſſa diu generoſi Principis ira
Exarſit, rapuitque novum mens alta furorem.

Pacis commoda.

EMBLEMA XCIV.



Igne ſolvantur, Dominator Arma,
Dulcis in Pacem pyra conflet enſes;
Tela candeſcant, ſciat haſta flammam,
Vmbo favillam.
Vt rogi ſparſus cinis arva, & urbes
Vberes reddat: placidos lacertos
Virga protendat: locuples niteſcat
Copia cornu.

COMMENTARIVS.

1 CVM De damnis Belli plura dicta iam ſint, & plurima ſemper dicenda, ac dolenda ſuperſint, par eſt ut nunc de Pacis commodis aliqua ſubiungamus, quam veteres, Ariſtotele præeunte, velut belli præmium mercedemque duxerunt, & vel ob hanc ſolam cauſam finem que bellandum, ut in pace vivamus, & negotia ſuſcipiamus, & in otio eſſe poſsimus. Ariſt. 10.eth.c.7.

2 Vnde Iſaias, illam complementum omnium bonorum agnoſcit, quæ Deus hominibus præſtare poteſt, ſic inquiens, *Domine dabis pacem* Iſai.26.12.

Idem c.32.18.

nobis, omnia enim opera noſtra operatus es nobis, qui & ipſe alibi eandem, pulchram, fidam, & in requie opulentam appellat, his verbis. *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Cui adridet illud Virgilij.

Virg. Æneid. 11.

Nulla ſalus belli, Pacem te poſcimus omnes.

Silius lib. 10.

Et Silij Italici, ſic eam meritò commendantis.

---- ------- Pax optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt: Pax una triumphis
Innumeris potior. Pax cuſtodire ſalutem,
Et cives ſervare poteſt, &c.

Lucan. lib. 1.

Eandemque in votis habens Lucanus, ſic inquit. 3

------------- Pax miſſa per orbem
Ferrea belligeri compeſcat limina Iani.

Ovid. 1. faſt.

Et Ovidius.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos,
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum deſunt hoſtes, deſit quoque cauſa triumphi:
Tum ducibus bello gloria maior erit.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat arma:
Canteturque fera, nil niſi pompa, tuba.

D. Aug. lib. 19. de civit Dei c. 11.

E Divus Auguſtinus tanti ipſam facit, ut uno in loco dicat: *Tantum eſt Pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius poſſit inveniri.* Et in alio, ita eam diffiniat, atque commendet. 4

Idem de verb. dom.

Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hæc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari: Hanc qui acceperit teneat, qui perdiderit repetat, qui amiſerit exquirat, &c.

Quo cum ſentiens Divus Baſilius ſic habet. *Quantum ſit bonum Pacis, quid dicere opus, ad viros Pacis filios? Nihil etenim, ita Chriſtianorum proprium, atque pacem conciliare.* Et Caſsiodorus, in hoc gratiam gloriamque præcipuam Regum extolli, & ſervari ſcriptum reliquit. *Si inæqualitate Pacis populum dirigant, & iniuſtitiæ vigore conſervent. Hæc enim eſt bonarum artium mater decora. Hæc mortalium genus reparabili ſucceſsione multiplicans, facultates protendit, mores extollit, & tantarum rerum ignarus cognoſcitur, qui eam minimè, quæſiſſe ſentitur.* Et iterum. *Decet Regalis apicis curam generalitatis cuſtodire concordiam, quæ ad laudem Regnantis trahitur, ſi ab omnibus Pax ametur. Quid eſt enim quod Principem melius prædicet, quam quietus populus concors Senatus, & tota Reſpublica morum honeſtate veſtita?* 6

Caſsiod. lib. 1. ep.

Idem lib. 1. ep. 23.

Ex-

7 Extat quoque apud nobilem Poëtam Prudentium elegans Pacis deſcriptio,& comendatio,ſic ordiens.

Prudentius Pſicho mach.7.

Pax plenum virtutis opus, Pax ſumma laborum,
Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli
Sydera pace vigent, conſiſtunt terrea pace;
Nil placidum eſt ſine Pace Deo; nec munus ad Aram,
Cum cupias offerre probat, ſi turbida fratrem
Mens, impacati ſub pectoris oderit antro.

8 Plurimaque ſimilia eiuſdem commoda,& encomia apud Eraſmum, & alios reperiri poterunt,qui de eis peculiariter ſcripſerunt. Quibus relictis, ut ad eius picturas,& Emblemata trāſeamus,antiqua quidem, & relatu digna eſt illa Athenienſium,quæ Pacis ſimulachrum,ita effingebat,ut pulchrum Plutum manu geſtaret, quaſi hoc ſymbolo oſtendens (ut poſt Pauſaniam tradit Lilius Giraldus) non ex bello, ſed ex Pace,divitias,& opes comparari.

Eraſm.in Pacis querimonia. Ludo. Vives in lib. Iſocra in orat.de Pace. Ludov. Viv. in aureo lib. de Conc.& Diſcord. D.Aug. lib. 19.de civit.Dei c. 11.&12.latè Sotus in epiſt.D Paul.ad Roman.Corſet. in ſingulari tracta.de privileg. Pacis, & Damhoud.inprax. crim. ex pag.142. Textor in officina, verbo, *Pax.*

9 Neque aliud inſinuabant alij,qui Pacem, cum triticeis ſpicis effigiabant, & interdum etiam, cum oliva,cum lauro, & nonnumquam, cum roſa coronatam, ut in aliquibus nummis veteribus vidimus. Alij quoque circumferuntur, ſub Claudio, & Veſpaſiano Imperatoribus elegantiſsimè cuſsi, in quibus Pax habitu victoriæ alata, ſeu victoria Pacifera,conſpicitur,anguem ſubiectum Caduceo compeſcens, cum inſcriptione, *Paci Auguſtæ*. Quibus,ut Pierius Valerianus, Antonius Auguſtinus, & Adolphus Occo præſentiunt, nihil aliud, quàm belli odium ſignificatur,eoque prudenter oppreſſo,& calcato,Pacem orbi condonari,& omnia ubique abundanter feliciterque virere.

Girald.de dijs gēt. pag.30. Pauſan. in Atticis,& in Boeoticis.

10 A quibus non longè abiens Alciatus,ut Pacem,Paciſque bonos, & uberes fœtus,ſive effectus denotaret,tria ſucceſsivè Emblemata finxit,quæ etſi omnibus obvia ſint,propter ſui pulchritudinem hìc omitti non poſſent, niſi brevitati conſuleremus. In primo elephantem pingens,qui &ſi olim in bellis deſervire ſoleret, pace tamen ſtante.

Pier. lib.15. c.46. Auguſt. Dialo.11. Occo in numiſ. veter. latè Gervatius contra Triſtanum in lib. Infant.Cardin.ex pag.124.

Cæſareos currus ad pia templa vehit.
Proiectiſque armis, munia pacis obit.

In ſecundo galeam,intra quam apes ſuaviſsimos mellis favos veluti in alveario conficiunt.In tertio ſpicarum corollas,vitis palmitibus circumplexas,& Alciones in tuto marmore,tranquillove mari,nidificantes,ſuoſque pullos confoventes.Sic inſinuans, optimi Principis officium in id incumbere penitus debere,ut populum in ſuis regionibus, & provincijs,neceſſario proventu inſtructis,foveat, & tuetur; habita primum ratione tempeſtatum,earumque calamitatum, quæ ſolent in dies accidere: ſin atque ventos remittere, & tandem procellas ebullientes hoſtium conquieſcere,ut ſecurius in pace poſteà vivatur.

Altiat. Embl. 176. & duobus ſeqq.

11 Adrianus quoque Iunius,oſtēdere volens ex Pace rerū omniū opulentiam procedere,illam,Plutum(de quo ſupra)dextra tenentem depingit,& ſiniſtra cornucopiæ geſtantem,his ſubiectis carminibus.

Iunius Emb.6.

Au-

Aureolum dextra geſtat Pax Attica Plutum,
Læva tenet cornu plenum ubere copia,
Gliſcit opum ſatias, & rerum copia læta,
Pax ubi, Marte triumphato, viget aurea.

Battil. Embl.217. & 218.

12 Extant etiam, apud Battilium duo alia non contemnenda Emblemata, ex Mercurij Caduceo, & oliva Minervæ deſumta, quibus Pacis vota, bonaque deſcribit, eique ſtudere præſtare, quàm bello, ſuadet. Et Ianus Iacobus Boiſardus, idem oſtendere volens, ſic pingit, & inſit.

Boiſard. Emb.26.

Pace vigent Artes: Aras Pax thure reparat,
Pax Cererem, & Bacchum promovet, atque fovet.
Filia Pax Iovis eſt, & divum munera nobis
Diſpenſat: placida Pace beatus homo eſt.

Reiſemberg. Emb. Pol.5.

Iuſtus autem Reiſembergius, eiſdem veſtigijs inſiſtens, ſic habet.

Ecce gerit ſpicam, molli redimita corona,
Plaudite vos pueri, plaudite voſque ſenes.

Ioach. Camerar. cent.1. Embl.14.

Et Ioachimus Camerarius ſub oleæ arboris pictura, eandem commendans ſic.

Dure faceſſe ligo, validæ procul eſte bippenes,
Frondeat æternos Pacis alumna dies.

Eſt enim olea arbor Palladi dicata, Paciſque ſymbolum. Vnde & Pacis arborem Sidonius eam nominat, & quia ſemper viret, & ſingularem utilitatem hominibus præſtat, neque incidi, neque evelli ullo modo par eſt; de eiuſque origine bellißima eſt apud Servium in primo Georgicorum narratio.

Saaved. Emp.74. & 99.

13 Noſter etiam noviſsimus Saavedra, de eiſdem votis, & bonis Pacis eruditè, ac prudenter pertractans, haſtam humi fixam proponit, quam fæcunda vitis, plena botris, complectitur. Et iterum leonem mortuum, in cuius ore, tanquam in alveolo, apes mellificant, quod in idem recidit, cum Galea Alciati ſupra relata, cuius ipſe mentionem omiſit.

14 Ego verò in præſenti Emblemate, veluti in compendium omnia ſupra adducta reducens, Pacem (ut vides) ſpicis, & oliva coronatam, & ex ſinu cornucopiæ fundētem, exhibeo, ſimulque, dextra, Mercurij caduceum tenentem, læva autem, accenſam facem, qua congeſtam diverſorum armorum pyram accendit, ut ſic vetera quoque Trajani, & aliorum Imperatorum Numiſmata denotem, quibus ſub hoc actu, & habitu (ut tradit Oroſcius Covarruvias) Pacem pingere moris fuit. Quaſi Davidicum illud legiſſent, *Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igne.*

Oroſcius in Embl. lib.1. fol.38. in fin.
David Pſalm.45.

15 Etenim, ſicut bellis imminentibus, ſemper invaluit, falces, vomeres ligones, & alia agriculturæ inſtrumenta in gladios, enſes caſsides, & ſcuta convertere, & prorſus ipſam agriculturam deſerere, iuxta illud Virgilij.

Virg.1. Georg.

Quip-

Quippe ubi fas verſum, atque nefas: tot bella per Orbem,
Tam multæ ſcelerum facies: non ullus aratro
Dignus honor, ſquallent abductis arva colonis:
Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.

Et iterum. Idem 7. Æneid.

Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Ceſsit amor, recoquunt patrijs fornacibus enſes.

Ovidij. Ouid. 1. Faſt.

Bella diu tenuere vires, erat aptior enſis
Vomere, cedebat taurus arator equo:
Sarcula ceſſabant, verſique in pila ligones,
Factaque de raſtri pondere caſsis erat.

16 Ita è contrario, tempore Pacis, gladij in vomeres, & ligones, enſes, & lanceæ in falces conflari, & curvari dicuntur, iuxta illud Davidis modo relatum, & expreſsius Iſaiæ, qui cum tempus Pacis venturum ſignificare vellet, quo Deus tandem populum ſuum beare dignaretur, ſic loquitur. *Et iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.* Iſai. 2. 4.

17 Quod & ipſum, paucis immutatis, apud Michæam habetur. Neque aliud ſenſit Martialis, dum dixit de Falce. Mich. 4. 3. Martial. in apophoretis.

Pax me certa Ducis placidos curvavit in uſus,
Agricolæ nunc ſum, militis ante fui.

Et Claudianus, dum ſigna partæ Pacis commemorans, canit. Claud. de bello Getico.

Non iam delectus miſeri, nec falce per agros
Depoſita, iaculum bibrans ignobile meſſor:
Non tentat clypeum proiectis ſumere raſtris.

18 Sidonius quoque de ocio veteranorum ſcribens. *In eorum*, inquit, *effætis manibus enſes rubiginoſos ſero ligone mutari.* Qui locus, licèt ibidem diligens Sidonij Scholiaſtes Savarus, id non animadvertat, elegantiſsimus eſt ad intelligendam, & illuſtrandam conſtitutionem Imperatorum Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij, quæ vetat, *Veteranos milites, otio donatos, tela in uſum vomeris, ligoniſque convertere.* Sidon. lib. 1. ep. 6. L. fin. C. de mancip. & Colon. lib. 11.

19 Et ad eandem Pacis notam alludens Caſsiodorus populares monens, ut quietè vivant, & indictas pro bono publico præſtationes, gratanter exſolvant. *Accipiant* (ait) *ferrũ, ſed unde agros excolant: ſumant cuſpides, boum ſtimulos, non furoris.* Caſsiod. lib. 2. ep. 5.

20 Nemoque ex Antiquis, & Modernis Poetis, & ſcriptoribus extat, qui Paci uberem hanc, quam pingimus, fructuum, & rerum omnium abundantiam, non tribuat, ut præter ſupra relatos, oſtendit Tibullus, Tibul. lib. eleg.

quaſi

quaſi noſtrum Emblema reſpiciens,& Pacem hoc carmine vocans.

Intereà Pax Alma veni,ſpicamque teneto,
Profluat,& pomis candidus ante ſinus.

Menand. apud Hẽric. Stephan. in Gnom.Græc. Poetarum.

Et melius Menander,qui eiuſdem utilitatem exaggerans, hac hyperbole utitur.

Alit colonum Pax,& in ſaxis benè;
At bellum,noxium in ipſo campo quoque.

Senec.in Medea.

Et de noſtro Cornucopiæ expreſsè mentionem faciens Seneca Tragicus,ſic inquiens.

--------------- Et aſperi
Martis ſanguineas,quæ cohibet manus,
Quæ dat belligeris fœdera gentibus,
Et cornu retinet divite copiam,
Donetur tenera mitior hoſtia.

D-Hilar. in lib.de Trinit.

Divus etiam Hilarius,ſic appoſitiſsimè,inquit. *Ibi aurea florent ſæcula,quando miſericordia,& veritas obviaverunt ſibi. Iuſtitia,& Pax oſculantur ſe ſe:ubi veritas de terra oritur, & iuſtitia de cœlo proſpicit: ubi Dominus dat benignitatem,& terra dat fructus ſuos.*

Raviſ.Text.in offic.pag.

Sed quoniam nemo plenius Pacis bona,& commoda, quàm Raviſius Textor expoſuit,libet hic eius carmina recenſere, quæ etiam ad noſtri Emblematis illuſtrationem valdè conducunt,& ſic habent. 21

Pax cœleſte bonum,ſacris altaria flammis,
Atque tepeſcentes ſuſcitat igne focos.
Pax hominum genitrix.Pax eſt cuſtodia rerum,
Pax aperit iuri.,iuſtitiæque forum.
Nulla quies homini,nulla eſt ſine Pace voluptas,
Nullus amor,nullum religionis opus.
Pax urbes,Pax regna ligat,Pax congregat orbem.
Fiat ut ex multis urbibus una domus.
Sæcula Pax renovat,Pax aurea tempora confert,
Et mores priſcæ ſimplicitatis habet.
Ingenuæ redeunt Artes,Academica florent
Ocia,Caſtaliæ ſollicitantur aquæ.
Pax facit innocuos ſaltus,nemorumque receſſus
Tutus it,& tutas advena portat opes.
Pax Cererem campis,& mittere collibus uvas
Efficit,armoſo dividit arva bove.
Gramina Pace virent, præpingua paſcua,lætum
Luxuriat multa fertilitate pecus.

Pax vehit auratas peregrina per æquora merces,
Et ſteriles ponti, non ſinit eſſe vias.
Pax hilares menſas facit, & convivia paſsim,
Et recreat molli triſtia corda mero.
Pax aperit thalamos, Hymenæaque carmina cantat,
Excitat, & reſides non ſinit eſſe lyras.
Pro gladijs lances gerit, & pro caſside ſcuta,
Et ſua Palladia tempora fronde ligat.
Geſtit, & ad ſuperos agili volat ardua ſaltu,
Et vocat ad feſtos agmina longa dies.

Sed qui tantopere Pacem extollimus, & optamus, non ideò tamen
22 Principibus noſtris, ut eam imparati, & exarmati deſiderent, ſuade-
mus. Scimus enim quantam cladem Hiſpaniæ noſtræ Vvitizæ, & Ru-
derici ob hanc cauſam ignaviæ vecordiaque paraverit, & prudentiſ- Veget. lib. 3. in Prolog.
ſimum eſſe Vegetij Aphoriſmum, monentis, *Ergo qui deſiderat pacem*
præparet bellũ, & Manlij Capitolini, apud Liviũ dicẽtis, *Oſtendite modo*
bellum, Pacem habebitis, videant vos paratos ad vim, ius ipſi remittent,
nec non & illud Thucycidis, inquientis, *Pax, bello magis confirmatur,*
otium verò ſemper belli metum, & periculum coniunctum habet, quam in Thucyd lib. 1.
rem plura alia, prudenter ſatis Noſter Saavedra perpendit.
23 Quod igitur cupimus, quod monemus, eò duntaxat tendit, ut Pacis Saaved. Emp. 98. ex pag. 719.
commodis patefactis, eius amorem Chriſtianorum Regum animis in-
figamus, quo incenſi, à belli damnis abſtineant, honeſtiſque fœderi-
bus, de antiquis iurgijs, & quæſtionibus trãſigant, & tandem templum
Iani, tot iam luſtris reſeratum, fida perpetuaque concordia conclu-
dant, ſciantque, quamlibet pacem, quolibet bello meliorem eſſe, & iux
ta Martiani Imperatoris dicterium, *Stultum, Paci bellum præferre*. Fa-
xitque Deus, ut hic Nobis citò dies illuceſcat.

———— *Supero concitus ab axe;*
Tunc geminas Pax Alma tibi ſacrabimus aras,
Ante pedes cadet alba tuos, tibi grata columba.

Concordia quos unit, munit,

EMBLEMA XCV,



Quos urbis muros? Validam quam cerno coronam?
Non lapis accingit, mœnia viva vides.
Sunt cives, quos unit Amor: Concordia firmat,
Non urbs muniri fortiùs ulla poteſt.
Inconcuſſa manet gens, atque ignara pericli,
Cui Pax eſt ſcutum, murus ahenus Amor.

COMMENTARIVS.

CONCORDIA, Quæ diverſorum cordium affectus, & voluntates in unum coniungit, unde & nomen accepit, pacem quidem generat, vel à pace generatur: nunquam enim in mutua bella prorrumpent, qui eodem animo, intentioneque ſociantur. Nec externa timere poterunt Principes, qui confines terminos habent. Si vires ſimul, & animos iungant, ſuoque exemplo, ſuos, in æqualem coniunctionem, & defenſionem permoveant, legem videlicet, ordinemque naturæ ſequentes, quæ omnia diſtinxit, ſimul atque conſtrinxit, totamque hanc rerum molem, mundum unum ex pluribus rebus effecit, & ut ait Nazarius, & alij, Concordiam, fundamentum, ac radicem otij, bonorum civilium ſeminarium, quietis publicæ, ac civita-

Nazar. in Panegir. ad Conſtant. Paſchal. in legato, c. 53 Petr. Grego. de de Rep. lib. 23. c. 3. n. 13.

tum

tum ſegetem, & almam Pacis nutricem eſſe voluit, & illud bonum, ſine quo nemo novit ſua bona.

2 Quod fortè indicat illud libri Iob, *Poteſtas & terror apud eum, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis*, quaſi habere poteſtatem faciendi concordiam, aut comparandi pacem, ſit, omnium bonorum aggregatione potiri. Et benè agnoſcentes ſapientiſsimi omnium Athenienſes, ut Paulus Oroſius ſcribit, etiam ſuis malis ſatis docti, cunctaque, vel bona, vel etiam mala, quæ foris geruntur, internis eſſe radicata, & emiſſa principijs, domi abſterſere odia, & foris bella prefferunt. Et Paulus Æmilius ſcitiſsimè monuit, *Nullam prævalidam armis gentem, interſe conſentientem, vinci ab externo hoſte, quamvis feroci, opibuſque præſtantiſsimo, poſſe.*

Iob c.25. 2.

Paul. Oſoſ. lib. 2. c. 17. in fin.

Æmil. lib. 1. de Geſt. Franc.

3 Idemque, præclarius quoque, ante ipſum docuit, Salluſtius, Micipſam, ita ſuos filios admonentem, inducens. *Regnum vobis trado, firmum, ſi boni eritis, ſin mali, imbecillum: nam concordia parvæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.* Quam orationem Severus quoque Imperator moriens, ut Dion memorat, legendam ſuis liberis miſit, cum animadverteret inter ipſos, iam tum, odij favillas ſcintillare.

Salluſt. in Iugur.

Dion Nizeus, & Xiphil. in Severo.

4 Et de Sciluro Scytha, Plutarchus, & Stobæus enarrant, quòd triginta liberos maſculos habens, cum eſſet moriturus, faſciculum iaculorum ſingulis porrexit, iuſsitque rumpere. Id cum ſinguli recuſaſſent, eo quòd videretur impoſsibile, ipſe ſingula iacula exemit, atque ita facilè omnia confregit; filios his verbis admonens, *Si concordes eritis, validi invictique manebitis; contrà, ſi diſsidijs, & ſeditione diſtrahamini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.*

Plutarc. in apopht. Stob. ſerm. 82.

5 Quo exemplo, in expilanda equi cauda Sertorius uſus eſſe narratur, & ſunt plures, qui ad eandem Concordiæ vim, & utilitatem oſtendendam Tyrrheni, & Scyri lapidis Inſulæ Cicladicæ, ſimilitudine utantur, cuius, ſecundùm Plinium, & Ariſtotelem, ea eſt natura, ut dum eſt integer, quamvis grandis, in aquas proiectus, fluctuet, & natet, comminutus, in partes ve diviſus, peſſum eat, atque conſidat; inde inferentes, ſic homines, cuiuſcumque ſint ſortis, concordia ſuſtineri, diſcordia verò peſſundari,

Plin. lib. 2. c. 106. & lib. 36. cap. 17. Ariſt. de nat. c. 12.

6 Quod etiam Ariſtides Sophiſtà, & Dion Pruſæus, latiſsimis, & elegantiſsimis orationibus de Cõcordia habitis, proſequuntur, & Prudentius, non minùs eleganter, hoc carmine deſignavit.

Prudent. Pſychom. 7.

Publica ſed requies, privatis rure foroque
Conſtat amicitijs. Sciſſura domeſtica turbat
Rem populi. Titubatque foris, quod diſsidet intus:
Ergo cavete viri, ne ſit ſententia diſcors
Senſibus inveſtris; ne ſecta exotica tectis,
Naſcatur conflata odijs, quia ſciſſa voluntas
Confundit varijs arcana biformia fibris,

Quod ſapimus coniungat amor: quod vivimus, uno
Conſpiret ſtudio, nil diſſociabile firmum eſt.

Alciat. Emb. 38.

Alciatus etiam, quàm ſit utilis, & neceſſaria huius documenti cognitio oſtendere volens, tria Emblemata ſucceſsivè, ad illud ſuadendum, excuſsit. Quorum Primum ex Cornicibus (quæ concordiæ ſymbolum præbent) Regium ſceptrum comitantibus, ac velut ſuſtinentibus, ſumſit, ut ſignificaret, Principibus, & Regibus hanc vnam, & primam eſſe curam debere, ut inter ſe populoſque ſuos concordiam tutentur, omneſque bellorum, motuum, & ſeditionum cauſas præcidant, ſi ſuum ſtatum tranquillum, & ſecurum eſſe velint. Secundum, ex duobus Romanis ducibus, poſt mutua bella in concordiam, & mutua fœdera, prorrectis conſtrictiſque ultrò citroque dexteris, coeuntibus, quod ſignum concordiæ eſſe, benè ibidem ipſius Commentatores, & alij paſsim Auctores obſervant. 7

Idem Emb. 39.

Vt quos iungit amor, iungat & ipſa Manus.

Idem Emb. 40.

Iuſtin. lib. 44. ad fin. Pier. Valerian. lib. 38. c. de tricipitio. Natal. Comes lib. mythol. c.

Tertium, quod ad rem noſtram magis conducit, ſub Gerionis figura, quem Veterum fabulæ tricorporem, aut tricipitem confingebant; non quòd revera hoc habitu eſſet, ſed ut Iuſtinus, & alij plurimi tradunt, quia tres fratres huius nominis erant, tanto amore, tantaque fide coniuncti, & ea ſe concordia, mutuiſque auxilijs iuvantes, ut unica ipſis anima, & voluntas eſſe videretur. Taliſque exinde vigor, ut vel Herculi in eluctabiles ſe præſtiterint, nec niſi ſeparati vinci, ac ſuperari potuerint, hoc pacto ſubindicantes, hanc virtutem eſſe potiſsimum Regum Regnorumque munimentum. Alciati carmen ſic habet.

Tergeminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta ſimul pietas mutua, & unus amor:
Invicti humanis, ut viribus ampla tenerent
Regna, uno dicti nomine Geriones.

Batill. Emb. 188.

Batillius Labæus, ex illo Sciluri ſupra relato, in eandem rem, hoc Emblema compoſuit, ſublemmate *Concordia inſuperabilis.* 8

Singula quæ minimo infringas baſtilia niſu,
Non toto inflectas robore nexa ſimul.
Robore tam firmo ſtat firma potentia concors,
Tam facilè infringi diſſociata poteſt.

Sic enim, ut Philoſophi loquuntur, *Vnita virtus, valentior eſt ſe ipſa diſperſa.*

Pier. Valer. lib. 47

Saaved. Emp. 61. ex pag. 464.

Pierius etiam Valerianus inquit, Romanos Veteres, per Lyræ hieroglyphicum concordiam figuraſſe. Quo eodem ſymbolo, illo non citato, noſter Saavedra noviſsimè utitur, ſub Epigraphe, *De maiora minoribus conſonant*, plura quidem ſatis prudenter conſiderans harmonia, & conſonantia, quæ in omni concordi, & benè ordinata civitate, vel Monarchia deſideratur.

10 Et ante ipſos idem inſinuaſſe videtur Petrus Coſtalius, ad eandem vim concordiæ, illud Amphionis transferens, Thebanam urbem ſui plectri modulis conſtruentis, ſic inquiens. Coſtal. in Pegm. pag. 312.

Muſicus Amphion citharam dum pectine pulſat
Septifores Thebas condidit ad numerum,
Præſtitit hoc concors modulatæ gratia cordæ
Manibus, ut populum cogeret ille ferum:
Sic divina ſtatum Concordia continet urbis,
Et ligat unanimi barbara corda fide.

11 In quorum illuſtrationem Ego Caſsiodorum adijcio Lyræ, vel cytharæ adinventionem commemorantem, & nihil efficacius inventum fuiſſe inquientem, ad promovendos animos, quàm concavæ cytharæ blanda reſultatio, hincque exiſtimare licere, cordæ appellationem fluxiſſe, quòd facilè corda moveat. *Vbi tanta eſt*, inquit, *vocum collecta ſub diverſitate concordia, ut vicina corda pulſata, alteram faciat ſpontè contremiſcere, quam nullum contigit attigiſſe. Tanta enim vis eſt convenientiæ, ut rem in ſenſualem ſpontè ſe movere faciat, quia eius ſociam conſtat agitatam. Hinc diverſæ veniunt, ſine lingua voces: hinc varijs ſonis efficitur, quidam ſuaviſsimus chorus, illa acuta, nimia tenſione, iſta gravis, aliqua laxitate, hæc media, tergo blandiſsimè temperato. Vt homines ſe ad tantam perducere, non prævaleant unitatem, in quantum ad ſocialem convenientiam ratione carentia pervenerunt, &c.* Caſsiodor. lib. 2. epiſt. 40.

12 Don Sebaſtianus Covarruvias, poſt Divum Gregorium, Iobi ſimilitudine utitur, de dæmone ita loquente, *Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, conſunctum ſquamis ſe prementibus, uni una coniungitur, &c.* & loricam, his ſquamis fabrefactam, depingit, quarum unione, quemadmodum draco ſuum corpus tegit, ne citius ullius penetretur iaculatione, ita milites armari ſolent, ut ſecurius adverſariorum ictus recipere, ac retundere poſsint, aitque valdè intentioni noſtri Emblematis coherenter, eadem unione exercitus invencibiles reddi. Covarruviæ Rithmus ſic habet, ſub lemate, *Vna uni coniungit.* Seb. Covar. cent. 2. Emb. 35. p. 135. D. Gregor. lib. 33. Moral. c. 31. Iob 41.

Imita la loriga à la eſcamoſa
Piel de ſerpiente, de conchuelas llena,
Que junta una con otra, es poderoſa
A reſiſtir el golpe muy ſin pena,
I la eſquadra de gente belicoſa
Eſtando unida en todo trance es buena,
Hermoſa viſta haze, aunque terrible,
I para todo trance es invencible:

13 A Covarruvia parum diſcrepans Saavedra, ad eandem concordiæ virtutem iterum deſignandum, & quòd ei omnia cedunt, conſtipatam cuneatamve Romanorum militum manum commentus eſt, quibus in more erat, ut Lipſius oſtendit ſuis ſe ſcutis, vel clypeis Saaved. Emp. 89. ex pag. 659.

unitis,ita contegere,ut hoſtium muros tutò conſcendere,ſive ſcandere poſſent.

14 Nos autem, nihil his aliorum adinventionibus detrahentes, & quàm ſit utilis,atque inſuperabilis Concordia,ſuadere conantes,præſenti Emblemate utimur,pulchra urbe depicta,quàm mœniū loco,armati adunatique cives,alij alijs hærentes,circumdant, & ſtrenuo hoc robore,& munimine,inexpugnabilem reddunt. Quod ex illo celebrato Iſſæi Sophiſtæ apophthegmate concinavimus, qui, narrante Philoſtrato, cum Lacedæmonij periclitarentur, ac de civitate mænibus cingenda,conſultarent,Homericum carmen recitavit.

Philoſt. de vit.Philoſoph. lib.1.pag. 514. Petr.Gregor. lib.2. de Rep. c.2. n.4.Caramuel qui hoc dictu miſſæ, carminibus celebrat in lib.de inſig. Hiſp pag.193.

Scutum hæſit ſcuto,Galea galea,atque viro vir.

Et adiecit.*Sic mihi ſtate Lacedæmonij,& muri cincti ſimus.*

15 Cui ſimilis Ageſilaus,ut Plutarchus,& Eraſmus recenſent, à quodam percontatus,quam ob cauſam Sparta mænibus non cingeretur, oſtendit cives armatos, & unanimes,*Hi*, inquiens,*ſunt Spartanæ civitatis mænia*, ſic docens, Reſpublicas nullo munimento tutiores eſſe, quàm civium conſentientium virtute. Et iterum ſimiliter, cum alius hoc ipſum interrogaſſet, *Civitatem non ſaxis ligniſve,ſed pro vallis, & manibus, incolentium virtute muniri oportere*, reſpondit,*quos ſi iungit Concordia,nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior.*

Plutarc.in Apoph. Ageſ.&Eraſm.lib. 1.

16 Recentior quoque, ſed relatu digna in eandem rem videtur cuiuſdam Comitis Neoburgenſis hiſtoria apud Beyerlinchium, qui cum hanc urbem denuo, & pulcherrimam condidiſſet, ad eamque viſendam Imperatorem invitaſſet, hic ea ſummè laudata ſubiunxit, ſolùm notari poſſe, quòd muris cincta non eſſet. Cui Comes ſequenti die ſe muratam oſtenſurum, pollicitus eſt; cumque ad hoc Imperator rideret,claſsicum tangi iuſsit,& cives ſuos armatos, iuxta ordinem ſibi, iam anteà traditum ſtationes ſibi concreditas, iuxta militaria inſtituta occupare, totam villam circumvallantes. Quod cum dicto citius impletum eſſet,Imperatori dixit,ea ſua eſſe mænia, quod ipſe hilariter congratulatus admiſsit.

Beyerlinch.in The. verb.urbs & aliud ſimile lit.P.p.779.

17 Ad illumque Homeri verſum,ille alter Virgilij videtur alludere.

Virg.Æneid.10.

Concurrunt, hæret pedi pes,denſuſque viro vir.

Vbi Servius,Pontanus,& Cerda plura alia ſimilia loca notarunt. Et Plutarchus de Antigono Aſiæ Rege ſcriptum reliquit, amicis ſuadentibus, ut ſi Athenas caperet, validis illam præſidijs communiret, ne quando deficeret, ſummaque cura, ut totius Græciæ baſim cuſtodiret,reſpondiſſe,ſe ſemper in hac fuiſſe ſententia, ut crederet, nullum eſſe Regni præſidium firmius,quàm civium benevolentiam,atque concordiam.

Plutarc.in Apoph.

18 Quam etiam per plures angues circumvolutos ſignificari,Pierius Valerianus, poſt Plinium, conſiderat, addens, inde factum videri, ut Caduceus in Pacis argumentum, circumdata anguium effigie formatus fuerit. Extatque apud Sylveſtrum Petra ſanctam ſymbo-

Pier.lib.15.

Petr.ſanct.lib.

lum

lum aliud Caroli Federici,Iuliæ Cliviæ montium Ducis,qui ſparſa in clypæo civium corda geſtabat,cum duplici Epigraphe, altera Latina, *Hic murus aheneus eſto*, altera Italica,cuius erat ſenſus,*Benevolentia eſt optimum præſidium*,ſic oſtendens, hac certè multò ſecuriorem reddi Principem,quàm muris,& arcibus communitis. Et noviſsimè Ioannes Ovenus,ſuæ Brittanicæ ſimiles vires hoc Diſticho clauſit.

Oven. lib.2.epig. 40.

Anglorum portæ ſunt portus,mænia claſſes,
Caſtra æquor,valli corpora,corda Duces.

19 Quæ omnia pro illorum opinione conducunt, qui urbes mænibus eſſe cingendas negarunt,quas ita munitas(ut Plutarchus tradit) Licurgus, Panthoidas, & Agis, mulierum præſidium, conclave, ſive gynecium appellare ſolebant,& expertem muri eam urbem dici non poſſe, quam virorum non laterum corona armaret.Cum quibus,etſi ipſe non ſentiam,Petrum Gregorium, & alios ſequutus, qui earum munitionem neceſſariam eſſe, pluribus argumentis evincunt, & inde urbes ab vrbo aratri,quo mænia delineari ſolebant, oppida ab hac murorum oppoſitione,ſeu mutua ope,quæ alia alijs præſtare ſolent, dicta conſiderant,negare tamen non poſſum; tutiorem validioremque earundem, & cuiuslibet Regis Regnique defenſionem,ab hac civium, & Regnorum concordia, mutuoque interſe nexu, & unione, peti, & ſperari debere.

Plutar.in apoph. Lacon.

Pet.Greg.lib.2.de Rep. c.2. l. pupillus.§.Oppidum de verb.ſignific. D.Iſidor.lib. etym.cap. Ego 2.tom. lib.1. c.13.n.14 noviſsimè Berneger.in q. ad Tacit. de mor. German.q.82.

20 Et enim, ut in Proverbijs Salomon dixit,*Frater,qui adiuvatur à fratre,quaſi civitas firma*,ubi Septuaginta Interpretes legunt, *Frater à fratre adiutus,quaſi urbs munita,& excelſa,invaleſcit autem,tanquàm fundatum Regnum*,verè enim,ut Iſocrates ad Nicoclem, & Plautus,à Mealibi relati, dixerunt in civium concordia, & bonis moribus firma urbium mænia conſiſtunt.

Proverb. 18. 19. ubi vide Salazarium.

Iſocrat.ad Nicoc. Plaut. in Perſ.act. 4 Ego 2.tom.lib. 2.c.2.n.69.

21 Nec minùs verè, ex eadem concordia, oratione Valerij Maximi inter Senatum,& Plebem Romanam ſtabilita,non ſolùm urbem mænibus roboratam,ſed *Vrbem urbi iunctam*, alter Valerius ſcripſit. Et apud Cornelium Tacitum Brittani leguntur,legationibus,& fœderibus omnium ſuarum civitatum vires exciviſſe, ut Romanis reſiſtere poſſent, *Docti commune periculum concordia propulſandum.* Quem locum Lipſius illuſtrans,verba hæc aurea appellat,& omnibus imbibenda,alia ſimilia Hermocratis Siracuſani ex Thucydide referens. Vnde & Adagium fluxit, *Concordia fulciuntur opes,etiam exiguæ*,quod Eraſmus ex illo Homeri carmine ſumtum exiſtimat.*Coniuncti polleét, etiam vehementer inertes.*Et potuit etiam allegare Horatium,ita hoc verum eſſe teſtantem.

Felices ter,& amplius,
Quos irrupta tenet copula:nec malis
Divulſus querimonijs,
Suprema citius ſolvet amor die.

Valer.Max. lib.8. c.9.in princip.

Tacit.in Agricola.

Lipſ adTacit.ſup. nota 42. Thucyd. lib.4.

Eraſm. in Adag.p. 124.

Hom Iliad.1.

Horat.1.Carm. Od.13.

Orandum, & operandum.

EMBLEMA XCVI.



Quod Templum? Iani, quæ gens? Romana, quid orat?
Omne bonum: quid agit? Comprimit omne neſas.
Vota iuvant, credenda tamen non omnia votis,
Rem gere conſilio, corripe tela manu.
Audentes Deus ipſe iuvat, iuvat inclyta Regis
Dextera. Tu laudi conſule, teque iuva.

COMMENTARIVS.

Plato in Thim.

Valer. Maxim. lib. 1. c. 1. in princip.

Cicer. lib. 7. de divin. Livius lib. 6. Decad. 1. Auct. ad Heren. in princip. Curt. lib. 3. Boet. de conſolat. lib. 3. P. Faber in Dodecam. c. 1. in princ.

DIVINVS ille Plato, in minimis etiam rebus, divinum ſemper præſidium implorari auſpicarique debere, ſcriptum reliquit, & Romani priſco inſtituto, ut Valerius Maximus tradit, *Rebus divinis operam dabant, cum aliquid commendandum eſſet, precatione: cum expoſcendum, voto: cum ſolvendum, gratulatione: cum inquirendum, vel extis, vel ſortibus, impetrito: cum ſolemni ritu peragendum, ſacrificio.* 1

Quod inſtitutum Cicero, Livius, Auctor ad Herenium, Curtius, Boetius Severinus, & alij à Petro Fabro diligenter relati, commendant. Sed nemo melius Plinio Iuniore, qui celebrem illam Panegyrim 2

Tra-

Trajano dictam, ſic exorditur. *Benè ac ſapienter P. C. Maiores inſtituerunt, ut quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi initium à precaetionibus caperetur: quod nihil ritè, nihilque providenter homines, ſine Deorum immortalium ope, conſilio, honore, auſpicarentur.*

3 Eundem quoque morem apud Grecos viguiſſe, ſatis oſtendit Xenophon, dum admonet Cyrum, *Conari, omne opus cum dijs aggredi, quia dij non ſecus rebus civilibus, quàm bellicis præſunt, ac dominantur.* Nullaque eſt Natio, quæ non id ipſum, quantumvis barbara, noverit, & veluti in Adagium illud Virgilij carmen traduxerit, Xenoph. in Cyripæ.

Virg. Eclog 3. verſu 60. Valer. Maxim in præfat.

Ab Iove principium Muſæ, Iovis omnia plena.

Vbi Cerda noſter plurima ſimilia loca commemorat.

4 Sed hoc quidem cum ſemper, tum præcipuè in bellis conſulendis, ineundis, ac conſerẽdis, præcedere debet, ut Onoſander, Ælias Reulnerus, & alij rei militaris Auctores animadvertunt, in quibus, quò maius periculum vertitur, eò diligentius, & devotius Deus eſt exorandus, ex cuius nutu omnia, & maximè bellorum exitus pendent, & ut paſsim Sacræ litteræ docent, exercituum, & bellorum Dominus appellatur, & fortitudinem præbet ijs, qui corde perfecto credunt in eum. Et non ijs, qui in curribus, in equis, aut in multitudine gentis confidunt, ſed qui in eius nomine ſpem repoſitam habent, victoriam concedere ſolet.

Onoſand. lib. 1. de re milit. in princ. Reulner lib 1 artis ſtratag c. 17.

Oſeæ 12. 5 Zach. 1. 3 4 & 4. 6 Iſai. 14. Eſdr. 1. & 2. Paralipo. 16. Pſal. 19. 8 latè plures apud me tom. 1 lib. 2. c. 4. n. 78 & ſeqq.

5 Vnde, quemadmodum audax ſemper, & execrabilis habita fuit vox illa Aiacis, Capanei, & Mecentij, apud Sophoclem, Statium, & Virgilium, de ſuis viribus, ita confidentium, ut dicerent.

Sophoc. in Aiace. Statius 2. & 10. Thebaid. Virg. 10. Æneid.

Dextra mihi Deus, & telum, quod miſsile libro,
---------- Virtus mihi Numen, & enſis
Quem teneo.

6 Ita longè cordatior alia Titi Imperatoris, qui Ioſepho narrante, cum de Iudæis, Hieroſolyma capta, ſe victorem videret, admiratus tantam urbem, tamque munitam, fuiſſe ſuperatam, dixit: *Planè Deo adiuvante pugnavimus*, & vt addit Philoſtratus, propter illam victoriam coronari noluit, quia divina virtute opus illud perfectum eſſe videbat, non ſua. Rectèque dicere potuit D. Auguſtinus. *O H no, ideò non viciſti, quia de tuo præſumſiſti: qui præſumit de viribus ſuis, antequàm pugnet, proſternitur.*

Ioſeph lib. de bell. Iudaic. c. 16.

Philoſt. lib 6 de vita Apoll.

D. Aug in Serm. de verb. Apoſt.

7 Et talis ac tanta vis in eiuſmodi precationibus ineſt, ut vel ea ſola Moiſes victoriam ab Amalechitis obtinere meruerit, plus levatis ad cœlum manibus, quàm exercitus ſtrictis mucronibus conſequens, & ut Divus Chryſoſtomus addit, *Occulta pugna, manifeſta victoria, latenter dimicans, ut evidenter devincat.* Et David, eodem teſtante Chriſoſtomo, plus ſemper in illis, quàm in ſuis phalangibus, aut legionibus fiderit, & plures hoſtes orando, quàm pugnando fugaverit, ut ipſe de ſe ipſo prædicat inquiens, in tribulatione ad Dominum clamaſſe, illumque pro ſe pugnantem, & ſagittas ſuas, fulgura, terræmotus, aquarumque inundationes in hoſtes ſuos miſiſſe. Quem locum, non tantum

Exod. 17. 8. Deut. 25. 17. cap. ſi quis vult. 36. diſt.

D. Chryſ in Serm. de Moiſ. 1. tom.

Idẽ lib. 1. de oran. Deum.

Pſalm. 17. 7. & ſequent.

me-

Geneb. in Pſal. 17. Mendoza 1. Reg. c. 7. verſ. 14. annotat. 27. ſect. 3. n. 3.

metaphoricè accipiendum Genebrardus, & Mendoza arbitrantur; ſed etiam ad litteram, quia Deus ſervo ſuo, ob meritum orationis, miraculosè cœleſtibus armis, & auxilijs ſuccurrere voluit.

D. Ambroſ. Pſalm. 36. verſ. 15 D. Auguſt. de civit Dei lib. 5. c. 26. Oroſ. lib. 7 c. 35. Euſeb. lib. 11. hiſt Eccleſ. c. 33. Baron. au.

8 Non ſecus, atque Magnus Theodoſius ob ſimilem pietatem promeruit, ut venti pro eo contra Eugenium Tyrannum, apud Aquileiam pugnarent, & tela ab hoſtibus miſſa, in eoſdem acriter retorquerent, ut poſt D. Ambroſium, & Auguſtinum, plures Auctores enarrant, & Claudianus vates, licèt Chriſtianus non fuerit, illis verſibus refert, & effert, quæ, & alia, ſupra in alio Syntagmate poſui.

Sup. Emb. 10.

Iuſtin. Mart. apol. 2. in fine, Tertul. in apol. cap. 5. Euſeb. Oroſ. Niceph. Caliſt. Paul. Diacon. & alij apud Baron. an. Chriſti 176. fol. 192.

9 Idem, ante Theodoſium, Marco Aurelio Imperatori, licèt Ethnico, ob preces legionis Chriſtianorum, dictæ *Melitinæ,* quam ſecum ducebat, contigiſſe, fulminibus de cœlo in Marcomanos hoſtes contortis (unde & ipſi legioni deinceps, *Fulminatricis,* nomen inditum fuit, apud Nos *Lanza Rayos*) ſatis conſtat ex Epiſtola, quam ad Senatũ Romanum ſcripſit, cuius poſt Iuſtinum Martyrem, Tertullianum, Oroſium, & alios, mentionem facit Baronius, & his verbis concepta erat. *Eramus quippe in hoſtili ſolo, ex quo aqua carere cœperamus, obſeſſi. Confeſtim autem, ut procubuerunt Chriſtiani in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, deſcenderunt de cœlo, in nos quidem frigidiſsimus Imber, in noſtros verò hoſtes grando mixta fulminibus, ut ſine mora ſentiremus, preſto eſſe invictam opem Dei Potentiſsimi.*

Ioſue c. 6.

Saaved. Emp. 25. pag. 170.

10 Luculentius ad hoc, & certius exemplum ex Sacra Ioſue hiſtoria diſcere poſſumus, quo, cum populo, per ſeptem dies orante, & urbem Iericho, quam obſederant, cum Arca fœderis religioſè circueunte, illius muri ad ſolam eiuſdem populi vociferationem, & tubarum clangorem illicò corruerunt, *Porque no haze la Artilleria tan gran brecha como la oracion,* ut Saavedra Noſter, benè eandem hiſtoriam in hoc expendens, animadvertit.

Divin. Auguſt. Suet. in oct. c. 29.

Ovid. 5. Faſt.

11 Cui, alia, relatu digna, profana licèt, adijci poteſt, de Auguſto Cæſare, qui, ut Dion, & Suetonius referunt, ad bellum Philippenſe pro patris ultione profecturus, poſt preces Marti ultori fuſas, ei templum vovit, & victoria potitus exolvit. Quò reſpiciens Ovidius ſic cecinit.

Mars ades, & ſatia ſcelerato ſanguine ferrum,
Voverat, & fuſo lætus ab hoſte redit.

Theat. vitæ huma. verb Oratio, Tamaius Salazar in Triumph. B. Virg. Mariæ.

Baron. & ſpondan. ad ann. Chriſt 674. Coriolan. in breviar. Chronolog. eod. anno.

12 Plura ſimilia exempla victoriæ, orationum piarum meritis impetratæ, plures paſſim libri ſuppeditant, & præcipuè Hiſpani, qui toties divinas apparitiones Beatæ Virginis, Sanctæ Crucis, Divi Iacobi, Æmiliani, aliorumque Sanctorum pro nobis pugnantium, referunt, & extollunt. Et pro multis illud Vvambæ ſufficiat, qui, ut ex Luca Tudenſi Baronius, & alij recenſent, anno 674. reparatæ ſalutis, contra Ildericum, & Paulum, ſibi perduelles, tyrannoſque pugnaturus, non prius acies committere voluit, quam exercitum ſuum ab omni adulterorum facinoroſorumque militũ fæce penitus expurgaret, & cum reliquis, licèt numero paucis, pijs prius precibus, & expiationibus præcedentibus, alacriter prælium inivit, & Angelos ſuper caſtra, coruſca volitatione ſibi ſuppetias ferentes, videre promeruit. Quod & rerum decla-

ravit

ravit eventus, & æquè certum, ac pium eſſe demonſtrat, illud Monitum, quod Alfonſus Rex Aragonum I. apud Bartholomæum Facium Ferdinando Filio dedit, his verbis. *Tunc denique tibi militares artes profuturas ſcito, cum Deum tibi pietate, ac iuſtis factis reddideris propitium. Eum igitur, ſi vincere expetis, pura mente colito, ſpemque omnem victoriæ in eo reponito.* Barth. Facius lib. 1. hiſt.

13 Quam diſciplinam, licèt Catholici, & glorioſi Hiſpaniæ noſtræ Reges, veluti hæreditariam præſeferant, & qui nunc regnat, & diutius ò utinam regnet, Philippus IIII. Rex, ac Dominus noſter Optim. Maximus, pijſsimis, frequentiſsimiſque ſuis in hanc rem actionibus, & precationibus, poſteris commendatiorem reliquerit. Adhuc tamen ad eam magis adhortandam, & ſuadendam, operæ pretium duxi hoc Emblema ſuperioribus addere, ex Romanorum moribus ſumtum, qui ubi ſe ad externa bella ſuſcipienda, vel inferenda parabant, non ſolùm vanos ſuos Deos conſulebant, & varijs ſacrificijs placare curabant, verùm & indictis publicis rogationibus, ad Iani Templum Populus concurrebat, eiuſque apertis foribus, & ante ipſas ſuppliciter provolutus, pro bono eventu pias preces fundebat, prius tamen maxima cura habita, ut ab omnibus ſceleribus expiaretur; ſed ita tamen divinum auxilium invocantes, & promereri ſtudentes, ut interim nihil ex militari cura, & bellico apparatu detraherent.

14 Quod Templum, iam inde à Numæ temporibus, ut in eius vita tradit Plutarchus, duabus erat ianuis inſtructum, quæ Belli Portæ dicebantur, ſtatutumque, ut quando bellum gerendum eſſet, aperirentur, pace verò reddita, clauderentur, ut præter Livium, & alios eleganter oſtendit Poëta, ſic canens. Plut. in Numa. Liv. lib. 1. Varro. de ling. Latin. lib. 4. Plin lib. 34. c 7. Roſin. lib. 2. c. 3.

Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus urbes
Albanæ coluere ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in prælia Martem, Virg. Æneid. 7.
Sive Getis inferre manu lachrymabile bellum,
Sunt Geminæ belli portæ (ſic nomine dicunt)
Relligione Sacræ, & ſævi formidine Martis:
Certum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Ianus,
Has ubi certa ſedet Patribus ſententia pugnæ,
Ipſe Quirinali trabea, cinctuque Gabino,
Inſignis, reſerat ſtridentia limina Conſul,
Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum cætera pubes,
Aereàque aſſenſu conſpirant cornua rauco.

15 Intraque ipſnm Templum, Furorem Bellicum vinctum, & catenatum, armiſque inſidentem Pacis tempore coerceri, & bello indicto dimitti, ipſe idem Poëta non minùs eleganter oſtendit, his verbis.

Diræ

——— *Diræ ferro, & compagibus arctis*
Claudentur intus belli portæ. Furor impius intus,
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Dempſter. ad Roſin. d.c.3.p.102.
Petr. Ligor. in lib. de circis.
Alex.1.Gen.c.26. ubi Tiraq.

His in locis alia ſimilia aliorum Poetarum, Virgilij Commentatores adducunt, Templique huius uſque ad Iuſtiniani tempora deſcriptionem, & quoties clauſum fuerit, latè ex Procopio, & alijs Dempſterus recenſet, & Petrus Ligorius cæremonias, quibus aperi ſoleret, adiungit. Et Alexander ab Alexandro, ut oſtendat, non ſolùm in eis, & in precationibus, Romanos ſuam ſpem collocare, ſignanter ſcribit, præter eas, & Templi apertionem, in Martis Sacrario, aut in Curia Saliorum, Ancilia (id eſt rotunda illa ſcuta, Numæ tempore Romanis è cœlo demiſſa) prius moveri ſolita fuiſſe. Quaſi eo motu Martem è ſua ſede excirent: eoque propitio, & volente, arma expediri, legiones conſcribi, exercitus parari, atque omnia hoſtilia eſſe, deſignarent. 16

Ovid. 8.Metam.

Certò enim certius eſt, Deum ipſum, qui valdè noſtris votis, ac precibus gaudet, æqua lance deſiderare, ut non ita ſe totum Princeps, vel quivis alius, pietati concredat, quin ſua ex parte rei gerendæ ſe aptet, & ita in divinis auxilijs ſperet, ut humana diſponere pro viribus curet. Scitum eſt enim illud Ovidij. 17

Ignavis precibus fortuna repugnat.

Salluſt. in Catilin.
Livius lib. 2. Decad. 3.

Et ut Salluſtius ſub perſona M. Portij Catonis prudentiſsimè monuit, *Non votis, neque ſupplicationibus muliebribus, auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, benè conſulendo, proſperè omnia cedunt. Vbi ſocordiæ te tradideris, ne quicquam Deos implores, irati infenſique ſunt,* quod adeò verum reputat Livius, ut dicat, *ſtultitia eſt, ſedendo aut votis debellari credere poſſe. Armari copias oportet, & deducere in equum, ut vir cum viro congrediaris.*

Idem lib.6.
Terent. in Adelphiſ. act.4. Scen.5.
Eraſm. in Adag. p. 265.
Batil. Emb.30.

Qui etiã alibi Ducẽ quendã acriter reprehẽdit, quia ſperabat, nihil agenti, de cœlo ſibi victoriam in ſinum devoluturam, vel dormienti, ut Terentius ait, hæc confecturos Deos, ut de Timotheo Athenienſium Imperatore olim referebatur, cui, quòd multa feliciter obtingerent, magis commoditate fortunæ, quàm ipſius opera dictum fuit, dormienti ei urbes in rete intrare. Quod Adagio locum fecit, *Dormienti rete trahit*, ubi Eraſmus alia congeſsit, & Emblemati Batillij, quod ſic habet. 18

Huic urbes captas fortuna in retia cogit,
Dum iacet, & molli membra quiete levat.
Sic multis mens læva, quibus ſit numina dextra,
Et malè res cœptæ, res benè ſemper eat.

Eraſm. in Adag. pag. 203.

Tendit quoque in idem aliud Lacedæmoniorum Proverbium. *Admota manu Fortunam eſſe invocandam*, quo ſignificabant, orandum ſimul, & operandum, & nihil ignavis votis Fortunam concedere, ex 19

quo

quo Schoonhovius hoc Emblema formavit, ſub figura fortunæ, ſic ſupplicibus, ante ſe poſitis, reſpondentis.

Schoonhov. Emb. 5.

Rebus in humanis noſtrum ſolamen opemque,
Nil iuvat ignava ſollicitare prece;
Audentes fortuna iuvo: conamina veſtra
Iungite, & hoc noſtrum præſtò erit auxilium.

20 Et apud Græcos, ſecundùm Eraſmum, & Iunium, aliud percrebuit, *Non omnia per bovem obtinebis, vel ne contra bovem opta.* Quo pariter indicare volebant, non tantùm ſacrificijs, aut litationibus, votiſque pro arbitrio omnia ceſſura, ſed laborandum quoque nobis eſſe, ſi compotes voti evadere cupimus, & Aeſchyli illud mente verſandum.

Eraſm. in Adag. p. 335. & 731.

Quiſquis laborat, huic manum præbet Deus:
Laboranti debetur divinitus gloria, laboris proles.

21 Neque aliud monere voluerunt Avienus, & Faernus, fabulam confingentes, de quodam auriga, ſive bubulco, qui vulſis crinibus, & tenſis ad cœlum palmis, *iuva Iupiter*, vel *iuva Hercules*, fruſtra clamabat, cum ipſe manus non admoveret equis, ſive bobus, & currui, qui in foveam, vel paludem inciderant, & deſuper ei reſponſum fuit *Iuva te ipſum*, quod etiam in Adagium pertranſijt, & apud Nos hoc carmine commendatur, *A Dios rogando, i con el mazo dando.* Avieni carmina hæc ſunt.

Avien. fab. 32. Faern. fab. 91. Cauſſin. in Poliſt. ſymb. lib. 1. c. 9 pag. 73. Vide de hoc Hiſp. Adag. Covaru. in Theſ ſingul. Caſt. verb. Mazo.

Perge laborantes ſtimulis agitare iuvencos,
Et manibus pigras diſce iuvare rotas.
Tunc quoque congreſſus, maioraque viribus auſus,
Fac ſuperos animis conciliare tuis.
Diſce tamen pigris, non flecti numina votis,
Præſenteſque adhibe, cum facis ipſe, Deos.

22 Ex qua Fabula, vel ſimili, agaſonis in lapſu aſini ocioſè Herculem invocantis, ſymbolum quoddam exhibuit Achilles Bocchius, ſic ex illo deducens.

Boch. lib. 2. ſymb. 52.

Fac ergo, quiſquis es, aliquid tu te interim,
Deinde invocato numina.

23 Et Batilius hoc.

Batil. Emb. 15.

Alcidem lapſo rogat, ut ſuccurrat aſello,
Nec ſe ſeipſe, ſedens, ſegnis agaſo movet:
Cui Deus. Ad primum tu hæc otia tollere debes,
Primus, & ad partes ipſe venire tuas.

Sic poſteà in eiuſdem Emblematis notis ſubijciens, *Nihil boni parat otium inane, neque Deus otiantibus aſſiſtit. Terram limoſam nemo fortunæ relinquit, ut ex illa lateres conficiat, neque corium poſſidens, aut lanam otioſus ſedet, fortunam precibus fatigans, ut ex hac materia togam, &*

Idem in notis.

Vide de hac fabula Clem. Alex. in exhort. ad gent. pag.1.

carceos paret. Nempe ars non expectat fortunam, ſed labor, cum Minerva manus admovenda, laborantem Deus pariter adiuvat. Sic olim Sagittario invocanti Deus affuit, & telum una direxit; ſic Cytharedo Orthium canenti, cum nervus defuerat, Apollo ipſe cicadæ ſpecie reſpondit.

Plutarch. in vita Paul. Æmil.

Nihil autem ad hanc rem aptius me legiſſe memini, eo, quòd Plutarchus recenſet, Perſeum Macedonum Regem increpans, quòd commiſſo prælio, cum Paulo Æmilio, in quo de ſuo Regno, imò & de capite periclitabatur, in oppidum Pydnam ſe magna ignavia ſubduxit, per cauſam ſacrificij Herculi faciendi, *Trepida à trepidis* (ut Plutarchus addit) *non recipienti ſacra, nec vota admittenti nefanda. Neque enim fas eſt, ut qui non iaculatur, deſtinatum feriat, neque qui locum non tenuit, is ferat palmam: neque ut habeat ſocors ſucceſſum, neque ut ſit malus beatus. Sed Pauli precibus volens, propitiuſque annuit Deus, quippè petebat victoriam belli, & palmam, haſtam tenens, pugnanſque, opem implorabat Dei.* 24

L. pupillus, D. quæ in fraud. cred. cum ſimilibus.

Ego 1. tom. de Indiar. Iur. lib. 2. c. 3. ex n. 67.

Ambr. Moral. diſcurſ. 3.

Tilman. in Aule Tyrocin. cap. 6. n. 19 pag. 21.

Et hoc quidem eſt, quod Iuriſconſulti dicere ſolent, *Vigilantibus non dormientibus iura ſubveniunt*, & Theologi, *facienti quod in ſe eſt, Deus ſuam non denegat gratiam.* Qui etſi omnipotens ſit, miracula tamen, ubi illis non eſt opus, excuſat, & divinis ſuis manibus, atque operationibus, noſtras quoque ad miſceri deſiderat, ut Ego alibi oſtendi, & integro diſcurſu in hanc rem edito, ex tribus locis, & exemplis Sacræ Scripturæ, benè Ambroſius Moralius evincit. Quibus adijci poteſt, quod Tilmanus memorat, Sanctum quendam virum, quem multi hac ætate noverunt, ad Regem Magnum dixiſſe, *Rexes, non tantùm, ut ores, ſed ut regas: ne per orationes, & pietatem tuã gehenam mereare.* 25

Ferret. in tract. de iuſt. bello. c. ult. de victoria Deo tribuen.

Plutar. in Paul. Æmil.

Illud planè, & pium, & ſecurum, omnique iure, & ratione ab omnibus Principibus obſervandum, conſulimus, ut Deum, quem ſuis votis, & precibus ante bella, aliaſque res arduas, ſibi adeſſe præoptant, eundem, adeptis demum victorijs, vel proſperis potiti ſucceſsibus, æqua pietate agnoſcant, & revereantur, ipſiuſque potentię, quicquid pro votis contigerit, tribuant, cum ipſe verè victoriarum omnium auctor, & Dominus ſit, ut ex ſuperioribus patet, & latè proſequitur Iulius Ferretus, Ageſilai exemplum adducens, qui, ut Xenophon in libro de eius laudibus tradit, quoties fortuna utebatur proſpera, Dijs immortalibus habebat gratias: & fiducia plenus, plures mactabat hoſtias, quàm rebus ſuis metuens, ac diffidens voveret. Cui ſimilis Paulus Æmilius apud Plutarchum, non tam ſibi, quàm Dijs, partam inſignem, illam de Perſeo Rege victoriam, acceptam ferre voluit, & in eius gratiam plures victimas immolauit. 26

Iudith 16. 22.

Deuter. 27. 6.

D Chryſoſtom. in Pſal. 131. verſ. 1.

Idemque Sacra pagina de Iſraelitis agens, commendat, dum poſt debellatos Aſsyrios, & Bethuliam, egregio Iudithæ facinore, ab obſidione liberatam, *Omnis populus venit in Hieruſalem, adorare Dominum: & mox ut purificati ſunt, obtulerunt omnes holcoauſta, & vota, & repromiſsiones.* Et rurſus, dum Ioſue de Haithis triumphans, ex præcepto Domini Altare conſtruxit, & ſuper eo hoſtias pacificas obtulit, & mactavit. Davidis quoque exemplum idem oſtendit, paſsim in ſuis Pſalmis, ſed præcipuè in Cẽteſsimo triceſsimo 27

ſep-

ſeptimo, pro victorijs, quas à Domino acceperat modulantis. Cuius pietatem ibidem D. Chryſoſtomus his verbis extollit. *Non quemadmodum nonnulli molles, ac diſſoluti, qui antequàm quidem accipiant, ſunt vehementes: poſtquàm autem acceperint, elangueſcunt; ſed hic quidem, & antequàm acceperit, agit, & poſtquàm acceperit, perſtat, agens aſſiduè gratias.*

D. Chryſoſtom. in Pſalm. 131. verſ. 1.

28 Et pariter Divus Ambroſius, Theodoſium Magnum ob eandem virtutem collaudans, ſic ait. *Alij Imperatores in commemorationem victoriæ, arcus triumphales parari iubent, aut alia inſignia triumphorum. Clementia tui hoſtiam Deo parat oblationem, & gratiarum actionem per Sacerdotes celebrari Domino deſiderat.*

D. Ambroſ. lib. 8. ep. 58.

29 Qua etiam in parte, quantum ſemper Catholicorum noſtræ Hiſpaniæ Regum, & Auguſtæ Auſtriacæ domus, Religio, & Pietas emicuerit ſatis oſtendunt exempla à me ſupra in alijs commentarijs relata, & ab Antonio Panormitano de ſuo Rege Alfonſo verba faciente. Et tot ob hanc gratiarum actionem anniverſariæ commemorationes indictæ, tot inſignia Templa, & Cœnobia ex voto conſtructa, & ampliſſimis ſimul reditibus, pretioſiſque donarijs dotata, & tota Hiſpania Divo Iacobo, glorioſo eius Patrono, pro victoria de *Clavijo*, veluti in tributum obnoxia. De quibus Ego alibi aliqua dixi, & plura, vel de ſolo Belgio loquens, Aubertus Miræus congeſsit, & Noſter Saavedra, poſt Marianam, eandem pietatem extollens, eique pro premio ingentem, qua hodie fruitur, Monarchiam, datam fuiſſe conſiderans

Sup. Emb.

Panorm. lib. 4. ſub finem.

Miræus ego 2. tom. lib 3.

Saav. Mireus in Codice donationum Piarum.

Saaved. Emp. 25. ex pag. & Emp. 97. pag. 718.

30 De pietate autem Romanorũ, Dijs, etiam pro adverſis, litantibus, iam ſupra cum Valerio Maximo memini, & nunc huic commentationi verbis Senecæ finem impono. *Hoc conditio humana, vel peſsimum habet, quòd fortuna quos miſeros fecit, & ſuperſtitioſos facit, diligentiùs dij coluntur irati,*

Sup. Emb.

Vulgi latratus ſpernendi.

EMBLEMA XCVII.



En Zephiro genitore ſatus, velocior Euro
Fertur, nec ſiſtit quaque latrante cane.
Ovaque tolluntur, quamvis gallina reclamet,
Et rauco ſtrepitu perſonet ipſa diu.
Quidquid iners vulgus reſonet clamore, latratu,
Rex inſta, propera, quodque agis, illud age.

COMMENTARIVS.

Caſsiodor. lib. 5. ep. 17.

QVOD Caſsiodorus ſcripſit, *Alacriter incumbendum eſſe incohatis, cum iam vicinitas perfectionis arriſeris; quando ſpes effectus, tædium laboris excludit, & magnum genus incitamenti credere deſiderata compleri.* Animoſiorem me reddit, ad pauca, quæ iam reſtant, Emblemata capeſſenda, & breviori, qua poſsim, commentatione, illuſtranda. Præſens autem eò tendit, ut Princeps, quem Perfectum, & undique Conſtantem deſidero, & Caput, Patrem, Paſtorem, & Tutorem ſui Populi eſſe, in ſuperioribus dixi, ubi prudenti maturoque conſilio aliquid, vel Paci, vel Bello conducere ſenſerit, id ſedulò exequi curet, neque vanis eiuſdem populi vocibus, aut latratibus terreatur, vel abincepto curſu deſiſtat, niſi fortè eò prorrumpat audacia, ut gravis aliqua commotio timeri poſsit, cui ſedandæ parem ſe eſſe non ſentiat. Tunc enim prudentius erit, tempori deſervire, & me-

Sup. Emb. 11. & ſeqnent.

melioreim rei benè gerendæ occaſionem expectare, ut iam ſupra in alio Emblemate monui.

Sup.Emb 43.

2 Et hoc eſt, quod iura Nos docent, vanas voces populi non audiendas, ſed contemnendas eſſe; docerique illum, non ſequi deberet, & ſi neſciat quid liceat, quid non liceat, commoneri, non autem illi aſſenſum præſtare oportere. Idemque videtur ſentire Seneca, inquiens. *Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant, argumentum peſſimi turba eſt*, Cicero, *Sed tamen non gravisſimum eſt teſtimonium multitudinis. In omni enim arte, vel ſtudio, vel quavis ſcientia, vel in ipſa virtute, optimus quiſque rariſsimum eſt*, & apertius Ælianus, conſulens, ut *qui unum quodque ritè gerunt, & adminiſtrant, non multitudini, ſed ijs tantùm qui rei ſcientiam habent, placere procurent.*

L. Decurionum fi iij, C. de pœnis. l. conſtat, D. de appel. c. 2 de elect. textus optimus in c. docendus diſt. 62.
Senec. de vita beata c. 11.
Cic lib. 2 de fin. b. con. & mal.
Ælian. de var. hiſt. lib. 2.

3 Etenim ut Solon, teſtante Plutarcho, dicere ſolitus erat,

Omnibus in magnis difficile eſt placeas.

Et ſic ſe hodie mores hominum habent, ut omnes ſapere, omnes cenſere præſumant, & audeant, ſintque plures eorum, ſiniſtra quos in lucem natura extulit, qui nec quicquam poſsint, niſi meliores, melioraque carpere, & pro captu arbitrioque ſuo omnia metiri moderarique velint, ad quos fortè reſpexit Plinius Iunior, cum dixit, *Nihil eſſe, aut pigrius delicatis, aut curioſius ocioſis.* Quorum vota ſi in quolibet negotio exquirenda, exaudiendave eſſent, tot ſententiæ quot capita reperirentur, in quibus tamen nullum caput conſpici poſſet, ut benè inſinuavit ille, qui hanc vulgi naturam hoc Diſticho clauſit.

Plutarch. in Solone.
Plin. Iun. lib. 5. ep. 23.
Ioan. Ovenus in Epigram.

Bellua multorum capitum cur nominor? atqui
Cordatis nullum credor habere caput.

4 Quapropter Cleantes, à Clemente Alexandrino relatus, hoc ipſum noſtrum monitum his carminibus clauſit;

Clem. Alex. lib. 5. Strom.

Ne ſpectes famam dum vis ſophos eſſe repentè,
Terreat amentis nec te ſententia vulgi.
Iudicium ſapiens, & iuſtum non habet ullum
Vulgus, & in paucis vix hoc reperire licebit.

Et magis ſententioſè, ac breviter Comicus.

Pulchra in tumultu iudicare non decet.

5 Et D. Baſilius apud Philippum Camerarium, ſic inquiens, *Nihil æquè cavendum ſapienti, atque illud, ne ad aliorum opinionem vivat, neve quid populus probet circumſpiciat, ſed rectam rationem potius ducem, & gubernatricem vitæ ſtatuendam eſſe.*

D. Baſil. apud Camer. cent. 2. c. 51.

Et non inelegantius Divus Cyprianus, admonens *Graves viros, & ſemel ſupra petram robuſtam ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aura levi, ſed nec vento, nec turbine commoveri: ne animus dubius, & incertus varijs opinionibus, velut quibuſdam ventorũ incurſantium flatibus, frequenter agitetur à propoſito ſuo, & quadam levitatis reprehenſione mutetur.*

D. Cyprian. in ep.

Anacharſis etiam Scytha, qui inter ſeptem ſapientes cõnumeratur, ut poſt Plutarchum Petrus Crinitus commemorat, Athenienſium ſtatum inde brevi interiturum prædixit, quòd populi imperio agebatur,

Petr Crinitus lib. 1. de hon. diſc. c. 4.

Cui videlicet proprium ſit, & in minimis maximè formidare, & in maximis minimè proſpicere.

Et proinde Charondas, qui leges eiſdem Athenienſibus condidit,
in hunc modum de populo concludebat. *Qui ſe populo committit, for-* 7
tunam non rationem ſequitur: qui fortunæ favet periculo, & aleæ ſe de-
dit: qui in alea eſt, ad ruinam, & cladem inclinat. Et Tacitus, *Plebi* (in-
quit) *non iudicium, neque veritas*, & Demoſthenes, *Populus ſanè turba*
eſt, & res omnium inſtabiliſsima, ac imprudentiſsima, ut in mari fluctus, fle-
xibilis, & inquietus, qui ut contingit agitatur: alius venit, alius receſsit,
at nemo Reipublicæ curam gerit, imò ne meminit quidem.

Tacit. 2. hiſt.
Demoſth. in orat. de falſa legatione.

Queis addere licet aliam vulgi diffinitionem, ſive deſcriptionem à 8
D. Hieronymo traditam, quæ ſic habet, *Vulgus habet os barbarum, pro*
cax, & in convicia ſemper armatum: quidquid novum inſonuerit, aut au
ctor, aut exaggerator eſt famæ. Ad quod alludens Ioannes Roman. Pon
tifex xxiij. rogatus quid eſſet à vero remotius, *Vulgi* (inquit) *ſenten-*
tia, quidquid enim laudat, vituperatione dignum eſt: quidquid cogitat, va-
num, quidquid loquitur, falſum; quod improbat bonum eſt, quodque appro-
bat, malum: & quidquid denique extollit, infame.

D. Hier. epiſt. 22.
Ioan. R. P. xxiij.

Vnde Pythagoras volens idem, quod Nos nunc facimus, inſinuare, 9
inter ſua ſymbola hoc poſuit, *Popularibus vijs ne incedito*, quo, ut expo
nit Athenæus ſignificavit, multitudinis ſententiam, non eſſe ſectādam
(nam unuſquiſque temerè, ut fors tulit, & prout ſibi viſum fuerit, reſ-
pondet ac ſtatuit) ſed potius rectam viam inſiſtendam, menteque uten
dum gubernatrice. Pythagoræ ſequax, Diogenes Cynicus, ut in eius
vita Laertius enarrat, quodā die theatrum ingreſſus, ipſe adverſus po-
pulum nitens ingrediebatur. Interrogatus autem, quam obrem id face
ret? *Hoc* (inquit) *in omni vita facere ſtudeo.* Sentiens hoc ſapientis eſſe
viri, in omnibus actionibus à multitudine diſsidere, & ut Attius dice-
bat, *Paucis probatus potius quam multis eſſe*, propterea quòd vulgus
hominum cupiditatibus agitur, non ratione.

Laert. lib. 6.

Cœlius autem Rhodiginus ſymbolum, aliud deducit ex Iovis ſimu 10
lacro, iam ſupra ad aliud relato, quod inquit apud Cretenſes, abſque
auribus confingi, exculpi ve, aut ex ære duci ſolitum fuiſſe, hoc pacto
docere volentes, *Principem virum, & omnibus latè dominantem, audire*
addecere neminem: ſed id demum perſequi, quod dictat rationis examen,
& iuſtitiæ nuſquam præfloratæ integritas.

Rhod. lib. 10. c. 3. col. 436.
Sup. Emb. 54.

Petrus Coſtalius pariter, non pendendum à iudicio imperitæ mul- 11
titudinis oſtendere tentans, Antigenidam pingit, diſcipulum his car-
minibus alloquentem.

Coſtal. in Pegm. pag. 235.

Cum tua non placeat tunicato Muſa popello,
Reſpuat, & numeros publica turba tuos.
Te ne inſulſa movent querulı faſtidia vulgi?
Multum eſt, & Muſis, & placuiſſe mihi.
Iudicium indocti Sapiens contemnere vulgi
Debet, & adverſa ſedulus ire via.

12 In quod recidit illud Hipponachi tibicinis, apud Ælianum, qui cum diſcipulus ſuus aberraret ab arte inter fiſtulādum, & nihilominùs plauſum auditorum aſſequeretur, baculo eum percuſsit, dicens: *Perperam fiſtula ceciniſti, nam alioquin hi tibi, non aplauderent.*

Ælian. lib.14. de var.hiſt.c.8.

13 Saavedra Noſter, ſub conchæ ſymbolo, quæ impolita exterius, interius terſum, & pretioſum margaritum abſcōdit, Principem monet, *Nec ſe quæſiverit extra,* nec vanis populi opinionibus, vel rumoribus deſerat, quod ratione dictante perceperit, & hæc ad rem noſtram conducentia verba ſubnectit, & varijs exemplis illuſtrat. *No pende la verdad de la opinion. Deſprecie la el Principe, quando conoce que obra conforme a la razon. Pocas coſas grandes emprenderia, ſi las conſultaſſe con ſu temor a los ſentimientos del vulgo,* quod etiam ipſum prius elegantiſsime monuit Mag. Marquez concludens, *Que no deſiſta por la contradicion de ſus vaſſallos.*

Saaved.Emp.32. ex pag.215.

Marq in Gubern. Chriſt.lib.2 p.62.

14 Aptius Alciatus, cæteris palmam præripiens (licèt ad alium finē) lunā depinxit, quæ quamvis ei canes ad latrent, curſum ſemel initum, nec flectit, nec deſerit, hoc à ſe factum, & à prudentibus viris faciendum edocens, licèt invidorum, & obtrectantiū convicijs, & latratibus impetantur. Cuius veſtigia ſequuti Iacobus Bruck. Et Ioachimus Camerarius, alia ſimilia Emblemata commenti ſunt, quæ brevitatis cauſa non refero.

Alciat. Emb.162.

BrucK Embl.26. Camerar. centur. 2. Emb.61.

15 Ego autem, ſi hæc pictura, iam ab his occupata nō eſſet, ea quidem, & aptius, ut arbitror, ad admonendos Principes uterer, ne vanis, ut tradimus, vulgi vocibus à prudentibus conſilijs exequendis deſiſtant. Sed quoniam occupatam, licèt ad aliud, invenio, eius loco Sonipedem pingo, *cuius clara fuga ante alios, & magnus in æthere pulvis.* Qui, licèt dum currit, à canibus oblatretur, illos tamen ſpernens, ſuum curſum proſequitur, & ob hoc ipſum fortè velocior, & concitatior, tāquam ſi frigida ſuffunderetur. Addo & mulierem, ova, quicquid galli, & gallinæ glocitent, garriant, & reclament, intrepidè ab ipſarum oviparis nidis ve ſumentem, & extrahentem. Quod ſumſi ex Patre Ioanne David in ſuo veridico Chriſtiano, qui eiſdem ſimilitudinibus utitur, ad Chriſtianos ſuadendos, ut ſalutem animæ ſuæ omnimodò curent, neque ab hac via ſequenda, ob auram popularem abſterreantur, hoc Diſticho uſus.

Videli.de inius vocand. & Eraſm. in Adag pag.342.

Verid.Chriſt.cap.37.

Virtutis ne via populari abſterreat aura?
Vrge iter uſque tuum: diſcerpant cætera venti.

16 A quibus non multùm diſcrepat Seneca, qui docens à conſtantibus, & prudentibus viris iniurias ſperni, non vindicari debere, ſic dixit, *Ille magnus, & nobilis eſt, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum ſecúrus exaudit.* Et Socrates, qui ut Laertius, & Agellius referunt, rogatus ab Alcibiade, quomodo Xantipem uxorem adeò rixoſam ferre poſſet? reſpondit. *Qui ovis veſci vult, glocitantiū gallinarum ſtrepitu offendi non debet. Equidem ſic domi patientiam diſco, ut foris melius exercere queam.* Epitectus quoque apud Stobæum, idem inſinuat, inquiens, *Sicut neque ſtrepitu anſer, nec balatu ovis percellit: ita*

Senec.lib.2.de ira c.32.

Laert. in vita Socratis, Agell.lib.1. c.17.

neque vecordis multitudinis vox terreat, utque multitudo temerè aliquid ſuum poſtulans, te non perturbat; ſic tu, nec populum iniquè obturbantem tibi, reformidato.

Dion.Caſ.lib.9.

17 Et herclè cum illud Dionis Caſsij, tam obvium, quàm certum omni ſeculo fuerit, *Res geſtas, vel gerendas, taxare facillimum cuilibet. At res Egregias gerere, perdifficile, pauciſque datum*, ſi ad quoslibet vulgi latratus, ſive glocitus Princeps Heroicarum, quas molitur, actionum executionem ſuſpendere deberet, parum & ſibi, imò & ipſi vulgo conſuleret, quod ut vetus Monoſticum habet,

Ex opinione iudicat, veri inſcium.

Et poſteà rebus proſperè geſtis, geſtit, & gaudet, & quod anteà exprobarat, extollit, ut tempore Catholici Regis Ferdinandi vidimus contigiſſe, quem populus, quòd tot bellis intentus, eum tributis onerabat, multis querelis, & ſatyris impetivit, quas demum in laudes, ob gloriam Hiſpanæ Monarchiæ, eximia eius prudentia, & virtute, additam, convertit, & poſteris Regibus exemplar optavit.

Panorm.lib.3.

Horat.lib.2.ep.ad ad florum.

18 Et hoc intelligens Alfonſus Rex Aragonum I. referente Panormitano, peroptare ſolebat, ut populariumſuorum unuſquiſque Rex extitiſſet, quo demum illi, utpotè experti, cognoſcerent Principum curas, & quam difficile eſſet Imperanti, omnibus ſatisfacere, cum tam diverſa ſint hominum ingenia, opiniones, & voluntates, & ut ait Horatius.

———————— *Renuas tu, quod iubet alter:*
Quod petis id ſanè eſt inviſum acidumque duobus.

Cleomenes apud Stob.ſer.de vulgo

Proverb.25.2.ubi Cayetan. & Salazar.

19 Neque quicquam ſuperioribus obſtat, quòd Cleomenes apud Stobæum dixerit, *Vulgi arbitrium ſupra Principes eſſe*, & Salomon, *gloria Regum inveſtigare ſermonem*. Ideſt ut Caietanus exponit à Noſtro Salazario relatus, iudiciorum factorumque ſuorum rationes, multitudini compentas eſſe, in magna gloria ponere debere. Hæc enim ad communem vulgi conditionem referenda ſunt, qui iudicio ſuo de Principibus, ut diximus, pro ſuo modo ac captu iudicare audet: cui interdum convenit rationes indicare, ut eius calumnijs: & obtrectationibus occurratur, non autem ut vanis eius vocibus, rumoribus, aut timoribus, à recta ſua ſententia deſiſtat, vel pedes capiti imperare permittat, quod quàm ſit periculoſum, & ab omni prudentia alienum, ſatis ex ſuperioribus patet.

(§ ✱ §)

Vir-

Virtus invidiam gignit, & ſuperat.

EMBLEMA XCIIX.



Quàm rutilans à Sole viges; aſt imminet umbra,
Non lux ſola datur; nam datur umbra comes.
Aæmula virtutum fulgores umbra ſequetur,
Temne at Rex umbram, quæ nihil intus habet.
Te ſcopulum decet eſſe Potens, detractio, probrum
Impetat, ardeſcat, dum ruit, ipſe mane.

COMMENTARIVS.

1 LICET Seneca, & alij, qui rectè de humanis actionibus iudicant, gloriam Virtutis umbram appellent, quę præclara gerentes, etiam invitos comitari debeat. Vnde Hadrianus Iunius iuſtiſsimè dixit. Senec. epiſt. 79. Eraſm. in ſimil. folio 42. Iun. Emb. 3. & 21.

Gloria continuos numquam moritura labores
Sequitur, virenſque in ore vivit perpetim,
Gloria debetur ſtudijs, atque aſsecla merces.

Et Petrus Coſtalius, eam, non aliter virtutem ſequi, quàm ignis Naphtam, bituminis genus (ut tradit Plinius) etiam longiuſculè poſitum, ex quo hoc Pegma deduxit. Coſtal. in Pegm. pag. 335.

Inſequitur Naphtam longè quam ſenſerit, ignis,
Et necis, & vitæ fœdus uterque ferit.
Sic & virtuti comitem ſe gloria præbet,
Et præclara ſolet laus benefacta ſequi.

2 Neſcio tamen quo malo humani generis fato, huius umbræ vicem invidia, calumnia, & detrectatio frequentius ſortiatur, quibus egregij, & præſtantes quique viri, & maximè Principes, expoſiti ſunt. Ita ut M. Tullius prudenter dicere potuerit, *Virtutis comitem invidiam, plerumque bonos inſectari*, Plutarchus, *in civium invidiam pleroſque Duces nimia bonorum, & potentia cupiditate provectos, impingere.* Polybius, *præclara facinora, & res à quopiam viro egregiè geſtas, magnam plerumque invidiam, & graves calumnias, ubique conflare ſolere.* Valerius Maximus, *nullam tam modeſtam felicitatem eſſe, quæ malignitatis dentes vitare poſſit.* Tacitus, *cuncta magnis imperijs obiectari ſolita.* Dion Caſsius, *omne id, quod communem ſortem excellit, emulationi invidiæquè aliorum obnorium eſt. Hinc illud eorum, quorum conditio eſt inferior, contra ſe ſuperiores, bellum perpetuò exiſtit.* Et abſolutius Ovidius.

Tull. 4. ad Heren. Plutarc. in Timot. Polyb. lib. 1. hiſt. Valer. Max. lib. 4. c. 7. Tacit. 4. hiſt. Dion lib. 58. Ovid. de remed. amor. lib. 1.

Summa petit livor, perflant altimiſsima venti.

Et Seneca, *Habet virtus quoque præcedentem cauſam ad invidiam, multis enim propter ſapientiam, multis propter iuſtitiam invidetur,* & Iuſtus Lipſius, idem ipſum hac ſimilitudine exprimere, *Arbores, quæ iuxta vias ſunt, ſaxis, & faſtibus ſæpius impetuntur, ſic homines linguarum his telis, qui in limine melioris famæ.*

Senec. epiſt. 88. Lipſ. in cent. ad Belg. ep. 14.

3 In eandem rem plura alia loca, & exempla adducere poſſem, quæ videri poterunt, apud varios Auctores a Me alibi latè congeſtos; ſed contentus ero Philippi Comminæi verba ſubnectere, qui aulæ, & cæterarum rerum experientiſsimus, Principes (ut & Nos præſenti Emblemate nitimur) adhortatur, ut patienter invidiam, & calumnias ſuſtineant, ſciantque has, Magnatum Poteſtatum aſſeclas, vel pediſequas eſſe. *Ita, ut qui vult ſuaviter vivere in hac vita, ſine calumnia, & invidia, is perinde faciat, ac qui vult in clariſsimo Sole, ſine umbra verſari.*

Ego 1. tom. lib. 1. c. 16. n. 94.

4 Quæ quidem verba, ut & Noſtro Emblemati anſam, ita & illuſtrationem præſtare poterunt, & veritatem illius ſententiæ Taciti comprobare. *Non minùs periculum ex magna fama, quàm ex mala*, Caſſiodori, qui *moleſtam invidiam, rebus maximis amicam* appellat, & Ciceronis, qui reliquis elegantius, huius malæ umbræ affectus, & effectus miſeram facere Principum conditionem, his verbis proclamat, *O miſeras conditiones adminiſtrandarum civitatum, & provinciarum, in quibus diligentia plena ſimultatum eſt, negligentia vituperationum: ubi ſeveritas periculoſa eſt, liberalitas ingrata: ſermo inſidioſus, aſſentatio pernitioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ, venientes Prætores expectant, præſentibus inſerviunt, abeuntes deſerunt.* Cui conſonat Quintilianus, inquiens. *Hanc eſſe conditionem omnium, qui adminiſtrationem Reip. aggre-*

Tacit. in Agric. Caſsiod. lib. 2. ep. 23. Cicer. in orat. pro Flacio cõſonat illud Friderici III. Imper. Principes. queſi ſignum ad ſagittas expoſitos eſſe, ut per Æneas Sylv. lib. 1. c. 37. Quint. declamat. 138.

diun-

diuntur, ut ea quæ maximè pertinent ad ſalutem communem, cum quadam ſua invidia efficere cogantur. Et illud Themoſtoclis apud Plutarchum, qui cum adhuc adoleſcens eſſet, nihil à ſe fieri ſplendidum dicebat, cum neminem adhuc ſibi invidum ſenſiſſet.

Plut.id Them.

5 Quod etiam idem Plutarchus notavit in libro, quem de ſilentio Pythiæ oraculi ſcripſit, commemorans, Corinthi in Oceo, inter templi anathemata extitiſſe palmam æneam, cuius ad radices viſebantur ranæ, & ſerpentes, quibus ſignificabatur, à vitilitigatoribus, obſtreperis ac maledicis invidorum linguis, exitiali veneno armatis, impeti illorum vitas, qui non obliqua, ſed recta ratione ad dignitatis, rerumque faſtigia emergunt. Ex quo Hadrianus Iunius Emblema confecit, ſub titulo *Invidia integritatis aſſecla*, & his carminibus.

Idem in orat. Pythiæ.

Hadria.Iun. Emb. 9.

Palma caput tollit cœlo ardua, cuius ad ima
Rana loquax, ſtabulantur & hydri.
Opugnant Proceres, quorum via conſona recto eſt,
Degeneres, atque invida lingua.

6 Quem referens, & ſequens Ioachimus Camerarius, ita in quodam ex ſuis Emblemate habet.

Ioachim.Camera. cent.1.Emb.24.

Quantum Palmæ hydri poſſunt ranæque nocere,
Tantundem invidiæ virtus obeſſe poteſt.

7 Et eſt etiam dignum relatu, illud aliud Iani Boiſardi, invidiam, quæ anguibus plena, virtutem inſequitur, depingentis, à qua tamen hæc, ſeipſam, ſuæ innocentiæ ſcuto defendit, magiſque confirmat, & exerit, cum hoc carmine.

Boiſar.Emb.14.

Vmbram habet omne ſuam corpus; ſequiturque præitque.
Sic ſecum virtus attrahit invidiam.
Invidiam ſine qua virtus torpeſcit: at illi
Ad laudem ſtimulos ſuggerit invidia.

8 Et iterum araneam, quæ ex eiſdem floribus venenum conficit, ex quibus apes ſuaviſsima mella conſtipant, & ita inquiens.

Idem Emb.15.

Toxica ab hoc carpit ſublimis aranea flore,
Dulcia quo parvæ mella parantur api.
Sic quoque virtutem, ſcelerata calumnia carpis:
Et quod in hac damnes, improbe livor, habes.

9 Huic autem umbræ ſe illi ſubtrahere ſolent, qui iam ſæpius cum ea colluctati, ad ſummum gloriæ faſtigium aſcenderunt: nam uti Sol, ſi imminet hominis vertici, aut prorſum tollit umbram, aut minimam reddit: & ut ait Tertullianus, *Poſitus in hypſomate, & domicilio ſuo eclipſim pati non poteſt*: ſic ingens gloria extinguit invidiam. Vel illi, qui nihil faciunt, vel habent, quod invidiam parere poſsit: nam quemadmodum ubi nullum lumen, ibi nulla umbra: ita ubi nulla felicitas, ibi nulla invidia, quæ etiam ſi Tacito credimus, *In mediocritate fortunæ pauciora pericula præſtat.*

Tert.lib 4.ad ſcapulam vide omnino ſimilia verba, Saaved.Emp.9. p. 59.

Tacit.14.an.

Saaved. Emp. 9. p. 58 & ſeqq. & pag. 68.

Cuius dictum recolens noſter Saavedra, & eadem, qua de agimus, umbræ ſimilitudine utens, ſic inquit. *Sombra es la embidia de la virtud, huya ſu luz qui en la quiſiere evitar. Deſconozcaſe a la fama, a las dignidades, a los oficios, el que ſe quiſiere deſconocer a la embidia. Con la igualdad no ay competencia. En creciendo la fortuna de uno, crece la embidia del otro. En la fortuna mediana ſon menores los peligros. Peligra la gloria en las proprias virtudes, i en los vicios agenos, &c.* 10

Horat. lib. 2. Saty. 3.

Sed Ego hoc ultimum damnans, quia non debet virtus ob vitandam invidiam relinqui, iuxta illud Horatij. 11

Invidiam placare paras virtute relicta?
Contemnere miſer: vitanda eſt improba Siren
Deſidiæ: aut quicquid vita meliore paraſti,
Ponendum æquo animo.

Cicer. in Catilin.

Et Ciceronis, qui de invidia, & periculis loquens, in quæ ob detectam parricidialem Catilinæ coniurationem inciderat, ſubdit, *Se tamen eo ſemper animo fuiſſe, ut invidiam virtute partam, gloriam, non invidiam putaret.*

Præſtantius aliud Conſilium meis Principibus, meo hoc Emblemate præſto, nempe, ut ſi invidiam, calumnias, & detractiones, quibus ſe, dum recta via incedunt, impeti ſentiunt, vincere velint, eaſdem ſpernant, & nauci faciant, ſibique conſtantes, macti virtute, eiſdem, quibus cœperunt, itineribus, ad gloriam, & præclara quæque facinora totis viribus adnitantur; ſciantque, propriam, ac genuinam Regalium mentium virtutem eſſe, cauſæ, conſcientiæ quæ ſuæ iuſtiſsimæ fidere, & quibuſcumque oblatis caſibus, calumnijs, vel detractionibus, ſemper ſibi ſimiles permanere. 12

M. Aurel. Imper. lib. 7. de ſui ipſ. inſtit.

Quemadmodum ſapientiſsimus Imperator M. Aurelius in ſui ipſius inſtitutione his verbis ſcriptum reliquit. *Quidquid alij loquantur, aut faciant, me quidem oportet eſſe Bonum; haud aliter quàm ſi aurum, vel ſmaragdus, vel purpura, ſemper ita diceret, quidquid alij dicant, aut faciant, aurum, ſmaragdum, vel purpuram eſſe me oportet, & colorem ſervare meum.* 13

Amian. lib. 22.

Erasm. in Adag. Pygmæi, vel Thiodamus cum Hercule pag. 259.

Parem laudem, ob eandem animi conſtantiam, & ſuſurronum contemtum, Amianus Marcellinus, Iuliano Imperatori (in alijs peſsimo) tribuit, inquiens, nihilo magis illum commotum fuiſſe blatteronum iniurijs, latratibus ac dicterijs, quam Hercules Pygmæorum aſſultibus exterritus fuerit, imò ea contemſiſſe riſiſſeque, velut Thiodamantis Lindij probra, conviciaque Hercules inultus neglexit, quem locum Eraſmus in Adagijs adducit, & explicat. 14

Macrob. 6. Satur. c. 15.

Virg. 6. Æneid.

Et ad hanc conſtantiam indicandam frequentiſsima eſſe ſolet, & proverbialis, ut Macrobius docet, ſimilitudo ſcopuli, in quem marini fluctus allidunt, ſed illiſi, & irriſi demigrant, qua etiam Nos in ultimo huius Emblematis Diſticho utimur, Ciceronem ſequuti, qui ea ſæpe uſus reperitur, & Virgilium, qui primò, de Didonis in ſuo propoſito conſtantia agens, ſic dixit. 15

Nec

Nec magis incœpto vultum ſermone movetur,
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

16 Et iterum ſic agens de conſtantia Regis Latini, in non exaudiendis populi vocibus, ac rumoribus iniquum bellum expoſtulantibus. Idem lib.7.

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit:
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: ſcopuli nequicquam, & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga.

17 Quibus in locis Cerda Noſter alia plura ſimilia congeſsit, inter quæ illud Nazianzeni, de conſtante homine, ita loquentis. *Non aliter opinor, ac rupes, quæ ventorum fluctuumque impetu, non modò, non concutitur, ſed etiam incurſantes undas, circa ſe frangit, atque abſumit.* Omiſſit tamen Senecam, qui multum ad rem de qua agimus, Socratem, ob invidiam carceri traditum, & multis iniurijs, & convicijs affectum, ſic loquentem inducit. *Illuſtrata eſt virtus mea, per ea ipſa, per quæ petebatur produci enim illi, & tentari expedit: nec ulli magis intelligunt quanta ſit, quàm qui vires eius laceſſendo ſenſerunt. Duritia ſilicis, nullis magis, quam ferientibus, nota eſt. Præbeo me non aliter, quam rupes aliqua in undoſo mari deſtituta, quam fluctus non deſinunt undecumque moti ſunt verberare: nec ideò, aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incurſu ſuo conſumunt. Aſsilite, facite impetum: ferendo vos vincam. In ea, quæ firma, & inſuperabilia ſunt, quidquid incurrit, malo ſuo vim ſuam exercet. Proinde quærite aliquam mollem cedentemque materiam in quam tela veſtra figantur, &c.* Quibus cum etiam conſonat illud Imperatoris M. Antonini Philoſophi ſe ipſum ſic docentis, & admonentis. *Debes eſſe ſimilis promontorij, ad quem aſsidui fluctus alliduntur, illud autem inconcuſum perſtat, undequè æſtuantes, circa ipſum coercentur.*

Nazianz. orat. 27.

Senec. de vit. beat. c.27.

M. Ant. Imper. in vita ſua lib 4.

Neque abeſt nobile Decaſtichon Conradi Rithershuſij, à Philip-
18 po Camerario relatum, quo ſuadere intendens, vulgi ſermones, & detractiones, fiducia rectæ conſcientiæ ſperni debere, ſic dixit. Camer. 3. ſubciſ. c.59. pag.215.

Neeſcia mens fraudum, inculpatæque integra vitæ,
Scommata nullius, nullius arma timet:
Omnia contemnit, ventis velut obvia rupes,
Mendaceſque ſonos unius aſsis habet.
At quibus interno improbitas præcordia puncta
Rodit, & infandum polluit ora ſcelus:
Perpetuis animi curis agitantur, & omnes,
Quæ ſuaſit ſcelerum ſarcina, ſcire putant.
Qui ſapit, ad vitam ſapiat: gere conſcia recti
Pectora, nec ſtrepitu commoveare levi.

Schoonh.Emb. 63.

Florentius etiam Schoonhovius in id ipſum reſpiciens,& invidiam, 19
ſive invidentiam,ipſis dumtaxat invidioſis nocivam eſſe ſolere,oſtendere volens, alia ſimilitudine,quæ in ſuperiorē incidit, utitur, ſagittarium depingens,in durum ſilicem iaculantem, in quem,ſagittæ ab ipſo miſſæ,reſiliunt. Quod, licèt diſsimulet, ab Eraſmi ſimilibus ſumſit, ubi ita habet, *Iaculum,ſi inſolidum aliquid inciderit , nonnunquam in mittentem retorquetur: ita convicium in fortem,& conſtantem virum tortum,recidit in convicium facientem.*

Eraſm.in ſimil.folio mihi 2.

Corn. à lapide in Eccleſ. c.27. part. 2.ex pag.204.

Saav.Emp.9.p. 58.

Idemque, Cornelius à Lapide pluribus locis,& exemplis illuſtrat, 20
& noviſsimè Saavedra Noſter, ſub duorum canum ſymbolo,qui ferratam cuſpidatamque Herculis clavam dentibus impetunt,quos ipſa, nihil damni paſſa,confringit atque cruentat.

Boiſard.Embl.19.

Et Iacobus Boiſardus ſub famæ pictura , per æthera convolantis, 21
humi interim invidia , vipereis linguis comitata, iacente, & ſeipſam acriter dilaniante,cum lemmate,*Vir bonus invidiæ ſecurus*, & his carminibus.

Fama per ingenuas quæſita laboribus artes,
Lucida,neglecta, ſidera tangit,humo.
Qui colis ima tenes,comes,invide livor,honeſti,
Illæſa à telis evolat alta tuis.

Quæ omnia ſatis oſtendunt, invidiam, ut diximus, calumniam, & 22
obtrectationem ex aliorum virtutibus, & felicitatibus generari, hæc tamen,quæ in ſe nihil ſolidum continent, nullo melius modo, quam per contemtum, & diſsimulationem à Magnis Principibus, & cordatis ubique conſtantibus viris elidi. Quod noviſsimè, ultra ſupra relatos,Antonius Burgundia hoc Emblemate ſignificavit.

Anton.Burg. in vitijs malæ linguæ 2.p.Emb.41. pag. 181.

Importuna latrat catulorum turba moloſſum;
Mox tamen,hic contrà quod nihil hiſcat,abit.
Scilicèt hæc animi generoſus deſpicit. Ora
Vis de te ſileant improba? Sperne,ſilent.

Theat.vitæ huma. Claud.Tolomeus in peculiari tract. Scip.Gent.in oratio. de maled. in Princip.poſt tract. de coniurat ex p. 287.Menoch. caſ. 377. Valenc.conſ. 164.

Et exemplo ſuo magno animo,Magnos Reges,& Imperatores docuiſſe, apud plures probatos Scriptores comperimus. Inter quos primas tulit David,ad gravia Semei convicia diſsimulans, ut in libro Regum habetur. Et Alexander Macedo , qui,ut in eius apophthegmatis tradit Eraſmus, cum obtrectari ſibi audiſſet, conſtanter reſpondit *Regium eſſe benè facere, & malè audire* , quod Scipio Gentilis oratione ligata ſic retulit. 23

Reg.2.c.16.

----------- Sed Regia res eſt,
Poſt benè facta pati tetras loligine linguas.

Laert & alij apud Valenc.dict.conſ. 164 n.3 & 10.

Licèt hoc dictum Diogenes Laertius, & alij Antiſtheni tribuant, eoque ſæpè uſum Alfonſum Regem Panormitanus ſcribat.

Panor. de dict.& fact.Reg.Alfonſ. lib 3.c.37.

Eadem prudentia,& comitate eiuſdem Alexandri Pater Philip- 24
pus, ſive ut alij malunt Pyrrhus Epirotarum Rex , cenſentibus ami-

cis

cis, ut quemdam,qui de ipſo malè erat loquutus,relegaret,non ſe facturum dixit, *ne aliò profectus, peiora de me loquatur, & coram pluribus.*

25 Caius etiam Iulius Cæſar præclarás alias animi dotes, quibus fuiſſe præditus legitur,hac patientia,& indulgentia exornavit,contumelioſiſsimos C.Calvi,& Catulli,&Auli Cæcinæ ſermones cõtemnens, ut Suetonius enarrat. Et eius ſucceſſor Auguſtus,onſilium,circa hanc tolerantiam, ſibi à Mæcenate datum, de quo nobilem mentionem, apud Dionem reperio, ita benè obſervavit, ut eodem Suetonio narrante, Æliano Cordubenſi de ſe malè opinanti, & ſcribenti pepercerit, dixiſſe contentus, *Faciam ſciat Ælianus, & me linguam habere, plura enim de eo loquar.* Et Tiberio de eadem re ſedulò, apud ſe per epiſtolam conquerenti, ita reſcripſerit, *Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimium indignari, quemquam eſſe qui de me malè loquatur. Satis eſt enim ſi hoc habeamus, ne quis nobis malè facere poſsit.* Ex qua benignitate,ei benè Parentis nomen conveniſſe, Seneca,omnino legendus,ſcripſit.

Suet. in Caio.
Dio.lib.52.Valen. ſup.n.17.
Suet.in Aug.c.51.
Senec. lib.1.de Clem.c.10.

26 Idem Tiberius tandem idem conſilium inivit, & ut Tacitus refert, convitia, & probra fœdiſsima in ſe coniecta,nec verbis modò, ſed & ſcriptis, carminibuſque procaciſsimis, moderatiſsimè tulit, atque contemſit. Adeò quidem, ut etiam Senatui vehementer roganti, ut in Authores, tam atrocium libellorum, atque ſermonum inquiri, atque animadverti vellet, reſtiterit, generoſa illa voce edita, *Non ſibi tantum otij ſupereſſet ut huiuſmodi negotijs ſe ſe implicaret. In civitate libera, liberas linguas eſſe oportere: nec ſapientis Principis eſſe, hanc Ianuam civibus patefacere, quo malignitatem, atque acerbitatem animorum ſuorum, colore vindicandæ dignitatis Principum, exatiarent.*

Tacit.

27 Eandem tolerantiam Scipio Gentilis in Germanico eiuſdem Tiberij filio,in Hierone Syracuſano, in Flavio Veſpaſiano,& quod magis mireris, in Nerone commendat, qui cum eſſet inſigni crudelitate, nec facilè, vel minimo peccato veniam daret, fuit tamen ad has contumelias moderatiſsimus, atque mitiſsimus. Fortè ea ratione ductus, *Quòd & talia ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare agnita viderentur*, ut Tacitus ait, eòque plures, more ingenij humani, ad idem audendum exacuunt ur,& excitantur.

Gentil.ubi ſup.
Tacit.

28 Sed nullus hac in parte magis enituit, quàm Adrianus, & Aurelius Severus Imperat. Romani, qui, ut Spartianus, & Lampridius in eorum vitis enarrant, Dicacibus, & Satyricis verſiculis impetiti, ſatis habuerunt, eiſdem, alijs non minùs lepidis reſpondere, Theodoſius Magnus Imperator, qui non contentus propria, quam ſemper habuit, moderatione, conſtitutionem nobiliſsimam de ea obſervanda, ſuo, & filiorum Arcadij, & Honorij nomine, in poſterum promulgavit, his verbis. *Siquis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubiugari, neque durum aliquid, neque aſperum volumus ſuſtinere: quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſsimum: ſi ab iniuria remittendum.*

Spartian. in Adr. Lamp.in Alex. Severo, vide etiam Eraſm.in Adag.leporem non edit. pag.
L. unic. c.ſi quis Imp.maled.

Cui

L.ult.tit.2.par.7.

29 Cui legi ſimilem aliam Alfonſus Rex Noſter inter ſuas ſeptem Partitas ſtatuit. Et in utraque mirabile eſt, quòd etiam iniurioſas obtrectationes, & ex malitia procedentes, contemnant, ſi quis fortè in eas aliquo dolore motus proruperit, *De algun grande tuerto, q̃ ovieſſe recibido del Rey, por mengua de juſticia que le non quiſieſſe cumplir, ò por grande maldad, que tovieſſe en ſu coraçon raigada con mal querencia contra el Rey.*

L. unic. C. de famoſ.libel.ubi DD.

L.4.tit.13.part.2.

L. reſpiciendum 11 D.de pœn.

30 Quibus non adverſantur aliæ conſtitutiones, quæ de famoſis libellis contra Principum, imò & privatorum honorem vulgatis, acriter inquiri præcipiunt, & malè, & iniurioſè de Principibus obloquentes, perinde delinquere, ac ſi eos occiderent, docent; vel ſaltem ex indulgentia lingua mulctandos, *De manera, que nunca con ella fablen.* Nam in hoc, ut & in alijs, Prudentiæ ſale opus eſt, & ut Martianus, I.C. ait, nec aut ſeveritatis, aut clementiæ gloria affectanda, ſed perpenſo iudicio, prout quæque cauſa expoſtulaverit, ſtatuendum.

Caſsiod. lib.2. ep. 27.

Tacit. & plures apud Canonher. 1.tom.aph. Polit. pag.439.

Sidon.lib.5.ep.8.

Suid.in dict.verb. Daphid.

Horoſ.lib.3.Emb. 25.

31 Nos enim, qui Principem vulgi latratus, & obtrectationes ſpernere commonemus (quod ut Caſsiodorus ait, *Vociferatione paſcitur*) non ideò eiuſdem libidini omnes maledicendi frenos laxamus; ſatis enim cognoſcimus, nihil magis Principibus, quam ſui contentum eſſe cavendum, & res eas omnes, quæ ſui exiſtimationem minuere poſſint, & in huius conſervatione veriſsimum, ac potiſsimum cuiuſque Imperij, & Dominationis fundamentum conſiſtere, ſummaque imis confundi, ut Tacitus ait, ubi eius reverentia animos exceſsit. Maximè, cum iuxta Sidonij Apollinaris ſententiam, *Improborum probra æquè, ac præconia bonorum immortalia maneant*, & Daphidam apud Suidam, & alios, in monte Thorace laqueo ſuſpenſum legamus, quòd in more habuit ſuis carminibus Regum actiones mordere. Ex quo in rem noſtram Emblema quoddam conſtruxit, & pluribus ornavit Don Ioannes Horoſcius, Covarruvias, *Sub lemmate Principibus non maledices*, quod ſic habet.

Daphidas el Gramatico atrevido,
En el monte Thoraz veis ahorcado,
Porque con libertad ha pretendido
Dezir mal de los Reyes, y fue oſado
En ſus perverſos verſos deſmedido,
Contar quanto mal de ellos ha ſoñado:
Tal caſtigo mandaron ſe le dieſſe,
Porque eſto à los demas exemplo fueſſe.

Clementem igitur, non Dementem in ſimilibus cauſis Principem cupimus, & qui ex perſonæ, loci, temporis, ſcommatum, obtrectationum, libellorumve qualitate, mentem animumque obtrectantium dignoſcere poſsit, & an quæ dicta ſcriptave eſſe compererit, in grave Regiæ dignitatis, vel Regni detrimentum vergere poſsint, & Maieſtatis læſæ nomen, ac ſupplicium mereri. Prout apertè illæ eædem Sanctio-

nes

nes oſtendunt, quæ Imperatores, & Reges ad eiuſmodi iniurias diſſimulandas, vel remittendas hortantur; cum tandem in calce concludant. *Integris omnibus, hoc ad Principis ſilentiam referri debere, ut ex perſonis hominum dicta penſentur, & utrum prætermitti, an exequi debeat cenſere poſsit.*

32 Vnde merito Iacobus Menochius poſt longam, & doctam huius articuli tractationem. Arbitrarium eſſe reſolvit, & Scipio Gentilis eleganti de eodem, ad utramque partem oratione habita, eandem diſtinctionem admittit. Vellemque, ut omnes Principes pari confidentia, ac Titus Imperator apud Xiphilinum, de ſe dicere poſſent. *Nemo me iniuria afficere, vel inſequi contumelia poteſt, propterea quòd nihil ago, quod reprehendi mereatur. Ea verò quæ falſò de me dicuntur, prorſus negligo*, vel illud Senecæ memoriæ mandarent, qui inter alias plures ſimiles ſententias, ſic habet. *Magnam fortunam, magnus animus decet, cuius eſt proprium placidum eſſe, tranquillumque, & iniurias, atque offenſiones ſemper deſpicere.* Et iterum alio in loco, *Magni animi eſt iniurias deſpicere. Vltionis contumelioſiſsimum genus eſt, non eſſe viſum dignum ex quo petatur ultio. Multi leves iniurias altius demiſere, dum vindicant, &c.* Cum quo mirè conſonant Philemonis Comici verſus, quos Gregorius Berſmanus, ita Latinos fecit.

Menoch. de arbit. caſu 377.
Scip. Gen. ubi ſup.
Xiphil. in Tit.
Senec. de Clem. lib. 1. c. 6.
Idem lib. 2. de ira, c. 32.

Haud auribus concentus eſt iucundior,
Quam devorare criminantis iurgia.
Nam muſsitando ſiquis hæc redarguat,
Ipſum refutant criminantem crimina.



Bea-

Beatus ante obitum nemo.

EMBLEMA XCIX.



Dum Creſſus memorat moriturus dicta Solonis,
Mitior in captum, vivere Perſa iubet.
En Geminos una hæc docuit ſententia Reges,
Felix ante obitum nullus habendus erit.
Diſce hinc qui laudas, Fata expectare Potentis,
Ne Mors condemnet; quæ ſua vita probat.

COMMENTARIVS.

VITAM Noſtram Mimum, & velut Scenam theatralem eſſe, Mortem autem ultimum huius Scenę actum, ſive cataſtrophen, quæ aperit, an in comædiam, vel in tragædiam Fabula deſinat, veterum circumfertur Adagijs. Et ad hoc alludens Licinius meritò dixit. 1

Eraſm. in Adagijs pag.265.& 716.

Scena eſt hæc vita, ludus: vel vivere diſce
Abijciens curas, vel tua damna pati.

Et

Et Auguſtus Cæſar, Dum paulò ante obitum, authore Tranquillo, amicos percunctatus eſt, *Ecquid his videretur Mimum vitæ commodè tranſegiſſe?*

Sueton. Tranq. in Aug. c.

Et Seneca inquiens, *Quomodo fabula, ſic & vita: non quandiu, ſed quàm benè acta ſit refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco deſinas, quocumque voles, deſine, tantùm bonam clauſulam impone.* Neque aliud ſenſit Æneas Sylvius dum dixit, *vita noſtra revera, nihil aliud quàm comædia, cuius ultimus actus de morte agitur*, & magis in rem noſtram Ludovicus Vives, ſic inquiens. *Comædia eſt vita humana. Eſt enim ceu ludus quidam, in quo unuſquiſque agit perſonam ſuam. Danda eſt opera, ut moderatis affectibus tranſigatur: ne cruenta ſit cataſtophre, aut funeſta, qualis eſſe ſolet id Tragædijs, ſed læta, qualis in Comædijs.*

Sen. epiſt. 78.
Æn. Sylv. in notis ad Panorm. lib. 3.
Vives in Satellit.

2 Valerius quoque maximus eandem diſciplinam nobis exhibens, inquit. *Humanæ vitæ conditionem præcipuè primus, & ultimus dies continet: quia plurimum intereſt, quibus auſpicijs incohetur, & quo fine claudatur. Ideoque eum demum felicem fuiſſe iudicamus, cui, & accipere lucem proſperè, & reddere placidè contigit. Medij temporis curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modò aſpero, modò tranquilo motu peragitur, &c.* Et in idem tendens Iuſtus Lipſius, ſic, non minùs eleganter ſcripſit. *Nihil hic diuturnum, in fabulis prodeunt Reges, Satrapæ, alia officia, & quidam ſatellites, ac perſonæ in ſpeciem, & mutæ. Ecce alij diutius ex ijs hærent in Scena, & loquuntur: alij oſtendunt ſe tantùm, & nec vocem edunt: ſimile nobis eſt, vario munere, aut dignitate in Theatrum hos Vniverſi mittimur; alij ſilentio tranſimus, aut oſtendimur tantùm. Nihilo tamen deterior ille, qui vili veſte, qui non diu hæſit, quàm ille, qui Regem, aut lòngum carmen egit. Apud Deum vita longa, non optima, ſed innocentiſsima.*

Valer. Max. lib. 9. c. 12.
Lipſ. in cent. Miſcel. ep. 29.

3 Quod quidem, ideò præmittere volui, ut intelligant Principes, & cæteri, qui clavum Reipublicæ tenent, parum ſe profeciſſe, ſi initio, vel medio ſuæ gubernationis, virtutibus, & præclaris documentis, de quibus huc uſque egimus, quibuſque præditos, & inſtructos eſſe deſideramus, ſedulam operam naveat, niſi & hanc in ultimum quoque vitæ actum pari cura, & ſtudio deducant, qui palmam in fabulis poſcit; & æquabili curſu ad candidam illam metam decurrant, in qua qui uſque in finem legitimè certaverint, ſecundùm Apoſtolum coronantur.

D. Paul. 2. ad Timoth. 2. 5. D. Matthæ. 24. 14.

4 Sunt enim plures, qui, ut Tacitus ait, *Acribus initijs, incurioſo tamen fine* ſe in his muneribus habent, & merita atque ornamenta præcedentis ætatis, quæ ſingillatim, diuque optimis moribus, & actionibus collegerunt, poſtmodum, in ultimis eiuſdem periodis, in vitia, vel deſidiam prolapſi, malo exitu univerſa ſubvertunt, & quidquid gloriæ, quidquid laudis pararunt, hac cataſtrophe obruunt, ut in Saule, Salomone, & alijs, Sacræ litteræ notant, & Profanæ in Annibale, Tiberio, Nerone, Vitellio, Galba, Lucullo, Metello Pio, & alijs, paſſim oſtendunt. Simul ſignificantes, paucos eſſe, quorum virtus ſciat, cum felicitate luctari, plurimos autem, qui in felicitate poſiti, ab ipſa demum felicitate vincuntur.

Tacit. an. 4. Brantius de Senat. lib. 2, cap. 24. Ego 2. tom. lib. 4. cap. 4. n. 6.

Tacit. 1. hiſtor. & 16. annus vide Raderum ad Curtiũ. pag. 27.

Quod cauſam præſtitit Tacito, ut abſolutè dicere potuerit, ſolum 5
Veſpaſianum, omnium ante ſe Principum, in melius poſt imperium mu-
tatum. 6

Eraſm. in his Adag. pag. 116. & 574.

Ovid. 3. Metam.

Cum tamen qui rectè ſapiunt, animadvertere debeant, in virtutibus, & glorioſis actionibus, non progredi, regredi eſſe, haſque ab exitu iudicari. Indeque, vel in Adagium tranſijſſe, *Finem vitæ expectandum*, hic eſt enim, qui totam vitam honorat, *Et ante mortem neminem Beatum* dici poſſe, ut de Actæone loquens dixit Ovidius.

> --------- *Sed ſcilicèt ultima ſemper*
> *Expectanda dies homini eſt, dicique beatus*
> *Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.*

Quam etiam ſententiam Auſonius ſic carmine Trochaico expreſsit.

> *Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta ſunt.*

Sophoc. in oedip. & in Trachin.

Et in eandem tendens Sophocles, iam ſuo tempore proverbialem fuiſſe oſtendit, ſic inquiens.

> *Vetus inter homines extat hoc Proverbium,*
> *Haud poſſe quemquam, quempiam cognoſcere,*
> *Bonus an malus ſit, antequam fatalibus*
> *Defunctus annis, ultimum obicrit diem.*

Eurip. in Andron. Heraclid. in Troadib. Dionyſ. Tyran. in Leda.

D. Ambroſ. lib. 1. de bon. mort. c. 9.

Similia paſsim Euripidis, Heraclidis Diphili, & aliorum Græco- 7
rum, & Latinorum Poetarum carmina extant, ſed omnia ſuperant verba Divi Ambroſij dicentis. *Si laudari ante gubernator non poteſt, quàm in portum navem deduxerit: quomodo laudabis hominem, prius quàm in ſtationem mortis ſucceſſerit? Et ipſe ſui eſt gubernator, & ipſe vitæ huius iactatur profundo. Quamdiu in ſalo eſt, tandiu inter naufragia. Dux ipſe, niſi confecto prælio non ſumit lauream, nec miles arma deponit, nec ſtipendij mercedem adipiſcitur, niſi hoſte ſuperato. Mors igitur ſti pendiorum plenitudo, ſumma mercedis, gratia miſsionis eſt.*

D. Auguſt. in ep. D. Paul.

D. Paul. 2. Timot. 2. 5.

Præclarè quoque, & magis ad intentum noſtrum, Divus Auguſti- 8
nus, illud Apoſtoli, quod iam citavimus, explicans, ubi non poſſe coronari docuit, niſi qui legitimè certaverit, inquit. *Nullus legitimè certat, niſi qui in campo, uſque ad finem certat: & ſi certat uſque in finem, ideò meritò coronatur: non eſt igitur magnum bonum incohare, quod bonum eſt; ſed conſumare, hoc ſolùm perfectum eſt: multi enim aggrediuntur magna, ſed deficiunt in via, multi exeunt in deſertum, ſed pauci perveniũt in terram promiſsionis.*

Schoonhov. Emb. 44.

Ovid. ep. 2.

Et eandem doctrinam Emblematicè inſinuare volens Florentius 9
Schoonhovius, ſub lemmate *Exitus acta probant*, quod ex Ovidij carmine ſumſit, capram depingit, quæ lac, quod ubertim in mulctram infuderat, pedibus poſteà inverſis, humi refundit, his verſibus additis.

Diſ-

Diſtento petulans lac quod dedit ubere capra,
Calcibus invertens mulctra refundit humi:
Sunt ſimiles capræ, qui turpi crimine vitæ
Poſt modò denigrant, quæ benè cœpta prius.

Huius rei duas cauſas ſtatuens; Primam, ingeniũ humanũ, quod à labore proclive eſt ad otiũ; Secundã, Honorẽ, & Potentiã, quæ ſæpè impotentiã creant, & à veteri illa via, & vita ſeducũt, ſicut cœli inferiores à ſupero illo abripiũtur, & quamquàm contra nitẽtes, tamẽ obſecũdant.

10 Saavedra autem Noſter, metas proponit, ſive lapides terminales, quibus ſtadium diſtingui ſolebat, in quorum medio Corona conſpicitur, cum titulo, *Qui legitimè*, ſic Principes inſtruens, ut anteactæ vitæ laudabilem curſum ad metam, uſque mortis continuent, ſi debitum ſibi famæ, & gloriæ bravium conſequi velint. *Porque no ſe corona ſino al que legitimamente llegò a tocar las ultimas metas de la muerte; i la cuna no floreçe, haſta que ha florecido la tumba, i la fama es el ultimo eſpiritu de las operaciones, las quales reciben luz, i hermoſura della.* Quod idem valet, atque illud Antagenis. *Ita vivendum eſſe hominibus, ut vivi laudabiles ſint; mortui autem Beati iudicentur.*

Saaved. Emb. 100 pag. 730.

Antag. apud Antonium in Melliſa part. 2.

11 Ego autem, huic documento, illud etiam cõiungere volens, nequis dum vivit, proſperis rerum ſucceſsibus ſuperbiat, & efferatur, Beatumve ſe prædicet, aut exiſtimet, cum ut noſter Seneca ait, *Neminem illæ ſum fata tranſmittant*, & tunc demũ extra ictus fortunæ conſtituamur, cum anima noſtra hoc corporis carcere emiſſa, in cœlum, unde duxit originem, evolarit, vulgatam quidẽ, ſed omni ævo ab omnibus ſummè celebratam, & commendatam Creſsi, & Cyri hiſtoriam ob oculos pono, quam iam pupugi ſupra, & latè Herodotus, Plutarchus, Auſonius Gallus, & alij paſsim Scriptores enarrant. Etenim cum Creſſus Lydorum Rex, arridentis ſibi fortunæ ventis inflatus, & multis divitijs onuſtus, à Solone rogaſſet, an ne eum beatum exiſtimaret? Hicque, eius pariter ſuperbiam, ac gazas deſpiciens, liberè reſpondiſſet, ſe eos ſolos Beatos feliceſque reputare, quibus Deus ad mortem, uſque felicem vitam tribuiſſet, & ob hoc reſponſum, tunc Creſsi erga ſe animũ irritaſſet, poſteà, cum à Cyro victus fuiſſet, & pyræ cremandus imponeretur, veritatem dicti Solonis proprio infauſtoque experimento cognoſcens, exclamare cœpit, *ò Solon, Solon*. Quo audito, cum Cyrus cauſam talis exclamationis interrogaſſet, ut verbis Auſonij utar.

Senec. de remed. fort.

Sup. Emb. *6*.

Herod. lib. 1. Plut. in Solon. Auſon. in Lud. Sep. Sap. in Solon.

Auſon. ubi ſup.

Seriem per omnem cuncta Regi ediſſerit:
Miſeratur ille: vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem, Creſſum in amicis habet,
Vinctumque pedicis aureis ſecum iubet
Reliquum quod eſſet vitæ, totum degere,

12 Ad quam hiſtoriam alludens, etiam Iuvenalis, dixit.

Iuvenal. Satyr. 10.

———— *Quem vox iuſti facunda Solonis*
Reſpicere extremæ iuſsit ſpacia ultima vitæ.

D.Sebaſt.Covarr. cent.1.Emb.98.

Et Noſter Don Sebaſtianus Covarruvias ex eodem aliud Emblema ſimile noſtro,& à me poſt hæc ſcripta viſum,formavit, cum lemmate ultima ſemper expectanda dies,& hoc carmine non indigno relatu.

Ninguno por mas rico, i poderoſo
Que ſea en eſta vida,no ſe atreva
A uſurpar el nombre de dichoſo,
Pues de razon no ay a quien ſe deba.
Antes que el deſdichado,ò venturoſo
Dia poſtrero,que à la fin nos lleva,
Declare, i aſſegure con la muerte,
De cada qual,la buena,ò mala ſuerte.

Eiuſque certitudinem,paulò poſt,& adhuc infelicius,ipſe Cyrus in ſe ipſo cognovit,ubi trans Araxem fluvium,cum ducentis millibus Perſarum,à Scytharum,ſive Maſſagetarum Regina Tomyri,tam fæda occiſione occiſus eſt,ut ne nuntius quidem tantæ cladis ſuperfuerit: capite deinceps eius in dolium ſanguine plenum demerſo, & hoc inter mergendum elogio addito,*Satia te ſanguine,quem ſitiſti*,ut poſt Herodotum,& alios Sabellicus memorat. Vſque adeò illud Lyrici, & aliorum obtinet,cum quibus ſupra probavi.

Sabell.Enea.6.c.5
Horat.& alij apud Me,ſup.Emb.5.

Fortunam nunquam perpetuò eſſe bonam,

Plut.id apoph.

Ad Solonis autem monitum reſpiciens Epaminondas,ut Plutarchus enatrat,interrogatus,quem arbitraretur Ducẽ præſtantiſsimum, 13
ſe ipſum ne,an Chabriam,an Iphicratem?*Id* (inquit) *iudicatu difficile eſt,donec vivimus.* Et idem,ipſe idem Plutarchus refert,de Ageſilao, qui audiens quendam,Perſarum Regis, adhuc iuvenis, admirari felicitatem,reſpondit.*Nondum vitæ finis adeſt,vir optimè. Nam ne Priamus quidem,cum eius eſſet ætatis erat infelix,qui tamẽ miſerè,iam ſenex in Troiano incendio ultimum clauſit diem.* Et Ælianus narrat Simonidem Ceum,ſuperbienti Pauſaniæ Lacedæmonio dixiſſe,*Quod homo eſſet,meminiſſet*,quod cum tunc parum curaſſet, poſteà fame moriens, magnis vocibus inclamavit,*ò Cee hoſpes,magnum quidam in tuo ſermone inerat. Ego verò inani perſuaſione eram adductus,ut eum nullius momenti putarem.*Friderico etiam Imperatori frequentem hàc fuiſſe ſententiam.*Id demum eſſe bonum,cuius finis,aut exitus bonus eſt.*Eaque ferocientem, & nimium ſuperbientem quendam Ducem Vvitembergenſem compeſcuiſſe,Æneas Sylvius,& Philippus Camerarius recenſent.

Idem,ibid.

Ælian.de var.hiſt. lib.9.c.41.

Æneas Sylv.in notis ad Panorm.lib. 4. Camer. 3. ſubceſ.

Nam ut prudenter Tragicus,inquit.

Quem dies vidit veniens ſuperbum, 14
Hunc dies fugiens vidit iacentem,
Nemo confidat nimium ſecundis.

Sen.in Agam. act. 1.ſect.3.
Ouid.de Pont.lib. 4.eleg.3.

Et Ovidius,iſtud idem exemplis declarans,ſic optimè canit à noſtro Creſſo incipiens.

Divitis audita eſt cui non opulentia Creſsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoſte tulit.

Nem-

Ille Syracuſia modò formidatus in urbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
Quid fuerat Magno maius? tamen ipſe rogavit,
Summiſſa fugiens voce clientis opem.
Cuique viro totus terrarum paruit Orbis,
Indigus effectus omnibus ipſe magis.
Ille Iugurthino Clarus, Cymbroque triumpho,
Quo victrix toties Conſule Roma fuit.
In cœno Marius iacuit cannaque paluſtri,
Pertulit, & tanto multa pudenda viro.

15 Et ob hanc morum, vel fortunæ mutabilitatem, quæ dum quis vivit contingere ſolet, & poteſt, ita ut ex bono in pravum degeneret, vel ex ſumma felicitate, in ſummam miſeriam prolabatur, iuſte monemur in Eccleſiaſtico. *Ante mortem ne laudes hominem quamquam.* Quò ultimi noſtri Emblematis verſus ſpectant, & vetus illud Chilonis, qui fuit unus ex ſeptem Græciæ ſapientibus, monitum, *Defunctum lauda*, cuius mentionem facit Volaterranus.

Eccleſ. 11. 30. vide alium Adagium ſapientia in exitu canitur, ex Salviano inter Adag. Eraſm. pag. 609.

16 Cui rationi illa etiam adijci ſolet, quòd ſecundùm Ariſtotelem viventes, & Potentes laudare, adulationis periculo ſubeſt, vel laudati modeſtiam offendit, quod in mortuis timeri non poteſt, ut Divi Auguſtinus, & Ambroſius docuerunt, dicentes, *Ibi eſſe à vanitate remotā laudationem, ubi etiam vituperatio ab offenſione ſecura eſt, & nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio.* Et Peſcennius Niger, de quo memorat Spartianus, quòd cum ei Imperatori creato, quidam Panegyricum recitare vellet, Imperator reſpondit. *Scribe laudes Marij, vel Annibalis, vel alicuius Ducis optimi, vita functi, & dicquid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irriſio eſt; Maximè Imperatores, & maximè de quibus ſperatur, qui timentur; qui præſtare publicè poſſunt, qui poſſunt necare, qui proſcribere, ſe autem vivum placere velle, etiam mortuum laudari.*

Plat. lib. 7. de Rep. Ariſt. 2. Rheth idt videtur ſentire Tacit. 1. ann. Arrian. in princ. ſuæ hiſt.
D Aug. in epiſ. ad Dioſcor. D. Amb. in nat. 5. Euſeb.
Spart. in Peſcen.

17 Vnde, & Ammianus Marcellinus ſcripſit, *Ea demum laus grata eſſe debet excelſæ poteſtati, cum interdum, & vituperationi ſecus geſtorum patet locus.* Quod prorſus convenit cum alio Ageſilai, apud Plutarchum apophthegmate, & Noſtro Ioanne de Mena, dum cecinit.

Ammian. lib. 15.
Plut. in Lacon.
Ioan. de Mena in triumph. Mercur, copla 92.

Mas de preſentes hablar no me toca,
Verdad lo permite, temor lo devieda.

Vbi eius Cōmentator alia congeſsit. Et Trajanus Boccalinus tantū in hanc partē inclinat, ut Appollinem in Parnaſſo, ita ſtatuentē inducat. *E per eſterminar dal mondo il nefando vitio dell' adulatione, à la quale con infinito dolor noſtro veggiamo i noſtri virtuoſi multo inclinati, eſpreſſamente comandiamo, che à Scritore alcuno non ſia lecito publicare vita di qual ſi voglia Heroe, anchor che prefulgeſſe d' Imperatoria ò Real dignità, prima che egli ſia morto. Contentando ci che de gli huomini vivi ſolo ſi poſſa far mentione nell' hiſtorie univerſali, ò in un breve elogio particolare.*

Trajan. Boccalin. centur. 1. Ragualli 54 pag. mihi 245.

Pſal. 32.
L. & virtutum, C. de ſtat. & imagin. l. Iuſtiſsimos, C. de off. rect. provinc.
Plut. in lib. an ſeni ſit ger. Reſp.

Quæ quidem rationes,& auctoritates me ſuperioribus annis ancipi- 18
tem reddiderunt,à Magno quodam,mihique amiciſsimo viro conſul-
tum,an ei licitum,& honeſtum videri poſſet,de graviſsimo alio,& in
magno faſtigio poſito,hiſtoriam,rerumve,quas gerebat,diariam,heb-
domadariamve relationem,typis excuſam,in vulgus emittere? Quam-
vis non ignorem Regium Pſaltem dixiſſe, *Rectos decet collaudatio*, &
nec novum,nec inſolens eſſe,ut benè gerentibus, etiam vivis,& præ-
ſentibus,laudis tribuatur aſſenſus,cum vel iura ipſa, *Iuſtiſsimos,& vi-
gilantiſsimos iudices, publicis acclamationibus collaudandi,omnibus de-
derint facultatem*,& Plutarchus,huius moris utilitatem commendans,
has laudes duces,& auctrices benevolētiæ Magiſtratuum eſſe tradat,
& tanquàm lumen,& nitorem aliquem gaudio de virtute concepto ſu-
peradijcere.

Lipſius ex Sidon. in eleg. eiuſd. Pan. Cuiac. in l. 2. §. Imperator de iure fiſci, Manut. in epiſt. ad Aloiſ. Mocen.

Et quod magis ad rē facit,in nobili illo Panegyrico,quē Plinius Tra- 19
iano dixit,& in quo ſeipſum,& omnes alios huius generis Scriptores
ſuperavit,ut Iuſtus Lipſius,Iacobus Cuiacius, & Aldus Manutius teſ-
tantur,quam ſit utile,& neceſſarium,Principes,etiam vivos & præſen-
tes,laudibus,quas merentur,extollere,& eodē,ſuoque exemplo alios,
ad virtutem ſectandam hortari,elegantiſsimis verbis oſtendit.

Plin. Iun. lib. 6. ep. 16. & lib. 5. ep. 8.
Cicer. lib. 5. fam. epiſt 12. Spart. in Adriano.
Tacit. in Agric. in princ.
Plato de amor.
Stobæus ſerm. 14.
Horat. lib. 1. epiſt. 18.

Et planè,ſi quæ de vivis adhuc Principibus,& Potentatibus ſcribū- 20
tur,vel collaudantur,veris falſa non miſceant, neque adulationi,ſed
regulis hiſtoriæ deſerviant,quæ ut idem Plinius ait, *Non oſtentationi,
ſed fidei veritatique componitur,quæ ſola in honeſtis factis ſufficiens eſt*,
non uſque adeò ſuccenſendus videri debebit,qui hunc in ſe laborem
ſuſceperit. Cum plures Magni viri ſuæ ipſi vitæ libros ſcripſerint, ut
Cicero,& Spartianus oſtēdunt,& Tacitus, Soceri ſui Agricolæ ſimile
ſtudium his verbis excuſans. *At plerique ſuam ipſi vitam narrare,fidu-
ciam potius morum,quam arrogantiam arbitrati ſunt. Neque id Rutilio,
aut Scauro citra fidem,aut obtrectationi fuit*. Et ea ſolùm collaudatio à
Platone reprehendatur, *In qua vt cuncta,& maxime præferantur,falſa
proferuntur*. In quod incidit illud Democriti,apud Stobæum,qui rectè
facta collaudare honeſtum eſſe dicebat, mala verò laudibus vehere,
adulterini,& impoſtoris animi eſſe indicium. Et Horatij præclarè mo-
nentis.

Qualem commendes etiam, atque etiam aſpice,ne mox
Incutiant tibi aliena peccata pudorem.

Oven. in Monoſt. Epig. 66.

Eſtque apud Tacitum,Plinium Iuniorem,Mamertinum,& reliquos 21
Panegyriſtas,hæc proteſtatio,ceſſantis in ſuis laudationibus adulatio-
nis,admodum frequens,& præcipuè apud Latinum Pacatum,quorum
verba,ut & plura alia,quæ in rem eandem adduci poſſent,brevitati
conſulens,miſſa facio,cum Moderno Epigrammatario concludens.

Mortis honos eſt ſcire mori,vitæque Beatæ,
Exitus eſt teſtis,qui ſine labe fuit.

Mu-

Munimentum ex Monumento.

EMBLEMA C.



Suſpice Pantheon, Regum immortale ſepulchrum,
Pluſquam mortali culmina ducta manu.
Cælo certat humus; certant laquearia cælo,
Hiſpanos auro, quæ tegit urna Duces.
Te maius, nihil Orbis habet, nihil aſtupet Æther,
Tu nihil Auſtriadum funere maius habes.
Hoc opus ingentes non explevere Philippi,
Exples Maior Avis, Magne Philippe, tuis.
Donavit cœlo Manes Deus, Oſſa Philippus,
Quis neget è vobis nil retinere ſolum?
Quis ve ſepulchralem molem cum ſpectat, ad aſtra,
Regia, qua ducit, non parat ire, via?

COMMENTARIVS.

1 MAGNIFICVM Templum à Catholico pariter, ac Potenti, & Prudenti D. Philippo II. Rege Noſtro Divo Laurentio ex voto conſtructum, atque ſacratum, prope pagum, qui vulgò dicitur: *El Eſcorial*, Hieronymianumque cœnobium, & Palatium iuxta illud ædificatum, inter omnia opera, quæ noſtra, & antiqua ſecula viderunt, & admirationem merentur, longè eminere, atque

Petr. Bertius, & Ortel in tab. Geogra. Lantius in oratio. pro Hiſp. Pet. Matth lib. 1. narr. 4 Bellòl. de incremen. Imp. cap. 2. pag. 11.

adeò iure, ac meritò Octavum Mundi Miraculum appellari poſſe, in eoque pluſquam viginti auri milliones inſumtos fuiſſe, non ſolùm Noſtri, verùm Exteri etiam Auctores, uno ore teſtantur, & lato carmine extulit Michael Vander Antuerpianus, quod ſic incipit.

Cæſareas Moles, atque alta Palatia Regum
Ne poſt hac Latium, aut Græcia iactet ovans:
Pyramides, & Aquæductus, mira Amphitheatra,
Et Circos veteres inclyta Roma premat.
Priſca fides ſileat vaſti Miracula Mundi,
Nam faciunt noſtra ad ſecula, priſca nihil.
Vnus enim Heſperiæ Rex Maximus ille Philippus,
Miracla exuperans omnia, condit opus:
Non opus, at Molem, qualem neque tota vetuſtas
Vidit, & hæc ætas non habitura parem, &c.

D. Sebaſt. Covarr. Emb. 36. cent. 1.

Quod carmen imitatus Noſter Don Sebaſtianus Covarruvias, in 2
hunc Hiſpanum Phythmum contraxit.

El Epheſino Templo, la muralla
De la gran Babylonia, i del Egipto
Las Piramides altas, i la talla
Del Mauſoleo de Caria, i quanto eſcrito
De ſoberanas fabricas ſe halla,
Que el tiempo ha conſumido, i ha preſcrito,
Son cifra del Milagro raro al Mundo,
Sepulcro de Filipo Rey Segundo.

Hoc in Templo, ſub Altare, quod Maius appellant, idem Rex 3
Magnus, Caroli Maximi Parentis ſui votum ſequutus, ſacellum fieri deſtinavit, quod ipſorum, antecedentiumque, & poſterorum Hiſpaniæ Regum Manibus ſacraretur, & in quo eorundem cineres, aut oſſa pro dignitate reconderentur, Reges Ægyptios, & alios antiquitus, qui ſimiles pyras, & Mauſolea magno ornatu, & incredibili ſumtu, in ſimilem finem, conſtruxiſſe leguntur. Piam, egregiam, ac verè Regiam, tanti Patris deſtinationem, Pius ipſius Filius D Philippus III. in effectum deduxit, & exquiſito opere Ovatum, ex Pario Onychinoque marmore jaſpide, & alijs pretioſis lapidibus multis coloribus variegatis, Repoſitorium condere cœpit, adeò fabrè factum, ut nihil illic ad ſummam perfectionem peritiſsimi artifices requirere poſsint. Quod tandem D. Philippus IV. Rex, ac Dominus Noſter, Paternæ, & Avitæ Pietatis æquè, ac Regnorum ſucceſſor, ultima, & excellentiori adhuc manu donavit, elaboratiſsimis urnis, quæ ſingulos Reges capere poſsint, ex Porphyretico lapide fabricatis, bracteatiſque, & auratis æneis laminis circumplexis, & gradatim in gyrum miro ordine collocatis, tanta arte, talique Maieſtate, ut materia ibi cum opere, & opus cũ materia contendere videatur, & illa ra

rius

rius nihil, hoc nihil perfectius, & exactius inveniri poſsit, vel cogitari.

4 Hui ſacello Pantheonis nomen inditum eſt, non tam quòd Regum corpora condat, qui Divorum appellatione, ut alibi dixi, donari ſolent, hos enim Titulos Pietas Noſtrorum abhorret, quàm quòd in Sanctorum omnium honorem dicatum ſit. Et cum ei, ita perfecto, & abſoluto, inſcriptiones expeterentur, quæ hoc omne, quod diximus, paucis, pro ipſius Pantheonis foribus, denotarent, Nos, utcunque, hoc Epitaphicum Carmen, quod hic lector, cernis, elaboravimus, ultimoque nunc Diſticho addito, nihil planè aptius excogitari poſſe cenſuimus ad Emblema formandum, quod hucuſque exhibitis colophonem imponat, & Noſtrorum Catholicorum Regum exemplo, reliquos Reges, ac Principes moneat, virtutum omnium firmitatem, ac munimentum in memoria, & conſideratione Monumenti, ſepulchrique conſiſtere, nihilque aliud ad Regium tumorem deponendum, quàm Mortis timorem prodeſſe, à qua nulla Diademata, opes nullæ, nec ulla imperia poſſunt eripere poſsidẽtem. Nam vt ait Ovidius.

Sup. Emb. 2. & 8.

Ovid. ad Liviam de morte filij.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Et quæ, ut pulchrè dixit Horatius.

Horat. 1. Carm. Od. 4.

------------- *Æquo pulſat pede,*
Pauperum tabernas, Regumque turres.

Et eum ſequutus Claudianus.

Claud. 2. rapt. Proſerp.

Sub tua purpurei venient veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere mixti,
Omnia mors æquat.

Hæc enim, ut benè Alter.

------------ *Sola ultricibus armis,*
Elatos frenans animos, communia toti
Genti ſceptra tenens, æternaque fœdera ſervans,
Et magnos parvoſque terit: nam fortibus æquat
Imbelles, populiſque Duces, ſeniumque iuventæ.

Vnde vulgaris, ſed digna relatu hominum, cum calculis ludi Scacorum, poſtquàm ſaco includuntur, ſimilitudo, ex qua Noſter Don Sebaſtianus Covarruvias, hoc Emblema confinxit.

De hoc ludo, qui apud Nos dicitur Axedrez, vide cõgeſta à Pantoja in tract. de Aleat. ex pag. 126.

D. Sebaſt. Covarr. cent. 1. Emb. 23.

Panom. lib. 4. Iuven. Satyr. 10.

El Rey, la Dama, Arfil, Roque, Cavallo,
Cada qual deſtos tiene en el tablero
Su caſa, ſu poder, y en el mudallo
Se guarda orden, y concierto entero.
Al fin del juego, por mi cuenta hallo,
Que en el ſaco el Peon entra primero,
I al rematar los bienes, y los males
De aqueſta vida, todos ſon iguales.

Panorm.lib.4.c. 26.
Iuven. Satyr.10. verſ.173.

Quod benè agnoſcens Alfonſus Aragonum Rex, apud Panormitanum, requirenti, quæ nam res Principes, ac privatos, divites, ac pauperes exæquaret, reſpõdit, *Cinis*, ſignificãs, quod paucis habet Iuvenalis.

-------------- Mors ſola fatetur,
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Et quod licèt quis ſe attollat in vita, manus, & ſpes ab Oriente in Occaſum mittat: illa contrahet, & te intra te coget.

Eccleſ.7.40.
D.Aug.in tractat. de ſp.pec.c.1.

Et hac propter Eccleſiaſticus docet. *In omnibus operibus tuis memorare noviſsima tua, & in æternum non peccabis.* Quem locum, qui illuſtrant, plura alia ſimilia Sanctorum Patrum, & bonorum Auctorum adducunt. Sed pro multis valet ille D.Auguſtini, inquientis. *Conſideratio huius ſententiæ, deſtructio eſt ſuperbiæ, extinctio invidiæ, medela malitiæ, effugatio luxuriæ, evacuatio vanitatis, & iactantiæ, conſtructio diſciplinæ, perfectio ſanctimoniæ, præparatio ſalutis æternæ.* 5

Idem ſermo.1.ex 25.var.tom.5.

Et iterum, in ſpecie de Regibus agens. *Egredere ad ſepulchra: obſecro videamus ibi myſteria, videamus dilapſam naturam, oſſa coroſa, corpora putrefacta: conſidera ibi quis ſapiens, & quis prudens? Dic mihi, quis illic Rex, & quis privatus, quis generoſus, & quis ſervus, quis ſapiens, & quis inſipiens? Vbi pulchritudo præſens, ubi frons radians? an non omnia favilla? non omnia vermis? non ne omnia putredo, & fætor? Hæc animis inſerentes, dilecti, & extremum diem in animo collocantes, dum habemus, convertamur ad Dominum.* 6

D.Gregor. lib.12. Moral.
Idem lib.6.

Auguſtino ſimilis Divus Gregorius, *Qui conſiderat* (inquit) *qualis in morte, ſemper pavidus erit in operatione, atque inde oculis ſui conditoris vivet. Nil quod tranſeat appetet: cunctis vitæ præſentis deſiderijs contradicet, & penè mortuum ſe conſiderat: quia moriturum ſe minime ignorat. Perfecta enim vita eſt, mortis Meditatio, quam dum iuſti ſollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* 7

Et rurſus. *Quæ enim ſit carnis ſubſtantia, teſtantur ſepulchra, quis ſeparatum, quis amicorum fidelium, quamlibet dilecti ſui tangere carnem ſcaturientem vermibus potuit? Caro itaque cum concupiſcitur, penſetur quia ſit exanimis, & intelligitur quid ametur. Nihil quippe ſic ad domandum deſiderium carnalium valet, quàm ut unuſquiſque hoc quod vivum diligit, quale ſit mortuum, penſet. Conſiderata enim corruptione carnali citius cognoſcitur, quia cum illicitè caro concupiſcitur, tales deſideratur. Benè ergo de luxurioſi mente dicitur, dulcedo illius vermis, quia is, qui in deſiderio carnalis corruptionis æſtuat, ad fætorem putredinis anhelat.* 8

D.Hier.in epiſt.ad Heliod.
Plat.in Phed.
Cant.1. 11.
Tuff. in Eccleſ.c. 7.verſ.40. p.256. & 258.

Divus etiam Hieronymus addit, Platonis ſententiam eſſe, omnem ſapientum vitam, meditationem eſſe mortis; debereque nos præmeditari, quod aliquando futuri ſumus, & quod velimus, nolimus, abeſſe longius non poteſt. Hoſque vermes mortis, eſſe illas murænulas aureas vermiculatas argento, quas ſponſus ſponſæ auribus appendere parat, benè Octavianus Tuffus animadvertit, addens, talem profectò cogitationem B.Franciſcum à Borgia, conſpectis in corpore Imperatricis vermibus, cedere mundo feciſſe, & Societatis Ieſu Religionem 9

ingredi, in qua adeo virtutibus, & miraculis claruit, ut iam inter Beatos habeatur, & brevi ſolemni Eccleſiæ more in ſanctorum numerum referendus ſperetur. Eique frequenter ſecundùm Ribadeneiram, & Beierlinchium, hæc vox frequens eſſe ſolebat, *Auguſta mors mihi vitam attulit*. Et verè nam ut ijdem ſubiungunt.

Ribaden. lib. 1. vitæ eius, c. 9. Beyerlinch. in apophth. pag. 485.

Si cupis adverſus ſcelerum fœdiſsima quæque
Vulnera, perfacilem dem tibi promptus opem:
Cum tè turpe aliquid tentat, fac illicò mentis,
Seſe mors oculis offerat atra tuæ.

10 Salomon etiam, qui Regum omnium Sapientiſsimus habitus fuit, exemplo ſuo omnes Reges admonuit, hac eadem mortis conſideratione ſuperbiam retundere, cum ſciant, vel ſcire debeant, quòd etſi in ortu, & progreſſu vitæ aliquid à cæteris diſtent, & nobilitate, potentia, ſapientia, rerumve affluentia præcellant, in occaſu tamen (ut iam dixi) nihil differre, & tunc harum rerum omnium vanitatem cognoſci. *Didici* (inquiens) *quòd unus utriuſque ſit interitus, moritur doctus ſimiliter, ut indoctus, & idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala univerſa eſſe ſub Sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus.*

Salom. Eccleſiaſt. 2. 16. & 17. Conducit Epitaph. de quo poſt Delrium Cauſin. in Poliſt. ſymb. pag. 235.

11 Et Iobus in eadem memoria, & ſepulcrorum, dum quis vivit, conſtructione, & contemplatione, prudentes homines magnum reperire theſaurum, his verbis inſinuat, iuxta explicatione, D. Thomæ ibidem à Noſtro Pineda relatam. *Qui expectant mortem, & non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint ſepulchrũ.* Quem fortè theſaurum indicare Semiramis voluit, cum referente Plutarcho, loculo, quem ſibi conſtruxit, hanc inſcriptionem appoſuit. *Si quis Rex pecunia indiguerit, is recluſo hoc monumento, ſumet quantam volet.* Quod cum Darius poſt Reginæ mortem tentaſſet, nihil in eo aliud invenit, quàm eius Cinerem, & oſſa, ingentem ſanè theſaurum, ſi eo uti ſciuiſſet, & quales quantæque divitiæ ex memoria, & contemplatione ſepulchrorum colligi poſsint, animadverteret.

Iob 3. 21. 22.

Plutarch. apoth. 165.

12 Huc quoque illud Agathonis Philoſophi, apud Stobæum referendum exiſtimo, dum ad Reges, & Magiſtratus maximè pertinere dixit, horum trium meminiſſe. *Primum quòd imperant hominibus ſecundum, quòd ſecundùm leges imperant. Tertium quòd non ſemper imperabunt.* Ad quod ſanè Apophthegma, omnis gubernantium inſtitutio redigi poteſt, ut Fulvius Pacianus latè proſequitur, & præcipuè Regum, qui cum nullum in terris, dum vivunt, ſyndicatum ſui mali regiminis ſubeant, ſi hac mortis memoria, & ultimi divini iudicij, quod ipſos, ſicut & cæteros manet, non coerceantur, & omnia ſibi licere putent, in Tyrannos degenerabunt. Vnde valdè expedit, *ut precarium ſibi imperium, & brevi tranſiturum* agnoſcant, ut alibi Tacitus dixit, & alto ſibi pectore figant illud Galfridi ab Euſebio Noriembergenſi Noſtro relatum, *Non ſemper eris Princeps; ſed ſummo Principi rationem reddes*, cum quo convenit, illud Eccleſiaſtici, *Omnis Potentatus brevis vita: ſic & Rex hodie eſt, & cras morietur. Cum enim morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.*

Stob. ſerm. de magiſtratib.

Pacian. de probat. lib. 2. c. 44.

Tacit. 1. hiſt. Galfrid. apud Euſeb. in Theoph. p. 340.

Quòd

Ælian.de var.hiſt. lib.8.c.15.

Quòd antidotum contra Regalis ſuperbiæ venenum, & ad debitam totius vitæ continentiam ſervandam, ita præſens, & proficuum eſſe iudicavit Philippus Macedo, ut ſecundùm Ælianum, cuidam ex ſuis Aulicis pueris iniūxerit, quotidie hoc ei manè in memoriam revocare. *Memento Philippe quòd homo es*, Neque ipſe anteà foras prodiret, vel quemquam ad ſe adeundum admitteret, quàm hoc ter ab ipſo puero proclamaretur. Quæ verba, quid aliud ſonare volunt, niſi, *Memento Philippe, quòd non ſemper imperabis?* 13

Plut.in vita Alex.

Curtius lib.8.

Calliſthenes etiam Philoſophus moriens, ut tradit Plutarchus, Alexandro Magno, eiuſdem Philippi filio, qui poſt ſubactum Orientem, pernicioſa dulatione (perpetuo Regum malo, ut ait Curtius) ſe ductus, vix ſe mortalem, & cæteris hominibus moriendi neceſsitate perſimilem, iudicabat, his verbis loquutus narratur, *Si Deus es, beneficia largiri mortalibus, non ſua eripere debes; Si Homo, id quod es, ſemper te eſſe cogita.* 14

Ariſt. apud Stob. ſerm.96.

Cardan. lib.1.de conſolat.

Stob.ſerm.de homine.

Nempe ſecundùm Ariſtotelis finitionem, imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, invidiæ ac calamitatis trutinam, reliquum verò pituitam, ac bilem. Addo & umbram vanam, citòque tranſituram, quod Hiſpanum idioma veluti profert, dum homo in eo *Hombre* vocatur, ſimili voce, ſimilem ferè umbram adumbrans, ut non inſcitè Cardanus animadvertit. Quem iuvat illud Æſchylli apud Stobæum, hominem umbram, & quidem fumi, his verſibus appellantis. 15

Caduca molitur genus mortalium,
Neque certa res eſt ulla, nec tuta, haud magis,
Quàm umbra fumi.

Lucian. in Charont.

Eraſm. in hoc Adagio pag.712.

Camer. centur.1. ſubceſ.c.12. Mendoza in 1.Reg c. 1.nu.27.ſect.1. ex pag.mihi 132. Novarin. in elect.ſacris excurſu 7. & 9. ex p.190. Lipſ. in Saturn.c. 19.

Pet.in Satyr.

Et Luciani, qui vitas hominum bullis in aqua ſurgentibus, ſimiles facit, quarum aliæ ſimul atque natæ ſunt, protinus evaneſcunt, aliæ paulò diutius durant, & omnes breviſsimis quibuſdam intervallis aliæ alijs ſuccedunt. Quæ ſimilitudo fecit locum Adagio, *Homo Bulla*, in cuius illuſtratione Eraſmus plura congeſsit, & plurima alia, ſummam hanc vitæ humanæ brevitatem, & vanitatem, etiam in Regibus, de notantia, Philippus Camerarius, Franciſcus Mendoza, Aloiſius Novarinus, & Iuſtus Lipſius, qui & illum morem ab Ægyptijs ductum exponunt, mortis ſimulacra in convivijs circumferendi, ut huius brevitatis convivæ admonerentur, quod in Trimalcionis cœna, quam Petronius refert, factum cum eſſet, ipſe Trimalcio in hanc vocem prorupit. 16

Heu heu nos miſeros, quàm totus homuncio nihil eſt,
Sic erimus cuncti poſtquàm nos auferet Orcus,
Ergo vivamus dum licet, eſtquè benè.

Hinc

17 Hinc & M. Varro, moris apud Romanos fuiſſe inquit, ſepulchra circa vias publicas extrui, ut prætereuntes admonerentur, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Et Philippus Camerarius latè recenſet, multis Regibus, & Imperatoribus Mortis inſignia ante ſe deferri, uſitatum fuiſſe, ut dignitatis ſuperbiam retunderent. Et Græcis, eo ipſo die, quo coronabātur, ſedētibus in Regio throno, Cæmentarium aliquot lapidum genera proponere ſolitum, ut deligeret unum ex his, ex quo ſibi tumulum fabricari vellet, ſub hac formula.

M. Varro lib. 5. de ling. Latin.

Camer. d. c. 12. & cent. 2. c. 53. ex p. 226. & cent. 3. c. 32. ex pag. 112.

Elige ab his ſaxis, ex quo Auguſtiſsime Cæſar,
Ipſe tibi tumulum me fabricare velis.

18 Et ibidem addit, qualiter Maximilianus I. Imperator, ſibi vivus ſarcophagum, & omnem ſuppellectilem funeri ſuo neceſſariam paraverit, ſibi conſtruxiſſe inquiens, quæ maximè ſibi placeret. De Alexandro quoque Severo, Dion Nizeus, & Xyphilinus enarrant, quòd ſenio iam confectus, cum urnam ſibi præparaſſet, ut in ea mortuus ſepeliretur, paulò antequàm decederet è vita, eandem ad ſe perferri iuſſit, manibuſque contrectavit. *Tu* (inquiens) *virum capies, quem totus Orbis terrarum capere nunquam potuit.* Quos, in ſimili pietate, & ſalubri præventione, adhuc ſuperavit D. Imperator Noſter Carolus V. dum in cœnobio Divi Iuſti, in quod ſe, abiecto Imperio, receperat, vivens adhuc & ſanus, tanquàm iam mortuus, in tumulo poni iuſsit, & officio pro defunctis fieri ſolito, mortualique ſacro mæſto Monachorum cantu commendari. Exequiale carmē ipſe funeri ſuo ſuperſtes exaudiens, ſimulque cum ipſis, & reliquis, qui ex ſuis ſtabant, lachrymantibus famulis, placidam ſibi quietem beatas inter ſedes implorans, ut latius poſt plures Auctores, qui de eius geſtis ſcripſerunt, noviſsimus Petrus Oſtermanus recoluit.

Dion & Xiphil. in eius vita.

19 Sed his relictis, ut filum, mentemque noſtri Emblematis repetamus, & quàm ſit mortis memoria potens, ad animum contra omnia vitia, & dæmonis incurſiones dum vivimus præmuniēdum, elegans alia ſimilitudo poteſt adduci ex Apum natura, quæ etiam ſi inter ſe tumultuētur, & bellum conſerere velint, modico pulveris iactu illico quieſcunt, ut præter alios Virgilius tradit, ſic de eis in Georgicis inquiens.

Oſterm. in Palladio Pacis exulant. lib. 1. c. 2. pag. 14. Sandov. in carolea 2. tom. p. mihi 826

Virgil. in Georg. lib. 4.

Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui iactu compreſſa quieſcunt.

Quæ extremi finis, & pulveris cogitatio, ſi Reges omnes invaderet, ut benè Tuffus animadvertit, *Nec Regno, nec Regijs opibus efferrentur: ceſſarent bella, & quiſque ſuo contentus quietè ageret.*

Tuffus in Eccleſ. 7. 40. pag. 257.

20 Idem ipſum munimentum ex monumento, aptius adhuc & elegantius ex ſimilitudine Ichneumonis colligi poteſt, parvi quidem Ægypti ſerpentis, ſed ea aſtutia præditi, ut cum Ceraſtis, & alijs validioribus aſpidibus pugnaturus, ſe, (Plinio, Ælianoque referentibus) limo ſæpius immergat, ac ſiccet Sole, mox ubi pluribus eodem modo ſe corijs loricavit, in dimicationem pergit. In ea caudam attollens, ictus irritos oblimi cruſtras averſus excipit, & hoſtem interficit. Ex quo

Plin. lib. 8. c. 24. p. 180. Ælian. de hiſtor. anim. lib. 7. c. 15.

ultra

ultra Ioachimi Camerarij Emblema,hoc Ego in rem noſtram non ineptè confici poſſe putavi.

Ichneumon corpus tetro cur pulvere turpas?
Serpentum vires pulvere vinco levi.
Vt coluber cedat,non enſis,mucro,ſagitta,
Sed ſatis eſt coram pulveris atra dies.

Vincent.hiſtor. in ſpeculo. D.Antonin.in hiſt.

Et eodem luto ſe dum ad pugnā cū Tartaris parant,ut eorum ſagittis reſiſtant, Seres ſolitos ob armari, ex Vicentio Hiſtoriali,& Divo Antonino colligimus. Et hodie Ætiopiæ Regem, quem Præsbyterum Ioannem vocamus, nunquam foras prodire,quin ei Crux,& vas terræ præferatur,Nicolaus Cauſinus ex alijs recoluit, & ad noſtri Emblematis mentem aptavit.

Cauſin. in Poliſt. Simb.lib.5.cap.4. pag 225. Camer. ubi ſup.

Mach.2.13.29.

In libro quoque Machabeorum, aliud ſymbolum ad noſtrum, etiā pertinens,reperitur,dum Simon, patris, fratrumque ſuorum tumulo, *Circum poſuit columnas magnas: & ſuper columnas arma,ad memoriam æternam,& iuxta arma,naves ſculptas.* Sic indicans,totam vitam noſtram fluctuanti navigio,ſive navigationi,ſimilem eſſe,& in felicem ſecurumque mortis portum, ſtatim atque naſcimur contendendum, in quo demum quies, & Beatitudo noſtra conſiſtit. De quo ſimili, integrum caput Ioannes Fileſacus ſcripſit. Et Nicolaus Cauſinus aliud, de Ægyptijs Pyramidibus agens,in quarū ſummitate præſepia erant, urnarum Noſtri Pantheonis ſimilitudinem referentia,ad quæ demum Reges,tot laboribus exantlatis,tot curis abiectis,& ablegatis,æterna requie fruituri conſcenderent. 21

Fileſac.2.tom.Select.in Euripo huius ſæculi c.2.

Cauſin. in Poliſt. Simb. lib.12.c.46 quem etiam vide alia de mortis memoriæ utilitate adducentem lib. 3. c.38.& 39.

Quam nos etiam Noſtris,poſt longam,& benè actam vitam,ſupplices exoramus,& cum Boetio ad ſupremam hanc laborum metam, atque mercedem his carminibus invitamus. 22

Boet. lib 3.met. 11. & vide Emb. 25.D.Sebaſt. Covar.cent.1.del meſon de la muerte.

Huc omnes pariter venite capti,
Quos fallax ligat improbis catenis,
Terrenas habitans libido mentes,
Hic erit vobis requies laborum,
Hic portus placida manens quiete,
Hoc unum miſeris patens Aſylum.

Senec. lib.6.nat. quæſt.c.2. Ovenus lib. unic. Epig.115.p.113.

Et illud,quod legimus apud Senecam,memoriæ mandare conſulimus, *Nullum eſt maius ſolatium, quàm ipſa mortalitas.* Et Epigrammatarij Angli.

Quod Reges audire timent,ac dicere ſervi,
Ipſi tibi dicit Fama, memento mori.

F I N I S.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE CITANTVR, ET ILLVSTRANTVR.

Prior numerus Paginam, ſequens Paginæ numerum ſignat.

Ex Geneſi.

Capit. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, pag. 2. num 5.
Eod. cap. v. 26. Faciamus hominem, &c. 349. 12.
Cap. 2. Fecit Deus hominem, &c. 615. 17.
Eod. cap. v. 17. Nō comedetis de arbore vitæ, &c. 560. 5.
Cap. 13 v. 17. Perambula terram, &c. 511. 14.
Cap. 15. v. 1. De protectione Dei erga Abrahā, 175. 17.
Cap. 30. v. 34. De virgis Iacob circa canales, 219. 2.
Cap. 4. v. 46. De Ioſeph viſitante Ægyptum, 511. 13.

Ex Exodo.

Capit. 4. v. 10. De excuſatione Moyſis, 207. 28.
Cap. 7. v. 31. De eod. recuſante legationem ad Pharaonem, 396. 28.
Cap. 17. v. 8. De Oratione Moyſis in pugna, 809. 7.
Cap. 18. v. 22. Partito in alios onere, 458. 13.
Ibid. De eodem Moiſi graues cauſas ſibi reſeruante, 539. 22.
Capit. 22. v. 22 & 23. Viduæ, & pup. nō nocebis, 534. 5.
Cap. 28 v. 30. De veritate in veſte Sacerdotis, 391. 7.
Cap. 34. v. 6. Deus miſericors clemens, 632. 21.

Ex Numeris.

Capit. 11. v. 1. Cur afflixiſti ſervum tuum, &c. 116. 9.

Ex Deuteronomio.

Cap 1. v. 16. De populo audiendo, & iudicando, 493. 6.
Capit. 10. v. 17. & 18. De æqualitate iuſtitiæ, 529. 20.
Cap. 17. v. 14. De officio boni Principis, 163. 9. & 704. 9.
Ibid. v. 15. De exteris ad Reipub. officia non admittendis, 160. 20.
Ibid. v. 17. De Theſauro Regum, 302. 17. & 304. 27.
Ibid. v. 18. De libro legis à Sacerdote portando, 552. 5.
Cap. 21. v. 20. De nimio vino vitando, 289. 41.
Cap. 25. v. 3. Pro menſura peccati, &c. 601. 1.
Cap. 27. 6. De holocauſtis pro victoria, 814. 27.
Cap. 28. 44. Ipſe erit in caput, 101. 1.

Ex Libro Ioſue.

Capit. 13. & 20. Deus pro vobis pugnabit, 82. 13.
Capit. 6. De muris Ierycho, ad orationes ruentibus, 810.

Ex Libr. Iudicum

Cap. 3. 31. & 32 De victoria in vomere Aod, & Sangar, 594. 13.
Capit. 7. De Gedeone Reges victos calcante, 794. 26.

Ex Libris Regum.

Libr. 1. cap. 1. v. 17. De Saule ſuperbiente, 35. 11.
Cap. 2. v. 7. Dominus pauperem ditat. 50. 19.
Eod. v. 31. De punitione Heli, ob filios malè educatos, 183. 27.
Cap. 3. v. 9. & ſeqq. de Salomone petente cor audiens, 493. 4.
Cap. 7. & 28. de Secretarijs Dauidis, & Salomonis, 376. 29.
Cap. 8. v. 20. & c. 9. v. 16. De Rege pugnāte pro populo, 779 3.
Cap. 10. in fin. De diſſimulatione Ioab, 334. 30.
Cap. 12. De Samuele ſe coram populo ſyndicante, 403. 61.
Cap. 18. De deſcriptione Regis Tyranni, 162. 8.
Cap. 18. De Abdia Prophetas alente, 315. 2.
Cap. 28. v. 37. & 39. De Dauide Deū orāte, 55 14
Lib. 2. c. 3. v. 13. & 20. De diſſimulatione Abſalō, 334. 30.
Cap. 8. v. 5. De Rege ad populū iudicandum electo, 505. 39.
Cap. 15. De Abſalonis promiſsione in populo facile audiendo, 493. 15.
Cap. 21. v 6. De Dauide deſpiciēte iniurias Semei, 826. 23.
Cap. 21. v. 17. De Rege, ne exeat ad bellū, 781. 9.
Cap. 22. v. 44. Cuſtodiet me in caput gentium, 101. 1.
Cap. 24. De peſte ob peccatum Dauidis, 167. 6.
Lib 3. capit. 1. v. 9. De voto Salomonis pro Sapientia, 172. 5.
Cap. 3. De Ædificatione Templi Salomonis Deo grata, 306. 2.
Eod. c. v. 28. & ſeqq. De Iudicio Salomonis inter mulieres, 505. 40.
Ibid. in fin. De laude Salomonis ob hoc iudiciū, 192. 24.
Cap. 11. v. 35. De Rege, lucernæ cōparato, 96. 2.
Cap. 12. De damnoſo Conſilio iuvenū ad Roboamum, 387. 37.
Cap. 22. De veritate Regibus odioſa, 395. 24.
Cap. 22. v. 4. & 8. De excuſatione Micheæ, & Eliſei in legatione ad Regem, 390. 29.

Lib.4.cap.8.v.19.De Regis, & lucernæ comparatione,96.2.
Cap.11.De bono Regimine Ioas Regis ob cõſilia Ioiade,355.39.
Cap.20.v.16. Depunita ſuperbia Ezequiæ, 35. 11.

Ex Libris Paralipomenon.

LIbr.1. cap.15. De damno populi ob deffe-ctum Principis,151.17.
Cap.19. De Ioſaphat ſuum Regnum viſitante, 511.13.
Cap.15.v.3. De torta panis in populum diſtributa,273.8.
Cap.23. De lege Deuter. Ioa in manibus data, 552.5.
Cap.14.v.3. De veritate Regibus odioſa,& punita, 395. 24.
Eod.cap.24.& 26. De punitione Ioas,&Ozias propter elationem,35. 11.
Lib.2. cap.1. De Aſa à Deo derelicto, 55.14.

Ex Libris Eſdræ.

Libr.3.cap.3.& 4. De vi veritatis,391.9.

Ex Libro Eſther.

CAp.5. De Artaxerxis ſeveritate, 495.17.
Cap.13.& 16. De ſuperbis titulis Artaxerxis,64. 1.
Cap.15. v.10. De oculis Aſſueri ardentibus, 99. 15.

Ex Libro Iudith.

CAp.1. De locuſtis agros vaſtantibus,149.8.
Cap.16.v.22. De holocauſtis ob victoriã, 814. 27.

Ex Libro Iob.

CAp.18.v.6. De luce, pro Principatu, 96. 2.
Cap.20.v.15. Divitias quas devoravit,evomet,721. 50.
Cap.3. v. 21. & 22. De Theſauro ex memoria mortis,841. 11.
Cap.5. v.12. & 13. Apprehendit ſapientes in conſilijs ſuis, &c.55. 16.
Cap.9.v.13. Reges qui portant orbem, 316.8.
Cap.12.v.18.& cap.36.v.7. De Deo Reges humiliante, 50. 20.
Cap.21. De præmonitione Iobi,dum Reges alloqui voluit, 396. 28.
Cap.24.v.3. De tutandis miſerabilibus, 334. 4.
Ibid. v.4. Subverterunt pauperes, 537.15.
Cap.25.v.2.& 3. Poteſtas,& terror apud eum, 99. 15.
Ibid.v. 2. Qui facit concordiam in ſublimibus, 803.2.
Cap.26.v. 5. De Gigantibus gementibus ſub aquis, 145. 21.
Ibid.verſ.7. De Principe cum Sole ſurgente, 149.16.
Cap.27.v.16.& ſeqq. De divitijs iniuſte partis,698. 15.& 721.10.
Cap.29.v.7. De Iobo ſummo mane ſurgente, 151.11.
Ibid.v.11. Oculus fui cœco,&pes claudo, 101. 11.
Cap.34.v.30. De Regno hypocritæ, 161. 2.
Cap.41.v.6. De ſcutis ſquamis præmentibus, 805.12.

Ex Libro Pſalmorum.

PSal.2.v.9. De ſubmiſsione Regum ad Deum, 6.19.
Ibid.v.10. Erudimini,qui iudicatis terram, 192 23.& 172.3.
Ibid.v.2.& Pſalm.39. v.9. In camo & freno, &c.529.20.& 543.13.
Pſal.6.v.1. Ne in furore tuo arguas me, 612.3.
Pſal.7.v.2. & 3. Libera me à perſequentibus me,56. 17.
Pſal.9.v.1.& Pſal.10. v.5. Tibi derelictus eſt pauper,534.5. & 536.10.
Pſal.17.v.7.& ſeqq. De Deo pro Davide pugnante, 809.7.
Ibid.v.29. De lucerna,pro Rege,96.2.
Ibid.v.44. De Capite,pro Rege,101. 1.
Pſal.18.v. 1. Cœli enarrant gloriam Dei, 8.28.
Pſal.22.v.5. & ſimil. Calix tuus inebrians,&c. 290.43.
Pſal.26 & alij,In quibus David agnoſcit, ſe peculiari auxilio à Deo fuiſſe protectũ, 175.17.
Pſal.32.v. 1. Rectos decet collaudatio,836.18.
Ibid.v.10. Deus diſsipat conſilia Principũ, 55.16.
Pſal.36.v.14. De gladio in pauperes evaginato,537.16.
Pſal.40.v.2. Beatus qui intelligit ſuper egenũ, & pauperem,534.5.
Pſal.41.v.8. Abyſſus abyſſum invocat, 598. 2.
Pſal.45.v.10. Scuta comburet igne, 798.74.
Pſal.57.v.5.& 6. De ſerpente obturante aures incantatoribus,410.28.
Pſal.71.per tot. De Rege iudicãte populũ in iuſtitia, 529.20.
Ibid.v.11.& 12. De gloria Dei in protectione pauperum, & humilium,539.24.
Pſal.72.v.1. Mihi adhærere Deo bonũ eſt,53.11
Pſal.80.v.8. Ibunt de virtute in virtutẽ, 597.1
Pſal.81. Deus ſtetit in Synagoga Deorũ 89. 4.
Ibid.v.& 6. Ego dixi Dij eſtis vos, 14. 19.
Pſal.82.v.14. Pone illos vt rotam,49. 16.
Pſal.98.verſ.3. Honor Regis iudicium diligit, 430.28.
Pſal.100.v.1. Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi,628.4.
Ibid.v.6. Oculi mei ad fideles terræ, 425. 30.
Pſal.102. v.7. Notas facit vias ſuas filijs ſuis, 171. 3.
Pſal.103.v.23. Exiet ad opus ſuum, &c.96. 4.
Pſal.105.v. 3. Beati qui faciunt iuſtitiam omni tempore, 586. 25.
Pſal.109.v. 2. Virgam virtutis,&c.220.5.
Pſal.122.v. 2. Oculi ſervorum,&c. 213.9.
Pſal.131.v.16. De lucerna pro Regno, 96.1.
Pſal.138.v. 7. Quò ibo à ſpiritu tuo, 2.5.
Pſal.144. v.6. Et imples omne animal benedictione,314.1.
Ibid.v.9. Miſericordia eius, ſuper omnia opera eius,631. 21.
Pſal.145.v.3. Nolite confidere in Principibus, 487.2.
Pſal.46.v.4. Subiecit populum nobis,760.36

Ex Libro Proverbiorum.

CAp.1.v.5. Audiens ſapiens,ſapientior erit 195.37.

Ibid.

Ibid. v. 10. De non acquieſcendo adulatoribus, 410. 31.
Ibid. v. 32. Proſperitas ſtultorum perdet illos, 33. 2.
Cap. 2. v. 7. Roboratur clementia tronus eius, 633. 28.
Cap. 3. v. 3. & cap. 29. v. 12. De veritate, & mēdacio, 592. 10.
Cap. 6. v. 6. Piger vade ad formicas, 643. 19.
Cap. 8. v. 13. & capit. 20. v. 8. & cap. 16. v. 10. Quod Deus Reges adiuvat, dum iudicant populos, 507. 50.
Cap. 10. v. 10. Divinatio in labijs Regis, 198. 50. & ſeqq.
Ibid. verſ. 9. & 10. De magiſtratibus exteris, 460. 2.
Ibid. v. 19. De Multiloquio, 210. 35.
Ibid. v. 40. Vbi non eſt Gubernator populus corruet, 148. 3
Cap. 11. v. 13. De revelante arcana, 376. 27.
Cap. 13. v. 41. Noli Regibus dare vinū, 284. 10.
Cap. 14. v. 23. Vbi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas, 385. 31.
Ibid. v. 11. Qui miſeretur pauperi beatus eſt, 534. 5.
Ibid. v. 34. Iuſtitia elevat gentes, 523. 1.
Cap. 15. v. 2. De lingua ſapientum, 208. 29.
Ibid. v. 22. & cap. 20. v. 18. & cap. 24. v. 6. De neceſsitate, & vtilitate conſilij, 353. 29.
Ibid. v. 17. & cap. 16. v. 6. & cap. 21. verſ. 3. De operibus, & effectibus miſericordiæ, 315. 4.
Cap. 16. v. 14. & cap. 19. v. 1. De Principibus qui libenter vera non audiunt, 396. 26.
Ibid. v. 7. Non decet Principem labium mendax, 216. 23.
Cap. 17. v. 6. Gloria filiorum patres eorum, 254. 4.
Cap. 18. v. 19. De fortitudine mutui auxilij, 807. 10.
Cap. 19. v. 17. De eo, qui miſeretur pauperi, 315 15.
Cap. 20. v. 3. De fugiente lites, 568. 31.
Ibid. v. 1. & cap. 31. v. 4. De damno nimij vini, 289. 41.
Ibid. verſ. 8. De Rege ſedente in ſolio iudicij, 505. 40.
Ibid. v. 10. Pondus, & pondus, &c. 501. 12.
Ibid. v. 21. & cap. 13. v. 11. De bonis, & honoribus feſtinatis, benedictione carentibus, 465. 20.
Ibid. v. 28. Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Reges, 99. 17.
Cap. 21. v. 1. Cor Regis in manu domini, 172. 4. & 452. 33.
Ibid. Cor Regis ſimile diviſioni aquarum, 657. 14.
Ibid. v. 22. Civitates fortium aſcendet ſapiens, 204. 14.
Cap. 22. v. 1. Super argentum gratia bona, 681. 16.
Ibid. v. 6. & c. 23. 13. & 14. De bona educatione puerorum, 181. 17.
Ibid. v. 16. De calumniante pauperem, vt augeat divitias ſuas, 698. 15.
Ibid. v. 20. Ne tranſgrediaris præcepta Patrū, 422. 31.
Cap. 25. v. 2. Gloria Regis inveſtigare ſermonem, 397. 23. & 810. 19.
Cap. 27. v. 4. De bono Principe, 159. 21. & 160. 1.
Ibid. verſ. 6. Meliora ſunt amicorum verbera, 406. 11.
Ibid. v. 4. Ira non habet miſericordiam, 612. 3.
Cap. 28. v. 1. Iuſtus quaſi leo, 527. 14.
Cap. 29. v. 1. Melior eſt vir correctionis, 592. 5
Ibid. v. 2. Dans munera, animam aufert accipiētis, 719. 16.
Cap. 30. v. 14. De iniuriantibus, & comedentibus pauperes, 537. 16.
Ibid. v. 15. De ſanguiſugis filiabus, 712. 4.
Ibid. v. 27. Regem locuſta non habet, 146. 6.
Ibid. v. 28. Stellio nititur manibus, &c. 405. 7.

Ex Libro Eccleſiaſtes.

CApit. 1. v. 7. Ad mare flumina revertuntur, 728. 7.
Cap. 2. v. 16. & 17. De memoria mortis, 841. 10
Cap. 5. verſ. 7. Excelſo excelſior eſt alius, 1. 1.
Cap. 6. verſ. 2. Extraneus vorabit divitias eius, 693. 37.
Cap. 8. v. 6. De temporis opportunitate, 332. 17.
Cap. 9. v. 11. Vidi ſub ſole, tempus caſumque in omnibus: 43. 44.
Ibid. verſ. 15. Sapien: liberabit vrbem, 109. 29.
Ibid. v. 18. Melior eſt ſapientia, quam arma bellica, 160. 14.
Cap. 10. v. 1. De parva ad tempus ſtultitia, 234. 5.
Ibid. v. 14. Sapientia non conſiſtit in multiloquio, 385. 29.
Ibid. v. 17. De Rege Nobili, 254. 4.
Ibid. v. 18. De Rege ſimili contignationi, 104. 11.
Ibid. v. 19. Pecuniæ obediunt omnia, 685. 10.

Ex Cantico Canticorum.

CAp. 1. verſ. 11. De Murænulis aureis, 840. 9.
Cap. 5. v. 1. Vinum cum lacte, 617. 2.
Ibid. verſ. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat, 132. 15.

Ex Libro Sapientiæ.

CAp. 1. v. 1. & ſeqq. De Regibus, qualiter iuſtitiam quærere debeant, 172. 2.
Ibid. v. 6. & cap. 6. v. 8. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, 8. 28.
Cap. 2. v. 10. Opprimamus pauperes, 537. 15.
Cap. 5. v. 6. Ergo erravimus a via veritatis, 399. 45.
Cap. 6. v. 1. De virtute ſapientiæ, 360. 14.
Ibid. v. 2. & ſeqq. De facili audientia Regum, 493. 3.
Ibid. v. 16. De ſapientia á Salomone petita, 159. 21.
Ibid. De neceſsitate ſapientiæ in Regibus, 192. 23.
Ibid. v. 16. & ſeqq. De cogitatione pro ſcientia, 557. 18.
Cap. 7. v. 15. De eloquentia Salomonis, 172. 5.

Ibid. v.10.& ſeqq.de voto Salomonis in Conſilijs, 356.46.
Ibid. v. 11. de Sermone Salomonis, 209. 33.
Ibid. v.8. de ſcientia futurorum 199. 55.
Cap.10. v.20. iuſti tulerunt ſpolia impiorum, 29. 27.
Cap.12. v.12.de poteſtate Dei, in deſtruendis operibus, quæ ipſe fecit, 169. 15.
Cap.15. v.3. de ſcientia iuſtitiæ, 519. 11.
Cap.18.v.24. de Regum nimio onere, 116.8.

Ex Eccleſiaſtico.

CAp.1.v.5. audiendo ſapiens, &c. 352. 24.
Cap.3.v.20.quanto magis humiliate in omnibus, 15. 20.
